COMMENTARIVS, DE PRAECIPVIS DIVINATIONVM GENERIBVS, IN QVO A PROPHETIIS, AVTHORITATE DIuina traditis, & á Physicis coniecturis, discernuntur artes & imposturæ Diabolicæ, atque obseruationes natæ ex superstitione, & cum hac coniunctæ: Et monstrantur fontes ac causæ Physicarum prædictionum: Diabolicæ verò ac superstitiosæ confutatæ damnantur, ea serie, quam tabella præfixa ostendit.

Recognitus vltimò, & auctus,

AB AVTHORE IPSO

CASPARO PEVCERO D.

Addita, singulis voculis & sententiis Græcis, sua interpretatione.

FRANCOFVRTI,

Apud Andreæ Wecheli heredes,

Claudium Marnium, & Ioan. Aubrium.

MDXCIII.

BIBLIOTH. ZOFFING.

[illegible]

[illegible]

LECTORI S. D.

CVM, *post mirandam conseruationem & liberationem mei ex aresto & carcere annorum duodecim, iterum editurus essem commentarium meum de Diuinationum generibus diuersis, (quem initio hoc consilio præcipuè contexui, vt, quantùm possem, ostenderem opera Dei propria, ordinata, ac perpetua, & extraordinaria ac miraculosa, in rerum natura generisq; humani societate, & in Ecclesia Filij Dei, quomodo à ludibriis Diaboli, imposturisq; illorum æmulis, sint discernenda) volui, vt debui, in proœmio, significatione aliqua publica, qualem ferret scripti ratio ac breuitas, Deo & Ecclesiæ gratitudinem declarare meam, quam vt non dubito, pijs omnibus & orthodoxis gratam fore & vt sit, precor, sic veniam dabunt mihi, qui reprehenderint, si eo loco censuras ipsorum habuero quo haberi merentur, id est, si nihili fecero: & in euidentia ac certitudine veritatis erutæ, illustratæ atq; assertæ scriptis eorum, quibus illa cordi est: inq; argumento certissimo præsentis auxilij cœlestis, testimonioq; Spiritus sancti in corde meo: in fiducia patrocinij ac protectionis diuinæ, & solatio persoluti Deo ac bene de me meritis*

debiti, ad Ecclesiam in hac vita, cum spe certa optatæ atque expectatæ liberationis ab ærumnis omnibus, si acquieuero ac perseuerauero. Ingens est omninò & inenarrabile opus, beneficium, ac donum misericordiæ Dei in me, quòd liberatum me à potestate tenebrarum, atq; ex errorum Sophistica fucatorum labyrinthis, confusionumq; inuolucris luce sua extricatum transtulit in regnũ filij sui dilectißimi Domini nostri Iesu Christi, ad sortem & societatẽ sanctorum. Sed maius est multò, quòd non solùm me credere in Christum, verùm etiam affligi pro eo, & omnibus, quæ in hac vita habui carißima, ac præcipua, Christum anteponere voluit: quòd propter agnitæ veritatis confeßionem à consortio omni & consuetudine hominum secluso, orbatoq; præsidiis omnibus, & solatiis humanis, in arcta solitudine tot annorum: ignaro etiam certaminum atque conflictuum, quibus Ecclesia de motis controuersiis concuteretur, nõ tantùm vires suffecit iis perferendis, ac superandis animo & corpore, quæ imposuit, sed auxit indies lucẽ & agnitionem veritatis ex verbo patefacto, cum omni sapientia, & intelligentia spirituali: ac conformauit me robore spirituali ad tolerantiam omnem, & lenitatem animi, cum gaudio & tranquillitate, ex viui solatij sensu, & cum spe non dubia futuræ liberationis, secundum gloriosam vim suam, fortis ac potens in mea ingenti & nota antè omnibus infirmitate,

corpo-

corporis præsertim, præter & contra omnes secundas causas, præterq́; spem & expectationē omnium hominum, ne consumerer: ne deficerem eneruati corpusculi viribus: ne frangerer etiam animo, nec vlla in re terrerer ab iis, qui se opponebant, Paulo Apostolo, hoc ipsum veritati aduersantibus, exitij: in ea perseuerantibus, salutis ἔνδειξιν, indicium *esse, testante, idq́; à Deo. Denique, quòd, vt seruatum mirabiliter, sic gloriosè liberatum, reddidit ac proposuit Ecclesiæ suæ illustre exemplum, ac testimonium misericordiæ & veritatis suæ ad posteritatem. Pro tantis his ergò gratiæ ac misericordiæ summæ beneficiis, gratias ago Patri æterno, per & propter Filium Iesum Christum: ipsiq́;* τῷ ἐνδυναμώσαντί με τότε, ἐνδυναμοῦντι δὲ ἔτι καὶ νῦν: qui me tunc corroborauit, atq; etiam nunc adhuc corroborat, *Christo per suum spiritum, quas possum ardentissimas, acturus quàm diu hîc vixero, & coràm in omni æternitate sempiternas. Ago etiam gratias, quas debeo & possum maximas, omnibus omnium ordinum hominibus, qui carceres meos nec erubuerunt, nec auersati sunt: Sed affecti commiseratione mei, meorumq́; exulum, ex Sympatheia Christiana, vel intercessionibus suis exoluere me vinculis studuerunt, vel lenierunt etiam subsidiis difficultates carceris mihi, exilij liberis meis. Inter quos, meritò celebro ac celebrabo, donec in viuis ero, nominatim ante alios*

omnes Inuictißimum Romanorum Imperatorem Maximilianum Secundum, æterna dignißimum memoria, laude, & gloria: Illustrißimos Principes Sacri Romani Imperij, Duces Palatinos ad Rhenum Fridericum Electorem, & filium huius Ducem Iohannem Casimirum, qui meos exules fouerunt, & adiuuarunt: Illustrißimos Principes Imperij, Wilhelmum Landgrauium Haßiæ, adhuc superstitem; & Ioachimum Ernestum Principem Anhaltinum in Domino beatè placideq; mortuum: quorum ille de me paternè sollicitus, toto tempore captiuitatis meæ nihil prætermisit, quod potuit experiri & facere mea causa: alter, pro veritate difficillima ipse perpessus, sed diuinitus protectus, conuersis rebus, ductu præsidióque diuino, cum benigna assenßione Illustrißimi Ducis Saxoniæ Electoris Augusti, &c. beatè mortui, è carcere me eduxit. Reseruo his autem encomia ex debito maiora, ad occasiones alias. Eodē modo ago gratias & pijs omnibus atq; orthodoxis, συμψύχοις καὶ τὸ ἓν φρονοῦσιν, vnū & idē sentiētibus *vbiq; locorum & gentiū, qui in assertione ac defensione sinceræ, incorruptæ, atq; inuictæ veritatis, de persona Christi, & de cultu atq; honore debito Filio Dei, aduersus resuscitata ab Orco deliria Ariana, Nestoriana, & Eutychiana, & aduersus Idolū consecrati Panis in Missa, atq; extra Missam pontificiā, quod neruus est Regni tenebrarū, & Tyrannidis pontificiæ solus*

& vni-

& vnicus, famam etiã vindicarũt atq; existimationẽ Soceri mei Philippi Melãthonis, de quo Viro, ex scriptis ac meritis ipsius, iudiciũ melius posteritatis erit, quàm est & fuit ingratissimorũ discipulorũ: qui in certaminibus perpetuis, asperis, ac periculorũ plenis, cùm ab insidijs ac sæuitia, tùm à calumniis & sophistica, omnem vitam cõsumsit, & dimicans in acie prima cõtra Pontificios, contraq; hoc ipsum Idolum, primã in collationibus cũ ipsis aciem fregit ac strauit: Qui meam etiam salutem commendarunt Deo precibus assiduis ac sollicitis, & vrserunt gemitu indesinente fusa ad Deum vota, pro confirmatione mei in veritatis confessione, ac liberatione. Horũ me beneficiorum futurum memorem, Deo adiuuante, & vniuersis ac singulis gratitudinem debitã declaraturum, quacunq; occasione, & quantùm potero, profiteor ac polliceor.

Deo Patri æterno ac misericordi: Et Filio coæterno, Domino meo ac Saluatori Iesu Christo, quas reddam gratias alias, nisi quas suis ipse præceptis exigit: piorum exemplis comprobat? de quibus me ingressurum in carcerem primò cõmonefecit, cum spe prima liberationis, profectum à Spiritu sancto vaticinium meæ dilectissimæ coniugis, paulò pòst inter eiulatus, & feruentissimas ad Deum preces, ærumnis meis extinctæ, quando mihi in cõplexu postremo lacrymanti, plorans & ipsa, vndas lacrymarum ex oculis & genis detergeret,

magnoq́ inter plorandũ animo in has voces erumperet: Non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini. Item: Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me: quas voces, experiebar illo ipso momento anxium me vehementer, luctantemq́ cum mortis & inferni terroribus, reuocare ex morte, inq́ viua ac læta tranquillitate collocare. Quid facit aliud Psaltes Psal. 116? Cum quo cano, canamq́ alacri corde & spiritu: Dilexi, quòd audiuit Dominus vocem orationis meæ. Inclinauit aurem suam mihi, & in diebus meis inuocabo. Circumdederant me funes mortis. Anxietates inferni inuenerant me. Et nomen Domini inuocaui. O Domine, libera animam meam. Reuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuisti animam meã à morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu. Ambulabo coram Domino, in terra viuorum. Credidi: propterea & locutus sum, etsi afflictus sum valde. Quid retribuam Domino, pro omnibus beneficiis erga me? Calicem salutarem accipiam, & nomen Domini inuocabo. Reddam vota mea Domino, coram omni populo eius. Diripuisti vincula mea. Tibi sacrificabo hostiam laudis. Vota mea reddam tibi, in atriis domus Domini. In medio tui Ierusalem, &c. Denique, quid aliud præcipit Christus Petro? cùm inquit: Satanas appetiit vos, quos ventilaret, sicut triticum. Sed ego rogaui pro te, ne deficiat

fides

fides tua. Idem beneficium si mihi præstitum esse, seruato in ventilatione tempestatis asperrima, non agnoscerem, scelerate ingratus essem. Addit autem Christus: Tu conuersus confirma fratres tuos. Hoc meo me loco facientem, citra cuiusquam iniuriam aut contumeliam, qui culpant, aut contumeliosè etiam exagitant, sciant, ad id præstandum obligari me, non minus, quàm alium quemcunque, seuerißimis mandatis, & atrocißimis comminationibus, de confeßione veritatis anteferenda iudiciis omnibus, & opinionibus, imperiis, & edictis, periculis, & odiis humanis. Ad me pertinent, quæ dicuntur vniuersis: Qui me confessus fuerit (inquit Christus) coram hominibus, hunc confitebor coram patre meo: Qui me negauerit, hunc negabo. Item: Quem puduerit mei, ac meorum sermonum, eius pudebit & filium hominis, quando venerit cum gloria sua, & Patris, sanctorúmque Angelorum. Addit Paulus Apostolus: Corde creditur ad iustitiam; Ore fit confeßio ad salutem. Addit amplius: Fidus sermo, si cum eo mortui sumus, cum eo etiam viuemus. Si patimur cũ Christo, cum eodem & regnabimus. Si abnegabimus, & ille abnegabit nos. Si infidi sumus, ille tamen fidus manet, negare se ipsum non potest. Declarat idem de singulis Petrus Apostolus 1, cap. 3. Estote semper parati ad respondendum cuilibet petenti rationem eius spei, quæ in vobis est, cum lenitate & reuerentia, con-

ſcientiam bonam habentes, vt pro eo, quod loquuntur aduerſum vos tanquam maleficos, pudefiant, qui inceſſunt veſtram bonam in Chriſto conuerſationem. Iſtis & ſimilibus aliis mandatis coniunctis cum iræ Dei, atq; æternorum cruciatuum denunciatione, cumq; vibratu & incuſſu terrorum præſentium, qui ſunt initia mortis æternæ, ſi non commouerer, non percellerer, ſimilis fierem ipſorum; ἀνόητος, ἐσκοτισμένος τῇ διανοίᾳ, πεπωρωμένος, ἀδόκιμος, inſipiens, mentem habens obſcuratam, obduratus, reprobus, *quod Filius Dei Redemtor & Dux meus auertet ac prohibebit, qui orauit pro me, & impetrauit, ne deficiat fides mea. Ego verò, præter has, vincior ac contineor & aliis cauſis ſingularibus, ne abiiciam, ne diſsimulem agnitam veritatem, quia me Deus, velut manu ſua protractum, productumq; in aciem, in hac ſtatione conſtituit, & hoc modo primùm in mutis carceribus ſcripto, nunc inde exemtum, patula ac libera voce, voluit veritatem profiteri. Ipſe me, libris omnibus, aliis & adiumentis deſtitutum ex ſolis Bibliis ſacris erudiuit atq; inſtruxit, imperitumq; omniũ, quæ fierent & diſputarentur, conſenſu tamen doctrinæ ac fidei, in ſpiritu vnius ductu & vinculo cum orthodoxis coniunxit. Ipſe me docuit & adiuuit, fulmina iram Dei, & pœnas æternas denunciantia, ipſorumq; terrorum ac cruciatuum initia, intellectu ac ſenſu percepta, ſi à veritate diſcederem,*

rem, viua & efficaci consolatione, ac virtute Spiritus sancti, pluris facere, & magis extimescere, quàm instantium tunc, atq; vrgentium periculorum externorum, si persisterem in ea, aspectum quantumuis formidabilem. Ista, qui probandæ tuendæq; vocationi meæ ad confidendum non satis esse existimant, cudant aut comparent, sua sibi sapientia, alia, quibus opus erit ipsis, si propugnare palàm impia, blasphema, & idololatrica, aut, vt cœperunt, mordicus retinere pergent. Id verò, quo successu & fructu, quóve euentu facturi sint, docebit iudicium & vindicta Filij Dei.

Adhæc affertur mihi & alia necessitas, qua cogor testimonium perhibere veritati, rectè recitatæ de sententia soceri mei D. Philippi Melanthonis, ab iis, qui steterunt ac pugnarunt pro veritate, & gloria Christi: Et causas ostendere mei carceris, quorum vtrumq;, si vita suppeditarit, copiosius sum facturus. Melanthonis scripta extant, quæ liquidò perspicueq; testantur, quid de Arianis, Nestorianis, & Eutychianis blasphemiis, paulò antè ipsius obitum, ab Vbiquitariorum spiritu, aduersus orthodoxam de Filij Dei persona doctrinam, ex Erebo reductis: quid de Cœna sacra senserit, inde vsq; ab eo tẽpore, quo mox, post visa testimonia antiquitatis, quæ ab ipso prolatis Oecolampadius opposuit; cùm peruestigasset magno studio, & singulari cura considerasset, ac pensitasset prima ac purioris

Ecclesia de illa sententiam, repudiauit constanter & oppugnauit commentum, magicum Pontificiorum vtrumque; vnum, de conuersione panis sacri per consecrationem Sacerdotis rasi, à magica nihil differentem, in substantiam corporis Christi; cum tota scriptura, cum rerum natura, & cum miraculorum, tanquam extraordinariorum Dei operum, proprietate penitus pugnante: Alterum, de connexu & copulatione, eadem ratione magica, cum pane inclusi aut alligati corporis, quod & fundamentum, cui innititur, & semetipsum euertit interpretatione alienißima. Et studuit repetitam ex Christi, Paulique, & antiquitatis consentiente inter se doctrina, declarare præsentiam Christi in Ecclesia perpetuam, atque ordinatam verbo, propter hominem, ac liberrimam, inq; solo homine efficacem per Ministerium verbi, & Sacramentorum, in horum ordinato ac legitimo vsu, & in actione, quæ, in vero vsu & integro, semper gemina est. Vna externa, Physica, & visibilis, media visibilia & elementaria: Altera interna, inuisibilis, spiritualis, res ipsas inuisibiles & cœlestes percipiens, id est, Christum offerentem, exhibentem & applicantem sua beneficia, & semetipsum communicantem nobis, pascentem nos corpore & sanguine suo, & nos suo corpori inserentem, atque vnientem insertione & vnione vera ac viua, non materiali tamen commixtione & coalitu, sed spirituali, in vno

spiri-

spiritu & fide, præterquam nullam aliam agnoscit scriptura in homine. Quoties testatus est Melanthon, de nullo, inter controuersos articulos, se maiore diligentia & cura indagasse, quid tenuerit ac tradiderit antiquitas, quàm de hoc sacra Cœna, propter magnitudinem deprauationis, abusuum, & idololatriæ, quæ irrepserunt? Nec obscurum esse, quando, & quibus occasionibus irrepserint? quomodo creuerint? Quoties scripsit & dixit, si tantum possem fundere lacrymarum, quantum Albis undarum vehit, tamen exhauriri meus dolor non posset, quem multos iam annos circumfero in animo, propter dissidium περὶ δείπνου, de quo manifesta est antiquitatis sententia: His subiungit in diuersis epistolis. Alibi: Vtinam in rei tantæ explicatione, dexteritas in iudicandis veterum sententiis, potius adhibita esset, quàm contentionis asperitas. Alibi: Non dubitatione excrucior, cùm antiquitatis sententia sit manifesta, sed dolore ingenti excrucior, quòd multi tantùm ex consuetudine iudicant, nec inquirunt, quid vetus Ecclesia senserit: notha testimonia, & mirabilibus imposturis sparsa arripiunt. In Theophylacto Oecolampadius vertit, quod in suo codice inuenit, cùm sententiam tamen nequaquam probaret. At, in nostro codice, non erant illa verba de transelementatione. Possem multa recitare de veterum dictis, quia diligenter inquisiui vtriusq; partis testimonia. Quoties vidi

gemitus piorum & doctorum, qui dolebant, multa magna mala stabiliri, confirmato neruo de illa conuersione, &c. Alibi: Oro Deum, *vt liberet me ex Sophistica horum temporum. Licentia quæritur à vulgo, & præstigiis sophismatum confirmantur vulgi cupiditates,* καὶ ἀρτολατρεία, panis adoratio. *Alibi: Vides, quanto furore hanc postremam* εἰδωλομανίαν *hostes filij Dei tueantur, de qua, cum magno dolore, quotidie cogito, & Filium Dei oro, vt ipse opem ferat electis, & neruos* εἰδωλομανίας furoris idololatrici, *ex illo cœtu, qui veritatis studium habet, auferat. Nam profectò non humanis consiliis reprimi Diaboli potentia potest, ac gemitus piorum spero non fore irritos, &c.*

Quoties verò ego, cum multis aliis spectator fui lacrymarum, quas profudit, & auditor querelarum, quas effudit his similes & tristiores? Memini & συῤῥάξεως, conflictus, *quem habuit cum Eccio Ratisbonæ anno quadragesimo primo, planè eneruato, in hoc certamine, improuiso illo & inexpectato ictu de Sacramentis, extra vsum legitimum & ordinatum mediorum, rationem Sacramenti non habentibus, furenteq́ præ pudore & indignatione, atq́ ignes spirante: & cum aliis, ante illam maioris momenti, cuius ipsa* αὐτόγραφα, ipsius manuscripta, *adhuc sunt ad manus & proferentur in lucē, vbi illarū historiæ referentur suo tempore & loco. Quam nauarit operam, vt dissidium cōponeretur*

in

in actione Vvitebergensi, recitatum est ab aliis, & extat formula, quæ ab ipso scripta est. Sententiis olim à se editis, quid tribui velit, testatus ipse est in eo proœmio, quod Heruagiano prelo, coniunctis operibus suis præfixit, anno secundo & quadragesimo, in quo leguntur hæc verba: Sunt & sententiæ recentes collectæ περὶ δείπνου κυριακοῦ de cœna dominica, *quarum aliquæ in illis autoribus, qui citantur, sunt suppositititiæ. Hæc & similia quædam mallem omissa esse. Memini olim Tubingæ Lempum nobis pingere in tabula transsubstantiationem, vt vocant. Mirabar insulsitatem hominis tum quoque. Neq; iam velim, citatis nothis sententiis, titulo Cypriani aut Ambrosii, aut Theophylacti, confirmari abusus Sacramenti. Comperi, miram fuisse audaciam & impudentiam describentium libros veteres, qui, vt imponerent indoctis, multa de suo adscripserunt, pugnantia cum autoribus. Voluit itaq; sententias illas aboleri, nec pro genuinis ac veris agnouit, cùm reperisset certiores & fide digniores, in puriore antiquitate, quæ aliquando, Deo iuuante, lucem videbunt. Quoties præsagit animo, & prædixit, dissidium de cœna commoturum esse, ac renouaturum sepultas dudum Arianas, Nestorianas, & Eutychianas furias & blasphemias, ac bella illata vtrique naturæ olim, personæ Filij Dei, & articulo Symboli* περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ λόγου, de incarnatione verbi: *illaq; desitura esse in funestũ istum*

exitum, in quem tandem euaserunt, exitum scilicet immanium odiorũ, ac sæuitiæ εἰς τοὺς ὀρθοφρονοῦντας, in recte sentientes, *in horrendas horum persecutiones, atrocißima supplicia, lanienam mutuam crudelißimam, qua, nescio, an vlla vnquam, inde vsque à temporibus Apostolorum, acerbior & feruentior domi vastarit Ecclesiam? Hac, aiebat, orbem Christianum luiturum esse pœnas, non introductæ tantùm mendaci magicóque figmento, tam diuq́ue cultæ & vsurpatæ* Ἀρτολατρείας, panis adorationis, *sed tam pertinaciter etiam retentæ, tamq́ue furenter stabilitæ ac defensæ, in tanta luce doctrinæ, & Ecclesiæ recens repurgatæ, seq́ue ad ærumnas omnes, quas militiam hanc comitaturas prospexit, perferendas præparabat. Quoties optauit & suasit, vt aliquando autoritate, seu Regum, seu aliorum piorum Principum, conuocentur viri docti: qui non fascina suorum errorum, ex præconceptis opinionibus & affectibus adferant: nec ambiguis moderationibus, vel fucosis, aut perplexis, interq́ue se dissonis conciliationibus restituant aut pingant errores, & confirment sæuitiam sua suffragatione, sed serio sinceroq́ue studio, propter gloriam Dei, non sui honoris aut emolumenti causa, quærant simplicem veritatem, & de controuersiis omnibus liberè placideq́ue sententias conferant, ad normam non dubiæ scripturæ, & congruum huic, Ecclesiæ primæ testimonium, ac relinquant posteris,*

ris, vno consensu demonstratam & commendatã doctrinam firmam ac perspicuam. Et, vt deligantur ad hoc opus idonei, non ex vna sola parte aduersa de præiudicio vnius aut alterius, quod ne quidem nostri, & multorum seculorum ante nos Imperator summus, sapientißimus, ac potentißimus fecit Carolus V. quod tamen speciosioribus argumentis ex diuturnitate Religionis & autoritatis Pontificiæ facere potuisset: sed ex vtraque, rerum peritißimi, qui, examinatis ac pensitatis controuersiis in omnem partem collatione placida, & de controuersiis decernant, & deliberent, quæ adhiberi salutaria remedia, secundum regulam, verbo Dei præscriptam, sanandis discordiis tantis poßint. In qua Imperator, si permansisset sententia, non tentasset deinceps, infelicẽ illam interimisticam καταλλαγὴν, conciliationem, quam, non suo tamen consilio, sed persuasu aliquorũ ex nostris, sanciendæ pacis publ. causa, suscepit conatu irrito, & pernicioso. Vtinam exempla Constantini magni, Theodosij, Martiani, &c. sequerentur Reges & Principes. Quoties verò etiam cum gemitu optauit, & precatus est ardenter Melanthon, vt exuscitaret Deus tales aliquos Principes, qui & ipsi discant rectè intelligere fundamenta cõtrouersiarũ, & seriò cupiant illustrari ac propagari veritatẽ cœlestem & de modo emendationis errorum, ac pacificationis Ecclesiæ cum piis & intelligentibus, quibus veritas & Dei gloria curæ est; non ambitiosis & auaris, & qui saturari nesciunt, consultent, & quod decre

tum est, moderatione ac lenitate præcepta verbo Dei, & Spiritui mansuetudinis conuenientे exequantur? Quoties in exundantes lacrymas erupit, cùm referret inter singultantes eiulatus, quæ obstarent impedimenta, quò minus effici ista possent, & quibus ipse prohiberetur, quò minus ante talem congressum publicum aggredi, à quibusdam resuscitata, insanoq́ conatu atq́ impio exacerbata certamina, & aperire sese palàm auderet? Deniq́ memini, quibus sermonibus, & veritatem ipsam, & veritatis agnitæ studium mihi commendarit, proximo ante obitum die. Hæc de Melanthone conscientia me mea commemorare cogit, qui vir, quantus fuerit in rebus & negotiis publicis, Ecclesiasticis, & politicis: quantus in curriculo priuato, & in pulueribus Scholasticis; etsi scripta docebunt posteritatem: tamen, si volet me Deus esse superstitem, proferam ipse etiam, quæ ab aliis sunt prætermissa, afferente mihi necessitatem vinculo arctissimæ necessitudinis, debito perpetuæ gratitudinis, & præcepto diuino seuerissimo, non dicas falsum testimonium. Dicit autem falsum testimonium non is tantùm, qui loquitur, sed etiam, qui calumniis & criminationibus iniustè deformati innocentiam non vindicat.

Accedit & alia causa, vt turbatos non veris narrationibus de Melanthone, inq́ dubium de illius sententia adductos, reuocem ab errore, & de veritate edoceam ac confirmem.

Mei

Mei carceris causa, (ne quis aliud quidquam suspicetur ex sparsis falsis, & maledicis de me chartis) non fuit alia, quàm in veritate agnita, & nunquam dissimulata à me, aut occultata, perseuerantia. Illam, cùm in his, tùm in aliis articulis corruptæ doctrinæ, quos iã non attingo, abnegare, nisi Christum ipsum abnegarem: refragari illi, nisi resisterem & contradicerem Spiritui sancto, & committerem peccatum blasphemiæ, non potui, nec debui. Quàm hoc facerẽ, malui experiri omnia, quæ me clementissimus Pater misericordiarum, Deus pater Domini nostri Iesu Christi subire vellet, fiducia præsentiæ ipsius & auxilij, & deserere omnia, quæ habui in hac vita, non præcipua tantùm, sed omnia, quæ habui. Adhuc in horas & momenta oculis & animo meo obuersantur illa Psalmi, Pauli, & Iohannis dicta. Psalm. 2: Osculamini Filium: Pauli & Iohan. Fugite ab Idololatria. Cauete ab Idolis. Psalmus vehementi expostulatione arguit concursum & coniurationem aduersantiũ Christo, cum horribili intermi natione iræ diuinæ: tunc loquetur ad eos in ira sua & in furore suo conturbabit eos: & decreto vindictæ asperrimæ in pertinaciter repugnantes: Conteres eos virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Deinde, etsi nominatim Reges compellat, ac Gubernatores terræ, quòd muneris horum pars prima ac præcipua est prouidere ac præstare, vt de Deo rectè erudiantur subditi, Deumq́; colant vera ac sincera religione animorũ, non hypocrisi externorũ ac simulatorũ gestuũ tamẽ

gentes omnes, ac populos, ipso in exordio, affatur simul, & decretum pœnæ ad omnes pertinet, qui non parent ex ordine vtroque. Osculari iubet Filium, quod est rectè agnoscere verbo patefactum, sicut se patefecit, agnitumque vera constantique fide amplecti, ac vera se illi obedientia subiicere. Et accelerari hoc iubet, Ne quando (addens) irascatur Dominus, & pereatis in via. Quia exardescet breui ira eius. Beati omnes, qui confidunt in eo. Non osculantur autem Filium Dei, & non confidunt in eo Vbiquitarij, qui, ex Antichristi Spiritu & castris, cum Nestorio, immò Nestorio peius ita Christum diuellunt, & vnionem hypostaticā ἀδιαίρετον καὶ ἀδιάλυτον, indiuiduā & indissolubilem, ita dissoluunt, vt non modò, κατὰ παρείστασιν τοῦ λόγου, secundum assistentiam verbi, separatas duas naturas ac personas, quemadmodum in sanctis hominibus, Helia, Iohanne Baptista, Petro, Paulo, &c. sed duas etiam Deitates statuant. vnam communicantem, in qua est ὁ λόγος, verbum, de essentia Patris ab æterno genitus: Alteram assumtæ humanæ naturæ communicatam, quando cœpit illa nasci in vtero Mariæ virginis. Communicatam (inquam) vel creatione Ariana, vel confusione Eutychiana, à qua in semetipsa habeat humana natura, quæ sola & propria sunt Deitatis. Creatio Ariana nouam Deitatem inuehit numero & specie diuersam ab æterna increata, eoque plures Deos, & numina noua plura. Confusio Eutychiana, per communicationem seu effusionem idiomatum essentialium & insepara-

parabilium in naturam assumtam, quartam personam asciscit in Deitatem, quaternitatem in Trinitatem, ex vtero Mariæ virginis: quia, quem in vtero genitum esse Ecclesia credit ac profitetur, secundum promissiones, in carne nostra, hunc proprietatibus inseparabilibus ab essentia, conformat & exæquat Deitati τοῦ λόγου, verbi, quod, nisi humana natura absorpta in Deitatem, fieri non potest. Vtroq; delirio duæ Christo affinguntur diuersæ ac separatæ personæ. Nestoriano, in duabus naturis diuersis, diuina & humana: Ariano & Eutychiano, in Deitate duplici, vna æterna, altera in tempore producta aut creata; hoc tamen discrimine, quòd Arianũ deliriũ, per assistentiam ac societatẽ creatæ Deitatis, humanã naturã cõseruat cum Nestorio: Eutychianũ, seu quod cum eo idem est, Vbiquitarium, eandẽ penitus destruit: quia exutã omnibus proprietatibus essentialibus, atq; inseparabilibus, & finitis, nouis aliis naturæ diuinæ proprietatibus essentialibus infinitis, atq; inseparabilibus ab essentia, eoq; essentia ipsa induit, id est, tota essentia, & proprietatibus diuinis in Deum conuertit. Hæc deliria ἀντιφατικὰ, contradictoria, inter se, καὶ ἀσύστατα, quæ simul stare nequeunt, cumq; veritate Scripturæ manifestè pugnantia, Vbiquitarij confundunt tamen in chaos vnum, & συγκλώθοντες τὰ ἀσυγκλωστὰ, conglomerantes quæ conglomerari nequeunt, constant in vnam, solo titulo ac nomine personam Christi, quam re ipsa, & rei veritate, vnam esse negant. Non soli hi au-

tem πανταχουσιασταὶ Vbiquitarij, *Eutychiani, dū naturæ humanæ ſuas proprietates derogāt atq; adimūt, Chriſtum corpore expoliant, ſed &* μετουσιάσται *&* συνουσιάσται, tranſſubſtantiatores & conſubſtantiatores, *non vno tamen principio ac fundamento.* Μετουσιάσται, tranſſubſtantiatores, *enim fieri id fingunt, in ſacra Cœna ſubſtantiarum corporis ac panis inter ſe mutatione prodigioſè mendaci, & magica, eoq; nulla. Tali nimirum, qua, ſubſtantia panis, ad* ἐπῳδὴν, incantationem, *Sacerdotis, relictis in loco, quo eſt, ſuis accidentibus, cedat ſpacium ſubſtantiæ corporis Chriſti immigranti, ſed à ſuis proprietatibus nudæ, & abſq; illis ſuo fultu ac nixu ſub ſpecie panis deliteſcenti. Sinuſiaſtæ, aut ſubſtantiā corporis Chriſti, ſuis expertem proprietatibus ſubſtātiæ panis, intra eandē perigraphen, ſubq; iiſdē accidentibus panis, in eōdē ſpacio abſq; dimenſionū penetratione: aut* σῶμα ἀσώματον καὶ ἀναισθητὸν, ἀσωμάτως καὶ ἀναισθήτως, corpus incorporeum & inſenſibile, incorporaliter & inſenſibiliter, *copulant,* τρόπῳ ὑπάρξεως modo exiſtendi vtiq;, *& coalitu prodigioſè mendaci ac magico, reipſa nullo. Omnes hi autē, tàm* μετουσιάσται *&* συνουσιάσται, tranſſubſtantiatores & conſubſtantiatores, *quàm Vbiquitarij Eutychiani etſi ſuis inter ſe ſignis diſcrepant, in iiſdē caſtris tamē Antichriſti, abolitione naturæ humanæ, & ſub vno vbiquitatis cōmuni vexillo militāt. Pontificij enim, vt vt generalē ſeu vniuerſalē ab Vbiquitariis Eutychianis vnius hæreſeos introductā præſentiā inficiētur, re-*

ſtrictam

strictam tamen, seu particularē, aut specialē alteram, ab Vbiquitariis hæreseos alterius effictam, quæ fundamento eiusdem est veritatis ac fidei, cuius vniuersalis, quin retineāt negare non possunt: si modo vnū idemq; corpus numero, hostiis omnibus, tot locis, tamq; procul à se dissitis, vno momēto inesse credunt, cùm vnū corpus Christus tantùm habeat, quod in cœlū euexit. Si non vnū numero, sed specie vnū corpus Christi fingūt, numero infinita corpora vt statuant, necesse est, qualia reuera, Sacerdotis & verborum virtute magica, confici atq; creari noua mentiuntur. Ita verò non erit in pane illud ipsum corpus, quod traditū est pro nobis, quod & sedet ad dextrā Patris: nec in calice sanguis erit, qui effusus est: neq; ex eo erit corpore, è quo effluxit. Et, vel verba Christi non erunt vera, vel cōmentum de præsentia materiali corporis & sanguinis in pane & vino mendaciū est, omni mendacio impudentius; cui etiam miraculi, sub omnipotentiæ velo, prætensam laruā, ratio & proprietas miraculorum detrahit, cùm in nullo miraculo, vna eademq; res sit simul aliquid, & idem ipsum non sit in sese actu vtrumq; & verè pariter. Denique, si rectè res expendatur, grauis error est, impiè abuti prætextu diuinæ omnipotentiæ, ad euertendum articulum fidei, de corporis Christi veritate, vbiq; sibi cōstantē ac consonū in scriptura tota, qui fundamentum est salutis nostræ, tantùm vt excusetur, aut vt fucetur potius Idololatria Idoli Panis ac Missæ, & ꝑsuasio de ope opato, quæ impietatē, et securitatē immedicabilē parit.

Quasi non sit verius & maius opus, & argumentum omnipotentiæ ordinatum in mysterio ministerij, ac perpetuum, quòd Christus, vero suo corpore, in cœlo regnans, verè tamen adest in sacra Cœna sumentibus fide, sicut verbo docet; & hos verè pascit, suo viuo corpore & sanguine; non tamen materiali & physico oris mansu, ac momentaneo, (quod profectò religionis Christianæ nihil habet, & Dei omnipotentiæ derogat) sed mentis ac fidei perpetuo, in virtute vnius eiusdemq́; Spiritus, qui est opifex & vinculum vnionis cũ Christo &, inter nos, non momentaneæ, sed perpetuæ: quodq́; sic semper pastos, semper gestat ac sustentat in seipso. Cœna sacra verò κοινωνία *est, seu communio corporis & sanguinis Christi, in hoc instituta, vt, in vsu mediorum externorum panis & vini, testetur, fieri & esse fidelium cum Christo, habitante in cordibus fide, verã ac viuam vnionem: Et, vt* σφραγὶς καὶ μνημόσυνον, sigillum ac pignus, *obsignet ac confirmet, vsu frequenti fidem huius coniunctionis ac consociationis cum Christo, atq; inter nos, præsentiaq́; in nobis efficacis, omniumq́; beneficiorũ, quæ merito parta, efficacia applicat, eo ordine causarum in ministerio concurrentium, qui verbo traditus est. Omnes hi itaq; Christũ corpore peremtum negant verum hominem esse, & totum Symboli Christiani articulũ* περὶ ἐνσαρκώσεως τοῦ λόγου, de incarnatione verbi, *ex Maria virgine vertũt in phãtasiã Eutychianã Idoli, in pane consecrato, ex falso fundamẽto, & mendaci magis velo prodigij, sub omnipotentiæ titulo*

tulo, euidentior est & cōspectior absurditas, vanitas, & impietas. Certissimum est enim, Idololatrias nullas esse, nec fuisse in Ecclesia, post Christū natū, tetriores & magis abominandas tribus his: Statuarum adoratione, hominumq́ mortuorum inuocatione: Pontificis pro Deo cultu ac veneratione: Et panis cōsecrati, proq́ Christo habiti oblatione atq; immolatione in missa Pōtificia, tanquam Christi ipsius iterū mactati, atq; eiusdem adoratione inter eleuandū: in pompis theatricis, cùm circūgestatur, aut defertur ad ægros: cùm vt amuletum circumfertur ad arcendos Dæmones, & auertenda pericula aut detrimenta animarum, corporum, rerum, & fortunarū: cùm reponitur & asseruatur in vsus tales: quādo manducatur aut applicatur pro viuis & mortuis, cū opinione operis operati. Huius fundamentū statuunt ac stabiliunt, neruumq́ & dignitatē sanciunt ac muniunt, quicunq; pani corpus Christi affigunt nexu alio quocunq; physico, Hyperphysico, aut magico, præter vnū Sacramentalem ordinatū verbo, ex analogia signi ad rem signatam. & qui, in vsu panis, corpus Christi percipi ac comedi ore simul, in contactu, mansu, pastu, effectu, & coalitu physico, aut hyperphysico, aut magico contendunt, præter eam perceptionem & fruitionem, quæ Spiritu & fide tantùm fit in actione, & vsu legitimo & ordinato. Nec, hoc errore cōsistente ac vigente, se vnquā existiment, vel Idolū Panis & Missæ labefactaturos, vel vnionē cum Christo veram explicaturos esse, quæ nulla corporum insitione, aut cōmixtione materiali inter se: sed vni-

vinculo vnius spiritus fit idē agentis & efficientis in sanctis, ad vitā nouam spiritualē, secundum mensurā donationis Christi, quod agit & efficit in Christi corpore κατὰ μέρος, non ad mensurā. *Propter hanc cum Christo vnionē, quæ fit per regenerationē ac nutricationem ad vitā nouam, æternā, & spiritualē inchoandam in hac vita, institutū est ministeriū verbi & Sacramentorū in Ecclesia. Id cùm minimè dubium sit, cōmenti de præsentia materiali corporis in pane, & in homine, quocunque fuco pingatur, aut vēditetur nomine, si rei veritas examinetur, quis alius vsus est, quàm quòd fascinū de Idolo panis, deq́ue Theatrica missæ, propter Idolū dignitate (quo solo fulcro regnū tenebrarū consistit) ac perniciosissimū errorem de opere operato altè infixū maximæ multitudinis animis alit & cōfirmat? Nullū enim iota extat in tota scriptura, de materiali, per manducationē oralem, cōmixtione cū corpore Christi, nec quòd fiat, aut quando: nec quàm diu duret: nec quo fine fiat, quo vsu & effectu, qua cōsolatione: quando desinat esse, cùm repeti & frequentari vsus Cœnæ præcipiatur, & Christus totus semper habitet in cordibus per fidē. Portentū Vbiquitatis verò, quid aliud cōfert sacræ Cœnæ, quid homini? quàm quòd Christo, in massa humana penitus deleto, prosternit & conculcat illā, quam solam, summā, & vltimā, habemus consolationē ex incarnatiane Filij Dei, primùm, quòd precioso sanguine eius redemti, Deoq́ue fide recōciliati, atque vno spiritu ipsi inserti & adunati, inchoata nouitate hîc similes ei in natura humana efficimur*

cimur

cimur, caro de carne, & os ex oßibus eius, adhæsu tamẽ & coalitu nõ materiali, physico, & corporeo, sed spirituali, viuo, ac vero, velut ex ipsius corpore per spiritũ sugentes & haurientes nutrimentũ spirituale, ac profectus & incrementa vitæ spiritualis, ad quã renascimur. Efficimur & corpus vnũ mysticum inter nos cohæsu coalituq́; inter nos, & cum ipso tanquã capite. spirituali pariter, nõ materiali. Deinde, quòd in illa æternitate, in virũ perfectum restituti, & conformati glorioso eius corpori, summũ ipsum ac præuium, in carne nostra, Ducem habebimus ad Patrem, qua in re maior erit dignitas beatorũ hominum, quàm sanctorũ Angelorũ. Hanc conolationem portentum cõmentitiæ Vbiquitatis penitus euertit & extinguit. In colloquio W*ormatiensi postremo, anno 57, D. Philippus Melanthon, Italo cuidã quærenti cum expostulatione, quare tantopere aduersaretur præsentiæ corporis Christi in pane, respondebat: Vos Itali quæritis Deum in pane, quem nõ creditis esse in cælo. Ita Vbiquitariis omnib. & Idololatris ego respondeo, vos flagitatis credi, corpus Christi in pane esse, & ore manducari, quod vobis corpus nullũ est, ac ne* φάντασμα, phãtasma, *quidẽ, aut spectrum corporis. Has propter causas, neuter esse vnquam volui. Nec Vbiquitarius, ex schola Antichristi: nec Idololatra, aut Idololatriæ patronus, ex magico Pontificiorũ fascino ac persuasione: nec, Deo adiuuãte ac gubernante, vnquã ero. Sed oro, & orabo Deũ, vt in hac me ingrauescẽte ætate indies magis magisq́; virib. deficientẽ, in veritate sua cõseruet, roboret, actueatur.*

Nec socius etiam ero illorũ vnquam, qui inflammant & exasperant odia ac sæuitiam potentũ, & imperitæ plebis superstitiosam rabiem, aduersus veritatem & gloriam Filij Dei; armant hostes sophistica & gladijs; acuunt enses ac lanceas, incendunt rogos ad lanienam & supplicia, pro Idolo panis, ac neruo regni Pontificij; polluunt se & terrã tot martyrũ innocenti sanguine, & anathemate. Sed coniungã confeßionẽ, preces, gemitus, & lacrymas meas, cum orthodoxis omnibus vbiq; terrarũ, & meo loco testis veritatis, gloriabor de mea infirmitate, & prædicabo Dei misericordiam. Non rixabor cum quoquã. Satis enim disputatũ est de his tantis rebus, interq; illos disputationum conflictus, & ex illis, ad eum modũ illustrata effulsit veritas, vt ignota aut occulta esse non poßit, nisi ijs, quibus Deus, vt infidelibus & reprobis ita excæcauit mentes, ne irradiet eos lumẽ Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei: Ita indurauit corda, vt, quãuis euidẽter & irrefragabiliter confutati, confusi, ac cõuicti, nolint tamẽ agnoscere veritatẽ, nolint, surdarũ aspidum more, audire, nolint inquirere: Nec, si redarguãtur, si audiãt, si reuincantur, cedere tamen Spiritui S. velint: sed probent, se esse inter eos, de quibus est apud Prophetam: Dixi, ambulate in viis meis; Illi contrà: Nolumus ambulare. Audite vocem meam; Nolumus audire. Posuerunt cor suum sicut Adamantẽ, ne audirẽt verba Domini. Si me odisse propterea, & persequi; si socero Melanthoni & mihi conuiciari; si nos diris & execrationibus,

nibus, more suo, deuouere pergent: maledictorũ & execrationũ fatua & inania tela excipiã, elidamq́ scuto fidei: repetitam cramben profligatæ dudũ Sophistices impiæ ac blasphemæ, inuicta soliditate ac perspicuitate immotæ veritatis, quæ est gladius Spiritus S. Illata autẽ vulnera sanabo consueta mihi tot annis medicina, nimirũ fiducia auxilij cœlestis, cõscientia rectæ voluntatis, & patiẽtia. Ac vindictã commendabo Filio Dei, qui deducet, quasi lumen, iudiciũ meum, & iustitiam meã, sicut meridiem: quia mea non est, nec agitur, sed ipsius causa. Aspersos næuos diluã & eluã spongia dulcißimarũ & infallibilium consolationũ, quas proponit vox diuina Psal. 109: Maledicent illi, & tu benedices. Qui insurgunt in me, cõfundentur: Seruus autẽ tuus lætabitur. Es. 51: Nolite timere opprobria hominum, & blasphemias eorũ ne metuatis: sicut enim vestimẽtum, comedet eos vermis: & sicut lanã deuorabit eos tinea. Salus autem mea in æternũ erit, & iustitia mea in generationes generationũ. Mat. 5: Beati eritis, cùm cõuiciati vobis fuerint, & dixerint quiduis aduersus vos mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniã merces vestra copiosa est in cœlis. 1 Pet. 4: Si probris afficimini in nomine Christi, beati estis, quoniã, & gloriæ, & Dei Spiritus super vos requiescet, qui, quod ad illos quidem attinet, blasphematur: quod ad vos, glorificatur. Gelo Syracusanus Syagrio Spartano respondere potuit, Ὀνείδεα κατιόντα ἀνθρώπῳ φιλεῖ ἐπανάγειν τὸν θυμόν. σὺ μέν τοι ἀποδειξάμενος ὑβρίσματα ἐν τῷ λόγῳ, οὐ με πείσεις ἀσχήμονα ἐν τῇ ἀμοιβῇ γενέσθαι: Probra illata homi-

ni solent iram prouocare. Tu tamen etsi verbis in me iniurius fueris, non me induces vt in retribuendo immodestè me geram. *Adiuuabit me Spiritus* τοῦ πραέως καὶ ἡσυχίου, mansuetudinis & tranquillitatis, *sicut adiuuit hactenus, ne quid Domino meo Iesu Christo, ac Spiritu sancto indignũ committam, aut ne deformẽ meipsum: sed, vt Christi præcepto & exemplo obsequens, diligã inimicos meos: benedicam iis, qui me deuouẽt: benefaciam iis, qui me oderunt: & precer pro iis, qui infestant ac persequuntur,* καὶ μετὰ μακροθυμίας, & cum tolerantia, *vt superẽ iniurias priuatas omnes. Si vim minitẽtur & intentent, cõsolabor & sustentabo me, recordatione ac testimonio mirandæ meæ conseruationis ac liberationis, & æneo promissionũ muro, quo circumseptũ me, ac munitum esse scio, excubiisq; sanctorũ Angelorum. Omnes capilli capitis vestri numerati sunt. Non vnus ex illis decidit in terrã, nisi volet Deus Pater vester in cælis, inquit Christus. Et apud Esaiã inquit Dominus: Ego, ego ipse consolabor vos. Quis tu, vt timeres ab homine mortali, & à Filio hominis, qui, quasi fænũ, sic exarescet? Et oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cælos, & fundauit terram. Et formidasti iugiter tota die, à facie furoris eius, qui te tribulabat, & parauerat ad perdendum? Vbi nunc est furor tribulantis? Item: Pusillanimes confortamini. Deus noster ipse veniet, & saluabit vos. Psal. 37: Obseruat impius iustum, & quærit interficere eum. Dominus autẽ non derelinquet*

linquet eum in manibus eius, nec condemnabit eum, cùm iudicabitur. Psal. 34: Multæ tribulationes iusto- rũ, & de omnibus his liberabit eos Dominus. Custodit omnia ossa eorũ, vnum ex eis non conteretur. Impium interficiet malũ, &, qui oderunt iustũ, rei erunt. Re- dimet autẽ Dominus animas seruorum suorũ, & rei non erunt omnes, qui sperant in eum. Ibidem. Castra- metatur Angelus Domini in circuitu timentiũ. Psal. 97. Custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu impiorum liberabit eos. Has mihi consolationes nulli terrores excutiẽt. Nulla quæsiui præsidia huma- na, nullis sum confisus. Ad Deũ confugi, huic adhæsi so- li, qui & custoditũ me, sicut oculi pupillã, & alis suis pro tectũ, ex pauoribus omnib. ac periculis eripuit ac ser- uauit, ac seruabit deinceps. Huic enim me curæ esse, ac fore semper, sum certus, edoctus, & confirmatus meis ipsius afflictionibus & liberationibus. ὡς ἐν παντὶ θλιβό- μενος, ἀλλ' οὐ στενοχωρούμενος: ἀπορούμενος, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενος: διω- κόμενος, ἀλλ' οὐκ ἐγκαταλειπόμενος: καταβαλλόμενος, ἀλλ' οὐκ ἀπολλύ- μενος: vt qui in omnibus premor, at nõ coarctor: hæsito, at non prorsus hæreo: persecutionem patior, at non deseror: deiicior, at non pereo: *solo præsidio & virtute Dei Patris per Filium, in suo Spiritu, cui sit laus, honor, gloria, & gratia in æternũ. Tantum de me adiicere volui, commendans Deo Pa- tri, & Domino nostro Iesu Christo inprimis, & ante omnia conculcatam veritatẽ & gloriam Christi, op- pressamq́, laceratam, & afflictã tot modis Ecclesiam*

ter nos. Deinde omnes nutritios, patronos, ac defensores Ecclesiæ: Omnes qui sunt in armis, & in acie, pro populo Dei: Omnes qui sustinent odia, certamina, & pericula, aut mendacia, calumnias, & cõtumelias, habenturq́ atq́ infamantur, vt καθάρματα καὶ περιψήματα, purgamenta & sordes: *qui ærumnas perferunt persecutionum, exiliorum, carcerũ, & supplicia, propter veritatis confeßionem: Omnes qui expetunt ac quærunt veritatem, sincero totoq́ pectore, atq́ inter hos me quoque: Omnes denique, qui benefaciunt afflictis, atq́ opem ferunt laborãti, cumq́ difficultatibus summis conflictanti Ecclesiæ. Ac Filium Dei obtestor, vt veritatis, ac gloriæ suæ, suiq́ corporis Ecclesiæ* ἀτίμως καὶ ἀθέως διεφθαρμένου, indecorè & impiè violati, *recordetur tandem, ac misereatur, & errantes, seductosq́ conuertat, ac sanet. Amen.*

Hostes obstinatè perseuerantes in odio ac hostili conatu opprimendæ veritatis allisi tandem lapidi angulari Christo collidentur. Confundentur omnes, qui repugnant ei. Nec existiment, quicunque sunt illi, se, quod fraude & violentia moliuntur, perfecturos esse. Videant, ne secundum legem & pœnam talionis incidant in foueam, quam foderunt alteri, iustißimo Dei iudicio. οἷ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ, ἄλλῳ κακὰ τεύχων: qui alij malum struit, sibimet struit. *Bene & feliciter vale. Pridie Non. April: Iul. Anno 1591.*

Caspar Peucerus Philosophiæ & Medicinæ Doctor.

TABVLA OSTENDENS SERIEM DISPVTA

I. Quod sint aliqua diuinationum genera non impia, nec superstitiosa, & Christianis conce
II. Quæ sint illa, & quot numero: quæ prohibita sint, condemnata atque impia. 8
III. Quæ sit certitudo in quolibet genere prædictionum concessarum, quo vsq; sese extendat,

τῆς μαντικῆς prima genera quatuor 16 & 17

- προφητικὴ de hac fol. 10
- φυσικὴ ἢ τεχνικὴ, de hac generatim. Hęc prædicta texit vel
  - Significatorum, ex signis Physicis, quorum quædam
    - τεκμήρια
    - εἰκότα ἢ σημεῖα 85
  - Effectuum, ex causis secundis ordinatis, & serie causarum ad effectum ordinatarum: quarum genera quatuor:
    - ἀνάγκη 80
    - φύσις 80
    - προαίρεσις 87
    - τύχη, quæ est αἴτιον κατὰ συμβεβηκὸς, & reducitur ad per se causas 108
  - Differentiæ in specie plures, quarum alię ad aliud quatuor primorum generum referēdæ, & quò pertineant, in singularū explicatione declaratur,
    - I. προφητεία, de hac fol. 10. & sparsim.
    - II. χρησμοὶ, μαντεύματα, Oracula, quæ horum origo, & qua
      numero celebrentur 219
    - III. θεομαντεία, cuius autor Diabolus, κακοζηλία imitatus p
      stolis, beatis in hac vita 254 Inde θεομάντεις quorum
    - IIII. μαγεία, γοητεία, μαγγανεία 286 à Diabolo orta, sub
    - V. ἐπῳδαὶ, ἐπαοιδαὶ, incantationes, incantamenta, quibus auto
      inuecta & vsurpata sint, & quorum Dei operum æmulatio
      sub hoc genere sunt:
    - VI. ἱεροσκοπία, diuinatio ex sacrificiis 335. origo eius ex riti
      retinuerunt Ethnici, post amissum verbum. Sub hoc g
    - VII. οἰωνοσκοπία, οἰωνιστικὴ, ὀρνεοσκοπικὸν, οἰώνισμα, οἰωνομαντεία, ὀρνιθεία, augurium ex superstitione natū 374. Capiebatur autem
      - Ex auibus & auium
      - Ex cœlo & fulminib
      - Ex diris quibuscunq
      - Ex quadrupedum co
    - VIII. Sortes & sortilegia, κλῆροι 396
      - Diuinæ sortes 397
      - Politicæ sortes, ibi
      - Sortes
        - Lyciæ 238
        - Deliæ 237
        - Prænestin
        - Antiatina
      - Diuinatoriæ 402.
    - IX. φυσιολογικὸν, quod considerat significata effectionesque
      - Aut naturales ordinatas, consuetas, & vsitatas corporum, vel
      - Aut nouas, insolitas, contrarias instituto, ordinato & consueto naturæ cursui, τερατοσκοπία: In hac quæ τῶν τεράτων differentiæ, quæ causæ, exponitur 720
        - Simplicium
        - Mixtorum
- διαβολικὴ, de hac generatim 22
- κοινὴ ἢ δημώδης, de hac 57

...VTATIONVM ET CAPITVM LIBRI TOTIVS.

...nis concessa fol.1

...extendat,& quæ certitudinis causæ. 60. Hæc in Prolegomenis explicantur.

...o,& qua sint nata occasione,à quo autore quæ opera Dei imitetur,quot
- I. πυθῶνες, ἐγγαστρίμυθοι, στερνομάντεις, ἐγγαστριμάντεις, obsessi, fol. 258
- II. ἐνθουσιασταί, Afflati 258. Ex quorum numero Ethnicorum Sibyllæ: de quibus quid sentiam 263
- III. ἐκστατικοί, rapti extra sese 273
- IIII. λυκάνθρωποι & λυκάονες 279.

...mitatus præsentiam Dei specialem in sanctis Patribus, Prophetis, Apo-
...s quorum genera quatuor:

...orta, sub hoc genere sunt:
- νεκυομαντεία 292
- λεκανομαντεία
- γαστρομαντεία
- κατοπτρομαντεία
- Κρυσταλλομαντεία
- δακτυλιομαντεία
- ὀνυχομαντεία
- ὑδρομαντεία
- ἀερομαντεία 299

...ibus autoribus
...emulatione 311
- φαρμακεία 318
- κοσκινομαντεία
- ἀξινομαντεία
- κεφαλαιομαντεία
- ἀλεκτρυομαντεία 318. & seq.

...us ex ritibus sacrificiorum vsurpatis à sanctis Patribus, quorum vmbram
...ub hoc genere sunt:
- ἱεροσκοπία, θυοσκοπία, θυτική, ἡ σπλαγχνοσκοπία, Extispicina 335. 362
- πυροσκοπία, πυρομαντεία 369
- καπνομαντεία
- λιβανομαντεία
- οἰνομαντεία
- ὑδρομαντεία 369
- κελθομαντεία
- ἀλευρομαντεία
- ἀθυτικόν
- ἰχθυομαντεία 370
- ἀνθρωπομαντεία 371.

...æ auium,
- volatu, ὀρνιθοσκοπία, aruspicina 376
- garritu κληδών, κληδονισμός, augurium 381
- tripudio pullorum ibid.
- τὸ οἰκοσκοπικόν 387
- τὸ παλμικόν 390
- τὸ ἐνόδιον 387

...ulminibus 380

...buscunque 342

...edum conspectu inopinato & insolito 386

...es 397
...tes, ibid.
- κυβεία
- πεττεία 400
- ἀστραγαλισμός
- διαγραμμισμός 401

...ciæ 238

...liæ 237

...ænestinæ 403

...tiatinæ 404

...402. quarum numero
- κληρομαντεία ἢ παλομαντεία 403 γεωμαντεία 404 ὀνομαντεία ἀριθμαντεία 410 λογαριθμαντεία 414 τε-
- φραμαντεία βοτανομαντεία κηρομαντεία στοιχειομαντεία συκομαντεία 419 διαγραμμαλισμός 418
- Sortes Vergilianæ 420.

...cium
- Stellarum, ἀποτελεσματικὸν δ' ἀστρολογίας in quo quæ sint Physica, quę non, explicatur ordine 643. Estq; vel
  - καθολικόν, quod complectitur 708
    - ἰδιωματικόν 708
    - συμπτωματικόν 708
      - καθολικώτερον 709
        - ἐθνικόν
        - χρονικόν
        - χωρικόν
        - εἰδικόν.
      - μερικώτερον περὶ μεταβολῶν 709
        - ἐνιαυσιαίων
        - μηνιαίων
        - ἡμερησίων
        - ὡριαίων.
  - γενεθλιακὸν ἢ γενεθλιαλογικόν, de his 708. quorum
    - quædam præcedunt genesin.
    - quędam, vel præcedunt, vel sequuntur.
    - quędam in natalitia momenta incidunt.
    - quædam sequuntur.
- Elementorum, quantum ad secuturas tempestatum mutationes
  - Aëris ἀεροσκοπία
  - Aquæ ὑδατοσκοπία
  - Terræ γαιοσκοπία 640.

...rum
- Imperfectè, vt Meteororum, μετεωρολογικόν 556
- Perfectè,
  - Hominum & in hominibus
    - Signorum Physiognomonicorum, φυσιογνωμονικὸν & μετωποσκοπικόν 600 & deinceps.
    - Linearum in μεταχειρίᾳ χειρομαντεία. χειροσκοπικόν 606
    - Signorum, salubrium, insalubrium, & neutrorum in toto corpore, & qualibet parte. σημειωτικὸν Medicorum: Ibi de discriminibus signorum 466 & seq.
    - Somniorum, ὀνειροπολία 574. vbi differentiæ, & causæ somniorum exponuntur.
  - Plantarum φυτοσκοπικόν.
  - Fossilium ὀρυκτοσκοπικόν.
  - Animantium ζωοσκοπικόν 639.

DE DIVINATIONVM GENERIBVS.

QVOD SINT QVAEDAM DIVInationum genera non impia, nec superstitiosa, sed Christianis concessa.

LVCET in tota natura rerum miranda Dei opificis sapientia, & vestigia pręsentiæ diuinæ tã expressa vndiq; oculis obuersantur, vt animos non prorsus feros aut Cyclopicos euidenter conuincant, quòd sit Deus, cogantq; eos assentiri insitis diuinitus de prouidentia notionibus. Inter hæc prouidentiæ testimonia non minimum est, connata animantibus à prima origine præsensio futurorum, significatioq; eorundem in ceteris naturæ partibus atque effectio, & scientia in hominum animis, seu potius naturæ vis, quæ ratione & arte progrediens, obseruatis ac notatis signis causisq; in natura, futuras res colligit, & obnunciat. Et si retinuisset humanum genus sapientiæ diuinæ radios, quos in primorum parentum animis de sua æterna luce Deus accenderat, certius & causas multorum euentuum, quos nunc coniecturis prosequimur & explicamus quomodocunq;, perspexissemus: & signa, quæ in hunc finem condita, & ante nostros sunt posita oculos, vt designent aliquid, & moneant homines, intellexissemus. Sed postquam obscuratum est & obfuscatum lumen sapientiæ diuinæ lapsu primorum parentum: factum, vt naturam nunc contemplemur hebetata mentis acie, ceu Solis faciem per densas nubes, aut atras in aëre nebulas, contuemur. Rerum paucarum causas pernoscimus, ideoq; de effectis non dextrè ratiocinamur. Signa

Futurorum preuisio testimonium de Deo.

Futurorum cognitio primorum parentum lapsu obscurata.

verò paucissima assequimur, aut de euentibus illis interpretamur, quos reuera denotant.

Præter hæc & alia ingentia mala, simul persuasit in miseram atq; iræ Dei & tristissimis pœnis subiectam naturam hominum, vt metus perpetuus malorum, voce diuina denuntiatorum, atque ingens horribilium dubitationum & fluctuationum chaos, sic immensum desiderium seu prospiciendi ac prænoscendi, seu exquirendi quouis modo, aut impendentia mala, aut futuros euentus secundos, & nimia ad superstitionem inclinatio ac propensio. Cupiunt omnes homines natura cùm sese saluos atque incolumes esse, & in rebus constitui secundis, tum mala, aduersaque, & perturbationes animi quasuis auersari. Idcirco soliciti de futuris, & sperantes, & metuentes, & inquietis animis magis inhiantes futuris, quàm tranquillè fruentes præsentibus, mirabilibus cogitationum motibus, ceu procellis maria agitantur, & nihil non faciunt, credunt, suscipiunt, quò & ex his sese fluctibus expediant, & vel præsentem stabiliant felicitatem, futurámue consequantur, vel amoliantur onus præsentium malorum, & contra aduersitates secuturas sese obfirment ac præmuniant. Cúmque & diuinitus mala bonaque immitti sibi, & illa vitari, vel saltem mitigari, hæc confirmari, certo cultuum & ceremoniarum ritu, ex reliquis de Deo noticijs persuasum habeant, ignari Dei ac voluntatis & promissionum diuinarum, qua id fiat ratione, quóue modo, anxiè soliciteque inquirunt. Impelluntur ad hæc ijs perturbationibus etiam, quas *ἀπιστία, incredulitas*, pungens perpetuarum dubitationum aculeis, vexans & vellicans animos mirificè, parit: præsenti certoque dolore, cùm aduersis deijciuntur; lætitia, cùm extolluntur secundis. Spes autem & metus varias solent inquietudines & turbas commouere, & ingentes concitare fluctus, quibus intus forisq; fremunt & resonant omnia. Ita fit, vt quamuis homines in acerbissimis casibus, spes alat atq; sustentet, quam nulla dies vnquam euacuauit; tamen in ipsa attentione & spe, semper sese inferat ac misceat metus, cui haud scio an nõ plus mali insit, quàm in ipso casu infelicitatis. Sic & cruciatus formidinum acriores sunt & animos conuellunt atrociùs, quàm vllæ aduersitates

Homines quare de futuris euentibus prænoscendis soliciti.

præsentes.

præsentes. Quapropter gestiunt omnes finem videre, vel spei suæ, vel metus. Inde diuinationes & ariolationes tantopere vbiq; locorum & gentium inualuerunt.

Origo diuinationum.

Cùm verò manifesta esset imbecillitas sensuum & animorum nostrorum, quorum illos ludificare ac prestringere, hos nullis fultos cœlestibus subsidiis capere ac circumuenire facilimum est, accessit mox atq; auxit, & auget hoc malũ Diabolus omni tempore, qui vt immani superbia & horribili odio Dei primos parentes promisso sapientiæ diuinæ persuasos ac deceptos euertit, & auulsos à Deo, ac dotibus diuinis exutos in exitium coniecit perpetuum, atq; horrendis inuoluit tenebris: Sic postea, vt hanc scintillulam veræ noticiæ Dei, quæ ex inenarrabili misericordia Dei adhuc reliqua erat, prorsus extingueret, & contemtum, immò ignorationem Dei confirmaret, animos præstigiis effascinatos καὶ ἐσκοτισμένους, *tenebris obductos seu excæcatos*, à veris Dei cultibus, Verboque mandante veros cultus, & monstrante Deum, & vera naturæ ac diuinorum operum considerati one abduxit, & perfecit tandem, vt homines obliti conditoris & suimetipsius, non mactarent & offerrent victimas eo modo, lege, fine, & fide, qua exhiberi eas Deus requirebat, nec verum Deum intuerentur animis, neque ad eum celebrandum referrent ac dirigerent sacrificia, sed alia commenticia idola sectarentur ac colerent, & in sacrificiis, quorum vmbram ex disciplina sanctissima maiorum retinuerant, nescio quæ exta, fumos, ignes, & similia, expenderent, indeque de Dei voluntate, & secuturis euentibus coniectarent, horribili furore ac planè Diabolico. In natura verò non vestigia sapientiæ ac præsentiæ diuinæ scrutarentur; nec causas mirandorum operum, effectionesque, & quo consilio facta, ad quos vsus destinata essent, inuestigarent; sed rebus creatis abuterentur, & vel significationes eis affingerent certorum euentuum contra naturæ ordinem, & primam constitutionem, vel nouas vires sese iisdem inducere, naturis rerum mutatis, & velut in nouam formam conuersis, opinarentur: idque vt haberet aliquam religionis speciem, & prætextu nominis diuini credulos homines facilius alliceret & caperet, sacrarum sententiarum recitationem, à quibus noua illa vis proficisceretur,

Diabolus quomodo homines ad superstitiosas diuinationes seduxerit.

adhiberi voluit. Deinde, vt maior admiratio, & ardentior cupiditas erga istas imposturas incenderetur in animis, altiusq; insideret, & radices ageret, sæpe coniecturas illas, omina, præuisiones, & prædictiones, euentu comprobauit, contemtas verò aut neglectas durissimè vltus est. Sic initiò Diabolus, cùm adhuc vigeret in animis hominum aliqua de Deo opinio, & vires rerum conditarum minus obscuræ essent, præstigias suas prætextu verbi cœlestis, & specie mirabilium atq; occultarum virium naturæ fucatas, inuexit ac stabiliuit.

Ceterum vbi iam euanuisset ex animis vera Dei noticia, & vagarentur homines sine certis testimonijs, quærentes alii alia numina, quò ad se hac occasione totos conuerteret à Deo abstractos: non solùm his mediis in natura propositis vtendum censuit; sed vel certos homines ipse obsessos agitauit, aut afflauit, vt velut *ἐκπετυφωμένοι*, *extra se rapti, afflati à dæmone*, quædam vaticinarentur: vel ad specus, latebras, aut idolorum templa, miraculis editis, oracula aperuit, in quibus vel ipse ex cauernis, statuis, aut simulacris, humana voce, nutu, aliòue gestu, somniis etiam, responsa reddidit: vel per suos illos, quos electione aut sorte acceperat ministros, ea protulit. His miseros & Dei ignatos homines & dementauit, & pellexit, atq; attraxit ad se, adeò, vt agminatim vndiquaq; accurrerent, & furibundi spiritus illos sciscitarentur ac consulerent de euenturis in vita vel successibus, vel impedimentis; nec inchoarent, molirentur, aut mouerent quicquam, nisi consilio ab oraculis petito. Ad istas latebras dona offerebantur & cumulabantur immensa, instituebantur & fiebant sacrificia, decernebantur ac celebrabantur festa ac *πανηγύρεις*, *ludi solennes*. Diodorus refert, Phocenses ad bellum sacrum ex templo Delphico plus quàm decem talentorum myriades, id est, plus sexagies centenis millibus coronatorum accepisse. Indè opes templi, ex collationibus & donariis diuersarum gentium collectæ & cumulatæ multis annis, æstimari possunt.

Diaboli odiũ erga genus humanum vnde.

Est omnino horribile in Diabolo odium erga Deum & erga genus humanum, quod ex reiectione ipsius, & ad æterna supplicia condemnatione natum, incenditur magis magisq; receptione gratuita, ac restitutione generis humani, quam

quam declarauit voce,& confecit supplici deprecatione, totiusq; obedientiæ, quam Deo debebat genus humanum, executione, ipse Filius Dei. Hic filius Dei λόγος, *Verbum*, misertus generis humani, quod conditum ad imaginem Archetypi, non superbo contemtu iudicij Dei, nec contumaci malicia, sed impulsu persuasuq; Diaboli præscriptæ obedientiæ leges violarat, ne hoc periret in perpetuum, factus est supplex Patri,& sua intercessione impetrauit, vt fieret in arcano illo consilio diuinitatis decretum de redimendo atque instaurando genere humano, ea lege atq; conditione, sicut decretum Filius Dei explicauit, vt assumta ipse natura humana copularet rursus cum Deo genus humanum, quod lapsu erat auulsum: & iram in se patris conuerteret ac deriuaret omnem, iusticiamq; diuinam expleret integræ obedientiæ persolutione,& pœnas subiret, quas si genus humanum sustinuisset, fuisset redactum in nihilum: deniq; vt omnes ex genere humano hæc gratis ex mera misericordia decreta, oblata, & exhibita beneficia agnoscentes, ac vera fide amplectentes, hac fide sibi adiunctos & insertos, tanquam membra communicatione Spiritus sancti viuificaret, & sanatione vulnerum naturæ sauciæ, atque inchoatione nouæ & Deo placentis sanctimoniæ, instauraret ad vitam æternam, in qua erit Deus omnia in omnibus.

Quòd ergo & Filius Dei λόγος, *Verbum*, vera humilitate ac submissione sese abijciens coram Patre deprecatus est pro genere humano, translatis ab illo pœnis in sese, vt satis fieret iusticiæ Dei:& Pater victus supplici intercessione Filij ignouit generi humano: hoc demum odium Diaboli aduersus Deum, & ipsum genus humanum, ac præcipuè illum cœtum, qui est Ecclesia, multò inflammauit vehementius & exacuit. Quo fit, vt & callidius insidietur pijs, & in hos quibuscunque occasionibus crudelius sæuiat, non tam corpora petens, (quanquam corporum cruciatus, excarnificationes, & pericula, quòd in oculos incurrunt, mouent animos vehementius) quàm animas pertentans, & illaqueatas euertens præstigijs falsorum dogmatum, & impiorum atq; idololatricorum cultuum superstitione: deniq; vt quantum potest conetur, vt deleat Verbum Dei, tollat ministeriũ Verbi, incitet impios homines aduersus Deum,

& cùm trahat secum florentissima imperia, vt incendat reges ad sæuitiam ac crudelitatem: astutos homines ad excogitandas præstigias, quibus veritate obruta stabiliatur impietas.

Pontificiæ Ecclesiæ furores Ethnicorum similes.

Nihil admodum his Ethnicorum furoribus dissimile inualuisse in Romana Ecclesia, post dogmata Apostolorum τὰ ἔγγραφα, *scriptis edita*, vel abolita, vel contrariis sanctionibus sublata, vel τοῦ ῥητοῦ *scripti* contra διάνοιαν *sententiam* detorsione, aut figmentis etiam *sanæ* doctrinæ repugnantibus deprauata: itemq; post Apostolicas παραδόσεις τὰς ἀγράφους, *traditiones scriptis non comprehensas*, aut abrogatas, aut neglectas, aut superstitioso impióue abusu profanatas, res docet, si præstigiarum & ludibriorum Diaboli series ex recenti patrum nostrorum memoria repetita consideretur, quæ coegit pios homines & gloriæ Dei ac veritatis amantes cogitare de emendatione confirmatæ impietatis.

Diuinationes omnes promiscuè reijcere impium.

Etsi verò tetros admodum & horrendos furores in bonas & generi humano vtiles ac necessarias artes infarsit Diabolus: non tamen omne diuinationum seu prædictionum genus promiscuè reiiciendum & condemnandum est: Immò scelus esset & impietas contumeliosa in Deum, velle ob eas præstigias, quas aspersit operi diuino Diabolus, aut derogare fidem Propheticis testimonijs, aut negare, quæ in natura causas habent manifestas, & ita condita sunt, vt vel præsagiant futura, eaque præsensione homines de iisdem commonefaciant, vel signa rerum ignotarum & futurarum ordine ac lege naturæ suæ æstimanda & iudicanda hominibus exhibeant: Sed prudenter & piè secernantur diuina & ordinata à superstitiosis, autore & patre Diabolo natis. Illa retineamus atq; excolamus, & gratias agamus Deo æterno Patri Domini nostri Iesu Christi, conditori cœli & terræ, & pulcherrimi huius ordinis in natura, ac mirandorum effectuum, atque oremus, vt accendat pectora nostra radijs suæ sapientiæ, & augeat suam in nobis lucem, vt cùm in vera ipsius opificis, tum in totius naturæ cognitione, proficiamus etiam in hac vita. Hæc verò Dæmonum impia, superstitiosa, & ἀναιτιολόγητα, *sine causis*, vaticinia toto pectore auersemur, fugiamus, & execremur, non faciamus pacta

cum

cum Diabolo, non quæramus auxilia contra Dei voluntatem, non percontemur, aut exquiramus, quæ nos præscire Deus noluit, sed seruiamus Deo in vocatione nostra sedulò, obeamus ac præstemus mandata officia fideliter & diligenter, exitum verò Deo commendemus, petamusque & expectemus auxilium & gubernationem à Deo, qui vera fide seriò vocatus certò aderit, sicut dicitur, Commenda Deo viam tuam, & ipse faciet. Item, Quicquid petieritis credentes, accipietis.

Quæ diuinationum genera concessa.

Quæ autem sint diuinationum genera concessa, quæ prohibita, in descriptione & distinctione singularum specierum ostendam. Certa testimonia habent Prophetarum vaticinia, quòd sint à Deo. De stellis dicitur; Erunt vobis in signa, menses, & annos. Approbatur & conceditur vsus rerum creatarum verus, ad quem destinatæ sunt. Necesse est enim verum & legitimum vsum operum Dei, discerni à superstitioso & impio abusu. Aues conditæ sunt ad vsum hominis: alæ auibus additæ sunt, vt harum velut remigio ex vno se loco transferant in alium, non vt volatu dextro sinistróue, dextra nobis aut sinistra portendant: sic de cæteris. De tota rerum natura dicitur, Et vidit Deus omnia quæ fecerat, & erant valde bona, id est, à Deo creata, congruentia ad ordinem in mente diuina, destinata ad bonos vsus necessarios hominum generi, & animantibus ac naturis cæteris propter hominem. Approbat Deus opus suum, quod ita condidit, vt naturis singulis & actiones congruentes, & vires actionum effectrices indiderit, terrenaque cœlestibus ea serie & lege copularit, vt consensus sit cognatioque horum inferiorum cum superioribus admirandus. Quæ in hanc elementarem Mundi regionem conclusit corpora, ea ex quatuor elementorum miscuit temperie. Hæc rursus coalitu substantiarum fractarumq; mixtione, qualitatum temperie & reliqua gignunt qualitatum genera multiplici discrimine, pro vt diuersimodè in alijs corporibus coeunt inter se ac miscentur, & effectus pariunt naturæ mixti congruentes: qui cùm exerant sese in corporibus, atq; eorundem constitutiones, vigorem, & mutationes proferant, ac subijciant oculis ac sensibus reliquis, certè considerandi sunt, vt inde,

de ipsis naturis & secuturis effectibus ratiocinemur. De his copiosius infrà.

Quæ sint prima diuinationum seu prædictionum genera, quæque ex his concessa; quæ superstitiosa, impia, & prohibita.

Μαντικῆς duo prima genera iuxta Aristotelem & Ciceronem.

Diuinandi genus artificiosum.

ΜΑντικὴν Græci, Latini diuinationem vocarunt, præsensionem & scientiam rerum futurarum. Huius duo prima genera fecerunt Aristoteles & Cicero: Vnum artificiosum nominarunt, quod artis particeps esset, & complecteretur ea, quæ coniecturis explicantur, aut euentibus animaduersa ac notata sunt. Est enim ars in iis, qui res nouas coniectura prosequuntur, veteres obseruatione didicerunt. Retulit huc Cicero cùm ea, quæ posita in monumentis ac disciplina, libris aruspicinis, fulguralibus, ritualibus, auguralibus, & similibus, tractata sunt ab Hetruscis, tum alia quæ subita coniectura declarabantur, nec præceptionibus aut regulis comprehensa erant.

Naturale.

Alterum naturale appellarunt, quod arte careret. Carent autem arte ij, qui non ratione aut coniectura obseruatis ac notatis signis, sed concitatione quadam animi, aut soluto liberoq; motu futura præsentiunt, quod & somniantibus sæpe contingit, & nonnunquam vaticinantibus per furorem.

Aristotelis & Ciceronis distinctio diuinationum ex Platone desumta.

Μαντικῆς Etymologia ex Platone.

Desumta est autem ex Platone hæc distinctio, qui in Phœdro discernit inter μανίαν & οἰωνιστικὴν, *insaniam & augurandi scientiam*, ita vt, μανίαν, *insaniam* (à qua voce μανικὴν, & interposito τ, μαντικὴν defluxisse conijcit) vocet illam ex afflatu Dæmoniaco conceptam cum furore vim vatidicam & diuinatricem: οἰωνιστικὴν verò, *augurandi scientiam*, artem legibus & regulis certis ex signis aut Physicis aut alijs superstitione assumtis texentem prædicta. Estq; Græcis οἰωνιστικὴ nomen generis, quod complectitur omnia, non ex vatidico & furioso impetu nata, sed arte ex obuijs & antegressis signis causisue qualibuscunq; excussa monita & præsagia.

Οἰωνιστικὴ unde dicta & quid.

Plato οἰωνιστικὴν dictam existimat, quasi οἰονοϊστικὴν, vt dicetur inferiùs. De augurijs enim idem quoq; vocabulum vsurpatum est.

Cor-

Constituerũt hæc prima diuinationum genera illi, vt homines ignari prorſus veræ Religionis, & faſcinati Ethnicis ſuperſtitionibus, atq; impoſturis Diabolicis, cõfuderuntq; ſine vllo diſcrimine prædictiones omnes: Ita tamen, vt ferè de Diabolicis maxima ex parte & ſuperſtitioſis pertractent: reliquas, quarum in natura conſtant εὔλογα αἴτια, *conſentanea cauſa*, vix perſtringant, aut obſcura mentione notent.

Nos qui ex verbo patefacto diuinitus ſcimus, quæ condiderit Deus, & ratione, duce atq; experientia magiſtra didiſcimus aliquo modo, ad quos vſus res creatas compararit ac deſtinarit, quæ inſpici ac conſiderari, quæ non obſeruari velit: quæ verò ordini inſtituto diuinitus aſperſerit Diabolus, vt Deum Deiq; abſolutiſſimum opus deformaret, & genus humanum de veris excuſſum deiectumq; ſententiis, infinitis & inextricabilibus plurimorum errorum labyrinthis implicaret: de his inquam edocti teſtimoniis diuinis, tum reiicimus hanc diſtributionem vaticiniorum, tum multa genera diuinationum ab Ethnicis religioſè culta, conſeruata & vſurpata, in vniuerſum damnamus ac deteſtamur: & Deo gratias agimus, quòd communicata Euangelij ſui luce de Filio mediatore, & accenſis atq; illuſtratis cordibus noſtris Spiritu ſuo ſancto, oſtenderit rurſus, quis ſit verus Deus, vbi quærendus ſit, quomodo coli velit, quæ requirat & approbet, quæ abominetur & ſeueriſſimè puniat: ac precamur ardentibus votis, vt hanc lucem in nobis conſeruet & augeat, & defendat corda noſtra aduerſus furores illos Diabolicos, Ethnicos, Mahometicos, Anabaptiſticos, & ſimiles, qui abducunt animos à Verbo voce diuina prolato, & tradito ac commendato à Chriſto & Apoſtolis, & vel alia quærunt extra Verbum numina, vel nouos expectant ἐνθουσιασμοὺς è cœlo.

Recenſemus autem quatuor diuinationum prima genera, μαντικὴν πνευματικὴν, διαβολικὴν, φυσικὴν ἢ τεχνικὴν, κοινὴν ἢ δημώδη: *diuinationem quæ eſt à Spiritu ſancto*, Diabolicam, *naturalem aut artificialem, communem aut vulgarem*. Hæc ideo conſtituimus, vt Ethnicas ſimul omnes complectamur, & quæ ex his in natura cauſas habeant, ac retineri ſine impietate poſſint: quæ prorſus impiæ aut ἀναπολόγητοι, *cauſis deſtitutæ*, ſint, monſtremus. Non paucæ enim etiam ex harum

Diuinationum quatuor tria genera.

numero ita à quibusdam excusantur & ornantur, ut imperitis facilè fucata veritatis specie imponant.

Μαντικὴ πνευματικὴ. Προφητεία.

Μαντικὴ πνευματικὴ, diuinatio quæ est à Spiritu sancto, vsitatè in Ecclesia *προφητεία, prophetia* vocatur. Nos secuti autores Ecclesiasticos, *πνευματικὴν, spiritualem* ideo appellamus, quòd instinctu afflatuq; Spiritus sancti funditur. Referuntur huc omnia vaticinia veteris & noui Testamenti. In nouo Testamento multa extant à Christo ipso edita & Apostolis, de calamitatibus & afflictionibus oneraturis Ecclesiam in hac vita, de regno Antichristi, de signis præcessuris nouissimum diem, de æterna & beata vita Electorum, & similia. Vetus plures habet: de duratione, diuersa gubernatione, ac differentibus statibus, & de momentis præcipuarum ac fatalium mutationum Mundi, qualis est prophetia ex schola Heliæ profecta, Sex millia annorum stabit Mundus, duo millia inane, duo millia lex, duo millia Christus, & si quid deerit, propter peccata nostra decidetur: Item de distinctis quatuor Mundi Monarchiis atq; earundem ordine, interitu, instauratione, & rebus in quolibet imperio gerendis, qualia sunt Danielis & Esaiæ vaticinia: Item de mutationibus, ruinis, & collisionibus regnorum, qualia multa in Esaia reperiuntur & Ieremia, de regno Iudaico, Israelitico, Ægyptio, Syriaco, Assyrio, Persico, Græco: Item de futuro Messia, de tempore, quo venturus sit, assumta natura humana ex Virgine, de loco, in quo nasci eum oporteat, de familia & origine, de passione & resurrectione, de collectione Ecclesiæ ex Iudæis & Gentibus, ac perpetua eius gubernatione, conseruatione, & propagatione, & præter hæc alia, quæ propriè ad Iudaicum populum pertinebant, de pœnis & calamitatibus, & mutatione politiæ in populo illo, de abducendo populo in Assyriam, de liberatione eiusdem & restitutione politiæ Iudaicæ, de regni Iudaici excidio ac deletione. Erant enim perpetuò in illo populo Prophetæ, qui à Deo solo excitati, instructiq; donis Spiritus sancti peculiaribus, non solius doctrinæ curam agebant, nec doctorum tantùm fungebantur munere, verumetiam in regimine politico Regibus præstò erāt, gubernabāt piorum Regum consilia, & quid facto opus esset, vbi pericula imminerent, monebant: impiis Regibus clades & calamitates,

Vaticinia noui Testamēti.

Vaticinia veteris Testamenti.

Prophetarum officium.

tes, omninoq; quæ euentura essent Regno, propter populi & principum peccata, denunciabant: & certa atq; illustria habebant testimonia, quò missi essent à Deo, & Spiritu sancto regerentur, nec possent errare: sicut multò antè promiserat Deus, inquiens: Suscitabo eis Prophetā de medio Fratrum suorum, & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero ei. quod dictum etsi de Christo propriè loquitur, tamen ad totam seriem etiam Prophetarum ac perpetuam in populo Dei accommodari potest. Eadem fuit concio Apostolorum, sed hoc differebant à Prophetis, quòd exhibitum Christum, mactatumq; pro peccatis generis humani, & resuscitatum à mortuis, ac regnantem ad dextram Dei patris prædicabant vtrique populo, Ethnico & Iudaico & mādata nulla de gubernatione ciuili habebant: immò arcentur à gubernaculis imperiorum & dominatu expresso interdicto, Reges gentium dominentur vobis, Vos autem non sic. Ceteris conueniebant. Vtrique enim eadem vocationis & doctrinæ testimonia habebant, nimirum multiplicia miracula, & exactissimum consensum doctrinæ suæ ac vaticiniorum, cum patefactis antea testimoniis de vno vero Deo, eiusque essentia ac voluntate, & veris cultibus, deque promisso generi humano Messia Filio Dei, quæ nota vel sola semper veros doctores & Prophetas à Pseudoprophetis secernit.

Apostolorum & Prophetarum discrimē.

Sed cùm omnibus temporibus inde vsque ab initio Diabolus opera Dei æmulatus sit, & quibusdam præstigiis, quandoq; & veris miraculis suos furores confirmarit: diligenter discrimen consideretur miraculorum Ecclesiæ & Diaboli, quæ duobus discrepant, Impossibilitate & Finibus. Primùm Prophetæ & Apostoli, vt Ecclesia omnium temporum, habuerunt miracula peculiaria & propria longè supra Dæmonum vires posita, quæ nullo modo imitari Diabolus potest. Talia plurima sacræ Literæ celebrant. Primi parentes, primo & horrendo lapsu excussi gratia Dei, & in æternum sua culpa præcipitati interitum, restituuntur voce & promissione diuina, donanturq; remissione peccati, Iustitia noua & vita æterna, & constituitur Filius Dei, λύτρον, *redemptionis precium*, & Mediator apud Deum pro genere humano, defensor verò & custos Ecclesiæ aduersus

Miraculorum Ecclesiæ & Diaboli discrimen duplex.

Miracula Ecclesiæ Diabolo ἀμίμητα καὶ ἀδύνατα inimitabilia & impoßibilia.

tyrannidem Diaboli. Delabitur ignis cœlitus, & victimas sanctorum correptas deuorat & exurit. In exordio Mundi Enoch, deinde Helias, adhuc induti corporibus, viui rapiuntur ad Dei æternam & inuisibilem consuetudinem. Dum construitur turris Babylonica, varietate linguarum diuersarum turbantur & impediuntur opere. Nohe seruatur & defenditur cum suis in primo illo & vniuersali Mundi κατακλυσμῷ, *diluuio*; cùm vniuersum hominum & animantium genus (illis quæ ipse separarat & concluserat in arcam exceptis) inundatione mergeretur, quod quidem multò antè ipse prædixerat. Sara Abrahæ coniunx sterilis & effœta fit fœcunda, & parit filium Isaac. Mosis multa ingentia edit miracula, quorum etsi quædam Diabolus per ἐπαοιδοὺς, *incantatores*, & Magos Ægyptios effingit, ac repræsentat ludibrio fascini & præstigiarum, omnia tamen præstare nequit. Estq; inter illa miracula hoc vel maximum, Diabolo prorsus ἀμίμητον, *non imitabile*, quòd Israëlitis interclusis mari rubro discussæ ac dehiscentes, & cursu represso rupium instar consistentes aquæ, transitum præbent, Deo per diuisos vndarum fluctus viam sternente, ad ictum baculi. Iosuæ dimicanti contra quinq; Reges, qui Gabaonitas oppugnabant, Sol & Luna, id est, omnium stellarum orbes, concitatissimo, quo circumaguntur, motu inhibito & fixo diuinitus, subitò consistunt. Mosi, Heliæ, Salomoni immolantibus ignis cœlitus demissus victimas inflammat ac consumit, & quidem largissima perfusas & madefactas aqua. Non potest hoc perficere Diabolus, etsi ludibria quandoq; similia oculis obiicit, vt cùm Seleuco Pellæ rem sacram facienti, ligna aræ imposita sua sponte se ad simulacrum Iouis con uerterũt, & sine igne sua sponte exarserunt: aut cùm ex lignis extructis in ara Egnatiæ Nymphæ in Appulis, & non incensis, repente flammæ exilierunt: aut cùm in colle Vulcanio apud Siculos iuxta Petrensium stagnum sarmentorum fasces ex sese sua sponte ignem conceperunt, & nullo carbone adhibito, nulloq; flante halitu in incendium eruperunt: quę tamen fabulosa esse, aut fascino excœcatis hominibus miseris, à Diabolo perfecta igne subdito reor.

Præstigiæ Diabolicæ imitatrices.

Resuscitant mortuos Helias & Helisæus; Helias Sareptanæ viduæ, Helisæus Sunamitidis filium, & cadauere suo cadauer

dauet aliud quod maius est. Domino benedicente, non deficit lecythus olei viduæ Sareptanæ, de quo famis tempore pascebat Heliam: idem contingit intercessione Helisæi viduæ Prophetæ. Neutrum imitari Diabolus potest, non reuocat extinctos in vitam, neq; condit res nouas. Instauratio enim naturæ destructæ, & creatio, id est, effectio rei alicuius ex nihilo solius Dei opera sunt. Diabolus ditat furto, aliorum facultatibus translatis ad alios. Ionas præcipitatus in mare, & à Balæna absorptus, seruatur in ventre piscis totum triduum. Ezechiæ conualescenti regreditur Sol.

Daniel Regi Persico somnia, quæ expergefacto exciderant, monitu Spiritus sancti recitat & interpretatur, quod Dei proprium est, qui cùm solus sit καρδιογνώστης, *scrutator cordiu*, solus sensus & cogitationes animorum introspicit, ac pernoscit. Idem quatuor futuras Monarchias, & in quarta venturum Dominum clarè prædicit, ac penè ipsum articulum aduentus definit.

Talia vaticinia, quæ totam Mundi historiam, & imperiorum seriem atq; ideam complecterentur, nulla vnquam gens habuit, nec præuidere eam Diabolus potest.

Non cient pluuias & reliqua Meteora, temperandis anni vicibus, & terrenis corporibus reficiendis necessaria, causæ cœlestes, Heliæ & Helisæi temporibus, Deo actiones earum suspendente & inhibente, terraq; destituta fotu & rigatione cœlesti sterilescit. Viri Israelitæ in ardentissimum con clusi caminum à rege Chaldæo non modò non vstulantur, sed ne quidem vim flammæ persentiscunt. Solius hæc Dei sunt opera ἀμίμητα *non imitabilia* Diabolo, atq; vt solus Deus autor est & Dominus naturæ, ita solus sistere cursus rapidissimos orbium cœlestium, & vires actionesq; rebus creatis attributas cohibere, impedire, aut mutare potest. Christo moriente, toti terræ Solis lumen velut extinctum deficit atq; euanescit. Eiiciunt ex obsessis Dæmones repugnantes, vitæ restituunt mortuos, & similia edunt miracula Christus & Apostoli. Christus septem panibus quatuor millia, quinq; panibus quinq; hominum millia pascit, & saturatis omnibus, reliquiis solis, quæ supererant, ex panibus septem sportas septem, ex quinq; panibus duodecim sportas implet. Idem aquam mutat in vinum, quod tantùm naturæ omni-

omnipotentis opus eſt, cui ſoli creaturæ cedunt & obediunt. Nec vel transmutatio naturarum inter ſe, vel vnius in alteram conuerſio ſubita, ſolo iuſſu effecta, à creatione diſcrepat.

Miraculum ſummum.

Sed ſuperant & hactenus commemorata miracula & omnium creaturarum captum, Natiuitas Filii Dei & paſſio eius & reſurrectio. Naſcitur Ieſus Chriſtus æternus *καὶ μονογενής*, *& vnigenitus* æterni Patris filius, & diuinæ atq; æternæ naturæ ſuæ indiſſolubili fœdere copulat naturam humanam, in vtero puræ & impollutæ Virginis ſine virili ſemine. Idem quieſcente natura diuina, ſuſtinet cruciatus quantos nulla hominum mens metiri vnquam aut capere poteſt, & moritur pro genere humano, ac deuicta morte reſurgens multa ſecum beatorum millia ſuis induta corporibus, & viuificata, velut in triumpho ad æternam Dei conſuetudinem traducit. Ad horum miraculorum conſpectum & cogitationem obſtupeſcunt ſancti Angeli, expaueſcunt & penè exanimantur Dæmones. Hæc & ſimilia miracula Eccleſiæ prorſus *ἀδύνατα*, *impoßibilia*, ſunt *καὶ ἀμήχανα*, *non imitabilia*, Diabolo: non poteſt, vel ſi rumpatur, reddere vitam cadaueri, etſi præſtigiis quandoq; inanes ſpecies, aut *εἴδωλα*, *ſimulachra*, *ſpectra* viuis ſimilia, oculis offundit.

Citharistriæ Bononienſis hiſtoria mirabilis.

Audiuimus Bononiæ fuiſſe citharistriam virginem, caram multis propter artem, quam vita functam Magus quidam alligato ad alas faſcino ad eum modũ, Diabolo colludente, adornarat, vt cœtus hominum, congreſſus publicos & conuiuia frequentaret, caneret fidibus conſueto more, nec à viuis differre videretur, etſi palleret plus nimio. Incidit in hanc fortè alius quiſpiam Magus & animaduerſa (Diaboli monitu) impoſtura, cadauer, inquit, eſt iſta, faſcinumque ſuſtulit. Eo amoto, ſtatim ipſa ad terram collapſa iacuit ex animis. Sic ſæpe aliàs ludit Diabolus; nequit tamen ſemel extinctis halitus afflare vitales, & ſolutam carcere ac vinculis corporibus animam reddere.

Miraculorum Diabolicorum finis.

Secundum diſcrimen ſumitur à finibus miraculorum. Finis miraculorum Diaboli *ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον*, *vt plurimum* eſt, vel erroris furoriſue manifeſtè impii, blaſphemi, & contumelioſi in Deum, aut ſceleris alicuius confirmatio præceptioue, aut approbatio, vt falſorum dogmatum, idololatriæ,

triæ, superstitionis, abusuum verbi & sacramentorum, iniustarum cædium, furtorum, fœdarum libidinum & turpitudinis: quibus & præcipuè delectantur Dæmones, & quacunq; possunt occasione immergunt homines validissimè: tum quòd iusto & casto Deo maximè displicere omnem *ἀκαθαρσίαν*, *impuritatem* norunt, tum vt opus generationis polluant ac defœdent, quod ad propagationem & conseruationem generis humani constitutum vident.

Sic vaticinia Tiresiæ & Calchantis iubebant mactare humanas victimas, & stabiliebant præsentem *εἰδωλομανίαν*, *insanum idolorum cultum*, atque illam prodigiosam de fictitiorum & plurium deorum numero opinionem. Tiresias promittit Thebanis victoriam, sed ea lege, vt Creontis filius mactatus fiat victima pro patria. Calchas diuinat de excidio Troiæ, & pollicetur successus, sed simul iubet Agamemnonis filiam immolari. Ionibus petentibus remedium ab oraculo Delphico aduersus sæuissimam luem, quæ horribiliter grassabatur in tota vicinia, respondet Delphicus Dæmon, non desituram luem, nisi litetur Dianæ Triclariæ Melanippus cum Comethone, quam in Dianæ templo ipse stuprauerat, & nisi annuatim eodem tempore, pro Menalippo elegantissimus iuuenis, pro Comethone puella venustissima, ad aram Dianę mactentur. Idem Messeniis in longo illo & diuturno bello, quod cum Lacedæmoniis gesserunt, sciscitantibus de exitu, promittit victoriam, sed ea conditione, si Virginem puram ex Æpytidarum familia Deo immolarent: ibi cùm Aristodemus vnus ex præcipuis familiæ Æpitidarum, gratificaturus patriæ, filiam quam habebat vnicam, destinasset sacrificio, alius quispiam amore puellæ impulsus, quò miseram seruaret, ex se grauidam esse, & idcirco litari Deo non posse fingit. Pater, eo audito, ingenti exardescẽs iracundia, mox interfectam filiam dissecat. Paulò pòst noctu secundum quietem, fœda specie sauciatæ & concisæ filiæ grauiter consternatus, ad tumulum eius semetipsum iugulat.

Tiresiæ vaticinium.

Calchantis vaticinium.

Historia horribilis furoris Diabolici.

Horresco cogitãs cùm immania illa superstitionũ portẽta, tum teterrima flagitia & cædes abominandas, quæ à Diabolo excitatæ & confirmatæ adeò inualuerũt & peruagatæ

sunt per omnes gentes, vt etiam in populum Dei peruasẽrint. Hunc enim, præterquam quòd nefanda & multiplici idololatria, contumacissimè abiectis oraculis & legibus cœlestibus se polluit, etiam liberos cremasse idolo Moloch in valle Gehennon, plus quàm beluina crudelitate, legimus. Talia non ab illa æterna mente, iusta, casta, misericorde, conditrice rerum & conseruatrice. De his inquit enim Ier. 7.19.& 32. & alibi: Fecerunt quæ nunquam mandaui de quibus locutus non sum, quæ non venerunt in cor meum: sed absq; omni dubio ab autoribus Dæmonibus oriebantur, qui odio veri Dei, inde vsq; ab initio, in conscientias & corpora hominum, quauis occasione crudelissimè sæuierunt.

Miraculorum Ecclesiæ finis.

At miracula Ecclesiæ, Prophetarum, Apostolorum, directa sunt ad confirmationem veræ doctrinæ traditæ diuinitus, & verorum cultuum, consentiuntq; cum verbo antè patefacto de vero cultu & Filio Dei. Semper enim Ecclesia propriis quibusdam claruit miraculis, præ gentibus ceteris, quæ doctrinæ antea promulgatæ testimonia sunt, quòd sit à Deo, & quidem eò exhibentur, vt per ea signa verus Deus velut oculis innotescat ac celebretur. Est ergo hoc primum genus diuinationum, quod proficiscitur à Spiritu sancto regente corda eorum, qui diuinitus ad hoc munus & immediatè certis testimoniis vocantur: aut alioquin cœlitus à Deo certis visionum *καὶ φανερώσεων*, *& apparitionum*, documentis ostenditur. Secludantur autem ab hoc genere χρησμοὶ & θεομαντεῖαι à Græcis dictæ, i. e. *oracula & deorum vaticinia*, de quibus infrà pertractabitur.

Μαντικὴ φυσικὴ ἢ τεχνικὴ.

Μαντικὴ φυσικὴ ἢ τεχνικὴ, *Diuinatio naturalis aut artificiosa*, intuetur & considerat naturas rerum conditarum, & scrutatur, quibus quæq; sint viribus prædita, quid natiua vi sua efficiant, quibus sint dedicatæ atq; addictæ vsibus, quibus causis naturæ rerum vel vitientur ac deprauentur, vel dissoluantur prorsus ac destruantur, seriem deniq; connexionemq; causarum secundarum peruestigat, & qua vi quæq; sibi iunctam & copulatam causam moueat atque afficiat, quas qualitates ordine distributis Mundi corporibus imprimat: & ex causis de effectibus secuturis ratiocinatur, ac vicissim ex effectibus naturas rerum *καὶ δυνάμεις*, *& facultates*, æstimat atq; ostendit sine superstitione. Voco enim μαν-

τικὴν

τεχνὴν φυσικὴν, diuinationem naturalem, prædictiones, quæ sumuntur à causis signisq; in natura ordinatis diuinitus, quæ signa sunt aut causæ, aut effectus, aut proprietates, quæ ordine naturæ consequuntur causas aut effectus. Condidit enim Deus naturam eo modo, vt singulis rebus mirandas ac peculiares vires certarum actionum effectrices indiderit: his actionibus & effectus certi, & alia accidentia lege quadam naturæ congruunt ac respondent: immò præter causas, effectus, & alia *συμπτώματα, accidentia*, sunt in vniuersa natura plurima vel futurorum euentuum, vel aliarum rerum, quæ nondum conspiciuntur, vera signa, diuinitus condita ad hunc vsum, vt vel præsignificent aliquid, vel de ignotis & cognitu tamen necessarijs erudiant homines, sintq; velut vestigia sensibus obuia, quæ deducant oculos & animos ad rerum ipsarum procul ex conspectu amotarum atque abditarum inspectionem. Hæc ipsa etiam sunt perpetua, significatisque experientiæ perpetuæ congrua, quæ cum ratione est talium norma, etsi non semper respondent euentus, qui præuideri ac definiri certò exacteque nequeunt, cùm non conspiciantur causæ omnes & effectus sufficientes. Horum contemplatio obseruatio, ac diligens pensitatio, nequaquam legi Dei aduersatur, neque Deo displicet: sed est consideratio diuini operis atque ordinis, miranda arte ad Ideam, quam antea in mente sua Deus præformarat, effecti atque conformati, necessaria homini in tota vita multis de causis; vt apparebit, cùm singulas eius explicauerimus differentias: & si quis in natura non esse, aut inania esse contenderet, manifesto mendacio Deum offenderet. Vtque prior species certa habet & indubitata testimonia, quæ immediatè à Deo eam proficisci necessariò conuincunt: sic hanc quoque & diuinam esse, & concedi, approbari, immò requiri & præcipi diuinitus, tota rerum creatio euidentissimè probat ac testatur.

Diuinationum naturalium fontes.

Etenim ideo Deus ex arcana sede sua prodiens, hoc pulcherrimum Mundi domicilium tanta sapientia fabricauit, tantaq; rerum varietate compleuit atq; exornauit, vt ceu theatrum exquisitissima arte elaboratum atque expolitum, sapientiam artificis oculis contuendam proponeret:

Mundus cur tanta varietate elaboratus.

Homo cur tanto mentis & sensuum acumine à Deo instructus.

Hominem verò, à quo agnosci ac celebrati voluit, ideò tanta mentis perspicacitate, tamq; præstanti intelligentia instruxit, & sensibus donauit acutissimis, qui indices essent menti rerum foris obuersantium, vt cùm oculis animoque perlustraret, & hoc vndique obtensum cœlum, & reliquas mundi partes, cumq; semetipsum euolueret, & sui corporis structuram, mentisq; & liberæ voluntatis, atque his inseruientium virium præstantiam expenderet, cogitaret de Architecti immensa atq; infinita sapientia, bonitate, misericordia, iusticia, deque perpetua eius præsentia, & inexhausto erga genus humanum amore. Quod si in primis homo vestigijs perstitisset, retinuissetq; acceptas in creatione dotes, quid quæsò fuisset aliud hominum vita, quàm talis philosophia, quæ perpetua gratiarum actione & inuocatione Deum, & verbo sua voce tradito, & hac rerum creatione patefactum coluisset, celebrasset, ac collaudasset?

Quanquam autem hebetata sit mentis acies adeò, vt neutiquam amplius in naturas rerum penetret, immò vix externas species quomodocunq; assequatur & intelligat: vult tamen etiam nunc aspici naturam Deus, & sapientiæ suæ, bonitatis, prouidentiæ testimonia inquiri atque erui. Et quamuis sunt quædam incerta, propter mentis imbecillitatem & caliginem, quæ ὥσπερ σκιαί τινες καὶ εἰκόνες ἐν ὕδασιν, *tanquam vmbræ quædam & imagines in aquis*, facilè elabuntur ex animis, & euanescunt; quædam immò plurima, nondum explorata sunt: tamen à diuerso plurima sunt certa, cùm ex iis notionibus certis atque immotis, quas nascentes nobiscum afferimus, tum ex perpetua & sibi consentiente experientia, quæ Deus nota esse voluit. Ea vel negare vel cauillari amentis est. Atque in qualibet arte, quæ vera sunt & certa, seu ex insitis nobis à prima origine notionibus, seu ex congruente sibi perpetuo sensuum indicio ac relatu, ea sciamus esse donum Dei, communicatum singulari beneficio diuinitus, quod non calumnijs prægrauare, aut commenticijs & nouis opinionibus deformare, sed illustrare nos, expolire, & augere decet diligentia & meditatione. In hoc genere sunt prædictiones physicæ, extructæ ex causis physicis, perpetua experientia comprehensis: quarum quanquam paucæ sunt demonstrationes, tamen ex his ipsis,

ipsis, si explicentur, atque ad vsum dextrè accommodentur, multò plura erui & iudicari possunt, vt in Arte medica periti experiuntur.

At carere superstitione omni veras physicas prædictiones manifestum est. Etenim sumuntur vel à causis physicis, vel ab effectibus, vel à signis naturalibus & ordinatis, vel ab ijs, quæ velut symptomata effectus à causis ortos consequuntur: id est, omnia rerum futurarum & abditarum in natura indicia & argumenta, aut sunt αἴτια, aut σημεῖα τῶν γινομένων φυσικῶ, aut συμπτώματα, ἢ ἔνια τούτων, ἢ ἓν μόνον: *causæ aut signa eorum quæ fiunt naturalia: aut euenta vel omnia, vel horum aliqua, vel vnum solum.* Addo nominatim à causis Physicis, quibus intelligo naturas creatas, & τὰς δυνάμεις, *facultates*, rerum conditarum à Deo ipsis attributas, quæ Deo adiuuante, conseruante, & vigorem conferente, efficaces sunt: eodem prohibente & impediente, cessant agere. Et excludo Diaboli imposturas, conatus, consilia, astutiam, & solertiam in imitatione operum Dei: qui etsi fuit conditus à Deo, & excellentibus ornatus dotibus, tamen libera se voluntate auertit à Deo, cumque desciuisset, factus hostis Dei, cœpit dotibus illis & potentia abuti ad obscuranda aut deformanda opera Dei, & ludificandos, decipiendos, atque opprimendos miseros homines: & quæcunque molitur, peragit, aut conficit Diabolus, qualiacunque sint, nego esse physica. Excludo etiam ea, quæ homines, vel malicia spontè, vel connata superstitione, vel Diaboli impulsu, contra expressa Dei mandata, & naturæ ordinem, instituerunt & exercuerunt, qualia multa postea recensebimus. Etsi enim Deus conseruat naturam hominis, qualis nunc est, conseruat etiam agendi modum ipsi attributum: tamen non est efficax causa vllarum actionum suo ordini repugnantium. Sic enim condidit voluntatem hominis vt esset liberum agens, vt posset tueri ordinem, aut eodem neglecto vel violato suo rapi & ferri impetu. Agit ergo cum voluntate Deus, iuuans & sustentans ordine agentem: sed non iuuat ruentem contra ordinem, etsi eam sustentat. Nec amplius voluntas est causa ordinata, cùm ordini renititur ac repugnat: sed obsequitur tunc, aut inclinationibus,

Physicæ prædictiones non sunt superstitiosæ.

ex lapsu & naturæ deprauatione contractis, vel instinctu Diaboli, qui perturbat eam, quacunq; occasione potest, & ex vno errore aut scelere pellicit ac pertrahit in aliud.

Porro ad signa itidem disertè adiungo naturalia & ordinata, vt explodam & procul remoueam signa, quæ vel Diabolus applicat aut offundit rebus creatis ad vexandos homines, vel Ethnici omnibus temporibus, excœcati Diabolico fascino, iisdem contra ordinem naturæ diuinitus institutum affinxerunt. Signa autem nomino notas in rebus creatis subiectas sensibus, quæ aliàs causæ sunt euentuum significati, aut alioqui præcedunt propter aliquam copulationem cum causis: aliàs effectus sunt, aut alioqui sequuntur propter aliquam copulationem cum effectibus. Exempla singularum differentiarum suppeditat pars ea Medicinæ, quæ σημειωτική, *quæ de signis agit*, dicitur; μετεωρολογία, *quæ de rebus sublimibus agit scientia*; φυσιογνωμοσύνη, *quæ de ingeniis hominum, ex corporis intuitu, coniectat*, & aliæ artes Physicæ. Exempli causa: Lassitudo, languor, & sensus debilitatis in artubus, signa sunt securturæ ἀρθρίτιδος, *morbi articulorum*. Dysenteria, si ab atra bile incœperit, lethalis est. Traiectiones aëris siccitatem indicant, quæ si ad vnam partem ferantur, ab angulo illo ventum: si in diuersas partes ferantur, aquarum imminutiones, aëris turbationes, exercituum incursiones indicant.

ἀρθρίτιδος futuræ signa.

Dysenteria *lethalis.*

Traiectio*num aeris significationes.*

Arati progno*sticon.*

Tale est Arati prognosticon ex halonum numero, situ, & dissolutione, de futuris tempestatibus.

Halonum significata.

Εἴ τε κε μὶν πᾶσαι ἅλωαι κυκλώσωνται
ἢ τρεῖς, ἠὲ δύω περικείμεναι, ἠὲ μὶ᾽ οἴη,
Τῇ μὲν ἐν ἀνέμοιο γαληναίης τε δοκεύειν,
ῥηγνυμένῃ ἀνέμοιο, μαραινομένῃ τε γαλήνης.

Area si verò totam comprenderit, vna,
Aut tribus, aut gemina Phœben complexa corona;
Vna Austros, vna soles promitte serenos,
Rupta Austros, soles sed vanescente serenos.

Prognosticon Ptolomæi de tempestatibus ex Cometis, αἱ μὲν τῶν κομητῶν συστροφαὶ πάντοτε αὐχμοὺς καὶ ἀνέμους προσημαίνουσι, καὶ τοσοῦτον μείζονας, ὅσον ἂν ἐκ πλειόνων μερῶν καὶ ἐπὶ πολὺ ἡ σύστασις ᾖ. *Cometarum quidem conuersiones semper siccitates, squalores,*

Cometarum indicia de statu aeris.

lores, & ventos praenunciant, tantoq; maiores, quantò pluribus ex partibus, & diutius coierint. In his & similibus signa, vt manifestum est, causæ sunt effectuum significati. Atra bilis incipiente dysenteria effluens, lethale signum est, quòd acredine sua exulcerationem efficiat in intestinis à Cancro non differentem. At cùm Cancer in exterioribus consistens, aut omnino non aut perquam difficulter curari possit, quantò magis, vbi intestina occuparit immedicabilis erit, cùm nec medicamenta rectè adhiberi nec sectiones, vstionésue tentari possint, & ab excrementis illac transeuntibus, continuò irritetur. Sic de cæteris.

Non causæ sed effectus sunt signa Physiognomica pleraq;, quæ ex moribus, affectibus, motu, figuris, coloribus, & similibus sumuntur, qualia multa Galenus enumerat in parua Arte, quibus temperamenta partium & totius corporis agnoscere docet: & qualia tradunt Aristoteles, Polemon, & Adamantius in Physiognomonicis. Nec causæ, nec effectus, sed quiddam cum causis & effectis coniunctum, sunt illa signa, quæ in Solis Lunæq; lumine obseruantur, & his similia: Qualia sunt, Si Luna triduo ante vel post nouilunia, aut plenilunia, aut medium tempus, quo soli quadratur, tenui puraq; luce nituerit, nilq; circumdederit eam, serenitatem spondebit. Si tenui rubuerit luce, & tremere visa fuerit, ventos denunciabit, ex ea orituros parte, in quam ipsa ab Ecliptica declinat: Sin nigra, pallida, spissaq; apparuerit, hyemes & imbres minabitur.

Physiognomica signa.

Lunæ varij colores quid significent.

Etsi verò sunt signa atque effectus in natura, quarum causæ ostendi nequeunt, paucorum enim effectuum veras & primas causas, aut proximas & effectui pares viribus peruidemus; tamen ea nec fortuita, vel commēticia esse, nec subitò nasci, neq; à Diabolis obijci, sed ab ipsis rerum occultis naturis (quæ quales sint nunc in hac imbecillitate, ne diuinare quidem possumus) cieri, ex perpetuæ experientiæ testimoniis, iudicio & ratione adhibita, sani omnes æstimare facilè, & à commenticijs aut superstitione sola, sine aliqua ratione in naturam introductis, quæ ἀναπολόγητα vocantur, diiudicare possunt. Cometas, quotiescunque exardescunt, mutationes aliquas, clades, aut calamitates portendere, certum est omnium temporum annotatis &

Diuinatio physica non tollitur propter nostram caliginem.

documentis: causa tamen significati in conspectu non est, neque à quoquam adhuc satis explorata est. Quanquam enim aliquam docti proferunt ex magnitudine inflammationis, incendente corpora hominum, & biliosi humoris feruorem acuente, atq; augente copiam, qui deinceps ciet feruidos ac rapidos motus, & incitat homines ad rixas, contentiones, prælia, & cædes: tamen tantis effectis, tamque certis ac destinatis perficiendis, quales aut portenduntur inde præsagijs, aut sequuntur, neutiquam sufficere viribus autores ipsi confitentur. At garritum auium, volatúmue dextrum vel sinistrum, aut exta hoc illóue loco, aut hac vel illa forma in dissectis pecudibus reperta, σημαντικά esse, prosperáue aut aduersa denotare, omni prorsus ratione caret: etsi Diabolus, vt opinionem de talibus obseruationibus confirmaret, concepta omnia, aut collectas inde significationes, euentu quandoque comprobauit. Sed de his inferiùs dicemus: & agnoscere superstitiosa, eaque separare & secernere à physicis, non est difficile.

Diuinatio physica concessa.

Est igitur quædam Physica diuinatio, quæ ex causis ratiocinatur de effectibus, seu quæ ex causis vniuersali experientia certò cognitis ac confirmatis, extruit prædictiones de secuturis effectis, quibus respondent euentus, nisi impediantur diuinitus, vel alijs causis fortioribus ac potentioribus, & ea cùm luce naturæ aperta, tum ordine diuino in natura concessa est homini, ac pertinet ad hoc dictum: Omnis creatura Dei bona est. Quæ verò sint eius differentiæ, quantum sit in quibusque certitudinis, & quousque progrediantur, & quibus insistant atque innitantur principijs, quantumque sit prædictionibus physicis tribuendum, quo loco collocandæ sint, quo ordine & modo vsurpandæ, deinceps constituemus.

Μαντικὴ διαβολικὴ quid.

Μαντικὴν διαβολικὴν, diuinationem diabolicam voco omnia vaticinia, quæ vel expresso mandato Dei sancita, vel cœlestibus testimonijs aut exemplis sacræ Scripturæ approbata non sunt, vel nullas in natura causas habent, siue immediatè à Diabolo profecta, & cum manifesta impietate coniuncta, siue ex sola nata superstitione, & errore recepta atque vsurpata, vsuque temporis confirmata sint. Tales prædictiones omnes cuiuscunq; sint generis, generalibus pri-

mæ tabulæ mandatis prohibentur: Non habebis Deos alienos coram me: Non assumes nomen Dei tui in vanum. Extant etiam ferè singularum differentiarum peculiares prohibitiones, & peculiaria ac seuera interdicta, cum horrendorum suppliciorum coniuncta comminationibus, quas recésebimus, vbi de singulis seorsim dicemus. Etenim non vult nos Deus, vel abuti creaturis ad alium finem non ordinatum vel affingere aut tribuere creaturis, aut adiurationibus vel incantationibus Diabolicis, quæ Dei solius sunt opera, vel quoquo modo comminisci, aut constituere arbitrio nostro, quæ condita atq; expressa in naturis non sunt: Multò minus vult nos pacisci cum hostibus suis Diabolis de patefactione aut denunciatione futurorum, aut quouis modo sciseitari ex illis occulta, aut quærere vel petere auxilia, consilia, defensiones, remedia morborum, liberationes ex periculis, læsiones aliorum, aut similia. Et vehementer iram suam aduersus eos, qui vel consilijs, opera, ductu, patefactionibus Diaboli vtuntur in quemcunq; finem, vel se Dæmonibus tanquam mancipia agitandos, aut tanquam organa ad scelerum executionem vsurpandos dedunt, atrocissimis & tristissimis pœnis declarauit.

Diuinationes Diabolicæ vnde ortæ.

Ceterum quicquid huius generis diuinationum vnquam fuit, id omne vel Diabolus exercuit ac protulit, aut ipse, aut per obsessos, afflatos, & raptos extra sese: vel homines, postquam amiserunt cœlestia oracula de vero cultu Dei, aut superstitione ex naturæ post lapsum deprauatione propagata, aut præstigijs decepti Diabolicis, pepererunt atq; inuexerunt, Diabolus verò auxit & stabiliuit.

Diabolus spiritus potens & sapiens.

Dæmonum est & fuit magna potentia, astutia, & calliditas incredibilis, sapientia tanta, quanta in nullis alijs creaturis præter sanctos Angelos, perspicacitas acutissima, ἀγχίνοια, *solertia*, in interpretandis notis & signis præcipua, vigilantia summa, artificium struendi technas perniciosissimas fuco speciosissimo incomparabile, malicia infinita, odium erga genus humanum ἄσπονδον καὶ ἀνήκεστον, *irreconciliabile & inexpiabile*. Quanquam enim ea, quæ Dei solius sunt, efficere nequeunt, non condere res ex nihilo, non institutum diuinitus naturæ cursum impedire, destruere, aut mutare, non destructa penitus instaurare, non

peruidere ac pernoſcere ſenſus & cogitata animorum, deniq; non proſpicere poſſunt, quo modo fata Mundi, Imperatorum, aut ſingulorum diſpenſaturus aut gubernaturus ſit Deus, priuſquam voce diuina illa promulgantur & declarantur: multa tamen imitantur ſeu verè ſeu falsò: multa præuident ea perſpicacitate & ſagacitate, quæ naturæ ſpiritualis, & à ſordibus atque inquinamentis pollutorum corporum liberæ propria ſunt: multa ex illis quæ prodita ſunt incredibili acumine ac ſolertia ratiocinantur & colligunt; multa ex ſignis obuijs vel Phyſicis vel Ethicis, quæ in moribus vniuſcuiuſque cernuntur, argutiſſimè eliciunt atque eruunt: multa in Imperiorum & hominum priuatorum negotijs moliuntur & adminiſtrant ipſi: multa mouent & turbant, texuntque mira calliditate telas longas nobis inextricabiles, quibus præter opinionem implicantur & irretiuntur innumeri.

Oſtendit & exaggerat Dæmonum potentiam Paulus grauiſſimè ad Epheſios, cùm armat & munit pios ad certamina, quæ quotidie nobis expectanda & ſubeunda ſunt; & hortatur nos, ne ignauia, negligentia in exercitijs fidei & inuocationis, aut ſecuritate præbeamus hoſti occaſionem nos adoriundi. Inquit enim de Diaboli potentia, οὐκ ἔστιν ἡ-
Eph.6,12. μῖν ἡ πάλη πρὸς αἷμα καὶ σάρκα, ἀλλὰ πρὸς τὰς ἀρχάς, πρὸς τὰς ἐξουσίας, πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου, πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις: *Quoniam non eſt nobis lucta aduerſus ſanguinem, & carnem, ſed aduerſus imperia, aduerſus poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum ſeculi huius, aduerſus ſpirituum malicias quæ ſunt in ſublimi.* Hæc commonefactio etſi propriè ad Eccleſiam pertinet, ſicut &
1.Pet. 5,8. Petri concio: Νήψατε, γρηγορήσατε, ὅτι ὁ ἀντίδικος ὑμῶν Διάβολος ὡς λέων ὠρυόμενος περιπατεῖ, ζητῶν τίνα καταπίῃ: *Sobrij eſtote, vigilate: nam aduerſarius veſter* Diabolus, *tanquam leo rugiens, obambulat, quærens quẽ deuoret.* tamen quæ ſit eius poteſtas & efficacia in impiis vniuerſim, demonſtrat Paulus ad Eph.2. cùm vocat Diabolum τὸν ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος τοῦ πνεύματος τοῦ νῦν ἐνεργοῦντος ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας, *Principem cui poteſtas eſt aeris & ſpiritus, qui nunc efficax in filiis contumacibus.* Et cùm 2.Theſs.2. Pontificem Romanum autorem τῆς ἀποστασίας *defectionis* deſcribens (quem vocat ἄνθρωπον

τῆς

τῆς ἁμαρτίας, υἱὸν τῆς ἀπωλείας, *hominem ſceleratum & filium perditionis*) addit expreſsè: οὗ ἐστὶν ἡ παρουσία κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ, ἐν πάσῃ δυνάμει, καὶ σημείοις, καὶ τέρασι ψεύδους, καὶ πάσῃ ἀπάτῃ τῆς ἀδικίας ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις: *Cuius aduentus eſt ex Satanæ efficacia, cum omni potentia, & ſignis ac prodigiis mendacibus: & cum omni fraude iniuſtitiæ, in iis qui pereunt.*

Sed quouſque ſe extendat perſpicacitas & potentia Dæmonum, quantumq; proſpicere ac prænunciare poſſint, inquiramus. Primùm, etſi fata Imperiorum, Eccleſiæ, & ſingulorum hominum, quæ in arcano Patris, Filii, & Spiritus ſancti conſilio, inenarrabili ſapientia decernuntur, ignorãt: ex Prophetiis tamen diuinitus patefactis per Prophetas, quantum noſſe ex illis arcanis deliberationibus datum conceſſumque hominibus eſt, tantum & ipſi de regnorum & Mundi fatis intelligunt: Immò multò plus quòd aſtutia, ſapientia, acumine, longè ſuperant homines, & longiùs progrediuntur ratiocinando, atq; ex iſtis eliciunt alia non patefacta. Norunt ex oraculis Prophetarum, vbi & penes quos Imperia futura ſint, per quos viros, & quo ſucceſſu ea conſtituturus & adminiſtraturus ſit Deus: quorum potentiam amplificaturus, quos deiecturus rurſum ac depreſſurus: ad quam gentem, ſi ruant aut collabantur, translaturus ſit, quo tempore, quibus modis: deniq; quæ forma, quis ſtatus futurus ſit Regnorum, quanta periodus, qui hoſtes ea petituri ſint & infeſtaturi, aliaq; huiuſmodi. Inde & ſua depromunt vaticinia Dæmones, & multa alia non ſingillatim expreſſa coniecturis argutiſſimè colligunt. Præſciuit Diabolus ex Eſaiæ & Danielis vaticiniis (quorum vterq; expreſsè adoleſcentem Alexandrum pingit) eum ipſum Alexandrum victo Dario potiturum Aſia vniuerſa, & traducturum Imperium à Babyloniis ad Græcos. Ideò ipſi conſulenti oraculum Delphicum, extorquentiq; reſponſum ab inuita vate, tandem Pythia in hæc verba prorumpens reſpondit: Inuictus eris Alexander. Poſtea proficiſcenti cum exercitu in Perſas, prodigia plurima obiecit. In aditu Aſiæ Orphei ſtatua ſudauit. Deinde Alexandro ad extremum cum Dario congrediente, aquila ex alto ſupra verticem eius ſeſe librare, & in aduerſos hoſtes traiicere viſa eſt. Sine dubio fuerunt hæc Diaboli ludibria, efficta ad obſeruationes prodi-

Diabolus ex Prophetarum prædictionibus multa prænoſcit.

giorum & auguriorum, quæ tunc vigebant, stabiliendas. Darium contrà ambiguis somniis in falsam victoriæ spem induxit. Sciuit ex Esaiæ Prophetiis fore, vt Tyrus vastaretur à Macedonibus. Inquit enim Esaias: Vlulate naues maris, quia vastata est domus, vnde venire consueuerant, de terra Cethim reuelatũ est eis. Est autem terra Cethim sine dubio Macedonia, sicut & ab Homero Macedones κήτειοι vocantur. Inde cum fuso fugatoque Dario, copias Alexander ad Tyrum admouisset, monuit quendam, qui diceret ciuibus, Apollinem vrbem deserturum esse, vt, cùm euentus congrueret, fidem augeret oraculorum, & tueretur atque amplificaret Idolorum autoritatem.

Ex iisdem Esaiæ & Danielis vaticiniis prænouit fore, vt Assyriorum Monarchia aboleretur, & in potestatẽ redigeretur Medorum ac Persarum, & quidem à Cyro cuius nominatim Esaias meminit. Inde coniectatus est, Crœsum etiam de regno Lydiæ periclitaturum esse. Quare & aliquantò antè τὸν πέμπτον ἀπόγονον, *abnepotem*, Gygis, quod in Cyri tempora incidere eum prospiciebat, amissurum regnum Lydiæ, præmonuit consultus ex sede oraculi Delphici: & postea cùm ad regnum peruenisset Crœsus, vt fiducia opum suarum exultantem, superbientem, & Persicum regnum affectantem euerteret, χρησμῷ κιβδήλῳ, *oraculo captioso*, quo victoriam in speciem ipsi annuebat, ad bellum Cyro inferendum perpulit. Eo moto victus, captus, & regno exutus, vitam in Persia finiit. Exemplis historiæ plenæ sunt. Sed Amphiboliis plerunque & Ænigmatibus sua inuoluunt responsa Dæmones: vel quia de euentibus dubitant, vt cùm solis ducuntur coniecturis & suspicionibus, sine causis euidentibus, & sine oraculis cœlestibus: vel vt odio generis humani, & nocendi studio tegant atque occultent veritatem. Delectantur enim mendaciis & pernicie nostra, lætanturque calamitatibus nostris ἐπιχαιρεκακίᾳ, *maleuolentia*, acerbissima. Ideò talibus ludunt ænigmatibus inuolucris, & perplexis atque ancipitibus orationibus: vt vel ludificent miseros homines, vel his circumuentos & suspensos, ceu freno regant, incitent, flectent, & contorqueant, quò velint, & aut in spem felicium successuum illectos perimant, aut tristium euentuum metu iniecto cru-

Diaboli vaticinia ambigua.

trucient: ἀνθρωποκτόνος γάρ ἐστιν ἀπ' ἀρχῆς, καὶ ἐν ἀληθείᾳ οὐχ ἕστηκεν, ὅτι οὐκ ἐστὶν ἀλήθεια ἐν αὐτῷ, ὅταν λαλῇ τὸ ψεῦδος, ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ: *homicida enim ab initio, & in veritate non perstitit: quòd veritas non est in eo. quotiescunque mendacium loquitur, de suo loquitur.* Talem enim depingit eum Christus, vt agnitum vero odio prosequamur & abominemur, fugiamus consuetudinem & colloquia confœderatorum cum Diabolo, vigilantes caueamus insidias, repugnemus illecebris & occasionibus obiectis, quæ prima fronte ferè blandiuntur atque allubescunt, nec ignauia ruamus, quò inuitat vel incitat Diabolus, ac petamus auxilium & defensionem à Duce nostro Iesu Christo, qui venit, vt destruat opera Diaboli. **Ioh. 8, 44.**

Porrò non ex cœlestibus solùm oraculis fatales Imperiorum conuersiones, ruinas & instaurationes colligunt: sed cùm ipsi sint magna pars eorum, quę in Imperiis geruntur & fiunt, toti in hoc & intenti sunt & incumbunt, vt moueant, turbent, misceant, & collidant inter se regna Mundi, efficiant infinitas vastitates in genere humano, & dissipent rectè constitutos cœtus, confringant, proiiciant, & conculcent leges omnes ac disciplinam. Multa machinantur, instruunt, & gubernant per organa sua; bona & salutaria consilia impediunt, & quasi è manibus violenter excutiunt: contrà callida, turbulenta, & exitiosa, cùm ipsi suggerunt potentum animis instillata, tum vt rata sint & approbentur, quocunque modo possunt, perficiunt: incitant animos ad studium rerum nouandarum, inflammatos ambitione & dominandi cupiditate: idque testimonia & exempla sacrarum Literarum plurima ostendunt. Vocat Christus Diabolum ἄρχοντα τοῦ κόσμου, *principem mundi,* qua voce, quantam ei tribuat potentiam, non est obscurum. Apud Lucam Satanas ipse Christo dicit, σοὶ δώσω τὴν ἐξουσίαν ταύτην ἅπασαν, καὶ τὴν δόξαν αὐτῶν, ὅτι ἐμοὶ παραδέδοται, καὶ ᾧ ἐὰν θέλω δίδωμι αὐτήν: *Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam illorum, nam mihi tradita est, & cuicunque voluero, do eam.* quæ etsi contemtu Filii Dei, humiliantis & abiicientis sese infra omnes homines, suique admiratione, præferens se Filio Dei iactitat: tamen non ficta prorsus aut vana esse, sæpe demonstrat effectu. Concitat gentem Sabæorum & Chaldæorum, vt facultates

Diabolorum conatus in Mundo.

Ioh. 12, 31.

Luc. 4, 6.

Hiob vastent ac deprædentur, & seruos eius trucident. In 3.
3.Reg.22,19. Regum, Micheæ Prophetæ visio ostenditur, in qua Satanam cernit stantem in conspectu Domini, & dicentem: Egrediar
Zach.3,1. & ero mendax in ore omnium Prophetarum Achab. In Zacharia Satan consistit ad dextram magni Sacerdotis, vt impediat, ne quid prosperè eueniat vrbi Hierusalem. Etiam Psalmus fatales pœnas ab autoribus Diabolis oriri conces-
Ps.78,49. sione permissuq; Dei testatur, cùm inquit: Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem & iram, & tribulationem, immissiones per Angelos malos. Et insidiantur atrocius imperiis, iisq;, qui ad rerum publicarum gubernacula sedent, quàm priuatis: vel quia horum incolumitati priuatorum salutem inclusam esse norunt: vel quia occasiones propositas ibi vident maiores, effundendi immane odium suum in genus humanum, & sæuitiam explendi.

Cùm itaq; multa Imperiorum negotia moliantur, vrgeant, & exequantur Dæmones, ea præsertim, quæ mutationem, aut interitum, cladésue insignes & calamitates afferunt, vt hac occasione plurimos, publicis & communibus malis inuolutos, simul perdant: & Deus aliàs aliis de causis grassari Diabolos sinat, edere etiam de talibus vaticinia possunt. Sed quanquam permittit suo consilio, & nostro merito, vt Dæmones tyrannidem exerceant in pręcipuos ordines & status Mundi: non tamen indulget aut conniuet eis ad omnia, nec infinitam, nullísue determinatam aut astrictam limitibus licentiam concedit: sed metas constituit, quousq; toleraturus sit hanc tyrannidem. Interea custodit, fouet, protegit, & sustentat Imperia, ne concussa & labefactata motibus Diabolicis corruant. Et omni momento, in statione sunt & excubiis, contra tam diros hostes, sancti Angeli, tuentur Imperia, & vbi ad ruinam inclinare videntur, salutaribus consiliis velut fulciunt, exitiosa consilia interuertunt & pessundant, tumultuantes Dæmones reprimunt & compescunt. Confundit Deus consilium Achitophelis ad perdendum Dauidem instructum. Angelus Domini interficit centum octoginta quinq; millia Assyriorum, pugnantium contra Ezechiam Duce Sennacherib. Iosua cùm obsidione cincturus Hierichunta, loci situm, conditionemque exploraret, manè virum stricto gladio armatum penes

Deus metas ponit Diabolis, ne infinitam exerceat tyrannidem inter homines

Angeli tuentur nos à Diabolis.

se con-

ſe conſpicatur, qui interrogatus quis ſit, reſpondit; ſe eſſe Ducem exercitus populi Dei, miſſum, vt multitudini Iſraeliticæ opituletur. Danieli narrat pius Angelus, ſe dimicaſſe cum principe Perſarum moliente diſſipationem Regni Perſici, & affuiſſe ſibi in eo conflictu Ducem Michaëlem, quem vocat Ducem populi Dei. Intelligit autem abſq; omni dubio Filium Dei: Daniel enim nominat eum ibidem FILIVM Dei. Permittit Deus Diabolo, vt Regem Babylonicum in furorem actum, & ab hominum conſuetudine in ſolitudinem raptum dutiſſimè affligat, atq; exagitet totum ſeptennium, ne animam ſauciet, prohibet: interea nec abiicit totum, nec pœnis oppreſſum deſerit, ſed ſeptennio exacto, liberatum à furore in Regnum reſtituit. Sic permittit Diabolo, vt ſæuiat in fortunas & corpus Hiob, ſed vt animæ parcat, mandat. Etiam impia Regna, id eſt, carentia luce Euangelij, & veri Dei cognitione ſeruat & cuſtodit Deus, & ſæpe ex talibus ſibi colligit & congregat æternam Eccleſiam, vt ex Regno Babylonico, Perſico, Romano, temporibus Neronis, illius portenti generis humani inquinatiſſimi. Vult enim politiis & imperiis homines etiam non renatos deuinctos in ſocietate viuere, & legibus ac diſciplina regi, frenari, ac coherceri: non vult eos ſine ordine & legibus vagari, aut ſine vinculis, & pœnarum metu eò ferri ac ruere, quò cæci furores & Diabolus impellunt.

Etſi ergo Dæmones de iis, quæ intendunt ipſi, tentant aut gubernant, poſſunt oracula interrogati reddere: tamen quia Deus mirabiliter, arcano & ignoto nobis conſilio, aliàs moderatur, inhibet, ac reſtringit conatus & conſilia eorum, certis limitibus præfixis, aliàs laxat habenas velut conniuens, non ſemper, quem euentum ſortitura ſint, proſpiciunt. Idcirco reſponſa, quæ reddunt, vel ænigmatibus implicant, vel ancipitibus amphibologiis diſcerpunt & obſcurant. Exempla præbent oracula reddita;

Oraculorum ambiguorum exempla.

Crœſo: Κροῖσος ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει.
Crœſus Halyn penetrans, magnam peruertet opum vim.
Annibali: λίβυσσα κρύψει βῶλος ἀννίβα δέμας.
Libyſſa corpus, Annibal, teget tuum.
Alexandro Moloſſo: πανδοσία τρικόλωνε πολύν ποτε λαὸν (ὀλέσσεις,
Pandoſia, ingentem es populum extinctura, triuertex.

Et verè Ironica ambiguitas huius oraculi versibus inest:

Μὴ πρότερον λήξει νεῖκος μερόπων καὶ ἰώνων,
Πρὶν τρίποδα χρύσειον ὃν ἥφαιστος βάλε πόντῳ,
Ἐκ πόλιος πέμψητε, καὶ ἐς δόμον ἀνδρὸς ἵκηται,
Ὃς δεδάηκε τάτ' ὄντα, τάτ' ἐσσόμενα, πρότ' ἐόντα.
Non prius hæc Meropum lis, & desistet, Ionum,
Quàm tripodem, quem Neptunus proiecit in æquor,
Aureum, ab vrbe, viri mittatis in illius ædes,
Qui nouit quæ sunt, venturaq́ꝫ, quæq́ꝫ fuerunt.

Tunc consensum futurum inquit in genere humano, & desituras rixas atq; contentiones, cùm conuenerimus in templo Dei, in Ecclesia cœlesti. Hoc cùm significet, ita implicat tamen, vt in se torquere videatur. Interdum cùm norunt secuturos euentus: tamen quia mendaciis, & irrisione ac deceptione nostri delectantur, vel dubiis vocibus, aut picturis ancipitibus vexant homines, vel ironiis & *σαρκασμοῖς, iocis amarulentis*, calamitates venturas exprobrant. Exempla *χρησμῶν ἀμφιδεξίων καὶ ἐπικοίνων, oraculorum ambiguorum & perplexorum*, innumera suppeditant historiæ.

Non pauca coniecturis aut suspicionibus colligunt: ex periodis fatalibus, quibus Imperia diuinitus comprehensa esse ac definita, inde vsq; à primis temporibus longa obseruatione didicerunt. Testâtur historiæ omnium temporum, si à prima antiquitate repetantur: regna & Respub. potentiores quingentis annis plerunq; floruisse: multa circa medium huius periodi vix ducentis quinquaginta annis completis defecisse, aut certè vltimum terminum non attigisse: nulla aut pauca eodem statu rerum hunc superasse: sed in ipso penè quingentesimi anni articulo, aut aliquanto antè, mutationes incidisse, quibus vel euersa Regna ac deleta funditus, vel oppressa, vel translata aliò, desierunt, vel in nouam sunt commutata formam. Tribus quingentesimis periodis exactis à mundi exordio, & supra has annis triginta sex, adiicit Deus annos adhuc centum viginti, spacium scilicet ad resipiscendum satis longum.

Fatalis periodus Regnorũ & Rerumpublicarum anni quingenti.

Anni quadringenti sunt triginta quinq; peregrinationis Abrahæ, seu à tempore vocati Abram ex Haran vsque ad egressum ex Ægypto, & datam legem anni quadringenti, viginti quinq; à nato Abram vsq; ad natum Mosen.

Anno

Anno ab exitu populi Israëlitici ex Ægypto quadringentesimo octogesimo, cœptum est extrui primum Templum à Salomone, & tanto ferè spacio temporis rexerunt populum Duces & Iudices. Idem Templum anno quadringentesimo vicesimo secundo pòst, Nabuchodonosor rex Babylonis direptum ac dirutum solo æquauit, totumque regnum Iudaicum, abducto in captiuitatem rege Zedechia, sustulit ac finiuit, quod floruerat annos quingentos & quinque, à Saule ad vltimum Zedechiam vsq;. Secundum Templum, quod dimissi ex Babylone Iudæi, postquam septuaginta annorum captiuitatem sustinuissent, Cyri iussu concessuq;, secundo à reditu anno inchoarunt, sed impediti vicesimo primo demum anno absoluerunt, annos quingentos integros stetit. Etenim quingentesimo primo anno à prima instauratione, Herodes gratificaturus Iudæis, totum renouauit & magnificè exornauit, annis ante natum Christum quindecim: id tandem Vespasianus capta vrbe incensum deleuit funditus. A soluta captiuitate Babylonica ad liberationem generis humani, à morte, peccato, & Diaboli potestate, id est, ad Christum de deleto peccato, morte abolita, fracta potentia Diaboli, redemto ac restituto genere humano triumphantem, numerantur in prophetiis Danielis hebdomades septuaginta, id est, anni quadringenti nonaginta, cuius prædictionis veritatem Christus aduentu suo compleuit. Totidem anni penè intercesserunt Regno Saulis & Samuelis, & principatui Moysis, quo Duce exiit ex Ægypto populus Israel, excusso iugo duræ seruitutis. Successio & gubernatio Regum in populo Iudaico compleuit annos quingentos à Saule vsq; ad captiuitatem Babylonicam. Eundem terminum attigit restituta post captiuitatem politia gentis Iudaicæ, ab Esdra vsque ad Vespasianum, qui totam destruxit, vt fuerat prædictum multò antè, reliquiis Iudæorum dissipatis ac dispersis in totum orbem terrarum. Nec à Vespasiani temporibus instaurata est amplius. Nam aliquantò pòst Hadrianus recolligẽtes sese Iudæos, & receptis viribus, atq; inchoata instauratione politiæ sese confirmantes, magnis & difficilibus bellis vix tandẽ repressit atq; extinxit, cæsis amplius quinquagies cẽtenis millib. Iudæorũ & vrbibus munitis quingentis, oppi-

Exempla fatalium mutationum in Imperiis.

oppidis insignibus nongentis octoginta quinq; dirutis & solo æquatis. Cumq; Iuliani Cæsaris permissu denuò tandem confluxissent in solo patrio, & exædificaturi muros vrbis Hierosolymæ, fundamentorum causa terram subruerent, ignis ex dehiscente terra sponte exiliens operarios absumsit: quo factum, vt desistere à structura cogerentur.

Annos quingentos viginti Assyrii tenuerunt Asiam. Postea Medi eam occuparũt, illis excussis, teste Herodoto. Annos quadringentos nonaginta Regnum Athenarum durauit à Cecrope vsq; ad Codrum, cui abrogatam & ademtam Monarchiam Atheniẽses mutarunt in δημοκρατίαν, *imperium populare*. Fuit autem Codrus non ex posteritate Cecropis, sed Periclymeni in Messeniaca: huius trinepotẽ Melanthum Codri patrem, eiectum ex Messeniaca ab Heraclidis, vnà cum Nelidis nepotibus Nestoris, & profugum receperunt Athenienses. Melanthus, cæso Oxyntha, postremo de posteris Cecropis, regnũ rapuit. quod filius Codrus rursus amisit.

Totidem annos floruit Lacedæmonum Respub. sub regibus Heraclidis, à Lycurgo, qui eam Reipub. formam primus constituit, latis & sancitis legibus, vsq; ad Alexandri Magni ætatem, sub quo concidit. Fuerunt autem Heraclidæ vtriq; & Macedonici, & Spartani reges. Macedonici, à Temeno, Spartani ab Aristodemo, filiis Aristomachi, qui quintus ab Hercule numeratur.

Annis quingentis ab expulsis regibus vsq; ad Monarchiam Augusti, rexerunt Rempub. Romanam Consules, forma gubernationis mixta ex Aristocratica & Democratica.

Imperii Occidentis dilaceratio.

Anno quingentesimo post deuictum ab Augusto Antonium ad Actium, & constitutam Monarchiam, cæso Romę Valentiniano, vltimo Occidentis Imperatore, qui filius fuit Constantii & Placidiæ sororis Honorii & Arcadii, Imperium Occidentis dilaceratum concidit, & esse desiit: Vandalis, Alanis, & Sueuis primò Galliam, deinde Hispaniam, tandem & Aphricam, & in ipsa Italia vrbem Romam, Genserico Duce, inuadentibus, occupantibus, ac deripientibus: Scotis & Anglis Britanniam: Burgundionibus & Francis Galliæ partem: Gottis partim Italiam, partim Galliam Narbonensem, Aquitaniam, & veterum Cantabrorum sedes, ac Celtiberorum in Hispania: Longobardis Galliam Cisalpi-

ſalpinam adorientibus & obſidentibus. Nec poſt hunc Valentinianum certa aliqua & firma fuit Græcorum Imperatorum in Occidente potentia. Ideò paulò pòſt, relicta vrbe Roma, conſtituerunt Exarchatum Rauennæ, quem etiam citò deſtruxerunt & euerterunt Longobardi. Gotti tandem, & ex Italia eiecti à Longobardis, & in Gallijs oppreſſi à Francis, conſederunt partim in Hiſpanijs, vbi adhuc ſeu Gottalaniæ, ſeu Cattalauniæ nomen reliquum, ſiue à Gottis & Alanis, ſiue à Cattis & Alanis, qui ſe coniunxerunt in ea parte, quæ fuit Caſtellanorum veterum, & hodie eſt Cardonæ ducatus: partim in Aquitania, vbi remanſit Languedociæ nomen. A Vandalis Vandaluſiæ & Andaluſiæ nomen reliquum, in ea parte Beticæ ſeu Regni Granatæ verſus Luſitaniam, quæ fuit Turdetanorum veterum ſedes. In Belgica Gallia, Flandriæ appellatio inhæſit tractui Morinorum. Annis ferè quingentis elapſis ab eo tempore, quo Conſtantinus Imperij ſedem Conſtantinopolim tranſtulit ex Italia, Carolus Magnus, victis & domitis Longobardis, qui Gottos antè debellatos pepulerant, Imperium Occidentis in libertatem aſſeruit & inſtaurauit.

Initium Collegij Electorum in Germania.

Eodem ferè tempore ante annos paulò amplius quingentos, & Electorum Collegium in Germania conſtitutum eſt ab Ottone tertio, & regna eſſe cœperunt atq; effloruerunt Vngaria & Polonia: Galliæ regnum verò inuaſit Hugo Capetus, cuius poſſeſſionem poſteri huius retinuerunt huc vſq;. Ex his regnis Vngaricum penè perijt: nutant reliqua, quæ vt Deus clementer protegat ac ſeruet, & in illis Eccleſiæ ſuæ hoſpitia largiatur, toto pectore oro.

Regna aliqua dimidiam tantum periodum annorum 500 attingunt.

Sed regna non pauca dimidium tantùm huius periodi quingentorum annorum exegiſſe, de annotationibus hiſtoriarum cognoſcuntur. Medorum potentia annorum fuit ducentorum ſexaginta. Monarchia Perſica, quæ à Cyro vſq; ad Darium vltimum opibus & potentia floruit, anno ducenteſimo triceſimo, armis Alexandri Magni diſſoluta corruit. Ducentos quinquaginta annos, vel circiter, durauit Græcorum Monarchia, inchoata ab Alexandro, & in ſucceſſores deriuata, complexaque initio penè maximam partem orbis terrarum, & tandem poſt dimicationes longas

ad distinctos Macedoniæ, Syriæ, Ponti, & Ægypti Reges deuoluta. Hanc Romana potentia, ordine sublatis Regulis, & regnis in prouinciæ formam redactis, post exactum dimidium totius periodi tempus demolita est. Romani suis etiam regibus, ante constitutum consulatum, abrogarunt regnum quinquennio ante dimidiæ periodi finem, id est, anno ab vrbe condita ducentesimo quadragesimo quinto.

Francici Regni periodus.

Totidem annorum fuit potentia primorum Regum Franciæ à Clodoueo Christiano, qui, interfecto Syagrio, quem Suessiones expulerant, & reliquis Romanorum præfectis summotis & abactis, Galliam à Romano Imperio prorsus auulsam sibi subiecit, vsque ad Pipinum Caroli Magni patrem, cuius posteritas & Imperium, & præcipuè Galliæ regnum, gubernauit vsque ad Hugonem Capetum, annos ducentos triginta septem.

Periodus 700 annorum insignes mutationes affert.

Periodos etiam septingentorum annorum attulisse mutationes Regnis & Rebuspub. insignes, historiarum series docet. Respub. Carthaginensis annos steterat septingentos, quando à Scipione Æmyliano deleta est. Ciuile bellum Pompeij & Cæsaris, quod Romanam Rempub. euertit, incidit in annum ab vrbe condita septingentesimum quintum: & concurrerunt duæ tunc periodi simul, quingentesima vna ab initio Consulũ, septingentesima altera ab exordijs vrbis Romæ. Annis post destructam Carthaginem ferè septingentis, id est, sexcentis octoginta octo, Totilas Gottus vrbem Romam, abductis inde veteribus familijs, deuastauit ac diruit, quod Scipio, contemplatus incendium Carthaginis, præsagijt & futurum prædixit, cum lachrymis recitatis his versibus:

Ἔσσεται ἦμαρ, ὅταν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή,
Καὶ Πρίαμος, καὶ λαὸς ἐϋμμελίω Πριάμοιο.

Iamq; dies aderit, quo concidat Ilion ingens,
Et Priamus, Priamiq; cadat plebs armipotentis.

Septingentis annis elapsis à Miramolino Maurorum Principe, Hispaniæ omnis domitore, Ferdinandus auus maternus Caroli V Imperatoris, deuictis & domitis Mauris & potentia regulis erepta, vniuersas Hispanias recuperauit.

Exactus

Exactus est nunc quoque ab instaurato per Carolum Magnum Imperio Occidentis annus septingentesimus, & à Collegio Electorum sapientia Ottonis tertij constituto quingentesimus: ob quem periodorum concursum, & quòd inclinatæ videntur esse res orbis Christiani ad præcipitem ruinam, impendere mutationes maximas non est obscurum, quas Deus sua misericordia & bonitate, vt leniat & mitiget, ardentibus votis precemur.

Nec verò tantùm, ceu præscriptis ac definitis periodis, vertuntur & consistunt Respublicæ Imperiorum ac Regnorum: sed in rebus priuatis & publicis gubernationibus Illustrium familiarum, si casuum, qui accidunt, momenta expendantur, variationes periodicæ & quasi πεπηγμέναι reperientur. Saxonicæ familiæ septenos singulos annos fatales fuisse, vel ex propinquo repetitæ, & adhuc in recenti memoria positæ, mutationes ostendunt. Sub finem anni 1517 mota est primò causa Lutherana. Septimus ab hoc, id est, vicesimus quintus Fridericum Electorem cognomento sapientem abripuit. Tricesimus secundus Iohannem Electorem. Tricesimus nonus Ducem Saxoniæ Georgium. Annus quadragesimus sextus cum proximo sequente, triste & calamitosum bellum commouit. Septimus ab his sustulit cognatos Principes ex eadem gente, primò Ernestum Ducem Saxoniæ, mox Electorem Mauricium, & tandem Electorem Ioannem Fridericum. Septimus ab hoc iterum aliquot impuberibus Principibus finem vitæ attulit. Septimus & sexagesimus deleuit arcem Gottanam, capto Principe. Quartus & septuagesimus turbauit Ecclesias & Scholas initijs mutatæ religionis. Octogesimus primus formulam Concordiæ edidit. Octauus & octogesimus eandem afflixit cum impulsu ad certam ruinam.

Saxonicæ familiæ fatum.

Tiberio imperante Romæ oraculum celebratum fertur hominum sermonibus:

> Τρὶς δὲ τριηκοσίων περιτελλομένων ἐνιαυτῶν,
> ῥωμαίους ἔμφυλος ὀλεῖ στάσις.

> *Tercentum post ter reuolutos cursibus annos,*
> *Romanos perdet ciuica seditio.*

Id quanquam alij aliò detorquent, congruere tamen

mihi videtur proximè ad bella ciuilia Seueri, Pescennini nigri, & Albini, ac sequentium, quibus quod reliquum fuit de potentia Imperij Romani ad eum modum accisum est, attritumque vt & despectui esse cœperint vicinis gentibus arma Romana, mutuis hebetata atq; attenuata cædibus, & fortuna mutata succubuerint crebrius, quàm vicerint. Mox enim vicinæ gentes, Gotticæ quidem, Vandalicæ, Alemannicæ, Occidentis: Persicæ, & Arabicæ Orientis prouincias carpere cœperunt & subiugare, exclusis Romanorum præsidijs aut cæsis. Inciderunt hi conflictus, & exterarum gentium contra Romanos commotiones, in tempus anni ab vrbe condita millesimi, quod duas periodos quingentesimas complexa, totum penè terrarum orbem concitauit.

Imperia diuinitus constituuntur & mutantur.

Talia multa in historiarum annotatis sese offerunt mutationum momenta, quasi in certos temporum articulos distributa, quæ cùm sint euidentia prouidentiæ diuinæ ac sapientiæ argumenta ac testimonia, cogunt statuere mentes & assentiri, quòd neq; confluant & nascantur Imperia, aut consistant & vigeant, cumq; intereunt collisa inter sese, ruant casu: neq; humanis tantùm, vel condantur, vel regantur ac sustineantur consilijs: neq; viribus humanis tantùm dissiciantur: Sed quòd colligantur ac conseruentur diuinitus, & eneruentur rursus, ac velut manu tradantur in alienam potestatem diuinitus, citius aliàs, aliàs serius, & plerunq; ad peractarum periodorum circumactus, prout ingrauescentia in Imperijs, Tyrannidis, *ἀσελγείας, lasciuiæ,* & aliorum flagitiorum ex impunitate scelera, auctæq; *εἰδωλομανίαι, idolorum cultus insani,* repressionem, emendationem, & vindictam flagitant citius & vrgent. Hæc verò intelligunt melius & certius multò ac longè antè, quàm eueniant, & prospiciunt Dæmones antè, quàm quisquam hominum ex sese sine Spiritus sancti monitu.

Familiarum mutationes celeres.

Ita arguta solertia, duce experientia, successiones in Principum familijs, & priuatorum, certa circumscriptas esse periodo deprehensum est, qua decursa & exacta desinant. Parentum enim dignitates, potentia, opes, & quicquid est huiusmodi, ferè cum liberis intercidunt atq; emoriuntur, aut ab his deuoluuntur & commigrant ad alios. Dauidis potentia cum Salomone filio floret, eo sublato diuellitur,

Parentum fortuna ple-

& fran-

& frangitur. Cyri potentia post Cambysen transfertur aliò. Philippi Macedonis, quem Macedonici regni vindicem, instauratorem, atque amplificatorem fore, Sibyllina oracula multò antè quàm nasceretur monuerant:

runq; cum filijs desinit.

ὑμῖν κοιρανέων ἀγαθὸν καὶ πῆμα Φίλιππος.

Commoda nunc pariet regnans, nunc damna Philippus.

Huius (inquam) inchoata felicitas cum Alexandro filio completur & desinit. Vespasiani potentia cum Tito: Marci Antonini cum Commodo: Valeriani cum Galieno: Cypseli Corinthij cum Perintho: Attali Pergamensis cum nepote Attalo iuniore ex Eumene filio, finitur & cessat.

Quod si hos transit limites & propagatur, vltra abnepotes & trinepotes rarissimè extenditur. Frequentissimè autem in ipso articulo successionis abnepotum vel trinepotum, conuersiones incidunt, quibus exuuntur accepta à parentibus felicitate, vel excutiuntur vestigijs, in quæ constiterunt, aut citra hunc terminum deficiunt & concidunt.

Crœsus abnepos Gygis, qui Candaule opera coniugis interfecto, regnum Lydiæ per fraudem obtinuerat, deiectus & spoliatus Regno capitur. Post Ludouicum quartum Imperatorem, Arnolphi filium, trinepotem Caroli Magni, Imperium quod virtute sua pepererat & stabilierat Carolus, de illa familia excidit, & ad Saxones transiit. Horum gubernatio rursus cum Henrico Claudo, Henrici Aucupis primi ex hac familia Imperatoris adnepote ex Henrico filio, quem Ottoni tertio, eiusdem Aucupis adnepoti ex Ottone Magno, consentientibus suffragijs electum surrogarant Imperij principes; Cum eo (inquam) gubernatio finita rediit ad Cunradum Francum cognomento Saliquum, filium Hermanni Ducis Francorum. Huius posteri, quanquam perfidia Pontificum Romanorum commissi, & inter sese, & cum alijs principibus, afflixerunt & sese, & vires Imperij bellis ciuilibus grauiter: tamen possessionem Imperij retinuerunt, & Maiestatem huius fortiter defenderunt vsq; ad Henricum quintum abnepotem Cunradi: quo sine liberis extincto prosapia Francica intercidit, Sueuica ad fastigium Imperij euecta creuit. Ex hac gente Cunradus III filius Friderici Ducis Sueuiæ in Hohenstauffen, primus Imperi-

um adeptus, id in fratris filium, & ex hoc natos, vsq; ad Cunradum quartum, qui ab origine quintus fuit, propagauit. Sueuis de fastigio deiectis, aliquanto pòst rerum potita inclaruit familia Lucelburgensis, cuius à Lothario Ludouici pij filio stirps descendit, & in Sigismundo Imperatore, qui ab Henrico septimo quartus fuit, defecit. Austriaca stirps nunc rerum potitur annos amplius centum quinquaginta, inde vsq; ab Alberto Austriaco Sigismundi genero, cui Fridericus tertius successit, à quo & stirpis serie, & ordine successionis quintus est Rudolphus, qui modo imperat.

Heraclio Imperatori, qui post interfectum Phocam ad imperium peruenit, filius Heraclius successit. Heraclium iuniorem Constans filius: hunc rursus Constantinus cognomento ὁ πωγώνατος, *Barbatus*: Constantinum Iustinianus cognomento ὁ ῥινότμητος, *naso desecto*: Iustinianum filius Tiberius, à primo Heraclio sextus, excepit: quo & patre interfectis, paulò pòst administratio & dignitas Imperij deuoluta est ad Leonem Isaurum, ex alia natum stirpe. Hunc rursus Constantinus ὁ κοπρώνυμος, *stercorosus*: Constantinum Leo: Leonem Constantinus excepit, quo cum Carolus Magnus de Imperio Occidentis transegit. Sic à Constantio propagata in Imperio posteritas, (fuit is autem Flauij Valerij Claudij gener, & cognominatus est à pallore χλωρὸς *pallidus*) huius ergo posteritas in Constantium ex Constantino Magno, & Iulianum ex Constantio altero filio nepotes desiit. Theodosij imperium, Theodosius iunior ex Arcadio filio nepos, clausit.

Familiarum status rarißimè vltra trinepotes idem manet.

Deniq; intra hos terminos, quos parentes & trinepotes definiunt, tota ferè vertitur & consumitur parentum felicitas: intra hos terminos oboriuntur mutationes plerunq; quæ felicitatem à parentibus deriuatam, vel euertunt omnem atq; auferunt, vel attenuatam ac languefactam inclinant. Et vix vlli reperiuntur, qui in ijsdem permanserint vestigijs diutius: immò rarissimè parentum felicitas quintum blandè complectitur ac fouet ἀπόγονον, *nepotem*: Idque propter peccata nostra, & propter superbiam, καὶ ὕβριν *petulantiam*, quæ comitari res secundas consueta, rapit homines extra conuenientis moderationis metas, & attrahit, immò accelerat vltionis diuinæ pœnas.

Causa mutatæ fortunæ in familijs est ὕβρις & su-

perbia, quæ res secundas comitatur.

Durauit Dauidis posteritas vsque ad Christum: sed mox post Salomonem amisit maximam potentiæ partem, decem tribubus auulsis à regno Iudaico: Et cùm abducere tur populus in captiuitatem Babylonicam, tota regni fastigio excidit. Nota est iudicij diuini declaratio: Ego Deus visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, & benefaciens diligentibus me in multa millia. Ex talibus & oraculis voce diuina editis, & vsu obseruatis periodis, multa diuinant Dæmones. Inde depromtum oraculum Crœso redditum περὶ τοῦ πέμπτου ἀπογόνου, *de abnepote seu quinta progenie*, & illud de liberorum successione sæpe repetitum oraculum, quod & Cypselo Corinthiorum, & Attalo Pergamensium Regi renunciatum legimus ex adytis specus Delphicæ, αὐτὸς καὶ παῖδες καὶ παίδων οὐκ ἔτι παῖδες. *Ipse, & cognati, nulli sed deinde nepotes.*

Sed desino exempla recitare, quibus historiæ refertæ sunt.

Diaboli coniectiones futurorum euentuum ex præsenti statu faciunt.

De his ipsis autem publicis Imperiorum rebus, deque secuturis, & ad ea, quæ instituuntur ac fiunt responsuris euentibus, quantum consequuntur ac penè certo perdiscunt, χρώμενοι οὐ μαντείᾳ, ἀλλὰ πράγμασιν, *vtentes non diuinatione, sed rebus*, vt est apud Euripidem, cùm in ipsas intuentur formas & administrationes Imperiorum: cùm quæ deliberantur, quæ mouentur, suscipiuntur ac geruntur, quibusque consilijs ac conatibus, qua virtute & industria, qua intentione & vigilantia, vel contrà ignauia, negligentia, & incogitantia, quibus iudicijs ac sententijs, & quo studio, quoque fauore subditorum, quibus principijs: qui mores sint, quæúe studia principum & populi, quæ vtrorumq; inter se mutuò affectio, quæ ratio gubernationis, iustáne, & ad hominum salutem accommodata, an verò tyrannica sit & perniciosa, considerant. Denique cùm scelera principum & subditorum aspiciunt: cùm gubernatorum violenta, iniusta, ac tyrannica consilia, machinationes fraudulentas, vim ac sæuitiam manifestam: cùm libidines, furta, rapinas, expilationes, discordias, odia mutua, ambitiosas contentiones, æmula studia, insidias mutuas: cùm Idolomanias pensitant.

Idololatria, tyrannide, libidinibus Imperia initiò la-

Imperia quomodo stabiliantur & euertantur.

xari paulatim ac labefactari, tandem si illæ ingrauescant causæ, vno impetu velut procella conuulsa disiectaque ruere: contrà pietate, iusticia, sapientia, moderatione, conatu tuendæ publicæ pacis ac tranquillitatis, ceu nexibus firmissimis coagmentatam, ac munitam tutissimis præsidijs, consistere Imperiorum maiestatem ac perdurare, perpetua series historiarum docet. Hæc ipsa, varietate exemplorum & euentuum infinita, ceu pingit imbecillem ac fragilem, & casibus omnibus expositam conditionem omnium ordinum in genere humano, summorum & infimorum, motuumque in animis ac consiliorum, in horas ac momenta sese variantium, instabilitatem, perpetuò à medijs ad extrema nutantem.

Humanæ res nunquam in medio consistunt.

Nunquam diu intra mediocritatis terminos sese res humanæ priuatæ & publicæ continent: nunquam medium diu cursum tenent ac persequuntur: Sed à medio exorbitantes subitò in alterutrum per præceps ruunt extremorum, suæ imbecillitatis impulsæ fato. Imperia à iusticia & moderatione in tyrannidem degenerant, aut luxu & libidinibus diffluentem ignauiam. Religiones à norma pietatis & fidei definita diuinitus, vel in superstitionem prolabuntur mutatæ, vel recidunt in profanitatem. Estque perexigui temporis felicitas, & penè momentanea, quam fulguris instar emicans & euanescens adfert mediocritas: hac quibus frui contingit, his demum vera contingit beatitudo in hoc misero & ærumnarum pleno vitæ curriculo.

Ex talibus argumentis, haud scio an non plus ratiocinentur & conijciant Dæmones, de futuris & fatalibus casibus Imperiorum, quàm vllis alijs. De talibus considerationibus confecta sunt responsa plurima à Dæmonibus: Qualia reddita legimus Atheniensibus de mox secuto bello Peloponnesiaco;

> ἥξει δωριακὸς πόλεμος καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ.
> *Dorica bella vrbes vastabunt, corpora pestis.*

Messenijs de conseruatione posteritatis ipsorum, à quibus condita est Messana Sicula, & Spartanorum vindicta;

> Καὶ τότε δὴ σπάρτης μὲν ἀπ' ἀγλαὸν ἄνθος ὀλεῖται·
> Μεσσήνη δ' αὖθις οἰκήσεται ἤματα πάντα.

Amittet

Amittet florem Imperii tunc Sparta nitentem,
Atque omni rursus Messene habitabitur æuo.

Prædictum ex iisdem est occasionibus, Attalum Pergamensium Regem, Galatas ex Asia in Græciam transituros, domiturum ac repressurum esse. Huius oraculi versus extant in Pausaniæ Phocicis. Tale est etiam, quod Musæus vates de Atheniensibus protulit ex Sibyllinis:

καὶ γὰρ ἀθηναίοισιν ἐπέρχεται ἄγριος ὄμβρος,
ἡγεμόνων κακότητι· παραίφασίη δέ τις ἔσται,
ἧ γ' ἄλις ἡμήσουσι πόλιν, τίσουσι δὲ ποίνην.
Et fera tempestas vrgebit Cecrope natos,
Fraude Ducum; sed certa aderunt solatia victis:
Namque vrbem hostilem euertent pœnasque reposcent.

Ita euenit postea, cum Pericles magis odio Megarensium quàm aliis de causis moueret bellum Peloponnesiacum initiò, & Alcibiades bellum inferret Siciliæ stulta & iuuenili ambitione, & cùm tandem Athenienses incuria suorum ducum vincerentur prælio nauali à Lysandro ad Ægospotamon.

Ceterum præter imperiorum negotia, in effingendis atque imitandis naturæ operibus, miri sunt artifices Dæmones. Etsi enim res nouas non creant, nec species rerum inter se commutant, nec quæ periêre, reuocant aut redintegrant: species tamen rebus creatis similes, & inania *εἴδωλα, simulachra*, mira arte conformant, obiiciuntque, aut sparsim in orbe vagantes creaturas in vnum cogunt locum, vt à se conditas confectasque hominibus persuadeant. Varia *φάσματα, ostenta*, & prodigia Meteoris similia, in aëre effingunt. Figuras confligentium exercituum exprimunt. Clangores tubarum, strepitus armorum, sonitus ferientium se mutuò, & ex ictibus collabentium, voces eiulantium aut exultantium referunt: Formas animantium, hominum, aut rerum aliarum velut pingũt in aere, præsertim ex coactarum nubium confluxu atque aspersi cœlitus luminis permixtione, ac traiectu. Ipsi se etiam sæpissimè, aliàs animantium speciebus assumtis, aliàs indutis hominum, vel viuentium adhuc, vel mortuorum formis, aliàs aliis sibi figuris inusitatis ac portentosis accommodatis, offerunt atque ostendunt, & vel terrent homines solo aspectu, vel peregrinantes ab itinere

Dæmonum varia artificia.

recto seducunt, vel errantes irrident cachinno Satyrico, vel mala paulò pòst secutura denunciant, vel aliis modis vexant, deniq; ludunt mirificè, ascititiis illis speciebus. Cient in aere sæuas tempestates, inusitatos ventorum flatus, ac turbines, terræmotus, pluuias, imbres: eiaculantur ex nubibus ἐκνεφίας, τυφῶνας, πρηστῆρας *procellas, turbines, presteras*, tonitrua, fulmina: incendunt fulgetra & coruscationes, quæ non gignunt ipsi, sed collecta, generataq; à causis naturalibus propellunt, ac prouoluunt eò, quo volunt: Nonnunquã ex diuersis cœli locis in vnum aliquem contrahunt angulum, collisisq; inter se nubibus, fragores edunt terribiles, vt homines perculsos & velut exanimatos metu, aut fulminum, aut conflagrationis ex igne cœlesti, excrucient. Nunquam enim sine halitibus aer est seu calidis & siccis, quos ἀναθυμιάσεις, *exhalationes*, vocant, seu calidis & humidis, quibus τῶν ἀτμίδων, *vaporum*, nomen tribuerunt, etiam cùm purissimus apparet: nunquam totus nubibus caret, etsi alicubi clarum conspicitur cœlum.

Nec difficile est potentissimis spiritibus breui momento, quicquid nubium & halituum in toto continetur aere, ceu impetu quodam, in vnum concitare locum, elisisq; fulminibus & fulgetris accensis tantùm turbare, vt velut crepantis, ac dissilientis Mundi fragore, terra personet, aut tota machina ardere ignibus videatur. Præcipua est enim Dæmonũ in aere potentia, in quo circumuolitant & versantur. Hoc eis dominium tribuit Paulus, cùm Diabolum τὸ ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, *principem penes quem est potestas aeris*, vocat: & quantum valeat in hoc genere, historiæ omnium temporum declarãt. Pluit igne cœlitus, quo oues Iob consumit, procellas impetuosissimas commouet, quibus cõuulsam ab imis sedibus domũ diffringit ac disiicit & liberos opprimit.

Diabolorum præcipua potentia in aere. Ephes. 2, 2.

Cùm Brenno duce, Galli Asiam peruagati, ad templum Delphicum diripiendum accederent & incolarum alii hosti um metu diffugerent, deserta statione: alii propugnaturi sedes suas, & prohibituri direptionem templi, quærerent ex Pythia, quid facto opus esset in tãta trepidatione, tamq; subita hostium irruptione; respondit oraculum, se defensurum templum suum, ἐμοὶ μελήσει ταῦτα καὶ λευκαῖς κόραις: *mihi & puellis candidis hæc cura erunt.* Itaque dum accedunt Galli,

Gallorum clades ad templum Delphicum.

Galli, mox terra continuis quassata motibus, ea parte maximè, qua Gallorum exercitus castra habebat, contremiscit adeò, vt & dehisceret alibi, ac subsideret in profundas voragines, plurimos absorbens: alibi in editos egereretur tumulos: tonitrua percrepant frequentissima, fulgetra coruscant continua, maxima multitudo de cœlo tacta, aut flammis vstulata perit: Noctu sæuissima hyems ingruit, nix densa castra operit, lapides ex disiectis ædificiis violentia turbinum in sublime euecti, rursusq; præcipitati deorsum, improuidos conterunt, ingentia fragmina à Parnasso abscissa, deuolutaq; rapidissimo cursu, non singulos binosue, sed plures, pro vt multi in vicinia simul excubabant, obruunt. Potest talia efficere Diabolus, & efficit, vt noceat hominibus quocunque modo. Notum est, veneficas incantationibus tempestates pluuias ciere posse. Quanta Magi Ægyptii præstant in Exodo?

Sic & aerem Dæmones venenatis halitibus implent, aut veneno fontes inficiunt, aut pestilentibus & noxiis succis pascua imbuunt, vt vel homines haurientes aërem, simul virus in amplissimos cœli tractus sparsum, absorbeant, vel cum aquis fontium combibant, vel pecora id ex gustu plantarum concipiant, atq; in homines propagent.

Diabolorum potentia quibusdam metis inclusa.

Sed cùm natura tota, hominis causa fabrefacta sit, ne petulanter ludentes Dæmones suo arbitrio res creatas vel deforment, vel corrumpant, & impediant vtrunq; cùm considerationem operum diuinorum, tum verum legitimum, & necessarium vsum, non concedit eis Deus ius infinitum in naturam rerum, nec infinitam licentiam vel deprauandi, vel mutilandi ea, quæ ad necessarios vsus comparata sunt, ac destinata, sed certis limitibus inclusos coercet ac continet, nec vltra has metas ferri sinit.

Magorum AEgyptiorum miracula.

Imitantur Magi Ægyptii miracula quædam Moysi: Vertunt baculos in colubros, tingunt flumina sanguine, ranas ex fluminibus euocatas in totam terram dispergunt, hisq; omnia omnium ædium atria & recessus complent: Ciniphes ex terræ puluere producere, muscis solas Ægyptiorum domos infestare, vlceribus fœdare hominum & pecudum corpora, & reliqua efficere, quæ sequuntur, nequeunt; à soloq; Deo ea proficisci, coguntur fateri.

Dæmonum responsa cur ambigua.

Ex his liquet, prædicere etiam Dæmones ea sciscitantibus posse quorum ipsi autores sunt: Et quia ignorant, quousque toleraturus sit Deus, aut permissurus, quæ intendunt ac struunt, responsa ambiguis plerunq; aut obscuris, incertisue oraculis illigant.

Ex stellarum verò positu & προσχηματισμοῖς, ex prodigiis, quæ proponi diuinitus vident, vt admonitos homines de secuturis calamitatibus flectant reuocentque ad pœnitentiam, multa argutissimè de communibus & publicis euentibus diuinant. Norunt exactissimè cœlestium corporum naturas, vires, atque effectiones, & in eum finem condita esse sciunt, vt naturam elementarem, alia alio modo moueant, immutentque, & variè afficiant ac temperent, primis qualitatibus diuersimodè iunctis ac mixtis inter se. Ab his qualitatibus: & miranda vi diuersi luminis hominum temperamenta mirabiliter affici intelligunt & experiuntur, & quid quæuis stellæ, quouis loco aut constitutione, vel designent, vel gignant atque efficiant, perspiciunt integerrimè. Hinc de tempestatibus, aliisque mutationibus, contagionibus in aere, sterilitate, fœcunditate, motibus in Imperiis, bellis, tumultibus, & similibus, non leues coniecturas sumunt.

Dæmonum sagacitas.

De singulorum fatis aliter, & ex aliis signis coniectant.

Fata singulorum hominum quo modo explorent Dæmones.

Norunt, vt dixi, cœli stellarumque vires, & in variandis afficiendisque hominum temperamentis efficaciam. Tenera corpuscula ex aluo materna prodeuntia, & circumfusum aerem, cœli viribus imbutum induentia, atque anhelitu, & micantium arteriarum hiatu sorbentia, simul qualitates à stellis profectas haurire, has rursus, & in totum diffundi corpus, & humoribus permisceri, ac spiritibus, & præcipuorum membrorum constitutioni ceu illiniri aut imprimi, tam validè, vt à parentibus in vtero acceptam κρᾶσιν, *complexionem* insigniter vel mutent, vel afficiant, adeoque totam corporis compagem formari animarique vi cœlesti, vt causa vniuersali, sciunt.

A temperamentis verò δυνάμεις, *facultates*, omnes, seu motiones ac propensiones ad certa morum, studiorum, actionum, affectuum, appetitionum genera, & alia huiusmodi, cieri, immò & casus cuiusque euentusque fingi, longo vsu,

go vſu, vt naturæ artifices periţiſſimi, didicerunt.

His ăſtrorum velut præmonſtrationibus & indiciis addunt contemplationem, & obſeruationem accuratam notarum omnium, in ſingulis partibus exterioribus atq; interioribus, & toto corpore, quæ ferè temperamentis congruunt, & promunt, atque oſtendunt ſeſe vi craſium. Ex vtriſq; coniunctis æſtimant argutiſſimè, quæ cuiuſque ſit natura, ad quæ vitia feratur, aut propendeat, ad quæ ſtudia ducatur, qui redundent humores & vincant, qui ſint affectus dominaturi, quæ ſit vel conſenſio futura, vel diſcrepantia, & *ἀταξία, confuſio*, trium præcipuarum virium *τοῦ ἡγεμονικοῦ, θυμοειδοῦς, ἐπιθυμητικοῦ, partis animi principis, eius in qua irarum ardor exiſtit, eius quæ cupiditate alitur*, quibus regitur & diſpenſatur corpus humanum: quos morbos, vel naturæ imbecillitas paritura, vel quiuis ſponte aliàs aliis occaſionibus ſit attracturus, quæ pericula impendeant vitæ & fortunis, aliaque his ſimilia.

Quanquam enim ſiderum poſitus, craſium; craſes præcipuarum actionum vt ſpontanearum, quæ à libera voluntate proficiſcuntur, cauſæ tantùm ſint particulares: Multa enim ad craſium temperationem, commoderationemque concurrunt, quæ aliàs impediunt, iuuant aliàs atq; intendunt aſtrorum effectiones, & voluntas domina ceterarum virium liberè agens monſtrato obiecto, reniti atq; aduerſari inſitis corpori inclinationibus, membraque, ne his obſequantur, cogere ac cohibere poteſt: tamen vtrorumq; vim eſſe maximam in vtramq; partem comprobat experientia, præſertim ſi accedat, aut accurata aut ſeuera aſſuefactio, quæ exerentia ſeſe, & velut pullulantia virtutum ſemina roboret, aut mollis & delicata, quæ inclinationes ad vitia foueat ac firmet, neruos virtutum (ſi qui ſunt) languefaciat & elidat.

Siderum & craſium in corporibus humanis & ciendis actionibus vis maxima.

Præuiſis phyſicis hominum fatis, non quieſcunt, nec ceſſant, aut ociantur Diaboli, ſed naturas meliores deprauare, atq; ad laſciuiam, luxum, aut alia huiuſmodi flagitia inflectere, retuſis aut extirpatis rectioribus inclinationibus: in diſtortis & prauis, *δυνάμεις καὶ ὁρμὰς, facultates & impetus*, vitioſas alere ac confirmare annituntur.

In illis, quorum naturæ ad libidines procliues ſunt, ob-

Natura ad vitia procliues à Diabolis impelluntur.

iectis occasionibus, flammas amorum immodicas & furiosas incendunt, æstuantes mox impellunt eò, vt se fœdissimè polluant, nullis cogitatis vel pœnis, vel periculis.

Natura ἀκρατεῖς, *intemperantes*, extimulant ad quærenda ea, quibus delicatam ingluuiem expleant, & in iisdem propositis illecebris, commouent inordinatos cibi potusq; appetitus, ac confirmant helluationum & luxuriæ consuetudinem, vt & quotidie onerati, immò velut obstupefacti immoderato potu pastuq;, nullos veræ pietatis sensus experiantur, nulla serie precationis desideria persentiscant & crapulis cõtinuis ante ætatem semetipsos, velut ense traiectos iugulẽt.

Natura φιλονείκους καὶ ἐριστικούς, *contentiosos & rixosos*, contentionibus implicant: πολυπραγμονικοὺς εἰς πέλαγος, (vt ille inquit) ἐμβάλλουσι πραγμάτων, *curiosos in pelagus coniiciunt negotiorum*, quo tandem velut fluctuum vertigine circumacti, deiiciuntur & merguntur.

Amantes sophismatum, & cauillationum, labyrinthis opinionum inexplicabilibus intricant, atq; innectunt, qui vbi expedire sese, atq; euoluere nequeunt, tandem Diabolo perplexitatem augente & vrgente, vel in Dei horribilem contemtum vel in desperationem ruunt.

Quibus Tragicos exitus physica signa minitantur, hos incitant, vt cædibus ipsi occasiones præbeant, vel alia moliantur alio modo exitiosa.

Diaboli occupant naturas distortas.

Præcipuè verò in naturis, vel prorsus distortis, quales multæ reperiuntur, vel quæ indulgent, atq; obsequuntur naturæ ductui, neq; annituntur, vt studio & diligentia, quæ contra naturam deprauata habent à primo ortu, restituant & corrigant, efficacissimè insita vitia augent: tales totos occupant, & vt mancipia agitant.

Eph. 2, 2. Diabolus efficax in impiis.

Deniq; (quod deplorandum est) maximam partem generis humani, quæ sine Deo vagatur auxilioq;, & gubernatione Spiritus sancti destituta, nutu suo impulsuq; fertur, regunt, vt euentus tristissimi declarant. Est enim πνεῦμα τὸ ἐνεργοῦν ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας, *Spiritus qui efficax est in hominibus contumacibus*. Minus nocent piis, eruditis verbo Dei, & Spiritu sancto donatis, qui auxilio Spiritus, & vitant occasiones atque illecebras, & repugnant ac resistunt omni conatu & contentione Diaboli instinctui, etsi ne horum

qui-

quidem quiſquam eſt, qui non quandoq; aculeos ſibi à Diabolo ſæuiſſimos infigi experiatur: ſed hos fide & inuocatione Filii Dei, euulſos animis eiiciunt, aut repellunt, ne adhæreſcant.

Ad hunc modum ex ſyderum poſitu natalitia prædicta texunt, ex ſignis corporum reliquas coniecturas colligunt, de quibus interrogati, reſponſa dant impiæ & curioſæ multitudini. Ex iiſdem ſuas etiam, quas hominibus parant, technas extruunt, & moderantur.

Sæpe morbos ipſi infligunt, & iiſdem aut medentur citra pharmacorum opem, aut remedia commoda ſuppeditant. Quanquam enim deſtructam naturam nunquam inſtaurant, labes tamen inſignes & affectiones, præſertim ſi ſint earum autores, permiſſu Dei ſummouere ac tollere poſſunt. Exactius enim herbarum diſcrimina, vires, in medicando vſum, applicandi rationem & modum norunt, certius abditas penituſque abſtruſas ægritudinum cauſas introſpiciunt, quàm hominum quiſquam.

Diaboli quibus morbis, & quomodo medeantur. Diab.

Si non ex Ethnicorum monumentis, ſed maiorum hiſtoriis, recentiq; patrum noſtrorum memoria exempla repetamus, non paucos ad ſola vota Sanctis falſa religione facta, templiſue idolorum, aut ex contactu contuituue oſſium, quæ de Sanctorum cadaueribus collecta ac reſeruata ferebantur, recuperaſſe amiſſam virium integritatem reperiemus, Diabolo reſtitutione ſanitatis ſtabiliente εἰδωλομανίαν: *inſanum idolorum cultum.* Immò inde nata peruaſerat in animos hominum opinio, auctaq; ætate & roborata inueterauerat, vt plus valere, longéq; validius obortas corpori ægritudines euellere atq; extirpare, ſola vota Sanctis delata ſtatuíſue, quàm remedia exiſtimarentur.

Sanctorum inuocationes, & cultus vnde nati.

Ea inoleuerat conſuetudo, vt ſi quid aduerſi accideret, non diuina deſiderarentur auxilia, ſed in ſubſidium Sancti vocarentur, quos talibus præſidere ac dominari malis perſuaſum erat. Negligebatur Deus, excludebatur Mediator Filius Dei, contemnebatur & pro nihilo habebatur Medicorum opera. Preces, Deo ad præſcriptum cœleſtium mandatorum deferendæ, dirigebantur ad Sanctos aut ſtatuas. Vis medicatrix, indita diuinitus remediis in natura ordinatis, votis tribuebatur. A parturientibus Anna, à febrienti-

bus Anastasius, ab epilepticis Valentinus requirebatur, Dentium dolore vexatis Apollonia in ore erat. Aliqui templis ipsis statuisue, quibus adesse Sanctos opinio falsa obtinuerat, sese despondebant. Tandem voti compotes facti, cùm persoluerent promissa, secutum, vt creuerint in dies singulos magis magisque superstitiones, & locupletata sint templa.

Diaboli multa ex studiis & consiliis hominum ratiocinantur.

Cum his cœlestibus & physicis causis coniungunt Dæmones προγνώσεις, *prænotiones*, ex Ethicis petitas indiciis, solerti ac sagaci coniectura, nimirum ex hominum conditione, institutis, consiliis, studiis, moribus, toto vitæ, actionum publicarum ac priuatarum, ac susceptorum negociorum cursu. Vsitatè dicitur: Sui cuique mores fingunt fortunam: Et quemque suæ sibi fortunæ fabrum esse atq; architectum aiunt.

Quantum est in vita αὐθαιρέτων καὶ ἐπισπάστων κακῶν, *voluntariorum & vltrò accersitorum malorum*, quæ scientes & volentes, aut ambitione, aut φιλονεικίᾳ, *contentionis studio*, aut aliis stultis cupiditatibus nobis attrahimus, vt Cæcias nubes attrahit, & in quæ quasi per præceps ruimus? Quantum est malorum non præuisorum, in quæ cùm aut lapsu & errore iudicii, aut incogitantia, aut inscitia deuoluimur, aut in quę cùm irretiti tricis negociorum hæremus, non consilio & voluntate nostra ducimur, sed impellimur ac coniicimur ipso negotiorum raptu & impetu, quem sustinere aut sistere non est amplius in potestate nostra? Quantum illorum, in quæ præsertim ii, quibus onera publicæ gubernationis incumbunt, his ipsis velut vndarum vortice abripiuntur & demerguntur, quæue commouent iidem, κακὰ κακοῖς ἰᾶσθαι ἐφιέμενοι, *mala malis sanare cupientes*, quod est valde vsitatum? Denique quantum in priuata vita cuiusq;, quantum in publica est, non necessariarum contentionum, suspicionum cæcarum, cupiditatum perniciosarum ac stolidarum? Quãtum infelicis æmulationis, κακοζηλίας, *peruersæ imitationis*, & feruidæ iracundiæ, ac præcipitis impatientiæ? Quantum irritorum & impossibilium conatuum, vt de sceleribus, flagitiis, improbitate, malitia, & petulantia taceam?

Hæc & cernunt Dæmones, & promouent, vt his occasionibus ad tristes ac tragicos casus miseros homines adigant,

aut

aut perplexitate negotiorum & euentuum turbatos atque irretitos ſubuertant. Quantò ergo magis de exitu, & quorſum, quæ aguntur, eruptura ſint atque euaſura, coniectari & conſtituere poſſunt, ac pronunciare, quàm homines ipſi: quia conſiderant penitius, intelligunt exactius, obſeruant intentius momenta rerum, negotiorum, & conſiliorum omnium, & omnes omnium nutus, vultuſque, quàm illi ipſi, in quorum manibus rerum tractatio verſatur, vel qui autores ſunt atque gubernatores conſiliorum.

Sæpe ſapientes, & mediocriter exercitati, atque attenti, ex ipſo rerum ſtatu plura diuinant, præmonentque, quàm ex argumentis alijs, *οὐ μαντείᾳ, ἀλλὰ πράγμασι λέγοντες, non ex diuinatione, ſed ex rebus loquentes*: quantò id magis præſtare poteſt aſtutiſſimum, & ſagaciſſimum Dæmonum genus?

Ex talibus coniecturis ſumta ſunt reſponſa plurima, quale eſt, quod Crœſo redditum eſt:

Σαυτὸν γινώσκων εὐδαίμων κροῖσε περάσεις.

Crœſe, beatus eris, ſi te cognoueris ipſum.

Et Batto *περὶ τῆς εἰς λιβύην ἀποικίας, de colonia deducenda*, inter cetera: **Exempla oraculorum Diabolicorum.**

Οἷα τ' ἀνὴρ ῥέξῃ, τοῖον τέλος αὐτὸν ἱκάνει.

Qualia quis patrat, talis manet exitus ipſum.

Et Pauſaniæ Spartiatæ:

Στεῖχε δίκης ἄσσον, μάλα τοι κακὸν ἀνδράσιν ὕβρις.

Pœna luenda tibi eſt: affert iniuria damnum.

Et Philippo patri Alexandri de morte:

ἔστεπται μὲν ὁ ταῦρος, ἔχει τέλος, ἔστιν ὁ θύσων.

Serta gerit taurus, finem capit, aſtat aruſpex.

Et antea de hoſtibus pecunia expugnandis:

Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα κρατήσεις.

Argenteis pugna telis, atque omnia vinces.

Sic reprehenduntur oraculo Meſſenij, quòd neceſſaria negligentes, non neceſſaria appetant, moliantur, & moueant:

Ἔρδ' ὅππῃ τὸ χρεών, ἄτη δ' ἄλλοισι πρὸ ἄλλων.

Tu fatis pareto, malum hunc iam, nunc manet illum.

Sic Neronem Imperatorum vltimum ex Æneæ poſteris prædictum fuit:

ἔσχατος αἰνεάδων μητροκτόνος ἡγεμονεύσει.

Vltimus Aeneadum regnabit, matre perempta.

His ita constitutis, vtcunque intelligitur, quousque se Dæmonum vis, perspicacia, & potestas, in prædictionibus extendat. Etsi enim maior est calliditas eorum, quàm vllus hominum cogitationibus assequi suis, & metiri possit, maior in struendis insidijs, & obseruandis nocendi occasionibus vigilantia, quàm prouidere quisquam, aut cauere possit: tamen certò scimus nec omnipotentes esse, nec infinitam eis licentiam statuendi quiduis suo arbitrio in imbecilles permitti: sed velut freno vinctos à Deo omnipotente coherceri, ne vltra determinatas metas prouehantur, aut ferantur extra metas. Et Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum scimus constitutum esse custodem & defensorem generis humani: Eum ardentibus votis petamus, vt adsit nobis, propugnet & protegat nos, & illustret ac regat corda nostra luce Euangelij sui, vt illis, quas Euangelium monstrat, semitis insistamus & inhæreamus, furiosas verò Diaboli præstigias, & lubrica triuia declinemus atque euitemus.

Diaboli etiam cùm veras sententias oraculis suis miscent, mentiuntur, & insidias struunt.

Sciunt Dæmones, & in quotidianis certaminibus cum sanctis Angelis experiuntur, consilia, conatusque ipsorum multis modis impediri, configiq;, & retroagi diuinitus. Ideò cùm de euentibus ambigunt, ancipiti responso veritatem tegunt, vt suprà indicaui. Sed cùm sint ψεῦσται ἀπ' ἀρχῆς *mendaces ab initio*, & delectentur mendacijs καὶ ὑποκρίσεσι, *simulationibus*: etiam tunc cùm μετασχηματίζονται εἰς ἀγγέλους φωτὸς, *transformantur in angelos lucis*, & veras, gnomicas, piasq; sententias oraculis miscent, mentiuntur maximè. Aliud enim intendunt & struunt, quàm responsa præ se ferunt, & totriora mala plerunq; boni specie serunt & inducunt.

Sic ironico promisso primos parentes decepto, inuitat & permouet Diabolus, vt gustent fructus vetitos: Nequaquam morte moriemini, si comederitis ex arbore hac, sed similes eritis Diis, & poteritis discernere inter bonum & malum.

Quandoq; recitat & approbat moralia præcepta, vt in hominibus superstitione imbutis, & in falsam opinionem magnæ religionis adductis, conceptos furores amplificet,

&altius

& altius infigat, dum consentanea religioni & bonis moribus requirere, contraria improbare, vlcisci, & punire se ostendit.

Pausaniæ Lacedæmonum Duci, post interfectam, quam ciui Byzantio patri eripuerat, virginem, aliquot continuis noctibus εἴδωλον, *simulacrum* assistere visum est, quod inculcauit ei hunc versum sine intermissione repetitum:

Στεῖχε δίκης ἆσσον, μάλα τοι κακὸν ἀνδράσιν ὕβρις.

Pœna luenda tibi est, adfert iniuria cladem.

Pisistrato Atheniensium tyranno ante interitum dormienti, vir quidam tetra & grandi specie, inter cetera hunc versum velut insusurrauit in aurem:

Οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδικῶν τίσιν οὐκ ἀποτίσει.

Nemo iniustorum non soluet crimine pœnas.

Glauco Spartiatæ negaturo Milesio cuidam depositum iureiurando, oraculum Delphicum respondit:

Ἀνδρὸς δ᾽ εὐόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων.

Qui bene iurârit, soboles felicior huius.

Grauis, pia, & vera est παραίνεσις de supplicibus à Dodonæo oraculo Atheniensibus reddita:

Μὴθ᾽ ἱκέτας ἀδικεῖν, ἱκέται ἱεροί τε, καὶ ἁγνοί.

Parcere supplicibus, diuûm quos iura tuentur.

Sed eò spectabat, vt augeret autoritatem templorum, quæ Idolis dedicata erant, & impios cultus ac religionem sacrorum stabiliret. Confugiebant enim supplices ad aras, hisque manu prehensis se ad pedes eorum, quibus fiebant supplices, proiiciebant.

Vt igitur confirmaret in superstitiosis hominibus conceptam de præsentia numinum certorum ad aras illas persuasionem, & erga templa cultusq; reuerentiam: tum abripere inde supplices talib. oraculis prohibebat, tũ vbi vi tẽplis extrahebantur, vel ab aris auellebantur, miraculis editis, aut publicis pœnis immissis irã aduersus eos, qui templorũ Idololatricorũ & supplicum religionẽ spernerent, declarabat.

Diabolus quare supplicibus ad aras confugientibus oraculo parcendum moneat.

Cùm Lacedæmonij supplices, qui in templum Neptuni prope Tænarum sese abdiderant, vi abductos, trucidassent: Sparta terræ motu continuo & graui concussa est.

Pausanias quoque Helicen Achaiæ vrbem maritimam, quarto anno Olympiadis centesimæ primæ, Asteo Athe-

nis Prætore, ideò terræ motu disiectam & absorptam refert, quòd supplices, contra ius & religionem ex templo Neptuni Heliconij exemtos, interfecissent.

Quid venustius & concinnius, aut illo Delphico Epiphonemate, quod Aristoteles recitat?

> Κάλλιστον τὸ δικαιότατον, λῷστον δ' ὑγιαίνειν.
>
> *Iusticia est pulcherrima res, sanum optima corpus.*

Aut ea, quæ de talionis pœna extat sententia:

> Οἷά τ' ἀνὴρ ῥέξῃ, τοῖον τέλος αὐτὸν ἱκάνει.
>
> *Qualia quis patrat, talis manet exitus ipsum.*

Et huic similis Messenijs ex Delphico specu renunciata:

> Ταῖς αὐταῖς τέχναις τις ἁλώσεται αἷσπερ ὑπῆρξεν.
>
> *Artibus his capière, alios queis ceperis ipse.*

Necessario enim & immutabili ordine, ex immota iusticiæ diuinæ regula, comitantur atrocia scelera atroces pœnæ: cumque cessat Magistratus, neque in autores animaduertit, Deus ipse legem exequitur suam, & sæpe totas gentes perdit, ob vnius impunitam licentiam, sicut dicitur in Hesiodi versu præclarè:

> Πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ:
>
> *Sæpe viri peccata luunt tota vnius vrbes:*

& testantur hoc euersiones Imperiorum & Rerumpublicarum.

Atrocia delicta comitantur atroces pœnæ.

Hanc legem Deus sæpe voce sua repetitam, de certis peccatis expressit perspicuè, sicut de cædibus dicitur; Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit: De confusionibus libidinum, Omnis anima, quæ fecerit has abominationes, eradicabitur: De furtis, Væ qui spolias, quia spoliaberis: De periurijs, Non habebit Deus insontem, quicunque vanè vsurpauerit nomen Domini. Hanc stabilit horribilibus pœnis, quæ per genus humanum vagantur, propter scelera & violationem disciplinæ, quam præstari vult etiam ab impijs. Et seruat ferè in executione legis suæ constitutam sua voce normam rigidissimè, vt puniat peccata per ea, per quæ quis deliquit: Sicut de pœnis dicitur: δι' ὧν τις ἁμαρτάνει, δι' αὐτῶν καὶ παιδεύεται. *Per quæ quis peccat, facta per illa luit.* Et de libidinum pœnis celebratur dictum: Peccata seminis puniri in semine.

Intellexerunt hunc iusticiæ diuinæ rigorem sapientes o-

mni

omni tempore. Inde natæ sententiæ legum humanarum, iusticiæ diuinæ conformes:

εἴκε πάθοι τά κ' ἔρεξε, δίκη τ' ἰθεῖα γένοιτο.

Iusta est pœna, luat si quis patrata scelestus.

Intelligunt eundem exactius multò Dæmones. Inde responsum Sybaritis datum, cùm interfecissent citharœdum, qui in templum Iunonis confugerat, mota seditione:

Βαῖν' ἀπ' ἐμῶν τριπόδων, ἔτι τοι φόνος ἀμφὶ χέρεσσι
Πουλὺς ἀποστάζει, ἀπὸ λαΐνου οὐδοῦ ἐρύκει:
Οὔ σε θεμιστεύσω, μουσῶν θεράποντα κατέκτας
Ἥρης πρὸς βωμοῖσι, θεῶν τίσιν οὐκ ἀλεείνας.
Τοῖς δὲ κακῶς ῥέξασι δίκης τέλος οὐχὶ χρονιστὸν
Οὐδ' ἀπαραίτητον, οὐδ' εἰ Διὸς ἔγγονοι εἶεν,
Ἀλλ' αὐτῶν κεφαλῇσι καὶ ἐν σφετέροισι τέκεσσι
Εἰλεῖται, καὶ πῆμα δόμοις ἐπὶ πήμασι βαίνει.

Cede meis mensis, manibus nam sanguis adhærens,
Destillansque recens, arcet te limine templi.
Non tibi fata canam: magnæ Iunonis ad aram,
Musarum innocuum strauisti cæde ministrum.
Haud immortales hoc dij patientur inultum.
Si quis enim prudens, scelerata è mente profectum
Committat facinus, grauis hunc propè pœna sequetur.
Non exorabit, neque si genus ab Ioue summo
Ducat: quin capite ipse suo, pœnisque nepotum
Hoc luat, & generi cumulatim damna ferantur.

Ex eadem regula Oraculorum monuit Lacedæmonios, vt cauerent τὸ λευκτρικὸν μήνιμα, *Leuctricam cladem*. Fore enim, vt ad locum illum aliquando ingenti clade afficerentur. Paulò pòst, insigni prælio victi, amiserunt imperium Græciæ ad Leuctra Bœotiæ à Thebanis, ducibus Pelopida & Epaminonda, non procul à sepulchro filiarum Scedasi, quas duo Spartani iuuenes hospitaliter excepti, patre absente, per vim stupratas crudeliter interfecerant: vbi & pater, cùm frustra vindictam magistratus Spartani aliquoties implorasset, se confoderat. Extat de hac strage oraculum in Pausania Thessalis redditum, quo illa Lacedæmoniis expressè denunciatur. *Lacedæmonij admonentur futuræ calamitatis oraculo.*

Vt autem Lacedæmonijs cladem, sic contrà Athe-

nienſibus ſucceſſus, & felicitatem poſt longas ærumnas, promittit:

> Ἐυδαίμων πτολίεθρον ἀθηναίης ἀγελείης
> Πολλὰ παθὸν, καὶ πολλὰ ἰδὸν, καὶ πολλὰ μογῆσαν,
> Αἰετὸς ἐν νεφέλῃσι γενήσεαι ἤματα πάντα.
> *Belligeræ vrbs nunquam non fortunata Mineruæ,*
> *Poſt mala, poſt & triſtia multa, grauesq; labores,*
> *Tanquam aquila ætheria perpes ſub nube volabis.*

Reſpondit his euentus. Lacedæmonij enim fracti clade Leuctrica nunquam receperunt vires, nec poſterioribus ſeculis ad hæc noſtra tempora vſque celebris fuit vel locus Spartæ, vel incolarum virtus: & haud ſcio, an nomen locus retinuerit. Athenæ reſtitutæ floruerunt vſque ad poſtremi Mahometis imperium, ſub quo tandem euerſæ & penè deletæ ſunt.

Quale verò de tribus perſonis diuinitatis oraculum eſt, quod Thulidi Ægyptiorum regi à Serapide renunciatum perhibetur.

Oraculum de tribus perſonis diuinitatis.

> Πρῶτα θεὸς, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς,
> Σύμφυτα δ' εἰν ἑνὶ πάντα, καὶ εἰς ἓν ἰόντα,
> Οὗ κράτος αἰώνιον· σὺ δὲ ὠκέσι ποσσὶ βάδιζε,
> Θνητὲ, ἄδηλον διάγων βιότοιο τελευτήν: id eſt;
> *Principio Deus eſt, hinc Verbum, & Flaminis aura,*
> *Vnum numen idem tribus eſt, naturaq; conſors,*
> *Cuius vis æterna: ſed hinc pede te ocyus aufer,*
> *Mortalis, peragens incerti limitis æuum.*

Et illa ad precandum & Deum inuocatione colendum exhortatio qualis?

> ὦ θνητοὶ λίσσεσθε θεὸν, καὶ λώϊον ἔσται, id eſt,
> *Mortales, orate Deum, hinc felicius æuum eſt.*

Extat & Delphicarum Peliadum de æternitate Dei ᾆσμα, *carmen*, ζεὺς ἦν, ζεύς ἐστι, ζεὺς ἔσσεται, id eſt, *Iuppiter eſt, & erit, fuit idem Iuppiter antè.*

Cum hoc congruunt Orphei verſus:

> Ζεὺς κεφαλὴ, ζεὺς μέσσα, διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται.
> Ζεὺς βασιλεὺς, ζεὺς ἀρχὴ πάντων, ἠδὲ τελευτή: id eſt;
> *Iuppiter eſt caput, ac medium: Ioue cuncta creata.*
> *Iuppiter eſt rex, hoc pendent primordia, finis.*

Oraculum de animæ im-

De animæ immortalitate celebratur Apollinis Mileſij oraculum:

Ψυχὴ μὲν μέχρις ὧ δεσμοῖς πρὸς σώματι κρατεῖται, *mortalitate.*
Φθαρτὰ νοῦσα, πάθη θνητοῖς ἀλγηδόσιν ἥκει:
Ἡνίκα δ' ἀνάλυσιν βροτέην μετὰ σῶμα μαρανθὲν
Ὠκίστην εὕρηται, ἐς αἰθέρα πᾶσα φορεῖται,
Αἰὲν ἀγήραος ἔστι, μένει δ' ἐς πάμπαν ἀτειρής.
Πρωτόγονος γὰρ τοῦτο θεοῦ διέταξε πρόνοια.
Donec corporeis animus connexibus hæret,
Cedit mortali, patiens humana, dolori.
Sed cùm mortali compage solutus abibit,
Corpore confecto, tum totus in æthera fertur.
Incorruptus vbi maneat, nunquamq́ senescens.
Sic antiqua Dei *fieri prudentia mandat.*

Sed hæc pertinuerunt eò omnia, vt insitam penitusque infixam, καὶ ἐγκατεγεγηρακυῖαν, *inueteratam* animis Ethnicorum de ficticijs numinibus, deque Idololatricis cultibus, & superstitione opinionem aleret Diabolus, ac confirmaret, qua mirificè capi, ac duci experitur omnes homines, quòd natura omnes esse Deum, & hunc velle religionibus ac virtute coli, & vltorem esse, ac vindicem scelerum statuunt: etsi quis sit, & qualis, & qua obedientia coli postulet, sine verbo Dei non perspiciunt. *Dæmones cur vera & pia nonnunquam proferant.*

De animæ verò immortalitate conceptas opiniones non extingui inter Ethnicos, plurimum intererat ipsius, propter ea, quæ mortuorum specie reddebat, responsa.

Sic Sybaritis promittit εὐδαιμονίαν *felicitatem* tantisper, donec Deos colant: cladem minitatur & interitum ab externis bellis & seditionibus, vbi diuinos honores hominibus præstare cœperint.

Εὐδαίμων Συβαρῖτα, πανευδαίμων σὺ μὲν αἰεὶ
Ἐν θαλίῃσι θεῶν τιμῶν γένος αἰὲν ἐόντων:
Εὖτ' ἂν δὴ πρότερον θνητὸν θεοῦ ἄνδρα σεβίσῃς,
Τηνίκα σοὶ πόλεμος καὶ ἐμφύλιος στάσις ἥξει.
Felix omnino felix, Sybarita, futurus,
Dum rebus lætis venerabere numina diuûm.
At simul atq́ illis mortalis homo anteferetur,
Tum veniet bellumq́ tibi, atq́ domestica turba.

Videtur acerbè illusisse Filio Dei, nasciturο de virgine Maria, & hoc conatus esse, vt præoccupatos hominum animos opinione de non colendis hominibus, abduceret

etiam ab agnitione, fiducia, & cultu Filij Dei, quem in carne nostra venturum, & genus humanum liberaturum norat.

Extant similia innumera, quibus omnibus ferè aliquid perplexitatis, obscuritatis, insidiarum, veneni, impietatis subest, etiamsi specie optima videntur, & pietati congrua.

Audiuimus & Pythonissam quandam à Lazaro Bonamico Patauino professore, viro præstantissimo, interrogatam, quem Vergilianorum versuum censeret optimum: respondisse;

Discite iusticiam moniti, & non temnere Diuos.

Ad hunc modum ludit sæpe Diabolus veritatis declaratione & confessione, tantùm eo fine, vt alliciat ad se imperitos, & talibus vel parænesibus, quæ continent præcepta necessaria in vita, vel præmonitionibus secuturarum pœnarum, sibi arctius obstringat ac deuinciat.

Dæmones interdum coacti vera dicunt.

Quandoque verò & conscientiæ terror, & metus iudicij diuini æternarumque pœnarum, confessionem veritatis, Dæmonibus inuitis, exprimit.

Occurrit Christo obsessus à tota Dæmonum legione, qui procul venientem agnoscunt, & confitentur missum à Deo, vt opituletur generi humano contra Diabolum, & conculcet caput Serpentis. Ideò metuentes pœnas decretas ipsis, clamant: Cur venisti cruciare nos ante tempus? In actis Pythonissa de Paulo & Barnaba clamitat, Serui hi sunt altissimi, qui annunciant vobis viam salutis.

Hæc confitebatur, non vt exhortaretur, aut commoueret populum ad audiendam atque amplectendam doctrinam, quam illi afferebant, sed exhorrescens ac reformidans, cùm vim atque efficaciam ministerij Euangelici, tum sui condemnationem, & expulsionem ex obsessa, quam si sedem retinuisset, aut turbasset statim ministerium Apostolorum, seditione, aut inchoatum pòst oppressisset nouis furoribus sparsis per Pythonissam, quæ erat in existimatione apud stultam plebem.

Diabolicæ Ironiæ.

Quandoque & Ironijs veritatem vel extenuant, vel obscurant, quales esse videntur in illo de Chaldæis & Hebræis oraculo.

Μοῦνοι χαλδαῖοι σοφίην λάχον, οἰδ' ἄρ ἑβραῖοι
Αὐτογένητον ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸν ἁγνῶς.
Chaldæi ſapiunt ſoli, tum numen Ebræi
Ingenitum, regemq́; pio venerantur honore.

Prius promulgatum videtur à Diabolo, vt vel rideat & abiiciat ſapientiam Chaldaicam, vel cùm ſuperſtitionibus referta eſſet, vt ad eam auidius diſcendam inuitaret atq; extimularet homines, quò cum ea immanes & tetras opiniones haurirent, & propagarent. Altero ridet per quandam antiphraſin cultus & ceremonias Iudaicas, quas omnibus gentibus vicinis ſciebat eſſe exoſas.

Sed vtut ſeſe res habeat, plerunq;, ſiue prænorint futura, ſiue diuinent tantùm, ambigua incertaq; obtrudunt reſponſa, & ſub fucato prætextu veritatis inferunt ſæuiora mala, quibus inſidiantur, vel corporibus, vel conſcientiis, vt has in æternam mortem coniiciant, illa immatura & tragica clade perimant.

Annumeratur Diabolicis diuinationibus & illud genus, quod vel ex ſignis, quæ ſigna non ſunt, ſed ex ſuperſtitione nata, autore Diabolo, & in ſigna ab Ethnicis recepta ſunt, vt ex auium volatu, ex quadrupedibus, igne, extis, diris, offenſione pedum abruptione corrigiæ, ſternutamentis, tinnitu aurium, euentus ſecuturos ſingit: vel vera & Phyſica ſigna, condita ad natiuas rerum vires, effectiones, conditiones, ac conſtitutiones, velut pingendas oculis, detorquet ad ſuperſtitionem, & interpretatur de aliis rebus alieniſſimis à natura. Ortas has diuinationes à Diabolo, vel illud argumento eſt, quòd non rarò accepta à talibus ſignis vaticinia euentu rata fecit: qua re non mediocrem eis fidem, & autoritatem comparauit apud Ethnicos, vt de ſingulis poſteriùs dicemus. Hîc ſatis ſit monuiſſe, quòd ad Diabolica prædicta pertinent omnia huius generis vaticinia. *Diuinatio ſuperſtitioſa inter Diabolicas refertur.*

Reſtat vltimum genus diuinationum, quod *μαντικὴν κοινὴν ἢ δημώδη*, *diuinationem communem aut vulgarem*, vocari diximus, nos populare vel plebeium nominabimus: quia imperitis & vulgò in vſu eſt, qui non inquiſitis ſolicitè cauſis euentuum in natura, nec conſiderato ſignorum cum rebus ſignificatis conſenſu ex iis ſolùm, quæ vt plurimum eodem modo euenire, iiſdem antegreſſis ſignis, animaduerterunt *Diuinatio popularis.*

ac notarunt, artem effecerunt, & regulas Canonicas constituerunt, ex quibus de multiplicibus euentibus, de tempestatum cœlique conuersionibus, ac commutationibus, de frugum & fructuum prouentu, de vbertate, vel caritate annonæ, de aëris salubritate, vel infectionibus, de externorum hostium incursionibus, sæpe satis feliciter diuinant. Eius generis sunt his versibus comprehensa prædicta:

Exempla popularium prædictionũ.

Clara dies Pauli, bona tempora denotat anni.
Si fuerint venti, designant prælia genti.
Si fuerint nebulæ, pereunt animalia quæq;.
Si nix, si pluuiæ, designant tempora cara.

Ita ex aëris constitutione, quæ incidit in diem Medardi vel circiter, de tota messis tempestate. Ex ea, quæ Vrbani die contingit, de vindemia coniecturas faciunt: quæ etsi non exactè semper cum euentu congruunt, rarò tamen prorsus aberrant.

Friderici III Electoris Saxoniæ obseruatio.

Fridericum III Saxoniæ Electorem, de numero hybernarum niuium, accepimus coniectari solitum ex dierum numero, qui à prima niue ad proximum superessent nouilunium, idque ex vetustis, & sæpe comprobatis attentorum venatorum annotationibus.

Vsitatum est colonis prædicere tot tempestates pluuias æstate orituras, quod dierum in Martio nebulosa fuerit constitutio, totque Pascha consecuturas pruinas, & Augusto mense effumaturas nebulas, quod noctibus Martius irrorarit.

Regula est si in globulis gallarum reperiantur vermiculi, quòd vbertatem frugum promittant: si muscæ, quòd portendant bella: si aranei, quòd pestem minitentur.

Causæ obscuræ non sunt. Vermiculi, ex putrefactione nati, argumentum sunt, & indicium constitutionis cœli calidæ & humidæ, quæ fœcundat terram, & rebus nascentibus suppeditat vigorem. Muscæ vrentem siccitatem cœli arguunt, qua inflammantur corpora, & velut vstulata implentur feruidis & acribus humoribus. Aranei ex venenata, contagiosa, atque impura putredine nascuntur, quæ cùm corripit & inficit corpora humana, in pestilentes exardescit febres: hæ, putredine augescente, erumpunt in bubones pestilentes & anthraces.

Et

Et obſeruauit omnis ætas quoſdam ceu decretorios dies, indices præcipuarum anni tempeſtatum, & fœcunditatis, aut ſterilitatis, non temerè aut fortuitò, nec ſuperſtitioſè, ſed quòd congruere ſignificata deprehenſum eſſet, etſi cauſas non intellexit, quas conſtat cœlo deriuari pleraſq;. Huius generis multa à Plinio annotata ſunt,& aliis.

Obſeruationes ſeu diuinationes populares vnde nata.

Ceterum quicquid huius generis diuinationum ſuperſtitione vacat, & ſancitur experientia, id ex conſentientibus inter ſe plurimorum annorum euentibus, quos cauſæ Phyſicæ pepererunt, natum eſt. Neq; enim ſtatis temporibus recurrerent, neq; vno modo, vt maximè antecedentibus ſignis reſponderent, niſi à certis cauſis & ordinatis gignerentur & gubernarentur: Quæ quanquam non in conſpectu ſunt omnibus, nec cùm peruestigatæ ſunt, à quouis intelliguntur, neq; effectus ſimiles quouis anno procreant: tamen à ſiderum virtute pendent, atq; efficacia, conſenſuq; inter ſe eorundem miro, ac penè diuino.

Præcipua vis eſt luminarium Solis & Lunæ, quæ tempeſtatum mutationes cient & efficiunt: ceteri planetæ variant & moderantur, aliàs aliter, pro diuerſa ad Luminaria configuratione. Altera eſt ſtellarum orientium & occidentium. Quæ eſt Lunæ in eo congreſſu cum Sole, qui antecedit proximè dies δηλωτικοὺς ἢ ἐπιδεικτικοὺς, τῶν ἐπισημασιῶν, *indices & decretorios ſignificationum, nec acceſsionis febrilis*, erga ceteros Planetas habitudo, atq; affectio: talem aut ſimilem in illud ferè redire tempus conſueuiſſe, quo ſe ſignificati euentus proferunt, docent conſiderati Planetarum ſitus.

Anno hoc quinquageſimo, diem Vrbani proximè Solis Lunæque coitus præcedit, quo tempore, & Marti copulatur Venus in Tauro, ſigno pluuioſo: & Luna, mox à Sole digreſſa, Cancrum occupat, quem eodem tempore ingreditur Mercurius, ſimulque cum Sole turbulentæ Orionis ſtellæ naſcuntur. Humidior ergo erit cœli aliquot diebus conſtitutio. Sub vindemiæ tempus, Mars Cancrum peruagatur, Lunaque ibidem ante *σύνοδον, congreſſum*, ei coniungitur, vix ſuperatis Hyadum Pleiadumque ſideribus turbidis. Eodem modo igitur nimia aquarum ex pluuiis copia & aliena humiditate vuas imbuet ac complebit, & vini maturationem aut tardabit, aut impediet.

Neque de vno die prædictiones tales intelligendæ sunt, sed aliquot dierum continuum complectuntur spatium qui anteeunt, & consequuntur in hoc ordine præcipuos. Longum esset pertexere omnium causas, quas ii, qui cœli tractus inspiciunt atq; obseruant, norunt: suntq; eò diligentius inquirendæ, quòd de consensu motuum cœlestium, & effectionum admonent, cui non obscurum prouidentiæ argumentum inest. Neq; ideò aut nullæ sunt, aut ratione carent, quòd quandoq; fallunt: id enim mirum non est, cùm & materia elementaris incertis admodum & vagis, atq; instabilibus agitetur motibus: & aliæ causæ accedunt interdum quæ actionibus priorum, vel miscent sese, vel aduersantur. Satis est, si *ὡς ἐπὶ πᾶν, in totum*, ad prænotata indicia, *καὶ ἐν πλάτει, vtcunq;* sese *τὰ ἐπόμενα, euentus* accommodent.

Diuinationes populares quandoque fallere mirum non est.

Reliqua huius generis, non ex ipsa natura orta, sed fortuitis, vel superstitiosis accepta notationibus, excludantur hoc numero & inter Diabolica referantur: qualia sunt auguria, de duodecim anni mensium temperie, quæ ex statu duodecim noctium diem natalem Christi consequentium, desumuntur, & similia. Nullas enim in naturas causas habent, nec cum euentibus consentiunt.

Quæ sit certitudo prædictionnm in quolibet genere: quantum quibusque tribuendum sit: quæ omnino impiæ sint, ac reiiciendæ.

HActenus quatuor præcipua genera prædictionum enumeraui, ad quæ particulares differentias reducam, ordine. Priusquam autem accedam ad commemorationem singularum specierum, quid de his primis generibus sentiendum, & quid cuiq; tribuendum sit, constituam: quod difficile non est, his duobus immotis & immutabilibus principiis positis.

Κριτήρια argumēta seu notę certitudinis *duo de oraculis diuinis & natura lib. obseruanda.*

Primò, vera, firma, & certa esse suo quælibet loco, ordine, lege, & conditione omnia prædicta, vel diuina voce tradita, vel diuinitus in natura condita atq; ordinata, id est, quæ causas habent Physicas, seu euidentes & conspicuas, seu obscuras, vel ignotas.

Secundò

Secundò, Deum esse liberrimum agens, & naturæ opificem ac Dominum, non astrictum, secundis caussis, ea lege, vt non possit aliter agere, quam cogatur agere à connexu, & serie secundarum causarum: Sed velle, & posse Deum liberrimè mutare, aut moderari, cùm præmonstrata & instructa à naturalibus causis, tum ipsius voce promulgata, aliàs aliis de causis, vel secundum immotam iusticiæ suæ regulam procedendo, vel ex immensa misericordia leniendo, ac mitigando iusticiæ rigorem. Ex his κριτηρίοις æstimabimus vaticiniorum singulorum certitudinem, quousque progrediatur.

Primùm igitur damno in vniuersum Diabolica vaticinia omnia, siue ab ipso prolata Diabolo quouis modo, siue à superstitiosis sint conficta hominibus. Damno & eos, qui talibus vaticiniis vel vtuntur, vel fidem adhibent: & sequor regulam; Non habebis Deos alienos coram me. *Diabolica vaticinia damnantur.*

Secundò oracula cœlestia, etsi absq; omni dubio certissima sunt, & verissima: Deus enim, qui solus & verax est, & seruans suarum promissionum, certò efficit & præstat, quæ prædicit, aut promittit: tamen dissimilia sunt, & differunt non certitudine, aut veritate, quæ omnibus vna est & eadem, (Omnia enim diuinitus prodita vaticinia, immutabilia sunt, & necessariò eueniunt, verùm ea necessitatis lege, quam Deus ipse constituit) Sed modo determinationis differunt, rebusque, quas vel promittunt, vel prænunciant. *Oracula diuina differunt inter se, non certitudine sed determinationis modo.*

Aliter longè determinat Deus mala culpæ, seu peccata & scelera in genere humano, quæ simpliciter nec vult, nec approbat, neq; efficit, aut ordinat, neq; adiuuat, impulsis voluntatibus ad peccandum: sed abominatur & odit sine simulatione ardentissimè, & punit seuerissimè, etsi permittit ea, ac tolerat, & metas constituit, quousq; indulsurus his sit. Necesse est enim, hanc sententiam vtraq; manu, immò toto verius pectore comprehensam tenere firmissimè, Deum non esse autorem malorum culpæ, nec velle, nec probare vlla generis humani peccata: Sicut scriptum est: Deus non volens iniquitatem tu es. Item Iohan. 8. de Diabolo dicitur: quando mendacium loquitur, ex propriis loquitur. Et 1. Ioh. 3. Qui peccat, ex Diabolo est; quia ab initio Diabolus peccat. Id & saniores Ethnici omnibus temporibus, iudicio *Deus non est autor peccati.*

con-

conſcientiarum victi, agnouerunt & ſtatuerunt. Plato grauiſſimè inquit, Κακῶν δὲ αἴτιον φάναι θεόν τινι γίγνεσθαι, ἀγαθὸν ὄντα διαμαχητέον παντὶ τρόπῳ, μήτε τινὰ ταῦτα λέγειν ἐν τῇ αὑτοῦ πόλει, ἢ μέλλει εὐνομήσεσθαι, μήτε τινὰ ἀκούειν, μήτε νεώτερον, μήτε πρεσβύτερον, μήτ' ἐν μέτρῳ, μήτ' ἄνευ μέτρου μυθολογοῦντα, ὡς οὔθ' ὅσια ἂν λεγόμενα ἢ λέγοιτο, οὔτε ξύμφορα ἡμῖν οὔτε ξύμφωνα αὐτὰ αὑτοῖς, id eſt, *Deum autem quippe qui bonus eſt, cuiquam autorem cauſamq́ eſſe mali, hoc verò omni contentione refutandum eſt, neque concedendum, vt quiſquam hæc vel dicat, vel audiat in ciuitate (ſi illam bene conſtitutam optamus) neq́ iuniorum videlicet, neq́ ſeniorum, neque verſu, neque ſoluta oratione; vtpote, quæ dictu, neque pia ſunt, neque vtilia, neque ipſa ſibimetipſis conſentanea, atque congruentia.*

Aliter verò de malis pœnæ conſtituit, quæ ordinat ipſe de æterna iuſticiæ ſuæ regula.

Aliter bona determinat, quæ non vult tantùm, & approbat, ſed efficit ipſe, & certo conſilio hominum generi confert ac diſpartitur, aliàs immediatè: multi enim leguntur in hiſtoriis mirandi euentus, quos ad diuinam prouidentiam referri neceſſe eſt, cùm non eo prouenerint ordine, vt cauſæ ſecundæ, quæ gubernarint præcipuè euentum, monſtrari poſſint; vt, cùm ſeruatur Moyſes abiectus in aquam, Cyrus expoſitus, Petrus eductus ex carcere, Populus Iſraeliticus in alueo maris rubri: aliàs mediatè, vel ſanctorum Angelorum miniſterio, vel excitatis in genere humano præſtantibus viris, ad res magnas gerendas, ad conſtituendas politias, defendendam Eccleſiam, tuendos inſontes, vindicanda ſcelera, quorum & regit ac fortunat conſilia atque induſtriam: vel ſecundarum cauſarum actionibus coniunctis ac directis ad ſalutares effectus, & vitæ neceſſarios. Etenim & hoc certiſſimè nobis perſuaſum eſſe oportet, non tantùm bonorum honeſtorum, ſed & vtilium autorem Deum eſſe: à Deo proficiſci ſalutaria & moderata conſilia, felicem & tranquillam gubernationem, pacem, vbertatem rerum fruendarum: neque conatus vllos, aut conſilia publica, vel priuata ſalutaria eſſe, aut procedere, ſortiriq́ue exitus optatos, niſi fortunentur, iuuentur, promoueantur, & ad præfixos fines deducantur diuinitus: Sicut Chriſtus inquit: Sine me nihil poteſtis facere: Item: Non poteſt

test sibi homo sumere quicquam, nisi datum sit ei desuper. Etiam hoc Ethnicos sapientiores coegit fateri res ipsa. Sæpe repetit hanc sententiam Pindarus: Γλυκὺ δ' ἀνθρώπων τέλος ἀρχά τε δαίμονος ὄρνυντος αὔξεται. *Iucundus hominibus exitus, principiumque Deo incitante crescit.*

In Olympiis: Ἐκ θεοῦ δ' ἀνὴρ σοφαῖς ἀνθεῖ ἐς ἀεὶ πραπίδεσσιν, *Deo adiuuante homines in perpetuum florent sapientia.* Ibidem, πολλοὶ δ' ὁδοὶ σὺν θεῷ εὐπραγίας, *multa sunt viæ felicitatis Diis comitantibus.* Item, ἔα πόλεμον, ἔα μάχαν χωρὶς θεοῦ: *mitte bellum, missam fac pugnam, Deo non auspice.*

Rursus aliter determinat, quæ ipse gubernat, aliter ea, quæ à libera hominum voluntate, καὶ ἐκ προαιρέσεως, *atque ex consilio & proposito*, vel à causis Physicis ordinatis cœlestibus, vel materialibus, id est, ἀπ' ἀνάγκης ἢ φύσεως, *à necessitate vel natura*, oriuntur, ac dependent.

Hæc discrimina considerare necessarium est, quia lucem adferunt & his disputationibus, & multis partibus doctrinæ cœlestis: προαιρετικὰ, *quæ consilio fiunt ac proposito*, hominum præuidet, præuisa determinat circundatis metis: Neque hæc, vel præuisio, ac præsentia vel determinatio, aut vim adfert voluntati, aut necessitatem euentui.

Quanquam autem oracula cœlestia, quæ ferè à diuinitate, propter præuisas & antecessuras causas, decernuntur, οὐχ ἁπλῶς ἀλλὰ καθ' ὑπόθεσιν, *non simpliciter sed cum conditione*, id est, necessitate consequentiæ necessaria sunt: tamen gradus constitui oportet, & discrimina. Vaticinia de Christo venturo, morituro, & resurrecturo pro genere humano, de restitutione generis humani, de receptione propter Filium, de remissione peccatorum, de donatione Spiritus sancti, de aduentu Domini, de resuscitatione mortuorum ad iudicium, de viuificatione, & æterna lætitia beatorum in vita futura, de pœnis impiorum, & similia; quæ Deus, etsi propter certas causas προηγουμένας, *antecedentes*, decreuit, tamen ipse efficit, ac gubernat. Hæc ergo certissima sunt, & prorsus necessaria immutabili lege necessitatis, qua promulgata sunt, vt omnis qui credit in Filium, non pereat, sed habeat vitam æternam; omnis, qui non credit in Filium, condemnetur. Necesse est enim, vnumquemque volentem fieri participem æternorum bonorum, iusticiæ,

Oraculorum diuinorum discrimina.

Vaticinia de rebus spiritualibus.

& vitæ æternæ, gratuitæ remissionis peccatorum, donorum Spiritus sancti, veræ reconciliationis cum Deo, firmissima fide statuere, verissimè omnia illa, & pertinere ad se, & sibi exhiberi, ac communicari gratis, ex immensa misericordia, propter Iesum Christum, æternum Filium æterni Patris, *μεσίτην καὶ ἱκέτην, mediatorem & deprecatorem*, nostrum apud Patrem, qui, cùm oporteret vnum in genere humano exoluere *λύτρον, redemptionis pretium*, pro reliquis æternæ iræ Dei reis, & satisfacere iustitiæ Dei: nemo autem id præstare posset, nisi simul & Deus esset, misertus nostri, de arcano consilio diuinitatis, natura humana sibi circumdata indissolubili fœdere, genus humanum sibi adiunxit, ac copulauit, idq; Deo Patri reconciliauit, obedientia, quam Deus Pater requirebat, integrè præstita, & pœnis, quæ nobis sustinendæ & perferendæ erant, in se deriuatis.

Vaticinia de Imperiis.

Secundò certissima sunt & vaticinia de Imperiorum serie, administratione, distractione, ruinis, successibus in gubernatione, qualia sunt Danielis vaticinia, Esaiæ, Ieremiæ, & Ezechielis quædam. Habet enim Deus comprehensam mente velut Ideam omnium Imperiorum, & rerum in Imperiis gerendarum: Quæ quocunq; tempore euentura sint, quo ordine, quibus autoribus, quo successu, quo exitu, multò antè prospicit, præuisa ita distribuit, ac determinat, vt virtutem afficiat præmiis, scelera puniat. Vult enim genus humanum, multiplicibus colligatum fœderibus, præcipuè verò politiis, velut carceribus septum & conclusum, viuere coniunctim, collatisque & coniunctis operis, cùm doctrinam de Deo, aliasq; vitæ necessarias artes explicare, illustrare, ac propagare, tum hanc societatem fouere ac tueri. Vult imperia Ecclesiarum & omnium honestarum artium domicilia & propugnacula, ac veræ disciplinæ neruos esse, exequi iustitiam, ornare præmiis virtutem, patrocinari insontibus, custodire ac defendere pacem, cohercere ac compescere iniustè & tyrannicè grassantes, punire libidines. Idcirco & indidit hunc sensum omnibus non prorsus feris, vt ament, expetant, quærant, & amplectantur veram animorum in politica vitæ consuetudine coniunctionem, & ipse tanquam in statione consistens, custodit Imperia tanta seueritate, vt eos qui moliuntur dissipationes, aut turbant re-

etè constitutos cœtus occultè, vel palàm, mirabiliter præter omnium spem & opinionem, vel, detectis insidijs, iudicibus vinciendos tradat, vel, si laqueos iudiciorum declinent & euadant, horribiliter cœlitus vlciscatur. Quando verò rebus secundis, & ad voluntatem fluentibus, opibusque, & potentia animi elati exultant, luxuriant, & ferociunt: Quando crescunt impune *εἰδωλομανίαι, insani idolorum cultus*, tyrannides, libidines, & alia scelera publicè & priuatim: Deus excitat, armat, & roborat alios, qui & ipsos tollunt principes, & florentissima regna vastant, ac delent: Deus est enim, qui transfert & constituit Imperia Mundi.

Etsi verò immutabiliter scelera odit Deus: tamen tolerat, & quousq; toleraturus sit, definit, & quando, mutatis Imperijs, ea vindicaturus sit, decernit. Hæc decretio, etiamsi sit patefacta, non tamen euentum necessariò attrahit, vt frustra speretur consecuturum aliud, quàm quod promulgatum est. Fit enim propter causas positas in potestate libera voluntatis hominum, quæ cùm sit domina actionum liberrima, aliter agere, quàm prædictum est, potest. Nec præuisio adfert voluntati necessitatem, vi cogentem eam ad præuisas diuinitus actiones. Idcirco vaticinia *περὶ τῆς τῶν μοναρχιῶν ἢ αὐξήσεως, ἤγε ἀκμῆς, ἤτοι παρακμῆς, de monarchiarum amplificatione, siue incremento, siue decremento*, de ruinis, & interitu, sola necessitate consequentiæ, seu *καθ' ὑπόθεσιν*, necessaria sunt.

Tertiò, similis est ratio vaticiniorum, monentium de pseudoprophetis, exorituris in Ecclesia, & antecessuris nouissimum diem, de scandalis grassaturis in Ecclesia, de corruptione sanæ doctrinæ, de blasphemijs in Filium Dei, & singularia illa, de pertinacia præfracti Pharaonis, perseuerantis in contemtu minarum cœlestium, & consilio delendi populi Israelitici, de Iuda proditure Christum. Quanquam enim euentura talia in Ecclesia prospicit Deus, metisq; præfixis velut sistit atque inhibet, & quando, quibus modis vlturus ea sit, sancit, non tamen efficit. Nec præuisio diuina, determinatio, & præsignificatio vrgent, vt necessariò fiant. Quia inuasura in Ecclesiam præcognoscit, ideò, *κατὰ πρόθεσιν καὶ προορίζει, id est, secundum propositum etiam* determinat. Nobis ea aperit & nunciat, vt & doceat, & præmu-

niat, ne terreamur deformitate scandalorum, vel offendamur, vel seducti religiosa specie Pseudoprophetarum, furoribus eorum contaminemur, aut capiamur.

Vaticinia diuina de pœnis cum conditione pœnitentiæ intelligantur.

Quartò, vaticinia, quibus pœnæ & calamitates propter peccata denunciantur, habent annexam conditionem pœnitentiæ. Etsi enim verè Deus ac horribiliter irascitur peccatis, eaque atrocissimè vlciscitur: tamen victus deprecatione, & obedientia æterni Filij sui, iusticiæ misericordiam mirabili temperamento miscuit, ita vt promiserit, se mitigaturum pœnas, & alleuaturum ærumnas pœnitentibus, hoc est, iis qui agnoscunt sese, & vero terrore ad cogitationem & conspectum peccatorum suorum, & iræ diuinæ expauescunt, rursusque erecti fide accedunt ad Deum, huius intercessoris Filij Dei, regnantis ad dextram Patris, fiducia, & petunt condonationem peccatorum, atque auxilium Spiritus sancti, studentque edere fructus vitæ melioris. Talibus se leniturum pœnas & ærumnas iurans asseuerat: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Et repetita est crebertimè hæc conditio veræ & non simulatæ pœnitentiæ, includenda cœlestibus minis passim in tota sacra doctrina.

Promissionibus bonorum corporalium annexa conditio crucis & castigationis.

Quintò, vaticiniis, quæ continent promissiones corporalium bonorum, adiuncta est conditio crucis, afflictionum, & ærumnarum. Sed hanc sola intelligit Ecclesia, quæ ex verbo per Filium patefacto scit, velle Deum, vt totum genus humanum sit subiectum cruci, propter peccatum; Ecclesia verò præ cæteris gentibus affligatur, & exerceatur durius: Et quas habeat huius consilij causas clementissimus Pater, ex doctrina Filij Dei discit: Nec Deum grauioribus oneraturum periculis hunc miserum, & ceteris gentibus omnibus inuisum cœtum, quàm sufferre poterit, ac perpeti, certò credit ac statuit. Idcirco cùm sæuissimis iactatur & concutitur procellis, laceratur, premitur, expilatur, eiicitur in exilium, igne ferroque desolatur à tyrannis, necatur fame, nunquam tamen deleri totam sinit Deus: sed ex dissipatis cœtibus, velut naufragio fractas tabulas, colligit & componit, instaurat eam rursus, seruat, ac protegit, vt sint, qui celebrent ipsum etiam in hac vita.

Hæc ferè sunt præcipua vaticiniorum cœlestium discrimina

ſcrimina, quibus ita diſtinctis, certitudo ſingulorum ſit illuſtrior.

Bonorum, ſeu æternorum, ſeu corporalium Deus ipſe autor eſt, atque effector. Ipſe ea impertit & largitur hominum generi, eo diſcrimine, vt æterna bona ſine omni conditione offerat, ac donet accipientibus fide, corporalia temperet ac miſceat cruce & afflictionibus.

Mala pœnæ, id eſt, calamitates omnis generis identidem deſtinat atque infligit ipſe: Aliàs ſine ſecundis cauſis per angelos ſanctos, aut permittens Diabolis, vt ſæuiant: certum eſt enim, magnam partem triſtiſſimorum euentuum oriri præcipuè à Diabolo, qui furores in impijs confirmat. Aliàs per ſecundas cauſas, eaſque aut naturales, ac deſtinatas, inhibitis mutatisve naturalibus earum actionibus, vt cùm cœli virtutibus clauſis, terra ſterileſcit: aut voluntarias, impellendo bonos viros, ſeu in Magiſtratu conſtitutos, ſeu priuatos, ad punienda ſcelera publica & priuata, permittendo malis, vt graſſentur.

Mala culpæ, nec vult, nec efficit: etſi præuidet, & permittit, vt talia, vel Diaboli excitent, vel homines, aut ſua malicia, aut à Diabolo incitati perpetrent.

Prædictionum Phyſicarum, quas ex ſignis, & cauſis naturalibus ſenſui obuijs, homines ratiocinando colligunt, longè diſſimilis eſt ratio, & certitudo longè infirmior. multis de cauſis, quas coniungi omnes, ſimulq; examinari & pẽſitari accuratè neceſſe eſt, ſi de certitudine harum coniectationum, ſeu præſagiorum, pronunciare quid volumus. *Prædictionum Phyſicarum certitudo inſtabilis.*

Siue enim cauſarum, ſeu neceſſariò, ſeu naturaliter agentium, effectus, ſignorúmve monita in quocunq; genere, quibus declarantur, ac præſentiuntur conſequentia, & futura, ſiue euentus, qui liberis humanæ voluntatis motibus atq; actionibus accidunt, inueſtigentur: expendi neceſſe eſt cauſarum naturam, vim, & efficaciam: Vtrum propinquæ ſint cauſæ, vel remotæ, καὶ τῶν αἰτίων αἴτια: *cauſarum cauſæ.* Vtrum καθ' αὑτὰ αἴτια ſint, aut κατὰ συμβεβηκός, id eſt, veræ per ſe, ac propriæ cauſæ, an accidentariæ. Et ſi ſint καθ' αὑτὰ αἴτια an ſint κύρια αἴτια, an συναίτια, an συνεργά: *Propriæ cauſæ & principales, an adiuuantes, an participes operis.* An ſeſe habeant ὡς τὰ μέρη, an verò ὡς τὰ ὅλα καὶ συνθέτως, *Cauſarum varia diſcrimina.*

vt partes, an verò vt tota & composita. An κατ' ἀνάγκην agant, aut κατὰ φύσιν, aut κατὰ προαίρεσιν: *Ex necessitate, aut secundum naturam, aut ex consilio & proposito.* An χωριστὰ sint, vel ἀχώριστα: *an separabiles sint, aut non separabiles.* An sint κατ' ἐνέργειαν αἴτια, vel κατὰ δύναμιν: *reipsa causæ, vel facultate siue potestate.* Vtrum interuenire aliæ causæ possint, quæ vel hebetent, atque obtundant, aut etiam prorsus reprimant ceterarum ἐνεργείας *effectiones*, & vires; vel obstent, ac prohibeant, quò minus suo & vsitato tenore procedant ad effectus petiti complementionem: Quæ sit conditio materiæ, effectionibus causarum subiectæ: quæ huius ad causas ποιητικὰς ἀναλογία, *efficientes proportio*, & habitudo: Vtrum ad eum effectum, cuius inquisitio instituitur, oporteat concurrere plurium causarum συμπλοκήν, *coniunctionem*.

Physicarum prædictionum certitudinem labefactat contingentia.

Præter hæc & aliud est, quod difficultatem coniectandi auget, & præuisorum, ac præscitorum Physicorum certitudinem infirmat ac labefactat. Pleraque enim in tota rerum natura fiunt, & eueniunt non ἀναγκαίως, & necessariò, sed ἐνδεχομένως, *contingenter*. Cuius rei causa est, liberrima Dei Architecti, & operum naturæ gubernatoris voluntas, atque omnipotentia.

Etsi enim indidit singulis suos agendi modos, quos naturis non eripit: tamen nec à Physicis causis edi consuetæ, & exertæ iam, atque in accommodatam & adhibitam materiam directæ, defixæque actiones, quæ sunt ἀπροαίρετοι κινήσεις, *motus consilij & propositi expertes*, naturarum, idem eodem modo semper efficiunt: neque προαιρετικά, *ea quæ consilij sunt ac propositi* hominum, vt instituta, inchoataque sunt, ac deliberata & distributa, ita necessariò procedunt, aut in eum exeunt finem, in quem sunt directa & conclusa.

Inde Aristotelicæ natæ περὶ τύχης καὶ αὐτομάτου, *de fortuna & casu* disputationes.

Causa prima tripliciter agit in secundas.

Liberrimè enim prima causa, & vim secundis suppeditat, aut cum vult, subtrahit, & agentium ἐνεργείας, *effectiones* gubernat ac dirigit: vel restringit, cùm vult, & promouet effectiones, atq; opera maturat, vel elidit, atq; impedit: cùm vult deniq; liberrimè regit & dispensat omnia, aut κατ' εὐδοκίαν ἐνεργητικήν, *secundum voluntatis & arbitrij sui vim efficacem*, per ordinatam causarum seriem, aut κατ' οἰκονομίαν, *per dispen-*

dispensationem, suo consilio & arbitrio aliquid, præter ordinem & contra cursum causarum, moliendo, aut κτ συγχώρησιν, *permissione*, indulgendo & permittendo aliquid. Longè aliter incitat, regit, & struit, aut contrà infrenat & inhibet causas ἀπροαιρέτους, *non agentes voluntarie*, & Physicas, quæ sine deliberatione, sineque delectu, & libera facultate, prorsus naturæ suæ sequuntur ductum atque impetum: aliter προαίρεσιν, *consilium & propositum* hominis, cui τὸ αὐτεξούσιον, *libertatem voluntatis*, non adimit, quod ex naturæ vulnere adhuc reliquum est, cum horribili & deploranda ἀδυναμίᾳ, *naturæ imbecillitate*, ad ea præstanda, quæ lege Dei præcipiuntur, & δυνάμει *facultate praua*, *contraria*, incitante ad contumaciam, voluntati diuinæ aduersam.

Ordine agentem voluntatem & sustentat, & adiuuat: Ruentem contra ordinem non adiuuat, etsi sustentat. Etsi conatum non impedit in actionibus ordini contrarijs: tamen vel ne perficiat, quod conatur, prohibet, vel quousque, quod illa conatur, permissurus sit, constituit metis circumdatis.

Deus agit liberrime.

Etsi igitur suis & proprijs agunt singulæ causæ viribus: tamen liberrimè Deus, vel Physicarum actiones incitat, intendit, & acuit, aut inhibet prorsus, ac velut compescit, ne exerant sese, aut mutat: vel voluntariarum, si non actiones, euentus tamen qui petuntur, & ad quas actiones diriguntur, impedit: Et vel alios longè diuersos, aut ex Diametro contrarios propositis obijcit, vel petitos euentus aliter gubernat & præstat, quàm humana sapientia decernit.

Quanquam autem disputat Aristoteles, & cœlestes causas, simplici atq; absoluta necessitate, easdem esse perpetuò & actiones easdem edere, ac primam causam insolubili vinculo secundis ita connexam esse & copulatam, vt aliud nequeat instituere opus vllum, quàm tota series coniunctis actionibus intendit & vrget, aut aliam vsurpare vim, quàm qualem eædem causæ flagitant. Inquit enim πάντα τὰ φύσει ἢ ἀεὶ οὕτω γίγνεται, ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ: *Omnia quæ natura constant, aut semper ita fiunt, aut plerumq;*: tamen refutatur ac reuincitur, cùm euidentissimis multiplicis experientię testimoniis tum authoritate doctrinæ sacræ.

Connexio primæ causæ & secundarum, nequaquam necessaria.

Non Deus est numen Parcarum carcere clausum,
Quale putabatur Stoicus esse Deus.
Ipse potest Solis currus inhibere volantes,
Ipse velut scopulos flumina stare iubet.

Eadem donauit perfectione cœlestia corpora, vt nullis essent obnoxia affectionibus, suisque, sine cessatione aut offensione, circumagerentur motibus certis, ac statis vicibus, & cursus semel peractos mox eadem lege constantissimè vt repeterent, atq; in parte Mundi inferiore & elementari, aëris constitutiones moderarentur, & attemperarent vitæ animantium, rebusque terra nascentibus.

Condidit hunc ordinem Deus certo consilio: eundem sustentat, fouet conseruat, & adiuuat.

Rursus cùm vult, aut cùm res requirit, neglecto ordine & connexu causarum, vel sistit concitatissimos orbium cœlestium motus, vel roborat atque exacuit particularium causarum vires, ceteris prætermissis, vel cohibet ac velut infrenat, ne erumpant.

Cùm itaque omnium secundarum causarum, tam *ἀναγκαίων, necessariarum*, seu cœlestium, quàm *φυσικῶν καὶ προαιρετικῶν, naturalium & voluntariarum*, effectus sint contingentes, etsi dissimiliter, & alij alio modo: contingentiæ verò in tota rerum natura causa sit libera voluntas Dei, gubernantis hunc à se fabrefactum Mundum, & distinctum in eo ordinem partium, suo consilio & iudicio liberrimè sine coactione vlla: perspicuum est, non parum inde, de certitudine diuinationum, quæ ex ordinatis in natura *δυνάμεσι, facultatibus* fiunt, decedere, quòd prima causa, domina motuum omnium atque *ἐνεργειῶν effectionum*, etiam certò, & sine errore peruestigatas ac compræhensas causas, multis modis mutare potest.

Voluntatis humana libertas.

Præterea in illis euentibus, qui arbitrarijs hominum actionibus accidunt, contingentiæ causa est libertas voluntatis humanæ.

Nostrum est enim nostraque in potestate collocatum, politicum omne, seu elicitum, seu imperatum, velle, nolle, appetere, non appetere, assentire aut dissentire, eligere aut reiicere, sequi aut declinare, vrgere ac persequi quod inchoatum est, aut abiicere instituta de suscipiendis actionibus

nibus consilia & deliberationes, vel iam susceptas actiones deponere, ac vertere, vel flectere sese ad alia, quæque sunt huiusmodi.

Nostrum & hoc est, insitas nobis connatasq; à prima origine ad virtutem propensiones, studio diligentiaq; excitare, fouere, ac conformare: Incitamenta ad vitia, affectusq; vehementes & inconsideratos, aut reprimere, ac velut strangulare, & suffocare doctrina, assuefactione, cultuque diligenti, priusquam adolescant & confirmentur: aut ita domare ac compescere, vt imperio rectæ rationis subdita, intra suas se metas contineant, & voluntati pareant.

Materiæ elementaris fluxibilitas variat prædictiones Physicas.

Physicarum verò causarum actiones atque effectus, insigniter variat fluxibilitas & instabilitas materiæ elementaris, quæ vagis admodum & incertis, ac varijs agitatur motibus, nec eas, quas semel complexa est, formas retinet perpetuò, nec vno fertur motu simplici: sed leui occasione irritata causis agentibus, pristinas formas excutit, & nouis præparata motibus, nouas assumit atque induit, vagatúrque in hac sede elementari ordine incerto huc illuc, prout à causis agentibus in hanc vel illam partem trahitur, voluitur, aut propellitur, aut hoc alioue modo afficitur. Nec certas vllas, aut stabiles, ac perpetuas primarum qualitatum habet mixtiones. Mutantur enim hæ cum formis ipsis: his verò amotis & abolitis mixtione dissoluta, qualitates quoque abscedunt, ac dissipantur, moxque noua proportione inter se in eodem subiecto miscentur & iunguntur, quæ congruit formæ occupaturæ materiam.

Tales, materia elementaris, cùm vices motuum, mutationumque subeat ac sustineat, quàm difficile sit de his coniectari nemo est, qui non agnoscat.

Incertitudinis prædictionum Physicarum exempla & causæ.

Atq; vt exactius infirma omnium harum diuinationum certitudo perspiciatur, repetam paulò altius, sed generatim tamen & strictim, euentuum causas, ex quibus liquidò patebit, quanta sit in hoc toto genere difficultas, quàm prona & lubrica ad errandum via, ob tantam varietatem & obscuritatem causarum, tamque vagos materiæ motus: & ordiar à naturalibus.

Difficile est constituere, vtrum causæ, quæ de securo effectu testimonium perhibent, & spem faciunt, satis

roboris habeant ac virium, ad eundem producendum ac perficiendum. Frequenter enim illæ, quæ inquiruntur causæ, quæque coniecturas de euentibus suppeditant, ad eosdem vim tantùm μερικὴν seu *ἀπὸ μέρους partialem seu ex parte* conferunt, nec absoluendis sua vi effectibus sufficiunt, citra opem causarum sociarum. Non rarò incidit vis contraria, quæ vel inchoatos iam effectus à prioribus discutit ac demolitur, vel omnino prohibet, ne exercere vim suam illæ queant, vel exertam quidem, priusquam opus inchoatum compleat, velut interrumpit, ac sistit.

Non semper Luna, vel Tauri Hyades Pleiadesque subiens, vel nebulosas præteriens Cancri stellas, quibus Asellorum & Præsepis est nomen; pluuias ciet.

Sæpe vniuersales & particulares causæ dissentiunt inter se: Particulares felicia pollicentur, Vniuersales aut damna minantur, aut exitia cladesque portendunt & inferunt, quæ cùm sint validiores & efficaciores, (ὑποπίπτει γὰρ ἀεὶ, vt rectè Ptolemæus ait, ἡ βραχυτέρα αἰτία τῇ μείζονι καὶ ἰσχυροτέρᾳ: *semper enim causa inferior subdita est potiori & validiori*) elidunt atque excludunt particularium causarum significata, & effectiones. Sic vno die in prælijs pereunt multa millia, quorum sunt dissimilima fata: Pestilentibus morbis conficiuntur plurimi, quibus diuturnam vitam & astra, & ceteræ causæ Physicæ propinquæ spondent.

Sæpe cùm causæ adsunt satis efficaces, & firmæ: tamen materiæ tantum est robur, tantaque ad renitendum vis, vt etiamsi labe afficiatur aliqua, non succumbat tamen, sed deuictas à sese causas, quæ infestant, repellat ac profliget. Non omnes lethalibus & acutis oppressi morbis pereunt: Oportere enim analogiam esse τῶν ἐνεργούντων αἰτίων, πρὸς τὴν ὑποκειμένην ὕλην *causarum efficientium cum materia subiecta*, & in materia ἐπιτηδειότητα, *habilitatem* ad patiendum, notum est.

Etsi naturalia vno modo semper agunt, nec contrahere ac cohibere delectu spontaneo, aut auertere ab amota materia, aut suspendere actiones possunt: requirunt tamen & congruentem, καὶ σύμμετρον, *mensura respondentem seu proportionalem*, viribus suis materiam, & obtemperantem, non aduersantem actioni. Sæpe materia elementaris, vt vaga est & insta-

& instabilis, leui momento impulsa, fertur sine ordine, & fluctuat temerè: quo fit, vt quandoq; nubes aliunde aduolutæ, cœlum, quod clarum paulò antè & tranquillum erat, operiant ac turbent, ibi verò, vbi primùm collectæ coierunt, aer serenescat.

Quandoq; remotæ causæ prospera innuunt, propinquæ tristia. vt in Crisibus interdum Luna rectè posita, nullisq; hostilibus circumsessa, vel oppressa radiis, spem facit de liberatione ægroti, aut mutatione insigni in melius. Tanta tamen morbi est sæuitia, tantaque naturæ imbecillitas, vt frustra cœlestes causæ fractis prostratisq; viribus opitulentur. Interdum contrà cùm astra infausto situ & tristia denunciant, & ægrotum affligunt atq; infestant cum morbo ipso pariter: tamen si natura ægri vigeat, luctatur cum vtraq; causa, superatoq; & excusso nocumento, quod vtraq; infert, vincit & euadit.

Deniq; sæpe, cùm nihil est vitii, nihil imbecillitatis, aut erratorum, in causarum naturalium serie, nihil deest, quod ad consummationem præuisi operis requiri posse videtur, nec materia actionibus causarum obnititur, neq; alioquin fortius agens iisdem obsistit: Deus tamen, ne fiat, multis modis prohibere potest. Idq; & facit sæpissimè, & totam naturam liberrimè gubernat.

Plenæ sunt exemplis historiæ sacræ. Consistit Sol, Iosua Hierichunta oppugnante, & postea Ezechia conualescente: sterilescit terra, & stellarum effectiones, quæ annuatim certis vicibus, pluuiis excitatis, terram rigant ac fœcundant, diuinitùs interclusæ cessant ad tempus Heliæ seculo: Solis lumen euanescit, Christo pendente in cruce: Non vrit ignis pueros Israeliticos in camino Babylonico: Non vrit Polycarpum ardenti impositum rogo: Non extinguitur Ionas, in ventre cæti conclusus: Non fame perit Moses, quadraginta continuos ieiunans dies, cùm, teste experientia, octiduana fames ferè perimat hominem: Fissæ maris rubri aquæ, & in altum scopulorum instar eleuatæ, fluxu natiuo velut represso & fixo, consistunt, nec transeuntem populum obruunt. *Exempla liberrimæ gubernationis Dei in natura.*

Ad hunc modum liberrimè Deus imperat naturæ, & multa tristia mala, quæ & designant, & inuehunt causæ natura-

les, immensa misericordia ad piorum preces lenit & euertit.

Causarum cælestium & naturalium certitudo pendet ex Conditoris voluntate.

Agunt cœlestes causæ necessariò. Quamdiu hic status rerum persistet, Solque ab ortu feretur in occasum diem pariet, toto, supra quod voluitur, Hemisphærio collustrato: rursusque, cum ab occasu in ortum reuoluetur, noctem inducet, terra soliditate sua radiis ipsius officiente, & ne in auersum Hemisphærium pertingant prohibente. Quamdiu etiam, ab æquis mediisque cœli partibus, Austrum versus, Sol agetur & Boream, quatuor anni tempora accessu suo & reditu ad locum, vnde exierat, distinguet ac temperabit.

Eodem modo homo gignit hominem, bos bouem, leo leonem, suisque è seminibus ac principiis arbores, frutices, herbæ, ortum necessariò ducunt. Sic enim ab initio hæc constituta. Dei iussu tenorem seruant suum, seriemque: Sed tantisper, donec adiuuat, & vim confert prima causa, qua non agente, aut contrarium intendente, cessant, seque ad præscriptum, & ordinationem primæ causæ inflectunt & accommodant: fitque id multò frequentius, quàm nos animaduertimus aut obseruamus. Inenarrabili enim bonitate fouet, sustentat, protegit, ac defendit genus humanum: Multa præcauet, multa moderatur, multa depellit & emolitur, quę nulla nos sagacitate aut vigilantia exploraremus, nulla sapientia, nullis viribus arceremus à nobis aut amoueremus: Bona exhibet, ac cumulat, quæ neque exquireremus, nec consequeremur vlla diligentia nostra, & naturam saluti hominum attemperat propter Ecclesiam, quam cùm velit conseruatam ad extremum vsq; Mundi cursum, ornat atq; instruit rebus necessariis, conflictantem cum ærumnis erigit, ac roborat, & contra Diaboli furores defendit mirabiliter, ac velut ex faucibus Orci ereptam sæpissimè in tutum collocat, cùm omnibus humanis destituta præsidiis, & funditus interitura videtur. Cùm vagantur pœnæ in genere humano atroces, & peste, fame, bellis, velut falcibus demetunt ac prosternunt multitudinem profanam, parcit Deus illis, qui consperfi ac signati sanguine Filii sui notas innocentiæ præ se ferunt, eos tuetur, tutosq; atque illæsos præstat, vt fiunt, qui ipsum vera fide inuocent, & colant.

Testantur hoc mirandæ liberationes Sanctorum. Apud Ezechielem mandat Dominus Angelo percutienti impios, vt parcat illis, qui vero dolore deplorabant ac detestabantur profanationem, quæ fiebat in populo Dei.

Omnino tribuendus est Deo hic honos, quòd possit & velit opitulari nobis, etiam cùm à tota natura destituimur, contra seriem omnium secundarum causarum, cumq; deserti prorsus & abiecti videmur. Et multa accidunt plurimis hominibus, in quibus euentus mirandi fateri eos cogunt, se à Deo sine causis secundis seruatos esse.

Friderici & Iohannis Saxoniæ Ducum diuinitus seruatorum pulchra historia.

Recitabo ex multis vnum exemplum insigne. Duces Saxoniæ fratres, Fridericus Elector, & Iohannes, in Albi à Torga VVitebergam nauigarunt, cùm recens soluta glacie, magnæ moles congelatæ Albi innatarent. Hæ nauim vtrinq; quassarunt, vt cùm VVitebergæ in ripam, vicinam arci, egressi essent, carina nauis mox latè finderetur, & latera resoluta deciderent. Intuentur id spectaculum Principes stantes in ripa, cum magna admiratione, cogitantes, quanto in periculo fuerint, & agnoscentes, diuina ope nauim seruatam esse integram, donec ipsi inde egressi essent. Tandem post longum silentium inquit Dux Fridericus ad fratrem: Fateamur nos diuinitus seruatos esse, & grati beneficium Dei celebremus, qui nos, in hoc periculo, & in aliis, protexit: Quòd autem nobis egressis nauis dilaceratur: profectò metuo post nos, nostræ nauis, id est, domus Saxonicæ dilacerationem.

Eadem pœnarum est ratio, vt suprà monui. Incutiuntur clades, calamitatesq; & vniuersim pœnæ multæ, piis: Iudicium enim à domo Dei incipit: plures & atrociores impiis à Deo, quas nec significatrices vllæ, neq; effectrices causæ, in serie causarum ordinatarum antecesserunt. Merguntur in æternam mortem primi parentes voce diuina: Igne misso cœlitus, consumuntur oppida Sodomitica.

Agrippa delectatus impiis populi acclamationibus, quibus Deo æquabatur, statim ex putredine corporis vermibus oppletus, inter teterrimos, & pestilentissimos halitus, & fœdè obrepentes faucibus lumbricos, animam exhalat.

Concussa Hierosolymorum fundamenta, quæ à Iudæis Imperii Romani iugum excussuris, & deletam populi po-

litiam renouaturis, instaurabantur sub Iuliano, terræmotu disiiciuntur, terraq; dehiscente cum multis hominum millibus degluciuntur.

Iulianus Apostata, sagitta ex incerto missa, transfigitur: Cerinthum contumelia afficientem Filium Dei balneæ opprimunt: Arrius in cloacam intestina effundit. Fiuntq; huiusmodi multa, quæ intentat Deus non præmissis, aut ad eum effectum instructis secundis causis.

Neque in hac commemoratione prætereundus est impostor Diabolus, cuius est antea exposita atq; declarata potentia.

Diabolus scelerate abutitur natura ad perniciem hominum.

Scelerate abutitur natura rerum ad perniciem generis humani: callide perniciosas præstigias Physicis effectibus cōformat, & multa in ordine causarum suo tenore progressuq; agentium turbat: Mala, quanta potest calliditate, attrahens & vrgens, in ceruices nostras cogit, ac contorquet; Bona abigit & excludit.

Tanta ergo cùm sit causarum varietas, tanta dissimilitudo in agendo, cùm liberæ agant aliæ, atque consulto iudicio delectúque adhibito: necessariò aliæ, & ex liberis prima causa ceteras omnes liberè gubernet: omnino diuinare aut constituere, quando ad causas certò & indubitatò secuturus sit effectus, difficile est.

Accedit ad hanc causarum varietatem multiplicem dissimilitudo vatum, significationes causarum, signorúmque interpretantium.

Vatum dissimilitudo diuinationes variat.

Cernimus quosdam peculiari naturæ ductu, insitaq; à stellis solertia ac sagacitate, mediocri siderum cognitione exculta, longè verius promtiusq; ex obuiis aut aliquanto antè præuisis indiciis elicere futura, quàm qui sola arte excellunt, naturæ adiumentis destituti. Immò hac ipsa vi ingenii, solertique στοχασμῷ, *coniectura*, multa perspicere & consequi, quæ ars ipsa, aut minimè erueret, aut difficilimè assequeretur. Siquidem natura paucioribus, ars verò pluribus indiget.

Et in hoc numero quidam existunt, qui non solum euentus particulares artificiosissimè indagatos proferunt, sed pænè momenta ipsa atq; articulos temporum, quibus promunt sese antè declarati casus, collimant.

Alios

Alios contrà videas ſumma doctrina, & eorum, quæ ad artem pertinent, cognitione ampliſſima inſtructos, cùm ſe ad præſagiorum vſum conuertunt, ridiculè falli atque aberrare.

Quoſdam rurſus experimur reperiri, qui cum excellentibus naturæ dotibus, & aptitudine ad diuinandum natiua, doctrinam copioſam, vſumq́ue artis plurimum coniunxerunt, & prædictos vtroſq; ſuperant.

Duplici ergo præſidio futuro vati ſeu coniectori (vt in omni artium genere) opus eſt, Naturæ, & Artis. Naturæ vis à ſtellarum certarum felici conuenientiq́ue poſitu proficiſcitur, & arte multò eſt potentior, ac plus confert, adeò vt ſi deficiat, ars quantocunq; elaborata ſtudio, mutila tamen euadat ac manca. *Vates duobus præſidiis eget: Natura & Arte.*

Etſi enim quæ natura inſunt, arte expoliri abſoluiq; deſiderant, fruſtra tamen ferè in doctrina, regulisq́ue ipſis operam ponimus, ac deſudamus, cùm nulla præceſſit ἐπιτηδειότης, *habilitas & opportunitas*, naturæ, eoq́ue magis in hoc genere diuinandi de occultis & futuris, quòd in eo plus, quàm diſciplinis ceteris, vis naturæ pollet, ac præſtat.

Ptolomæus, quæ in Aſtrologo requirantur, oſtendens, concinno breuiq́ue Aphoriſmo complexus eſt vtrunq;, ἀπὸ σοῦ καὶ ἀπὸ ἐπιστήμης, *à te & ab ſcientia*. Sed naturam exactiſſimæ abſolutiſſimæq́ue doctrinæ præponit. Inquit enim paulò pòſt, ἡ ἐπιτήδεια ψυχῆς πρὸς γνῶσιν πλεῖον ἐπιτυγχάνει τοῦ ἀληθοῦς, ἢ ὁ ἄκρως ἀσκήσας τὴν ἐπιστήμην: *id eſt, natura habilitas ad veritatis indagationem plus confert, quàm ſumma artis exercitatio.*

Galenus in Medico requirit φυσικὸν στοχασμὸν, id eſt, ſolertiam naturalem, ſeu ſagacitatem coniectandi ſtatuendique ex notis ſenſu acceptis, de morbi ſpecie, & cauſis, de naturæ robore, de loco affecto, de ſecuturis ſymptomatis, de interitu, vel conualeſcentia, non fortuitam, aut imaginatione qualicunque profectam, ſed & ratione certa nitentem, & via methodica procedentem. Hac ſe valuiſſe gloriatur, & in ea tantum poſitum cenſet, vt eos, qui hac deficiente, ſolis præceptionibus ducuntur, frequenter in ſignorum conſideratione, cæcutire, & eorundem interpretatione atque accommodatione labi, omninoq́ue aut vix, aut tardè, ſignificata comprehendere affirmet, cùm naturam ducem, & φυ- *Sagacitas coniectandi Medico neceſſaria.*

τεχνικὸν στοχασμὸν, naturalem coniectandi solertiam, sequentes, intuitu, contactúve primo explorent, & lapsus naturæ, & residuas adhuc vires.

Cocletis Chiromantis dictum.

Coclitem Chiromantem celeberrimum rogatum, vt qua ipse ratione linearũ notas, collocationesq;, & commixtiones in manibus, & ceteros peculiarium figurarum characteres expenderet, atq; ad hæc illáve significata accommodaret: hanc ergo vt literis monumentisq; descriptam posteritati relinqueret, ne cum ipso ars tota, quam absoluisse putabatur, concideret & euanesceret: respondisse ferunt, optare se, vt totam aliquis Chiromanticen integrè perspicuis regulis complectatur & explicet: Velle se quoq; quantum in ea consecutus esset, optima fide, & dum in viuis esset, aliis communicare, & commendatum literis ad posteros transmittere: Sed futuro Chiromanti opus esse, præter artis præcepta peculiari vi naturæ, quam qui ad artem non adferret, eum frustra in sola doctrina operam collocaturum esse.

Omnino igitur animum, ad vaticinia prodenda atq; excudenda, de Physicis argumentis prædicta, applicaturum, vtroq; instructum esse oportet: id quia contingit paucis, pauci veras sententias etiam sedula, attentáque, & pænè superstitiosa inuestigatione acquirunt, plurimi incertis & aberrãtibus ducuntur opinionibus, quas vel ex causis, aut non veris, aut iusto imbecillioribus, vel ex vitiosa ratiocinatione arripiunt.

His veritas Physicarum prædictionum, velut conuulsa ac labefactata, fidei non parum amisit.

Artificum errata arti imputanda non sunt.

Etsi enim ex artificum erratis artium ipsarum & rerum certitudo æstimari nequaquam debet: neq: enim vel ordo rerum, & natura euertitur, vel certitudo doctrinarum, quæ ex ipsarum rerum conditione dependet, infirmatur, aut tollitur erratis hominum: fit tamen, vt difficilius languidiusque assentiamur, artificum inuentis sæpe decepti, & ferè de rebus ipsis ambigamus, cùm eos, qui naturæ exactam, & pænè familiarem sibi cognitionem soli arrogant, ac vendicant, quàm maximè hallucinari in eius declaratione aduertimus: Manet tamen natura rerum, manet certitudo sententiarum de natura, constituta, approbata, &

con-

confirmata diuinitus, vtut homines iudicent. Nihil veritati artis, nihil constantiæ perpetuæ ordinis in natura decedit, ob hominum aberrationes & lapsus.

Exclusis itaque ac separatis his impedimentis, quæ vaticinantium diuersitas infert, ac dissimilitudo: de illarum prædictionum certitudine, quas artifices periti rectè iudicantes, ex causis, signisque Physicis extruunt, deq; gradibus ac differentiis certitudinis in singulis, disseremus ordine. Sed ita, vt causas anteà commemoratas, discrimine vario ac multiplici, intra certos contractas limites prius sic definiamus, vt Artificum prædicta ex Physicis causis signisque, aut firma: aut probabili ratione contexta, vera esse suo quælibet loco atque ordine, suoque modo, pro conditione agentium causarum, & compleri euentu, sentiamus, eatenus, quatenus Deus totius opificij autor & gubernator, naturam ordine tenoréque à se constituto progredientem, sustentat & adiuuat, neque vel impedit, vel impediri ab aliis causis sinit. *Propositio libri.*

Hæc regula vera est, demonstrata congruentibus inter se omnium causarum effectionibus, inde vsque à primo Mundi exordio.

Ita enim Deus δημιουργός, *opifex*, condidit hoc pulcherrimum & absolutissimum opificium, rotundo ambitu conclusum, vt non solum fabrefactas naturas locis secluserit, sed & singulas suis exornarit atque expoliuerit formis, & formis ipsis adiunxerit δυνάμεις ἀναλόγους, *id est, facultates consentaneas*, in mixtis verò & συμμίξεις κεκραμένας τῶν πρώτων στοιχείων, *mixtiones primorum elementorum attemperatas*, quæ sunt causæ effectrices peculiarium, & suæ naturæ conuenientium actionum. Illæ formæ, dum vigent valentque non prohibitæ, eodem modo agunt semper.

Quemadmodum autem modo agendi causæ discrepant: aliæ enim necessariò, aliæ natura eundem producunt effectum, aliæ liberè agunt: & effectuum alij absolutè considerantur, alij ad materiam, in quam se vis causarum expromit, referuntur. Sic præuisa, prænunciataq; vel effectuum, vel accidentium ad effectus consequentium, inter se differunt. *Modus agendi in natura.*

Aristoteles secundas causas quatuor generibus comple- *Causarum secundarũ quatuor genera.*

xus est, quibus & conuenientia nomina attribuit, desumtà à modo agendi, indito singulis in prima creatione. Τῆς ἀνάγκης, *necessitatis*, voce, & cœlestes causas denotat, & necessaria atque immutabili lege procedentem agendi vim exprimit. Τῆς φύσεως, *naturæ*, appellationem elementaribus accommodat, quarum simplices quædam sunt, quædam simplicium inter se commixtione constant. Vtrisque adsunt certæ sensibusq; obuiæ qualitates, ceu ministræ, aut ὥσπερ συνεργὰ αἴτια, *tanquam sociæ aut participes operis causæ*, quæ in simplicibus, simplices, καὶ σφοδρότεραι, *vehementiores*, *validiores*; in mixtis, præcedentibus motibus velut fractæ, & ad temperiem formis σύμμετρον, *attemperatam*, redactæ, deprehenduntur. προαίρεσιν, *consilium & propositum*, transfert ad actiones arbitrarias hominum, quas libera facultate voluntas ciet atque expedit: etsi has semper præit, sæpe moderatur, iudicium, deliberatioque & consultatio rationis. Fortuitos casus, nec cogitatos antè, nec quæsitos, sed præter opinionem obiectos, & ab occultis causis gubernatos τῆς τύχης καὶ αὐτομάτου, *fortunæ & casus*, appellationibus notat & comprehendit.

Vt diuersa harum causarum vis est: Sic dissimilis ratio effectuum.

Ἀνάγκη, *necessitas*, totum elementarem Mundi tractum ambitu suo complexa, afficit, subigit, & immutat. Cuilibet speciei sua est peculiaris & propria φύσις, *natura*, ordine & lege procedens, seu cùm producit & constituit indiuidua, seu cùm absoluta fouet, sustentat, dispensat, ac conseruat, tueturque coalitum formæ cum materia, ne ante præstitutum dissoluatur terminum, aut fatiscat. Soli homini προαίρεσις, *consilium & propositum*, inest: huic soli τύχαι, *fortunæ*, accidunt, quemadmodum τῇ φύσει, αὐτόματα, *naturæ casus*.

Ἐξ ἀνάγκης γινόμενα, *quæ necessariò fiunt*, vt Aristoteles inquit, sua secutus principia, ἀεὶ ὡσαύτως γίνονται, *semper eodem modo fiunt*. Sed refutatur experientia, & Verbi diuinitùs patefacti autoritate.

Φύσις, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, *natura plerunque aut vt plurimum*, idem instituit, agit, & efficit. Aristoteles ἀνάγκην κυρίως, *necessitatem quæ propriè & reuera talis est*, distinguit ἀπ' ἀνάγκης καθ' ὑπόθεσιν, *à necessitate cum lege & conditione*. Sed

nulla

nulla est in rebus creatis nisi καθ' ὑπόθεσιν, *cum conditione*, necessitas. Προαίρεσις *consilium & propositum*, in quamcunque se vertit & inclinat partem liberè, neque eodem modo actiones instituit, nec susceptas eodem modo prosequitur, exercet, aut absoluit.

Prorsus varia est τύχη, *fortuna*, & inconstans, vt quæ in horas ferè, & momenta mutatur, suntque τύχη & αὐτόματον, *fortuna & casus*, causæ κατὰ συμβεβηκός, *per accidens*. Dissimilima ergo ratio iudicandi, vel de effectibus singularum vel de euentibus, qui effectibus institutis interueniunt. Quantum singulis certi insit & veri decernemus, adhibita semper (intellectu saltem, si verba non repetuntur) hypothesi, quam initiò constituimus, tanquam regula Lesbia.

Certæ sunt ex perpetuo constantiq; ordine, & inuariabili lege naturæ, prædictiones effectuum, qui immediatè, καὶ ἀχωρίστως *& inseparabiliter*, & oriuntur, ac dependent à proprijs cœlestium corporum naturis, & motus eorundem certò compræhensos sequuntur, quales sunt de emersu, apparitioneq;, & occultatione stellarum, de momentis ineuntium & desinentium dierum, de eorundem augescentium & deficientium interuallis, de Eclipsibus, & aliæ huiusmodi. Ad eum finem enim condita sunt lumina cœli, vt suis circumuecta orbibus, reliquas stellas, & terras subiectas, collustrent. *Cœlestium causarum in agendo summa certitudo.*

Reliqua verò cœli corpora multiplici numero his addita sunt, vt sine vlla affectione, aut offensione, suis itidem & congruentibus motibus perpetuò circumacta, cursibusque continuò repetitis lumina adiuuent.

Semper Luna ad alterutrum nodorum delata, Solique opposita, in terræ vmbram mergitur, & lumen amittit. Eadem in alterutro nodorum subtus Soli velut obducta, terris, quas vmbra sua inuoluit, Solis conspectum adimit. Perpetuò exoriens Sol, luce sua conuersum ad sese Hemisphærium terræ collustrat, & motu suo ac primo, seu quotidiano diurnas vicissitudines: suo tantùm, anni quatuor cardines distinguit, accedens æstatem aduehit, discedens hyemem relinquit, alibi plus, alibi minus caloris frigorisúe, excitans, proposit̄u diuerso ad subditas terras, & distantia à puncto verticali: Circumuolutus nunc has, nunc illas in cœlo stellas, fulgentibus radijs contegit atque abscondit, & vires ea-

rundem extimulat atque euocat. Fiunt hæc necessariò vno eodem modo *ὡς ἐπὶ πᾶν, vt in vniuersum*, quòd primitus à Conditore, ordo ratioq; motuum talibus est descripta & alligata legibus, quas neq; excedunt stellæ, nec rumpunt, Deo non volente, vel si fractus illabatur orbis. Idcirco prædictionum huiusmodi præcipua & summa est certitudo suo loco.

Dissimilis est ratio effectuum, quibus cœlestia corpora, vel totam elementarem naturam vniuersim, vel certos tractus, conclusaque in illis hominum corpora, afficiunt: non solùm excitatis primis qualitatibus motu suo, & lumine, sed etiam his variè mixtis, ac temperatis inter sese, proportione aliàs commoda, ac conueniente animantibus, aliàs aduersa & noxia: vel etiam sine euidentibus qualitatibus, latente, & nec dum satis explorata sympathia, percitis ac perculsis seu humoribus, seu principibus partibus. Cuius generis sunt vniuersales, statisq; anni temporibus recurrentes cœli constitutiones, & menstruæ, diurnæ, horariæ, momentaneæ mutationes aëris, infectiones, halitus pestilentes, flatus fœcundi, crasium conformationes humorum in corporibus commotiones, effluxus, abundantiæ, defectus ac diminutiones, atque alia huiusmodi, quæ suo loco recensebuntur. Etsi enim, vt postea ostendemus, & experientia declarat, cieri talia in hoc Mundi domicilio inferiore, variaque vi siderum: tamen nec vis omnibus eadem est in tanto numero, nec idem motus, nec positus idem, neque eodem modo, in quascunque terræ partes radios proiiciunt suos, nec in quibus cœli locis eodem sese incitant, atque exp romunt impetu. Et *τῆς ὑποκειμένης ὕλης subiectæ materiæ*, varietas est pæne *ἀκατάληπτος quæ comprehendi nequit*. Suo quęlibet stellæ nitent lumine, fulgenti Sol, rutilo Mars, claro puroque Iupiter, pallido ac velut plumbeo Saturnus, fulgido, sed albicante Venus, subrutilo & micante Mercurius; *ὑποπύρρῳ, subrufo*, Lampadias Hyadum maxima in fronte Tauri, flammeo *αὐγάζῃς instar Martis*, fulgido Sirius. Sua singulis vis inest, longo tempore obseruata. Suis Planetarum singuli & orbibus adhærent, & impelluntur, ac prouoluuntur motibus: suo quoque ac peculiari stellæ inerrantes, quæ in concauo ambitu octaui orbis, numero pænè infinito, & discrimine multiplici, lucent.

Singulorum Planetarum lumen quale.

Motuum diſcrimina conſequitur, vt coëant inter ſe aliàs ſtellæ, aliàs diſiungantur ac diſſideant, & ex diuerſis cœli locis directis, colliſiſque inter ſe radiis, diuerſimodè virtutes miſceant. Solque annuatim peragrans ſigniferum, & exuſcitet vires ſtellarum, quas adit, & variet effectiones, nũc his, nunc aliis manè aut veſperi in ortum productis, aut è regione merſis ſub occaſum: denique ex habitudine terræ ad cœlum, conſenſuque mirando ſuperiorum & inferiorum corporum, alias ſtellas, aliis terræ locis ac regionibus, aut familiarius fauere atque præeſſe, aut infeſtius, quàm ceteris nocere, depræhenſum eſt.

Terrarum diuerſitas tempeſtatum & morum diſcrimina parit.

Terrarum verò quantum diſcrimen, quanta ſeminum, ex quibus corpora procreantur, diuerſitas ac diſſimilitudo? Alij terræ tractus à medio cœli itinere, in quo Planetæ verſantur perpetuò, procul abſunt. Alij illi ipſi tractui viæ Solis intruſi, radios directiſſimo vibratos proiectu verticibus excipiunt, replicatoſque ac regeſtos ingeminant, vt validius vrant. Alij paluſtres ſunt, plani alij, alij montibus ardui, aut ſyluis obſiti, arenoſi alij, alij argilloſi, alij ſulphuris, bituminis, viuæ calcis, chalcanthi, & metallorum ceterorum, venis ſcatent aut effluunt, quæ ſuæ naturæ halitus in circumfuſum aërem expirant, & corpora aerem ſorbentia, qualitatibus iiſdem imbuunt. Hanc regionum locorumque diuerſitatem, non ſolùm cœli effectiones, ſed & propinquarum cauſarum vires variare, docet experientia. Candent niuibus, & glacie percrepant, arduorum cacumina montium, cùm plana, & à montibus ſyluiſque diſſita, grato ſuauique calore tepeant: Frequentiores & magis impetuoſas pluuias, turbulentiores ventos, crebriora fulmina, alia loca aliis experiuntur. Inundantur aquis paluſtria, cùm eminentiora vix pauxillum irrorentur. Valent robore corporum, moribus ferociunt, totoque aſpectu rigidiorem & agreſtiorem præ ſe ferunt naturam, qui ſyluas monteſve incolunt: Contrà, natura manſuetiores eſſe, citiúsq;, & facilius cultura emollitos miteſcere, in planis nõ paludoſis degẽtes, cernimus. Sed longũ eſſet pęnè infinita gentium diſcrimina, quæ ſola locorum parit diuerſitas, cõmemorare, cùm exiguo ſecluſas interuallo, tota propemodũ natura diſſidere conſpicemur. Maior ad gignendũ,

constituendasque, ac commoderandas crases corporum, vis seminum est.

Stellæ sunt causæ partiales mutationum in elementari regione.

Tot ergo, tamque diuersæ causæ, cùm ad effectus, quos in elementari regione stellæ gignunt, concurrant, facilè est iudicare, partialem vim tantùm à stellis oriri, & prædictiones, quæ ex cœli positu de talibus fiunt, certitudine niti tanta, quanta ex partialibus causis proficiscitur ac dependet.

Etsi enim stellæ lege naturæ suæ, necessariò eodem modo agunt semper, non semper tamen effectiones in materia elementari adhærescunt, & firmantur; multò minus victam semper, & compræhensam eodem modo subigunt & formant. Magna ex parte mense Aprili plus flatuum est, pluuiarum, & tempestatum. Euehuntur enim cum Sole Pleiades, Hyades, Hœdi, Orionis stellæ, quas omnes efficacissimè eo positu, cùm vel assident nascenti decedentique Soli, vel oppositi Solis aduersis succumbunt radiis, ortu vespertino, aut matutino occasu, commouere tempestates, longa ætas docuit.

Magna ex parte æstas calore immodico feruet, hyeme gelatæ strident niues, & densatus crassescit aër, qui attractus fauces exasperat.

Magna ex parte interlunio nati, imbecilliores sunt; & quibus nascentibus Saturnus Lunam minaci ac hostili radio, vel ex aduerso, vel in quadrato positu, ferit. Quibus Saturnus & Mars opponuntur, ij Dysuria ex calculo, vel ex alijs causis, vexantur. Fit tamen, vt contrarium accidat, aut talia mitigentur alijs causis.

Causæ propinquæ & materialis vis.

Differunt à cœlestibus causis Propinquæ & Materiales, quæ & inhærent materiæ elementari, & in eandem vim suam expromunt: hæ, quia accommodatam sibi, & sequacem requirunt materiam, si talis præstò non sit, non eodem modo, καὶ ὡς ἐπίπαν *& tanquam in vniuersum*, id quod agunt, expediunt & consumant: sed ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, *plerunque*, seu ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, *aut vt plurimum*. Vrit febrilis calor, attenuat, & consumit, sed plus vrit in humore incensus, quàm solo spiritu: vehementius exiccat & arefacit corpora tenuia & arida, quàm humida & obesa: In illis, si flagret longiore mora, depascitur τὴν σύμφυτον ἰκμάδα, & μαρασμὸν, *natiuum & in-*

Calor febrilis pro ratione subiecti varius.

genitum

genitum humorem & marcorem efficit: in his copiosior humiditas, flammæ pabulum præbens, prohibet, ne humiditatem natiuam exhauriat. Et præter materiæ ἐπιτηδειότητα *habilitatem*, de materialibus causis, aut vna sola sufficit effectui producendo, vt in forti Apoplexia, sola obstructio totius principij neruorum, respiratione interclusa, cor suffocat: aut plures socias causas iungi necesse est, quarum si vna desit, aut ceterarum resistat ac repugnet intentionibus, impeditur effectus prorsus, aut differtur, atq; extrahitur. Suppeditant exempla medicorum Prognostica. Quæ sit igitur prædictionum ex his causis extructarum certitudo manifestum est. Congruit enim rebus ipsis: Si omnes causæ ordinatæ ad effectum conueniant. & adsit idonea materia, procedit effectus. Si quid horum desideretur: aut mutilatur, aut impeditur, aut deficit. Ex particularibus causis factæ coniecturæ imbecilles prorsus sunt, nec plus confirmant de secuturo effectu, quàm pollent causæ monitrices & indices.

Ad causarum examen pertinet & distinctio signorum, quæ siue causæ sint significatorum, siue effectus, siue causis, effectibusve copulata, sub duorum generum alterutrum cadunt. Aut enim τεκμήρια, *propriæ ac perpetuæ rei notæ* sunt; aut, εἰκότα *signa probabilia*. Τεκμήρια Physica parem vim habent antè descriptis causis, & ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, *vt plurimum* idem denotant. Nam si verarum ac sufficientium causarum vim vicemque præstant, effectum, de quo monent, ipsa exequuntur ac complent: Si effectuum rationem sustinent, suarum causarum vim referunt atque ostendunt: Si causis, effectibusve nexa cohærent, ceu propria suorum subiectorum naturam exprimunt & declarant. Diuinationes ergo inde deductæ, certitudine non cedunt iis, quæ in Physicarum causarum explicatione constitutæ sunt. Εἰκότα, *signa probabilia* particularibus causis comparo & æquo. Nihilo certius enim secuturos euentus demonstrant hæc, quàm de consummatione effectuum particulares causæ confirmant, quos ex parte tantùm promouēt. Vtrisq; abundat ars Medica: τεκμήρια, *propriæ ac perpetuæ rei notæ*, sunt in illo de Phthisi Aphorismo, Phthisis, si sputum carbonib. iniectum fœteat, & capillorum defluuium, atq; Diarrhæa accedat, θανατώδης *lethalis* est. Εἰκότα, *signa probabilia* infinita recenseri possent.

Signorum distinctio.

Nec pauciora Physicorum suggerunt monumenta.

Tempestatum prognostica ex Vergilio.

De horum genere sunt illa apud Vergilium tempestatum Prognostica:

Luna reuertentes cùm primùm colligit ignes,
Si nigrum obscuro comprenderit aera cornu:
Maximus agricolis pelagoq; parabitur imber.
At si virgineum suffuderit ore ruborem,
Ventus erit: vento semper rubet aurea Phœbe.
Sin ortu in quarto (Namq; is certissimus autor)
Pura, nec obtusis per cœlum cornibus ibit,
Totus & ille dies, & qui nascentur ab illo
Exactum ad mensem, pluuia ventisq; carebunt,
Votaq; seruati soluent in littore nautæ
Glauco & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.
Sol quoq; & exoriens, & cùm se condet in vndas,
Signa dabit: Solem certissima signa sequentur,
Et quæ manè refert, & quæ surgentibus astris.
Ille vbi nascentem maculis variauerit ortum,
Conditus in nubem, medioq; refugerit orbe,
Suspecti tibi sint imbres: namq; vrget ab alto
Arboribusq; satisq; Notus pecoriq; sinister.
Aut vbi sub lucem densa inter nubila sese
Diuersi erumpent radij, aut vbi pallida surget
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.
Heu malè tum mites defendet pampinus vuas,
Tam multa in tectis crepitans salit horrida grando.
Hoc etiam, emenso cùm iam decedet Olympo,
Profuerit meminisse magis: Nam sæpe videmus
Ipsius in vultu varios errare colores.
Cœruleus pluuiam denunciat, igneus Euros:
Sin maculæ incipient rutilo immiscerier igni,
Omnia tum pariter vento nimbisq; videbis
Feruere: non illa quisquam me nocte per altum
Ire, neq; à terra moneat conuellere funem.
At si, cùm referetq; diem, condetq; relatum,
Lucidus orbis erit, frustra terrebere nimbis.

Similia plura, Arati Φαινόμενα, *quæ in cœlo apparēt,* & τετράβιβλος σύνταξις, *quadripartita constructio,* Ptolemæi habent.

Sunt

Sunt in genere signorum & communia quædam, ambigua atque obscura, quorum significatis ἐπ' ἔλαττον, rarò euentus respondent. Hæc etsi cum ceteris certioribus indiciis considerata πρόγνωσιν, *prænotionem* adiuuant & dirigunt: tamen per se sola turbant tantùm, distrahuntque cogitationes, remque, quam perscrutamur, obscurant. Non pauca horum in rerum natura reperiuntur: plura fingunt, conformant, & obtrudunt Dæmones naturam imitantes, vt pauida & anxia hominum corda solicitudine inani feriant, atque inuoluant. Sed cùm nil certi insit huiusmodi notis, prætereo eas, & accedo ad tertium genus secundarum causarum, quod προαίρεσιν *consilium & propositum*, vocari ab Aristotele dixi.

Τὴν προαίρεσιν, *consilium & propositum* vt suprà monui, accommodat Aristoteles actionibus, quas libera voluntas, de consilio decretóque rectæ rationis suscipit. Sed cùm voluntas sit liberum agens, vbi vult, rationem ducem sequitur: vbi non vult, eò se inclinat, quò vel suo fertur impetu, vel ab aliis causis impellitur. Harum causarum plures sunt atque diuersæ: & mentis non est vis eadem, aut perspicacia, vel dexteritas in omnibus, neque idem iudicium, neque eodem genere doctrinæ excultum.

Præterea, cùm voluntas benè deliberata consiliisque necessarijs optimè communita & fulta, rectè administrat, nullo eorum, quæ ad consequendum id, quod prosequitur, pertinent, prætermisso, frustratur tamen sæpissimè: Euentum enim præstare nequit, quem aliàs aliæ causæ gubernant.

Idcirco antequam definiamus, quid sit certi in prænotionibus, prædictisque eorum, quæ hominibus accidunt, causas cùm actionum, tum euentuum, vt enumeremus ac distinguamus, necesse est.

Voluntas suprema in anima rationali potentia est, libera, effectrix actionum omnium spontanearum, quæ agere, vel non agere, & suspendere actionem potest, monstrato obiecto à potentia altera intelligente. Necesse est enim, vt appetitionem alicuius rei, vel recusationem, præcedat eiusdem cognitio, cùm nulla sit ignoti cupido. Causa ergo primò mouens voluntatem, Mens est, indicans atq; ostendens

Voluntas humana.

Mens voluntatem mouet.

voluntati, quæ sint expetenda, ac prosequenda, quæ fugienda, aut reijcienda.

Etsi verò hæ duæ *δυνάμεις facultates*, arbitrarias actiones omnes primò præcipueq; instituunt, inchoant, moderantur, atque vrgent, & exequuntur, eo ordine, vt Mens, quid fieri conueniat, consilio delectuque adhibito, decernat: Voluntas, quæ vult, deligat & suscipiat: Mens circumspectis occasionibus omnibus accommodata, ac profutura ad institutam rem, vel obfutura, atq; aduersatura, notet atq; ostendat: Voluntas conuenientia consectetur ac comparet, aduersa declinet, ac repellat: Tamen neq; ipsæ inter se semper consentiunt, & vtraque cum pluribus alijs est copulata causis synergis, quarum antecedunt quædam, quædam se simul inferunt, quædam ceu ministræ seruiunt: & harum quælibet suo loco atque ordine aliàs adiuuant & acuunt, aliàs vitiant ac deprauant, aliàs remorantur ac impediunt illarum principum facultatum actiones.

Mens & voluntas sæpe inter se dissentiunt.

Quanquam enim anima rationalis natura est inorganica, expers mixtionis concretionisque elementaris, neque obnoxia iis mutationibus, quas mixta sustinent, & libera à corporis contactu: tamen cùm sit inclusa in hos corporis carceres diuinitus, eo fine, vt sit pars præcipua substantiæ hominis, talibus illi est vinculis annexa, vt præcipuæ eius vires, præcipuis facultatibus cerebri sint colligatæ. Menti enim tota externorum interiorumq; sensuum series, Voluntati motrix est coniuncta facultas, nexu tali, tamque necessario, vt dum hæret in hoc carcere anima, nequeat citra adminiculum, & ministerium harum virium efficere quicquam.

Anima Rationalis in homine vtitur ministerio sensuum.

Nec perspicit Mens, neque intelligit quicquam eorum, quæ foris fiunt & geruntur, nisi ex indicio, relatuque vtrorumque sensuum: quorum exteriores visa, audita, omninoque vi sensitrice appræhensa, transmittunt per neruos ad cerebrum, vbi interiores eadem excepta, collectaque, & examinata prius, ac pensitata, offerunt atque exhibent parti intelligenti: Recteque dixit Aristoteles: Οὐδὲ νοεῖ ὁ νοῦς τὰ ἐκτὸς μὴ μετ' αἰσθήσεως ὄντα: *Neque intelligit mens ea, quæ forinsecus sunt, nisi sensus indicio.*

Voluntas verò, etsi mirando, ac planè occulto consensu cordi

ſu cordi cohæret: tamen ob innatam atq; inſitam penitus naturæ contumaciam, imperio vti ſuo non poſſet, niſi ſubditam ſibi, obligatamq; tam arctis vinculis motricem facultatem haberet, qua & effrenes ac tumultuantes cordis motus, & reliquas rationis, conſiliiq; expertes vires corporis, compeſcit aliquantum ac cohibet. At harum facultatum fons eſt cerebrum, & ciet ſenſus motusq; ſua natura, cùm vi temperamenti elaboratis, ac velut colluſtratis ſpiritibus, tum contractione ſui, ac dilatatione, his variè impulſis atq; agitatis.

Hæc copulatio reliquas complectitur & includit cauſas, de quibus ordine dicemus, exordio ſumto à parte intelligente. Etſi mens ipſa, & certis eſt à prima origine inſtructa notionibus, quæ ſunt firmæ & immotæ *ἀρχαὶ*, *principia*, artium omnium, atque actionum, & non afficitur à corpore, vlliſve corporeis cauſis: tamen decepta indicio ſenſuum, errantium in diiudicatione ſimplicium, aut ratiocinatione, mox eodem & ipſa errore inuoluitur: cumque vel leuis error, præſertim ſi quis in aditu primo rei impingat, aut deuiet à directo tramite, longius à ſcopo veritatis abducat, & plurimos alios procreet: quantò à non rectè acceptis peramque accommodatis ſenſuum perceptionibus, progreditur vlterius, tantò plus recedit à veritate & immergitur erroribus profundius. *Error mentis ab indicio ſenſuum errantium.*

Senſus verò aliàs ab aliis cauſis aliter afficiuntur. Vtrumque veriſſimum eſſe, docet experientia.

Etenim non in Melancholicis ſolùm aut Phrenitidi, & *παραφροσύνῃ*, *delirio*, obnoxiis, quanta vis ſit ſenſuum, ſed ſanis etiam ac ſecundum naturam ſe habentibus, diſcimus: in quibus quantò ſunt excitatiores, rectiores, & perſpicaciores ſenſus vtrique, tantò vis mentis acrior & expeditior, quæ ab his de ſenſuum iudicio conſtitutis principiis exorſa, longius progreditur ratiocinando, inueſtigandoque & eruit ac texit, inde longè plura, concinna ſerie & methodo, rectè dextréque accommodatis principiis, & argutè formatis connexionibus Syllogiſticis. Quantò rurſus ſunt deprauatiores, tantò & ipſi crebrius aberrant, & in eoſdem errores mentem trahunt ac coniiciunt. *Vis mentis ſenſibus reſpondet.*

Vis ſenſuum tota cerebri naturæ reſpondet, qua natura, *Senſus re-*

ſpondent naturæ cerebri.

non ſolam κρᾶσιν, *temperiem*, ſed οὐσίαν, *eſſentiam*, totam totius & partium καὶ διάπλασιν, σχῆμα, πλοκὴν, πηλικότητα ἢ ὄγκον, & θέσιν, *& conformationem figuram, magnitudinem, aut molem & ſitum*, complector. Qualia enim hæc ſint, multum refert ad perfectionem actionum.

Actiones cerebri.

Cerebrum vi ſui temperamenti, & gignit τὸ ψυχικὸν πνεῦμα, τὸ πρῶτον ὄργανον τῆς ἡγεμονικῆς δυνάμεως, *ſpiritum animalem præcipuum organum principis facultatis*, & ſeſe diducit, rurſusq; comprimit viciſſitudine continua, & format rerum imagines, cogitationesq;, ſpirituum & motus ſui ope, vt inferius oſtendemus.

Natura cerebri ex ſeminibus & aſtris.

Quantum ergo referat, vt cerebrum ſit rectè conſtitutum & temperatum, manifeſtum eſt. Valente enim & vigente cerebro, vigent ſenſus: eodem vitiato aut labefactato, elangueſcunt, aut corrumpuntur, & errant. Cerebri temperies vi ſeminum (eſt enim origo eius ex optima & præſtantiſſima ſeminum parte) inchoatur, & velut primis lineis ductis informatur, aſtrorum effectionibus conformatur atq; abſoluitur. Semina inchoatam mixtionem qualitatum, & ad cerebri formam digeſtione iuſta partium directam, ſuppeditant: Aſtra mixtionem totam gubernant: variatis vi ſua, coagmentatis, & expolitis ſingulis partibus.

Etſi enim magna ſeminum vis eſt, non minor tamen cœli & aſtrorum, quæ non ſolùm, cerebri craſi conuenienter temperata, ſenſus acuunt ac vegetant, ſed etiam temperamentis ipſis certo poſitu, certas ἐπιτηδειότητας, *habilitates*, & acumen quoddam ad peculiaria ſtudia, ad Muſicen, Poëticen, artem Medicam, & alia huiuſmodi imprimunt. Eſtque veriſſima Ptolemæi ſententia,

Naturarum & ingeniorum varietas vnde.

ὁ πρός τι πρᾶγμα ἐπιτήδειος ἕξει πάντως καὶ τὸν δηλοῦντα ἀστέρα τὸ τοιοῦτον ἐνδυνάμενον ἐν τῷ οἰκείῳ γενεθλίῳ, *qui ad rem aliquam idoneus eſt, habebit omnino, in themate natalis ſui, ſtellam, quæ facultatem illam ſignificet.* Vt verò ſeminum varietas eſt infinita, ſic non omnibus naſcentibus, iidem aſtrorum poſitus contingunt: hinc illa, & naturarum, & ingeniorum varietas.

Temperamenta cerebri locorum natura & victus ratione mutantur.

Accedunt deinde extrinſecus aliæ cauſæ, quæ formata iam cerebri temperamenta, aliàs conuenientibus viribus roborant, aliàs contrariis hebetant atq; infringunt: nimirum locorum natura ex diſparili terrarum exhalatione diuerſa,

uersa, & diæta ætatis teneræ. Crassum cœlum & pingue ingenia gignit hebetiora, acriora contra purum & tenue. Excipit enim, quos aquæ terræque expirant halitus, hic circumfluus aër, & halitu attractus, eosdem in hominum corpora inuehit. Attracti verò aeris pars non minima, sursum rapitur in cerebrum vbi tum animalibus tum sese miscet spiritibus suis cerebrum qualitatibus velut tingit. Cumq; idē aer continuò succedat, atq; in idem subiectum allidatur, euenit, vt, quemadmodum qui multum in Sole obambulāt, infuscantur, sic cerebrum ex eodem aere, ceu frequenter illito, nouarum qualitatum velut lineamenta, aut colores concipiat atq; inducat.

Eadem diætæ est ratio. Vertitur enim sanguis virtute cordis in vitales spiritus: ex his, subactis atque exactius elaboratis, & velut cœlesti lumine accensis cerebri temperie, procreatur τὸ ψυχικὸν πνεῦμα πάνυ λεπτὸν καὶ αὐγοειδὲς, *spiritus animalis tenuis omnino, & flammæ instar lucidus*. Quantò ergo tenuior sanguis & purior, tantò inde expressi spiritus, si rectè coquantur, euadunt perfectiores: Et sanguis ipse, cùm nutriat cerebrum, quando conformatus præcedentibus coctionibus iungitur ei, loco illius quod defluxit, tantò minus immutat, aut vitiat cerebri substantiam, quantò est purior & similior; præsertim in tenellis infantium corporibus, quæ ob mollitiem, & quouis modo fingi, & quibusuis qualitatibus facile infici possunt.

Addo & constitutionem totius corporis, & præcipuarum partium, siue ex seminibus primo ortu propagatam, siue pòst aliunde contractam. Namne hæc quidem paruam vim adfert cerebro, vt ratio docet, & comprobant rationem exempla.

Ceterum quod constitutioni cerebri semina, astra, locorum natura, diæta, & temperies corporis totius conferunt, hoc virtuti sensitrici, maximè verò interioribus sensibus, quos citra organa vi miranda cerebrum intra sese, & in suis alueis ciet, ipsique parti intelligenti, præstat prima institutio, & studia totius vitæ. Multum enim refert, quo quis genere doctrinæ à teneris imbuatur, quales velut cum lacte nutricis opiniones ac sententias sugat, ac combibat; in quibus disciplinis exerceatur, quo ordine discere artes,

Institutio prima parti intelligenti præstat plurima.

qua via ac methodo indagare atque explicare veritatem, & vt quærere, euoluere, atque enodare, non sophismatum præstigiis irretire & obruere veras sententias, consuescat.

Etsi cerebro vis inest natiua, qua rerum sensibus perceptarum effigies atq; imagines imitando format, nullis tamen ipsum est consignatum notionibus: sed velut mollis ac fluida cera, rudis tamen atque informis, impressas rerum imagines noticiasq; sensu comprehensas ac collectas excipit. Hæ, vbi semel primis annis occupauerunt cerebrum, & ætatis progressu, mediocri meditatione repetitæ ac versatæ occaluerunt, adeò pertinaciter radicibus actis inhærescunt atque insident, vt nulla possint aboleri aut euelli ratione, immò ne melioribus quidem postea & sanioribus cedant opinionibus.

Deprauatum sensuum iudicium, excæcat & corrumpit mentem, sequiturque vt erroribus ducantur vtraque perpetuis, neque ad aspectum veritatis vnquam perueniant. Mēs ipsa, etsi non, vt Aristoteles censet, nudæ tabellæ similis, iis quæ illinuntur patet opinionibus, quemadmodum cerebrum, sed certis & immotis est notata atque obsignata sententiis, quas ἀρχὰς, προλήψεις, & ἀξιώματα, *principia, anticipationes siue prænotiones, & pronunciata* vocarunt, quæ ceu lumen præeunt iudicanti de rebus: tamen culturam requirit, qua hæ obscuræ, & velut in densa caligine micantes scintillæ excitentur, illustrentur, augeantur, ac foueantur. Fotæ enim conuenienti veræ doctrinæ pabulo, in flammam iustam exardescunt: neglectæ, vel cœno falsarum opinionum conspurcatæ, aut obrutæ, obscurantur & elanguescunt.

Mens culturā requirit.

Etiam vtrisque innata ὀξύτης καὶ ἀγχίνοια, *ingenii acumen & solertia*, nisi elaboretur ac perpoliatur iis artibus, quæ methodi artifices sunt, perit, aut obtorpescit: deprauatur eadem, si ad sophismatum imposturas magis, quàm veritatis inquisitionem assuefiat.

Ex his liquet, quantum in prima institutione positum sit. Nam si veræ sanæque doctrinæ ideam delineat & effingit in teneris animis, fundamenta secuturæ sapientiæ struit, adeoque inchoatum à natura opus exædificat, ornat, atq; absoluit: si falsis contaminat aut irretit eosdem animos opinionibus, præcludit ad veritatis cognitionem aditum. Vix enim,

enim, aut vix ſummo conatu ex conceptis ſemel, ætatéque roboratis erroribus, ſeſe mens expedit.

Habent præterea excellentia ingenia dotes peculiares, neque à ſtellis inſitas ipſis, neq; ex cauſis Phyſicis ortas. Tales abſq; omni dubio confert immediatè Deus ipſe. *Naturæ heroicæ à Deo excitantur.*

Cùm enim artium veritas, erroribus deformata ac prægrauata, ruinam minatur atque interitum, excitat Deus ingenia heroica, eaque conuenientibus dotibus ornat atque inſtruit, vt laboranti atque inclinatæ artium veritati opitulētur, & hanc erroribus exterſis de integro inſtauratam ab interitu vindicent. Ac cùm in politiis leges & diſciplinam conſtituit ac ſancit, vel ipſis principibus, vel iis, quorum conſilio & opera reguntur principes, dotes largitur tantæ rei idoneas ac neceſſarias. Talis fuit ſapientia Dauidis, Danielis, Ioſephi, & plurium aliorum. Tales fuerunt præſtātiſſimorum artificum dotes omni tempore. Veriſſimum eſt enim, neque vllum vnquam magnum virum extitiſſe ſine afflatu diuino: neq; aliunde, quàm à ſolo Deo, excellentiam ingeniorum, & motus heroicos proficiſci.

Contrà, ſunt quædam ingenia tam diſtorta, ſophiſtica, veteratoria, & plena veneni, vt tantæ deprauationis nullæ neq; in aſtris, neq; in materia, cauſæ oſtendi poſſint. Oderunt, & extinctam cupiunt ſacram veritatem, delectantur ſophiſtica, & quicquid rectè dicitur, ſtudent veteratoriis præſtigiis aut eludere, aut conuellere, atq; infringere: polluunt & conſpurcant artes, etiam principia de æternæ atq; immotæ ſapientiæ Dei radiis accenſa, & cum ipſis nata hominum animis, omnibúsque conceſſa, quæque ex his conſequentia irrefragabili deducuntur, impetere ac labefactare, & conſtantem perpetuámque experientiam in dubium vocare & controuertere, non erubeſcunt: excogitant conſilia pernicioſiſſima, pulchra ſpecie, valentíque ad omnem maliciam.

Ingenia peruerſa & monſtroſa à Diabolo. Talia format & armat ingenia, non natura ipſa, non Deus δημιουργὸς, opifex, naturæ, ſed mendaciorum & ſcelerum architectus Diabolus: qui, vbi naturas mediocriter à Phyſicis cauſis, & ſua voluntate ad maliciam inſtructas, ac præparatas adipiſcitur, eas in ſuos vſus conuertit, hócq; quod naturæ deeſt ad ſummam atque abſolutam peruerſitatem, ex-

plens ac cumulans, adornat organa perniciosa sibimetipsis, & aliis.

Cuiusmodi fuerunt Achitophel, Catilina, Nero, Caligula, Arrius, Manichæus, & plures alij infinito numero: quorum quosdam non instruit tantùm, sed regit ipse & incitat: alitq; omnino & confirmat maliciam in improbis: Iis verò quibus sophismatum præstigiis veritati illudere volupe est, tum effascinat animos imposturis intricatissimarum opinionum, quibus excæcati adeum modum circumducuntur, vt nunquam amplius consequantur, in quo tandem consistant & acquiescant, tum consuetudinem cauillandi auget.

Deniq; *ἀμφὶ πάντων ἀνθρώπων φρεσὶν ἀμπλακίαι ἀναρίθμητοι κρέμανται*, *circa omnium hominum mentes innumeri errores pendēt*, vt rectè Pindarus ait: Natura omnes & variarum cogitationum ceu fluctibus turbamur, ac rapimur, & miris feruidisque affectuum percellimur æstibus, qui *παρέλκουσι πραγμάτων ὀρθὰν ὁδὸν γ' ἔξω, παραπλήττουσι δ' καὶ σοφὸν*: *Auertunt mentem extra rerum rectam viam atq; in errorem impellunt etiam sapientem.* Adeoq; in omnium hominum animis plurimum est cæcæ perplexitatis, incertarum ac dubiarum opinionum, aberrantium ratiocinationum. Quapropter, præclarè Græco versu dicitur, *οὐδεὶς ἀνθρώπων ἐστὶν ἅπαντα σοφὸς*: *Qui sapiat quouis tempore, nullus erit.* Item, *ἁμαρτάνει καὶ σοφοῦ σοφώτερος*: *Errat & sapiente, sapientior.*

In hos animorum reconditos sensus intentus est Diabolus, perspectos obiectis occasionibus aut irritat, aut si adsunt, alit, & acuit, toties ac tantisper, donec turbatis perplexisque & non attentè circumspicientibus animis, vel labes insignes inurat, vel exitiosa infligat nocumenta.

Adiungendæ sunt igitur expositis antea causis Physicis, hæ duæ quoq; occultæ & liberæ causæ.

Adeò enim certum est & conspicuum, præstantium virorum excellentia & singularia dona, neq; ex astris deriuari, neq; ex parentum nasci seminibus, sed diuinitus inseri, vt hoc fateri Ethnicos quoq; res ipsa coegerit. Non his donis eam lucem, quam Spiritus sanctus verbo accendit in cordibus credentium, sed sapientiam, quæ artes politiasque condit

dit ac conseruat, intelligimus, quam etiam non sanctificatis largitur Deus, eò quòd disciplinas & imperia consistere vult, ac perdurare ad extremum vsque Mundi interituri momentum, propter Ecclesiam.

Hæc series est causarum antecedentium voluntatis actionem, quarum quædam totum cerebri ædificium, ac præcipuas in eo vires velut construunt ac temperant: quædam id, vbi iam absolutum est, in aliis elegantibus ac concinnis veræ doctrinæ imaginibus vestiunt, expoliunt, ac confirmant, in aliis contrà monstrosis atque erroneis opinionibus inquinant & deformant: Cerebrum rursus parti animæ intelligenti eas obuertit atq; exhibet effigies doctrinarum, quibus ipsum formatum est atque imbutum: Mens arripit eas, & sequitur, siue veræ sint, ac rebus consonæ, siue à rerum veritate discrepent, ni prius ipsa quoque veris sit illustrata ac confirmata sententiis, vt discernere possit inter verum & falsum, honestum & turpe, & statuere, quod sit ordine bonum, quodque expetendum, quæ conueniant, quæ dedeceant, deniq; nisi, qui languet ferè, sit roboratus assensus, ne de semel conceptis facilè deiiciatur sententiis. Ita autem sequitur eas, vt cogitationes de earum iudicio monitúque, & deliberationes omnes instituat, præsertim si appetitiones ceteræ suffragentur, idque velint, flagitent, & vrgeant, quod sensus proponunt.

Prima verò causa, mouens voluntatem, Mens est: hæc re deliberata, monstrat voluntati, quæ expetere ac prosequi, quibus de causis, qua ratione, quo ordine, quibus adhibitis: quæ contrà excludere atque amoliri conueniat, flectitque voluntatem ad approbata & conuenientia, reuocat atque abducit à contrariis, & velut ad gubernaculum sedens, defixaque in scopum, quem sequitur, & in omnes intenta occasiones circumspicit accuratissimè, & prouidet, ne vspiam impingat & hallucinetur voluntas. Tota verò mentis deliberatio, aut natura, insitis notionibus ac doctrina excitatis, aut sensu comprehensis, hoc est, vel experientia animaduersis, vel ex doctrina haustis, acceptisque, regitur ac gubernatur.

Rectè ergo à teneris instituta Mens, cùm iudicat rectè de obiectis, primóq; statim aspectu, quid veri insit, quæ sint

veri honestíque specie fucata pernoscit, tum ad honesta, salutaria, & felicia voluntatem traducit atq; assuefacit.

Non rectè instituta, quia aberrantium opinionum velut caligine circumfusa est, intuens in res à sensibus ostensas cæcutit quasi, nec discrimina veri falsiq; perspicit, & postea in ratiocinando labitur. Errante iudicio, peccat & voluntas. Atq; adeò, vt Mens eandem doctrinam assidua meditatione commentationéq; versans ac tractans inficitur: Sic voluntas, quòd ad mentis iudicium ordine naturæ primò respicit, ea ipsa tractatione, & quotidiana eiusdem vocis repetitione & inculcatione assuefit, vt δύναμιν quandam & propensionem contrahat ad agendum, ex præscripto doctrinæ. Abeunt enim studia in mores, præsertim teneris instillata animis, ac ferè in naturam vertuntur.

Voluntatis ἀταξία, appetitus inordinatus.

Etsi autem ordine naturæ agens voluntas obtemperat ductui rationis: tamen cùm & ipsa sit infirma, & magna sit vis *τῶν φυσικῶν καὶ ἐπικτητῶν δυνάμεων*, *naturalium & ascititiarum facultatum*, in voluntate & corde, magna appetitionum quæ nec congruunt semper voluntati, nec imperium eius audiunt aut ferunt, vincitur sæpe his causis: & vel sua se sponte seiungit & auertit à ratione, præferens atq; amplectens, quod illa improbat, vel rapta atq; auulsa violenter aliò impellitur, quantumuis reclamet ratio, retineréq; in statione atq; officio voluntatem annitatur. Adiunctum est voluntati cor *εἰς τὸ δορυφορικὸν οἴκημα, ἵνα τοῦ λόγου κατήκοον ὄν, κοινῇ μετ' ἐκείνου βίᾳ τὸ τῶν ἐπιθυμιῶν κατέχοι γένος*, *vt stipatorum sedes sit & domicilium, vt dicto rationis audiens, communi cum illa potestate coerceat genus cupiditatum*, vt Plato ait: & obtemperat, vel sponte, vel persuasum politico rationis imperio, cùm natura, temperatum est. Sed quia mira *φυσικῶν δυνάμεων καὶ ἐπικτητῶν*, *naturalium & acquisitarum facultatum*, mira subitò exardescentium & erumpentium motuum, est varietas, quam temperamenta efficiunt, astrorum & seminum vi procreata atque elaborata, assuefactione verò confirmata: multum refert, quibus quisq; nascatur parentibus, quo cœli situ in lucem prodeat, ad quæ à teneris exerceatur atq; assuefiat.

Fortes creantur fortibus & bonis, inquit Poeta: Nec degenerem procreant aquilæ columbam. Id etsi de seminum natura verum est suo loco atque ordine, propagantur enim

semi-

semina virtutum, & ceteri impetus, à parentibus innatos: Vt recte Plutarchus dixerit, ἐν τοῖς σπερμάτων ὀλίγαις σταγόσι, καὶ τὰ τῆς ἀρετῆς ἀγαθὰ συῤῥεῖ, *In paucis seminum guttis, etiam virtutis bona confluunt*, tamen quantum cœli positus mutent informatam iam à seminibus crasin, atque illis inditam vim, in confesso est.

Ex iisdem nati parentibus, dissimili astrorum constitutione, adeò discrepant, vt nulla, ne minima quidem sanguinis cognatione iuncti videantur: & quanquam seminum quoque vis, quæ corporum naturis respõdet, mutatur in iisdem, vel ætate attenuatis viribus, vel morbo eneruatis, vel diæta nõ conueniente afflictis: tamen nunquam hæc sola diuersitatem tantam atq; dissimilitudinem parerent, nisi alia ex astrorum & cœli tractu accederet efficacia maior. Ex languefactis seminibus imbecilliora omnia lege naturæ oriri debebant: At corporibus firmioribus ac venustioribus ornatos, animisq; præditos maioribus, senes parentes sæpissimè gignunt iis, quos florente ac vigente ætate ediderunt. Φυσικαὶ verò ἀρεταὶ *naturales virtutes* sæpe etiam in obscuris & humilibus virtute cœli cientur. *Φυσικαὶ ἀρεταὶ à causis cœlestibus.*

Formant ergo, vt totius corporis & partium ceterarum, sic cordis crasin, astra: Et quidem in idoneis cœli locis collocata, faustisque & felicibus inter se configurationibus sociata, temperiem cordis, concinna moderataque primarum qualitatum proportione, principi facultati attemperant, cumque vigent, τῇ συμμέτρῳ κράσει, *temperie moderata* præter eam vim, quæ temperiem comitatur, etiam velut innectunt δύναμιν aliam maiorem; commotricem singularium motuum, qui cum & iudicio mentis congruant, & voluntatem cum ratione ipsa extimulent, iuuentque: (miranda sunt enim inter se voluntatis & cordis vires συζυγίᾳ *coniugatione*, deuinctæ) absolutum quiddam efficiunt, longeque communes hominum vires excedens: Neque enim in abdito sese continent, nec reprimi se patiuntur, sed erumpunt, vel inuitis ac reluctantibus omnibus.

Rursus peregrinas & alienas à naturis suis sortita sedes, aut aduersis hostilibusque ceterorum perculsa radiis, enormi & venenata cor dyscrasia, satellitioque effrenium virium, contra dominatricem potentiam armant, eamque

ἀταξίαν ordinis perturbationem, quæ inde vsq; à primis parentibus propagata, concordes conformesq; inter se appetitiones, *καὶ τῷ ἡγεμονικῷ ὑποτεταγμένας parti principi subiectas*, distraxit voluntate sauciata, in tantum augent, vt quanquam nũc quoque constitutione præceptioneq; diuina, eidem potentiæ subiectæ sint, ea lege atque conditione, vt ceu *παρεστῶτας astites & satellites*, suo assistant principi, suoque fungentes munere, ad eius se nutum componant atque accommodent, tamen ex aucta his causis deprauatione, eò euadat effera atque indomita vis cordis, vt si crescat cum ætate, & indulgentia roboretur, postea effractis repagulis omnibus, detrectata autoritate, excussoque rationis imperio, non solùm sine ordine ruat, sed & mentem ipsam turbet atq; excæcet, & voluntati vim faciat: tum incitata ea impetu suo, eodem quo ipsa fertur, tum illo altero etiam herili dominio quasi de manibus violenter extorto, quod de toto primo & pulcherrimo imperio, post turbatã virium harmoniam, in solam cerebri locomotricem facultatem voluntas retinuit.

Quanta violentia enim hæc externa membra, præsertim in naturis distortis, cogat, concitet, & præcipitet in scelera & flagitia, nequicquam refragante ratione, nimis crebrò cernimus & experimur.

Etsi enim natura moderatiores impetus facilè persuadendo demulcet ac sedat, paulò efferatiores, locomotrice cohibita, compescit, tantisper donec deflagrent ac deferuescant: tamen à distortis atque indomitis vincitur sæpissimè.

Cordis & cerebri sympathia.

Nec quo id modo fiat, miremur. Siquidem & cordi cerebrum, multis fœderibus vinculisque connexum, in corporum sectionibus conspicamur, vt societate, cohæsioneq; partium, & officiorum vsu, quæ sibi inter se mutuò vltro citroq; communicant: & vtrunque membrum se mutuò miranda sympathia afficere, quotidiana discimus experientia.

Cerebrum cogitationibus suis ferit cor, & quidem aliàs aliter, prout vel immissa forinsecus, vel ex phantasmatis nata obiecta, dextrè aut falsò, commodè aut incommodè, in hanc illamve partem accipit, atque interpretatur

Respondent enim phantasiis cerebri cordis motus tantò certius, quàm mentis consultationibus voluntatis actiones, quantò & vis cordis, à liberæ causæ conditione

ne longius abest, & firmius cerebro cor ipsum colligatum est.

Pulsatum verò hoc modo atque affectum cor, compressione sui atque distensione, vi temperamenti, ope fibrarum, quibus totum eius est corpus intextum, ciet congruentia cogitationi affectuum genera. Et vicissim, cùm vel amplectitur & captat monstratum obiectum, vel auersatur, *δυνάμιν facultatem*, in cerebro locomotricem commouet: quæ, si consentit superior facultas, neque aduersatur, aut prohibet, externa membra impellit & flectit, vt hoc, quod requirit cor, prosequantur, aut contrà repellant atq; abigant, quod refugit.

Si quæris, quæ sit causa huius sympathiæ, subitæque, & mirandæ penetrationis obiectorum ad cor, atque inde reflexionis & recursus affectionis cordis ad cerebrum: aut nescio, aut efficit hoc, qui intercedit naturis membri vtriusque latens & non exploratus nobis consensus, cui in vtroq; spiritus præcedentibus motibus conformati atque accommodati seruiunt, qui & ipsi similes sunt inter se atq; cognati, quòd alterius ex altero origo est.

Cerebrum, suo spiritu, rerum conceptarum imaginibus imbuto, per neruum ex sese deriuatum afficit cor: hoc vicissim vi sui spiritus eam, quam genuit, affectionem, eidem neruo imprimit, vt cerebro deferat ac nunciet. *Spirituum natura.*

Spirituum vis mira est, natura tenuissima, præcipuè animalium, & nitidissima, omnisq; generis qualitatibus excipiendis ac vehendis, & subitis ac momentaneis motibus aptissima. Leuiter impulsi angustissimos quosque meatus penetrant expeditissimè, magnoque impetu allisi, eas, quas continent qualitates, corporibus obiectis infligunt.

At verò tam enormem *ἀταξίαν, confusionem*, vimq; ad vitia incitatricem tam acrem ac vehementem, si vlla potest humana frenare ac moderari diligentia, sola potest disciplina seuerior, quæ doctrina, exercitiis, legibus, pœnis, præmiis, exemplis, intentione animi, applicationeque seria & assidua ad labores honestos, ducit, regit, & assuefacit homines vtcunque ad obseruantiam legum, & obedientiam erga rectæ rationis iudicium, easque leges, quæ huic consonant, & vitam sobriam, ac honestis studiis deditam. *Disciplinæ vis in emendandis vitiis.*

Multum omnino nauat atque efficit, non solùm in his malè à primo ortu institutis, sed & heroicis, & mediocribus, & imbecillioribus naturis. Τροφὴ γὰρ καὶ παίδευσις (vt rectè Plato ait) χρηστὴ σωζομένη, φύσεις ἀγαθὰς ἐμποιεῖ, καὶ αὖ φύσεις χρησταὶ τοιαύτης παιδείας ἀντιλαμβανόμεναι, ἔτι βελτίους τῶν προτέρων φύονται: id est; *Educatio enim & institutio commoda ac bona, si conseruetur, efficere ea in ciuitatibus solet bona ingenia: itemque ingenia commoda ac bona, talem admittentia disciplinam, meliora etiam, quàm antè fuêre, euadent.*

Disciplina in ætate tenera efficacior.

In distortis motus incompositos, ἀπείκτους, & efferos, si non extinguit prorsus aut supprimit, tamen velut in gyrum rationis ductos, frenoque vinctos, & septos carceribus, tum cogit in ordinem, tum ad eum modum tempore domat, hebetat, atque emollit, vt tractationem ferant deinceps, atque culturam, aut certè minus ferociant: eoque id magis præstat, si adhibetur teneris adhuc animis & flexibilibus, in quibus plus est loci disciplinæ, quàm in adultis. Κεφάλαιον γὰρ ὀρθῆς παιδείας ὀρθὴ τροφή, καὶ κυριώτατον ἐμφύεται παισὶ τὸ πᾶν ἦθος διὰ ἔθος: id est; *Caput enim rectæ institutionis est recta educatio, & assuefactione pueris mores maximè firmi inseruntur,* vt Plato ait.

Vt plantulæ teneræ, si vbi ex radice prodierunt, plusculum in alterutram sese partem incuruent, facilè aut furculis retorquentur in aduersum latus, aut deligatæ vinculis reflectuntur, aut circum defixis fulcris coguntur in rectum assurgere: si curuor inueterarit & obduruerit, extendi amplius æquarique nequeunt: Sic feritas connata atque enormitas, quantacunque sit, si natura tenera ad rectiora assuefiat, remittit aliquantulum & mitescit: si obriguit ætate, & velut occalluit, postea adeò in contrarium traduci nequit, vt frangatur citius, quàm flectatur, aut mansuescat.

In heroicis naturis, generosos, feruidos, & nimis acres impetus, non exasperat, sed retusos aliquantulum, immò velut delinitos contrahit intra metas rationis, atque ita moderatur, vt fiant rationi σύμμετροι *attemperati*, & lege aliqua, atque ordine conueniente procedant, non tyrannicè tumultuentur,

In mediocribus ea, quæ natura inseuit semina, euocat & producit, ac velut conueniente enutrita & rigata succo, fotaque calore, vegetat & maturat: Imbecillioribus, quibus nihil à natura tributum est, nulla sunt ad virtutem incitamenta, vel adiumenta addita, velut aliam naturam, suis quoque instructam atque expeditam facultatibus, induit. Sunt enim (vt rectè ab Hippocrate dictum est) ἐπίκτητος φύσις τὰ ἔθη, *assuefactio est aduentitia quædam natura.*

Ex actionibus iisdem assiduè iteratis, frequentatis, & continuatis, voluntas δύναμιν quandam προαιρετικὴν *facultatem consilij & propositi* seu agilitatem ad eas promtè exercendas acquirit.

Cor iisdem sæpe agitatum motibus, δύναμιν *facultatem* ad similes motus ciendos, propensionemque adipiscitur. Et quanquam hæ disciplina comparatæ vires languidiores sunt natiuis, tamen aliquo modo sarciunt ac compensant hoc, in quo natura deficit.

Contrà disciplina eneruis, indulgens, laxa, ac delicata, acres etiam ac firmos ad virtutem in natura stimulos, aut obtundit prorsus, aut (vt sic dicam) ad eum modum eliquat, vt diffluant: Eadem propensionem ad libidines, luxuriam, & vitam voluptuariam alit ac fouet, aut, si nulla adsit talis propensio, fastidiosas, delicatas, difficiles, & morosas reddit naturas. *Disciplinæ laxioris aut astrictioris effectus.*

Sic è contrario adstricta nimis & coacta educatio alacritatem animorum frangit.

Præclarè Plato de vtraque: ἡ μὲν τρυφὴ δύσκολα καὶ ἀκρόχολα, καὶ σφόδρα ἀπὸ σμικρῶν κινούμενα, τὰ τῶν νέων ἤθη ἀπεργάζεται: Τὸ δὲ τούτων ἐναντίον ἥγε σφόδρα καὶ ἀγρία δούλωσις, ταπεινοὺς, καὶ ἀνελευθέρους, καὶ μισανθρώπους ποιοῦσα, ἀνεπιτηδείους ξυνοίκους ἀποτελεῖ: id est; *Delicias, puerorum mores reddere difficiliores, morosos, iracundos, & qui leuibus occasionibus vehementer percellantur; contrà verò, nimiam & feram seruitutem, eorundem mores reddere humiles, illiberales, ab humanæ societatis commerciis abhorrentes, ac proinde tales, qui ad omnem consuetudinem & familiaritatem planè sint inepti.*

Praua verò ad feritatem assuefactio efferat naturas, bonas etiam & acres, easque exacuit in hominum perniciem. Verissimum est enim ἄνθρωπον παιδείας ὀρθῆς τυχόντα, καὶ

φύσεως εὐτυχοῦς, θειότατον ἡμερώτατόν τε ζῷον γίγνεσθαι, μὴ ἱκανῶς ἢ μὴ καλῶς τραφέντα, ἀγριώτατον ὁπόσα φύει γῆ. Hominem, *si cum natura felici rectam quoque nactus sit disciplinam, in diuinissimum mansuetissimumq; animal euadere: si verò non satis aut benè educatus fuerit, omnium, quæ in terris nascuntur, fieri ferocissimum.* Et omnino eo, quod rectè à Physicis causis adornatum atq; constitutum est, euerso aut labefactato, animos sua natura in vitia procliuiores agit in contrarium. Οὐ μικρὸν οὖν (vt rectè Aristoteles inquit) διαφέρει τὸ οὕτως ἢ οὕτως ἐκ νέων ἐθίζεσθαι, ἀλλὰ πάμπολυ, μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν, id est, *non parum igitur refert, sic, aut aliter, ab ineunte ætate assuefactum, sed valde multùm immò omnia in eo sunt posita.*

Disciplinæ constituendæ modus ex varietate naturarum.

Sed ad disciplinæ constitutionem & moderationem hoc etiam pertinet, vt consideretur naturarum diuersitas, quoad mollitiem & flexibilitatem, aut contrà stuporem ac duritiem: Singulæ enim analogam sibi disciplinam requirunt, qua elaborentur ac limentur.

Sunt quædam ingenia natura mitia, placida, moderata, & liberalia, quæ laxiore disciplina ac liberaliore regi tractarique postulant, seruilem coactionem oderunt. Et horum rursus discrimen varium & multiplex.

Ingeniorum diuersitas.

Quædam adeò sunt delicata, mollia, & fastidiosa, vt si paulò compellentur & coherceantur asperius, aut si paulò astrictius ea, quæ circumdata sunt eis vincula, intendantur, statim offendantur, & animum despondeant, exiguntque prorsus indulgentem institutionem.

Alia rursus, nisi astringantur nerui disciplinæ atque adducantur, leui quauis occasione, vbi concessam licentiam, & patefactam fenestram ad nequitiam senserint, exorbitant atque degenerant.

Sed miscentur hæc ipsa discrimina analogiis pænè infinitis. Ita reperiuntur ingenia præfracta, obstinata, ac pertinacia, discrimine non minus vario.

Nonnulla enim seueritatem omnem respuunt, ceu ferrum Adamas, & indulgeri sibi laxatis vinculis disciplinæ postulant: his arctatis, magis exasperantur: indulgentia verò, velut hircino sanguine Adamas, liquefacta mollescunt.

Alia è diuerso, nisi seuera admodum atque aspera disciplina multum macerentur, tundanturque plagis, subigi nequeunt. Hęc naturarum diuersitas, quam communis vita ostendit, multum disciplinæ effectus variat. Tantum quidem potentiis superioribus disciplina præstat.

Illæ verò consilij rationisq; expertes appetitiones cibi, potus, & voluptatum, quas natura longius à ratione cordis aliarumque partium interstitio seclusas, subter præcordia locauit, ne tam crebrò, támque violenter infestarent mentem, vt si in propinquo versarentur: illæ (inquam) nimis frequenter, oculis mentis velut præstrictis ac præpeditis, detrusaque voluntate à gubernatione locomotricis ea facultate pro turpissimarum ingurgitationum, & fœdissimarum libidinum ministra, prorsus beluino ritu abutuntur: fitque hoc eò crebrius & fædius, quò Epatis, partiumq; huic coniunctarum discrasia, symmetriam naturæ congruam plus excedit, cœlique positus eandem magis etiam inficiunt, & appetitiones intendunt. *Appetitus naturalis sæpe vincit actiones mentis & voluntatis.*

Etenim & *αὐτὸ τὸ πᾶν ἐπιθυμητικὸν οἷον ἄγριον θρέμμα ἢ ζῷον ἀνυπήκοον τοῦ λόγου, πάντων διὰ ἐπιθυμίας οἰστρώδους ἐπιχειρεῖ κρατεῖν*, id est, *ipsaque adeò in vniuersum cupiditatum vis tanquam agreste pecus, aut animal, non obediens rationi, omnibus, cupiditatum æstro quasi percita, imperare aggreditur*: & vbi subiectum *φύσις ἀκρατον natura intemperans*, complexum fuerit, leui occasione facilius irritatur & incenditur, atque vbi efferbuit, tum vrit acrius, tum vrget pertinacius locomotricem.

Epar calidius iusto, cùm plus requirat humiditatum, fugit ex sese propagatas, & in ventriculum atque intestina demissas venulas: hæ rursus mulgent & vellicant ventriculum, eò vsque, donec omni, qui inest, humore exhausto, suctionis vis pertingat in osculum ventriculi superius, vbi sentiunt, cùm suctionem ipsam, tum ex humorum defectu ariditatem, nerui de cerebri paribus ei implantati serie multiplici. Augent sensum ariditatis, qui ferè in talibus corporibus redundant, atq; ad osculum sua leuitate cõfluunt, biliosi humores. Corrugatur ex sensu illo atq; afficitur ventriculus, & ciet per neruos locomotricem, vt humore infuso ardorem sitis restinguat. Nec sedatur mora, neque ad iussa & imperium voluntatis conquiescit, sed instat & *Epar calidius causa ebriositatis.*

vrget vellicando & torquendo cerebrum, adeò vt syncopen quandoq; attrahat, & mora ingrauescit. Si tunc est voluntatis in locomotricem imperium debile, cogit hanc contra voluntatem, vt plus ingurgitet, quàm naturæ expedit.

Epar calidius quomodo causa libidinum.

Si accedat ad Epar calidius τῆς ἐπιθυμητικῆς *partis quæ voluptate alitur, siue cupiditatis*, vis ferior, naturaque fœcundo & prolifico humore abundans, & organa generationi destinata tum caleant plus, quàm pro modo naturæ suæ, tum vigeant valeantque vi genitali: ibi demum lasciuiunt, pruriunt, & feruent libidines, vel sola naturæ vi inflammatæ, etiamsi non adsit obiectum. Si verò & conueniens vel monstretur, vel offeratur obiectum, mox velut in rabiem actæ non pruriunt tantùm, sed pungunt, vellicant, & concutiunt cerebrum, commotisq; humoribus omnibus, & spiritibus in toto corpore (maximus est enim organorum ad generationem comparatorum consensus, cum præcipuis omnibus partibus corporis) ceu molem æstuantium & caligantium halituum sursum agunt, hisq; cerebrum ita velut obnubilant, vt omnis sensuum cerebri cum parte intelligente deliberatio cesset, & locomotiua vi incitata feratur ad flammas libidinum explendas. Auellitur his cerebrum à parte intelligente, atque ita percellitur ac perturbatur, vt monita, præceptionesque salutares audire amplius nequeat.

Longè dissimiles sunt hæ appetitiones motibus cordis: Non consilio excitantur, nec, cùm exarserunt & flagrant, disputationibus sedantur: Immò, vt dixi, si sint temperamenti conuenientia, astrorumque positu roboratæ, in ipsam violenter mentem irruunt, &, ne quid moliri contrà possit, prohibent.

Valet tamen & in hoc genere disciplina plurimùm. Etsi enim neq; euellit, neq; extinguit effera ac beluina illa desideria τῆς ἐπιθυμητικῆς, *partis quæ voluptate alitur*; tamen voluntatis cordisq; vires instruit & roborat contra ἐπιθυμητικὴν *vim cupiditatum*, & vt occasiones vitent, assuefacit, & imperium voluntatis locomotricem stabilit, vt vi contractis repressisque membris externis prohibeat, ne erumpant statim, cùm petulanter exiliunt ac tumultuantur.

Sæpe contrà delicata & voluptuaria educatione, aut lasciuis exemplis, naturæ minimè lasciuæ, inflexæ, corru-

ptæque

ptæ'que degenerant in consuetudinem helluandi, & luxuriam, in qua tanquam cœno deinceps toto vitæ tempore volutantur. Atq; hæc de appetitu Naturali, quantum ad actiones voluntatis monuisse satis sit.

Non prætereunda est in hac commemoratione mentio causarum liberarum, quas & antea, cùm de parte intelligente dissereremus, attigimus.

Cyri aut Alexandri felices ac heroici impetus, actionesque planè diuinæ; aut Neronis, vel similium, tetra, immania, & abominanda scelera, non oriuntur ex his causis,

Longè enim superat omnium Physicarum causarum vim ea præstantia, quæ excellit in Alexandro iuuene: Et è diuerso non cadit in humanam naturam tam portentosa, & plus quàm beluina immanitas, quam Nero exercet; immò expauescens humanus animus ad conspectum eius, & ad solam cogitationem, obstupescit.

Præstantes viros Deus exuscitat, acerrimis ad res gerendas stimulis subditis, cuiusmodi nulla qualitatum commoderatio, nulla gignit astrorum dispositio. Et donat hominum generi tales, cùm aut tyrannide quassata, aut luxu, mollitieq; fracta, ac diffluentia, aut alioquin segnitie principium, atq; socordia soluta imperia, vindices requirunt atque instauratores. *Excellens virtus à Deo est.*

Prorsus enormia scelera, immò & alia multa à Diabolo sunt, qui, vt toties dixi, efficacissimè *ἐνεργεῖ ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας, vires suas exerit in hominibus contumacibus*: & autores scelerum sæpe se à Diabolo impulsos, aut occasionum commoditate inuitatos, ac velut in nassam illectos, Diabolo simul incendente, ac velut protrudente ipsos, fatentur. *Enormia scelera sunt à Diabolo.*

Quapropter etsi voluntas libera actionum domina, ex sese *ἱκανότητα ἀκριβῆ, aptitudinem satis exactam*, habet ad deligenda, & complectenda, vel recusanda obiecta proposita: tamen cùm saucia sit, & languida sua natura, præsideatque contumacibus admodum atq; indomitis appetitionibus, neq; in omnibus eodem modo, aut à natura sit confirmata, aduersus præcipites ac violentos appetitionum impetus, aut saniore doctrina roborata, aut præsidio durioris ac seueriori disciplinæ circumdata ac munita, quorum ope, & foris occurrentibus illecebris, & intrinsecus seditiosè fere-

cientibus motibus repugnet, sæpe victa, & vel à principio priusquam, quò se inclinet, statuat, vel posteaquam decreuit, à proposito detorta, rapitur atq; incitatur aliò.

Rectè Aristoteles actiones, quæ ἐφ' ἡμῖν, *penes nos*, & in potestate nostra consistunt, distinguit, φύσει, δόξῃ, βουλήσει, & προαιρέσει, *id est, natura, opinione, voluntate, & consilio ac proposito.*

Actionum liberarum discrimen.

Sequitur enim voluntas, aliàs insita atque implantata in primo ortu naturæ incitamenta, aliàs ex doctrina acceptas opiniones, aliàs sua sibi sponte accersitum ducem consuetudinem, aut accitam errore, vel imitatione persuasionem, aliàs mentis iudicium excultum & formatum doctrina recta.

Omnium magna vis est suo loco atq; ordine, & tanta quidem, vt vel vna sola, ceteris exclusis, satis sit firma atq; efficax, quæ regat, ducatque voluntatem.

Si considerauerimus promiscuam generis humani multitudinem, longè plures aut opinionibus, quibus à teneris imbuti sunt atque insueuerunt, aut naturæ suæ ductu, aut consuetudine regi, quàm recto, exquisito, constantiq; iudicio, reperiemus. Sed addi debent his causæ duæ extra nos positæ: nimirum Deus autor atq; effector heroicorum motuum, & Diabolus structor atq; artifex scelerum.

Ex his liquet, quæ sit varietas causarum voluntati coniunctarum, & adiuuantium aliàs voluntatis instituta, conatusq;, aliàs impedientium.

Voluntas ipsa sua vi ciet actionem, & eandem (nisi deiiciatur, & velut detorqueatur à proposito violenter aliis causis) per locomotricem, quam, vt dixi, subiectam sibi & addictam habet ordine ac lege naturæ, exequitur.

Sed incitatur & regitur quandoq; causis intrinsecis, nobisq; insitis, quandoq; extraneis, & positis extra nos: Cumque languida sit à prima origine, sæpe iisdem causis, vel excutitur suo dominatu, vel nequicquam repugnans, violentia victa rapitur & præcipitatur eò, quò non vult.

Nobis insunt causæ, vel quas natura indidit, vel assuefactione comparatæ. A natura sunt cognitiones, & appetitus, seu ὀρέξεις. Cognitione mentis iudicium, seu λόγον, *rationem*, complector, & sensuum vtrorumq; vim.

Mens regitur vel iis, quibus ipsa à primo ortu formata,

ac velut

ac velut consignata est notionibus expolitis recta & consentiente doctrina, vel opinionibus arreptis ex doctrina non vera, vel sensuum ductu.

Sed sensus cientur à cerebro, & menti ministrant: nihil enim quicquam eorum, quæ extra nos versantur, ad mentem perfertur, nisi sensibus sit perceptum agitatumq;.

Sensuum vis variat pro cerebri constitutione, & prima institutione, atq; assuefactione.

Cerebri constitutionem, & primò seminum natura, astrorumque positus absoluunt, & postea tota viuendi ratio à teneris vsq; non parum afficit. Ea complector totum rerum naturalium vsum, cibi, potus, affectuum animi, aëris, exercitiorum, & ceterorum, eaq; quæ præter naturam accidunt, vt sunt morbi morborum causæ, & symptomata.

Appetitus triplex est, βύλησις, θυμὸς, & ἐπιθυμία, *voluntas, ira & cupiditas*. Incitatur enim voluntas sæpe contra mentis iudicium, frustra refragante ratione, aut sibi innato appetitu, quem βύλησιν, *appetitum voluntarium*, vocant, aut à cordis motibus, aut à naturalibus appetitionibus: quandoq; motus cordis menti congruunt, & eodem impellunt voluntatem, quò hortatur & instigat ratio. *Appetitus triplex.*

Quanta verò sit horum vis, quanta violentia, vt vel cogant, vel opprimant voluntatem, declaratum superius est. Nunquam consentiunt prorsus, sed dissensio variat, quæ in aliis minor est mitiorq;, in aliis maior & ferior, pro vt vel seminum astrorumq; vi initiò rectè constituuntur, vel assuefactione postea formantur atq; exornantur. Plurimum enim momenti appetitui adfert consuetudo, qua assuefactionem & disciplinam omnem comprehendo.

Causæ non insitæ corporibus nostris, sed forinsecus accedentes, sunt Deus, & sancti Angeli, Diabolus, atq; externa violentia.

His ita constitutis, manifestum est, prædicta de voluntariis actionibus ex astrorum positu, temperamento totius corporis, & partium præcipuarum effectibus, notis indiciisq; exterioribus quibuscunq; collecta, certitudine illis causis respondere, quarum vi eduntur ac proferuntur. Quòd verò omnia illa, quæ hactenus enumerata sunt, tantùm particularium causarum vim habeant, liquidò patet.

τύχη.

Restat *τύχη*, *fortuna*, quartum genus causarum secundarum, quo Aristoteles euentus vtrosque, prosperos & aduersos complectitur, qui accidunt hominibus præter ea, quæ voluntas libera sua sponte, suaq; vi, aut adiuta sociis causis, inchoat, prosequitur, & conficit.

Fortunæ varietas & inconstantia.

Latissimè patet hoc genus. Mirandæ sunt enim rerum humanarum vices, mira volubilitas, mira & inconstantia fortunæ.

Multa cuiuis in vita præter spem & opinionem contingunt: Multa sapienter cogitata, & cautè prouidéque cœpta ac gesta infelicius cadunt, quàm existimamus.

E diuerso alia stolidè atq; incogitanter mota, & administrata negligenter, atq; inter exordia prima variis incursionibus inhibita & impedita procedunt tandem feliciter, & optatos consequuntur exitus. Sæpe, quæ pro desperatis ac perditis contemnuntur, subitò reflante fortuna, rursus se erigunt & augescunt, quæ verò florent, & ad eum fulta ac stabilita modum putantur, vt nulla vi conuelli queant, leui momento, velut repentino flatu disiecta corruunt, tumque vel maximè, cùm plurimum fortuna blanditur, fouetq;, & beat suauissimè. Adeoq; vix quicquam est in rebus humanis stabile ac perpetuum.

Vix vlla quæ suscipimus & gerimus, aut institutis initiò respondent per omnia deliberationibus, etiamsi feliciter conficiantur, aut intra definitos limites sese continent, aut præfixum scopum adipiscuntur: intercidunt multa, quæ præmeditata consilia mutãt, abolent, aut turbant, aut extra metas nos rapiunt: Et vt Herodotus ait, *ὡς κύκλος τῶν ἀνθρωπηίων ἐστὶ πρηγμάτων· περιφερόμενος δὲ οὐκ ἐᾷ αἰεὶ τοὺς αὐτοὺς εὐτυχέειν, id est, orbem esse rerum humanarum, qui conuerti, neq; eosdem semper fortunatos esse pati, soleat.*

Fortunæ pictura.

Præbuit hæc rerum humanarum vicissitudo occasionem Poetis, vt rotundo fortunam globo insistere, & globi volubilitate nunc huc, nunc illò ferri volutaríque finxerint. An verò sit de talibus euentibus, quæ præter ea, quæ voluntas efficit & consequitur, præterq; consilium & deliberationem nostram obiiciuntur, diuinatio aliqua, & si est aliqua à quibus sumatur causis, & quousq; progrediatur, postea constituemus, vbi prius exposuerimus causas, quæ tales euen-

euentus gubernant. Quam enim *τύχην*, *fortunam*, Aristoteles nominat, ipse inopinatorum euentuum affirmat tantùm esse *αἴτιον κατὰ συμβεβηκός*, *causam per accidens siue aduentitiam*. Ergo præcedere necesse est aliud *καθ' αὑτὸ αἴτιον*, *causam per se*, vel vnum, vel plura, quorum vi illi dispensantur, producuntur, & complentur euentus.

Aristoteles, quæ sint illa *τὰ καθ' αὑτὰ αἴτια*, *causæ per se*, non definit.

Plato aliquas causas, & inter eas omnium præcipuam expressit, cùm inquit: *Θεὸς μὲν πάντα, καὶ μετὰ θεοῦ τύχη καὶ καιρὸς, τὰ ἀνθρώπινα διακυβερνῶσι ξύμπαντα, ἡμερώτερον μὴν τρίτον ξυγχωρῆσαι τούτοις δεῖν ἕπεσθαι τέχνην*, *id est*, *Deus quidem*, *& cum Deo fortuna*, *opportunitasq́ue*, *res humanas gubernant vniuersas*, *mitius tamen mansuetiusq́ue tertium concedere his comitem associandam esse artem*.

Causæ gubernatrices rerũ humanarum iuxta Platonem.

Etsi verò cum veris causis accidentarias, *τύχην*, *fortunam*, nimirum & *καιρὸν*, *opportunitatem & occasionem*, confundit, & *τέχνην*, *artem*, ita extenuat, vt eam accidentariis causis postponat & subiiciat: tamen rectè & sapienter præcipuam vim confert in Deum.

Non enim ex fortuita & fictitia atomorum Epicuri collisione & coalitu, hoc Mundi domicilium confluxit, sed Deus singula corpora, verbo fabrefacta ex nihilo, serie tam concinna, nexuque tam continuo, coagmentauit in vnam rotundo ambitu definitam molem, vt à mente architectatrice: cuius sit sapientia infinita & omnipotentia, ædificatam esse manifestò appareat.

Deus res humanas gubernat.

Nec deserit opus suum, sed conseruat id, atq; tuetur, & inprimis curam agit generis humani, bona cumulans, mala depellens, vtpote cuius gratia cetera, & initiò constituit, & huc vsq; sustentauit: Et in genere humano præcipua cura complectitur ac defendit Ecclesiam, redemtam sanguine æterni Filij sui, à qua vera Filij agnitione & fiducia colitur atq; inuocatur, & propter quam reliquam profanam multitudinem fert, vt ex hac quoq; aliqui conuertantur ad Filium.

Confirmant administrationes OEconomicæ, priuata vita cuiusq;, & totus ordo politicus, præsentiam Dei, nostriq; procurationem.

Præsentiæ Dei argumenta.

Et, si excusso abstersoq; veterno, excitaremus animos ad operum Dei notationem aliquam, & considerationem, siq; iis, quæ fiunt pæne singulis momentis, mediocriter attenderemus, perspiceremus profectò, quanta, & quàm multa publicè accidant & priuatim, quæ nullo modo, vel Physicis causis abditis aut conspicuis, vel nostræ diligentiæ asscribi possunt, sed in solum Deum autorem, & custodes nostrorum corporum sanctos Angelos referri debent.

Immò nisi Filius Dei, ἀρχηγὸς, *dux*, noster, & ἀμυντωρ, *propugnator*, clementissimè singulos nos vmbraculo alarum suarum complexos tegeret & foueret, præsidioq; Angelorum stipatos muniret ac tueretur, contra immanem sæuissimi hostis rabiem, vel vno momento omnes à Diabolo enecati interiremus.

Nisi politias ipse & imperia cùm Angelorum excubiis, tum sua firmaret ac defenderet dextra, eorumq;, qui præsunt, regeret ac fortunaret consilia & industriam: quæ posset quæsò aut solertia odorari, aut vigilantia peruestigare, aut si proditæ innotuissent, quæ autoritas & potentia posset discutere ac summouere eas vel technas, quas hic artifex struit in perniciem humanæ consociationis, vel calamitates, quas intentat & vibrat in ceruices nostras assiduè?

Deus dissimiliter res humanas gubernat.

Ceterum neq; vno modo Deus, sed aliàs aliter, neq; ex ordine & præscripto causarum secundarum, sed suo consilio disponit, partitur, & administrat fata hominum atq; euentus. Euehuntur improbi, affluunt opibus, florent honoribus & dignitatibus, potiuntur rerum. Contrà variis fortunæ vicibus exercentur ac iactantur boni, premuntur tyrannide, laborant egestate & inopia, conculcantur à sceleratis, flagrant publicis odiis, eiiciuntur in exilia, periclitantur de fortunis & vita, prægrauantur iniquissimis calumniis quandoque & crudeliter interficiuntur à tyrannis. Hæc euentuum dissimilitudo mouit multos, vt dubitarint de prouidentia.

Quanquam autem certo grauique consilio, quod soli Ecclesiæ Dei detectum est atque explicatum, Deus hoc modo & fata dispensat, & differt, ac prorogat pœnas & præmia: tamen nec boni in perpetua versantur calamitate, nec stabi-

ſtabilis ac diuturna eſt improborum felicitas. Hi ad ſumma extolluntur faſtigia, vt inde excuſſi, atque in fœdum præcipitati interitum, ſint ceteris exemplo fragilitatis humanæ, pœnarumque ſuperbiæ, & iniuſticiæ: illi deiiciuntur & grauantur, tum ne inſoleſcant & efferantur fiducia ſuarum virtutum, tum vt ex circumfuſa ærumnarum mole erepti, collocatique in tranquillum, cum gloria illuſtriore eniteſcant.

Et quidem in hoc vel præcipuè lucet ac conſpicitur prouidentia, quòd boni & gerunt res ſalutares hominum generi, & circumuenti, atq; intercluſi difficultatibus, præter opinionem omnium, mirandis modis, ſuperatis illis eluctantur atque euadunt, hocque, quod perſequuntur, acquirunt & obtinent: καὶ ταῦτα (vt rectè Iſocrates regulam interpretatur) *εἰ μὴ κατὰ πάντων οὕτως εἴθισται συμβαίνειν, ἀλλὰ τό γε ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τοῦτον γίνεται τὸν τρόπον, id eſt, atque ea, ſi non in omnibus ita vſu venire ſolent, tamen plerunque ad eum modum fiunt.* Fauet enim Deus virtuti, & eam etiam ab Ethnicis requirit, etſi non eſt ea iuſticia, quam ipſe approbat: & natura homines amant, amplectuntur, atque admirantur, cùm moderationem omnem & humanitatem, id eſt, iuſticiam coniunctam cum toto choro virtutum mitiorum, tum ſalutarem gubernationem.

Etſi verò ratio humana prorſus ignorat cauſas mirandæ huius gubernationis, ſola enim has vox cœleſtis declarat: tamen non fortuitò, aut temerè, vel ex vago atomorum fluxu atq; impetu, vel inſtabili materiæ motu ac conditione, variari vices rerum humanarum, ſed diuino conſilio, agnoſcit & fatetur. Præclarè in hanc ſententiam Pindarus, Ἓν παρ' ἐσθλὸν πήματα σὺν δύο δαίονται βροτοῖς ἀθάνατοι. Τὰ μὲν ὦν οὐ δύνανται νήπιοι κόσμῳ φέρειν, ἀλλ' ἀγαθοί, τὰ καλὰ τρέψαντες ἔξω, *id eſt, Vno cum bono bina incommoda impertiunt mortalibus immortales: ſed ea ſtulti non poſſunt moderatè ferre: at ſapientes ea ferunt, bonis obuerſis extrâ.*

Prudenter itaq; Plato, & rectè ſalutarem generis humani gubernationem præcipuè Deo acceptam refert. Nec dubito, quin & hanc ſententiam, & plures alias, ab Ægyptiis ſacerdotibus, ex doctrina ſanctorum Patrum acceperit.

Repetuntur enim conciones de Dei erga genus hominum philoſtorgia, de protectione, & cuſtodia ſingulorum, de Regnorum conſeruatione ac defenſione, ſubinde in hiſtoriæ ſacræ contextu, & his multæ Platonicæ conſonant.

De ceteris cauſis, quas Deo addit, nihil diſputo, cùm *τύχη καὶ καιρὸς*, *fortuna & opportunitas*, accidentariæ ſint prorſus, *τέχνη*, *ars*, pertineat ad *προαίρεσιν*, *conſilium & propoſitum*, de qua paulò pòſt dicam. Nunc ceteras gubernatrices cauſas perſequar.

Multorum tragicorum & triſtiſſimorum caſuum autor eſt Diabolus. Sæuit enim odio Dei in genus humanum crudeliſſimè, & quærit nocendi occaſiones ſine intermiſſione, arreptis occaſionibus vtitur: &, niſi diuinitus frenaretur ac reſtringeretur, niſi à cuſtodibus noſtris ſanctis Angelis depelleretur, crebriores Diaboli morſus, ſæuiores, ac venenatiores ictus, & fœdiores lacerationes animorum & corporum experiremur.

Ipſæ etiam voluntatis & cordis *δυνάμεις*, *facultates*, habitus, & actiones, quæq; ex qualitatum contemperatione corporibus innaſcuntur *κράσεις*, *temperamenta*, atque ex his manantes vires effectrices actionum certarum, & qui totam qualitatum commixtionem moderantur atque abſoluunt cœli poſitus, variorum euentuum hominibus cauſæ ſunt.

Conſcientiæ vis in vtramque partem maxima.

Cùm enim ita conſtitutum ſit diuinitus, vt rectè facta comitetur perpetua quædam felicitas, *καὶ ἡδεῖα ἐλπὶς ἀγαθὴ γηροτρόφος ἐστι*, *iucunda ſpes quæ bona eſt ſenectutis nutritia*, malos mores ſequantur pœnæ, *ἐλπίδες τε κακαί*, *ſpesq; malæ*, natura etiam rectè faciendo ita afficitur, vt impetus quoſdam contrahat, quibus ad ea flectitur, quæ ſunt proſpera & à rebus nocituris abducitur. Idq; in improbis conſpicuum eſt, quibus iniici Furias vltrices ſcelerum non ſolùm Poetæ affirmant, ſed res ipſa declarat: quæ Furiæ quid ſunt aliud, quàm infelices illi impetus, & ſauciatæ conſcientiæ aculei, quibus incitati vltro ſibi acerſunt perniciem?

Pauci in rebus ſecundis moderati.

Nec minima eſt inconſtantiæ rerum humanarum cauſa, quòd vix vlli in rebus ſecundis ſunt moderati, *τίκτει γὰρ τοι κόρος ὕβριν*, *ſatietas mater eſt iniuriæ & petulantiæ*, Animi, proſperis & ex ſententia ſuccedentibus rebus, opinioneque & ſpe duraturæ in perpetuum proſperitatis ac beatitudinis elati,

elati, gestiunt, lasciuiunt, & luxuriant, suscipiuntque multa non mandata, neque ad sese pertinentia, sine necessaria causa, vel manifestis iniuriis afficiunt imbecilliores.

Parit enim superbia omnis impetus immoderatos: hi ad inferendam aliis iniuriam incitant, τῆς γὰρ ὕβρεως ἔγγονος ἡ ἀδικία, *iniuria enim & petulantia soboles est iniustitia*, vt præclarè Plato: hanc è vestigio insequitur νέμεσις δίκης ἄγγελος, *Nemesis pœnæ nuncia*, id est, conscientiæ læsæ iudicium, quod perpetratorum scelerum atrocitatem exaggerans, & ante oculos assiduè versans, quatit, agitat, perterret, lacerat, dementiaque animos afficit: φιλέει γὰρ ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολούειν, *consueuit Deus eminentia & excellentia omnia deturbare*, vt est apud Herodotum. Et in sacris literis dicitur: Superbis resistit Dominus. Item, Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.

Græci luserunt eleganter, singulos homines comitari ἀδράστειαν, *Adrastiam, quæ & Nemesis*, quæ tum ingerat atq; inculcet singulis hoc μηδὲν ὑπὲρ τὸ μέτρον, *Nequid nimis*, vibrato quod gestat freno, tum exultantes stulta ferocitate reprimat atq; compescat, legitimas metas egressos freno retrahat in viam, cui si pareant, potiantur & fruantur optata felicitate: si hoc freno, vel recusato, vel detracto, abiectoque, indulgeant libidinibus, mox accurrere Nemesin, pœnas immoderatorum consiliorum & conatuum vindices denunciantem atque incutientem. Nam & Deus ipse flagitat, præmiisq; ornat ac condecorat virtutem, quæ est mediocritas, & natura hominibus moderatum omne gratum atq; conueniens: Acres nimis & feroces impetus cùm hi oderunt, tùm acerrimè infringit & vindicat Deus, ordinem à sese constitutum exequens ac sanciens rigidissimè, vt sapienter Euripides, μισεῖ γὰρ ὁ θεὸς τὰς ἄγαν προθυμίας, μισοῦσι δ' ἀστοί: *odit nimis feroces impetus Deus, odêre ciues*. Ergo ad secundos euentus vel aduersos, multum adfert momenti, rectè assuefactum esse, vel secus.

Pictura Nemesis.

Astra verò & temperamenta corporum non solùm pariunt δυνάμεις *facultatum vires*, ad certa actionum, motuum, effectuum, artium, & studiorum genera: sed tum alios etiam cient impetus, quibus à noxiis auersæ naturæ conuertuntur & trahuntur ad salutaria & commoda sibi & aliis, aut

Astra et temperamenta fortunæ causæ.

contraria: tum felicitate tali donant easdem, vt, quæ cœpe-runt, promtè dextreq; exerceant, & successu singulari conficiant, magno suo cum lucro atque emolumento, itemque aliorum: aut contrà impedimenta obiiciunt, & augent conatuum omnium difficultatem.

Nam & demonstrabimus postea, & experientia arguit, constitutionum cœlestium, insitarumque à natura inclinationum quasdam fausta polliceri, eademque vi natiua promouere & accelerare: quasdam rursus, & hæc impedire, & incommoda portendere, minitarique tristes casus aut pericula.

Externa violentia causa insperatorum euentuum.

Etiam externa violentia, quæ multiplex esse potest, sæpe hominem, præter opinionem, præterque voluntatem, coniicit in pericula tristia & exitiosa, vt cùm multi, quorum dissimilima sunt fata, naufragio merguntur, aut incendiis consumuntur, aut seditionibus opprimuntur, aut terræ hiatibus absorbentur.

Prædictiones de hominum fatis ex quibus causis sumendæ.

Tot cùm sint causæ, quæ euentus hominum, nec præuisos, nec præcogitatos, neq. expectatos, per se gubernant, earumque causarum non eadem sit vis atque conditio, sed vna sit prima causa, libera, gubernatrix ceterarum omnium, reliquæ, sint huic subiectæ; harum rursus quædam, constituto ordine progrediantur, vt astra, semina, temperamenta, inclinationes ab astris & temperamentis ortæ, voluntas ordini diuinitus præscripto insistens: quædam contra ordinem nitantur, vt Diabolus, & voluntas impulsibus Diabolicis obsequens: denique cùm ordinatarum causarum aliàs vna effectum ex sese intendat, aliàs ascitis in societatem actionis pluribus sociis causis: facile intelligi potest, ex quibus causis prædicta de hominum euentis peti, quæ inquiri, ac considerari possint, quæ à conspectu mentis humanæ prorsus remotæ sint atque abditæ.

Nihil de arcana Dei voluntate, quæ expressa verbo non est, humana ratio statuere aut pronunciare potest: Nihil de illis, quæ insidiosus & fraudulentus occultator Diabolus, machinatur & struit. Illa scrutari nefas est, & irritum: hæc sceleratum, impium, & prohibitum diuinitus.

Astra Deus aspici voluit, voluit & horum mirandas vires atque effectiones considerari, & cœlestium atque inferiorum

feriorum corporum notari sympathiam. Idcircò oculos condidit, vt duces nobis essent in cœli contemplatione.

Et quanquam obscurior est natura, ideoque & difficilior obseruatio, inquisitioq; cœlestium corporum: tamen animaduersione longa ac diligenti vtcunque compræhendi potest: Immò vt nota esset, tum primis eam parentibus Deus declarauit, à quibus manauit ac transiit ad posteros, tum præstantia sæpe ingenia excitauit, quæ eam cognitionem restituerunt, correxerunt, & illustrarunt.

Certius aliquantò perspicimus nostras, rerumq; aliarum in hac elementari regione naturas, quòd sensibus propius obuersantur, nec solis oculis, sed ceterorum etiam sensuum ope exquiruntur.

Voluntatis actiones & propensiones, ceterarumque intra corpus absconditarum partium vires, ex effectibus notisque exterioribus æstimamus.

Ex astris ergo, temperamentis, inclinationibus voluntatis, & temperamentorum effectibus, institui possunt prædictiones illorum euentuum, quos illæ causæ, vel vt causæ inuehunt, vel vt signa denotant, quive ad effectus causarum consequuntur, ordine diuinitus sancito.

Vnde prædictiones Astrologicæ.

Nam & præter eos effectus, quos sua vi cient hæ causæ certa lege naturæ, aut quia diuinitus ita constitutum est, alios etiam attrahunt: vt Nero scelerate & tyrannicè furens, hac ipsa insania sese in tristissimas pœnas præcipitat. Quæ sit certitudo singularum, ex causarum conditione liquet.

Manet voluntas libera actionum domina, etiam cùm languet, aut incitatur, vel impeditur ab aliis causis: potest liberè vel inflectere, & accommodare sese eò, quò pellitur, cùm vult, vel reniti impulsui, vel susceptas iam actiones deponere rursum.

Prædictionum certitudo ex causarum conditione.

Et euentus, qui non dependent à libera hominum voluntate, sed denunciantur à causarum antea commemoratarum aliqua, tum ceteræ causæ mutare queunt: tum arte, diligentia, & assuefactione, circumspecta cautione, seria atque ardenti petitione auxilij diuini, nosmetipsi, si damna adferant, lenire aut prohibere, si blandiuntur, velut allicere & consequi possumus.

Nequaquam igitur, aut decreta ſtellarum & ſignorum in corporibus apparentium, aut reliqua in natura prætorijs parem vim habent edictis: quorum quidem ea eſt natura, vt pœna ſtatim luenda ſit iis, qui non paruerint, aut euentorum præſignificatio, præmonſtratioq́; ita cum euentibus ipſis colligata copulataque eoſdem neceſſariò attrahit, vt fruſtra ſperetur euenturum aliud, quàm quaſi promulgatum ſit.

Nam, ne fiant mala, tum cauendo declinandoque, tum naturam eorum intelligendo: & contrà, vt bona eueniant, in eorum curam & ſtudium incumbendo præſtare quimus, præſertim ſi regamus noſmetipſos diligentia homine digna, & à Spiritu ſancto duci gubernarique, à ſanctis Angelis cuſtodiri nos, propter æternum Filium, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, à Deo æterno patre Domini noſtri Ieſu Chriſti ardenter & aſſiduè petamus.

Vtilitas prædictionum Phyſicarum.

Quòd ſi verò nulla ſuperſit ſpes effugiendi euitandique intentata & præmonſtrata à Phyſicis cauſis incommoda: hoc tamen præſtabimus, vt tum excipiendis ac tolerandis nos illis præparemus conſtantia, fortitudine, & ſpe auxilij cœleſtis: tum vt in Dei tutelam ac patrocinium totos nos plena fiducia collocemus ac commendemus.

Quæ enim præuiſa ſunt, & antè cogitata, nec tantum ſecum impetus adferunt ac nouitatis, & minus grauia ſunt, minuſque toleratu difficilia: cùm è contrario, quæ repente & præter ſpem obiiciuntur, concutiant ac turbent mentem animiq́ue vires proſternant.

Atque hoc habet commodi & fructuum prænoſſe conſecutura ex quibuſque cauſis & ſignis bona malave.

De vtilitate prænotionum ex ſtellis rectè Ptolemæus: δυνάται ὁ ἐπιστήμων πολλὰς ἀποστρέψασθαι ἐνεργείας τῶν ἀστέρων, ὅτι ἐστὶν εἰδήμων τῆς φύσεως αὐτῶν, καὶ προπαρασκευάσαι αὐτὸν πρὸ τῆς συμπτώσεως τῶν ἐνεργειῶν, id eſt, poteſt is, qui ſciens eſt, multos ſtellarum effectus auertere, quando naturam earum cognitam habet, ſeque antequam effectus ipſi ſequantur, præparare & munire. Et alibi: τὸ προγινώσκειν ἐθίζει, καὶ ῥυθμίζει τὴν ψυχὴν τῇ μελέτῃ τῶν ἀπόντων ὡς τῶν παρόντων, καὶ παρασκευάζει μετ' εἰρήνης καὶ εὐσταθείας ἕκαστα τῶν ἐπιρχομένων ἀποδέχεσθαι: id eſt, Præuiſio aſſuefacit & moderatur animum meditatio-

ne

ne absentium, vt præsentium, & præparat ad excipienda futura cum tranquillitate & constantia. Idem de reliquis verissimum est. Et hæc quidem de gradibus certitudinis in quolibet prædictionum genere indicasse sufficiat.

Prædictiones Physicæ quatenus in sacris literis concessæ.

Porrò cùm in sacris literis quandóq; prohibeantur hæ ipsæ ex Physicis causis diuinationes, quandóq; concedantur, immò mandentur, eo ipso quòd & signa nominantur, & in hunc finem condita affirmantur, vt designent aliquid moneantve: ne discrepantium in speciem sententiarum dissensio turbet aliquem, addemus & hoc: Non prohiberi considerationem causarum signorumque propositorum in natura, nec coniectationes ex his de secuturis euentibus, si absit superstitio, & seruetur ordo. quem Deus sua voce instituit, vt mens sit defixa in Deum, & regatur verbo patefacto diuinitus, tota pendeat ex Deo, ab eo petat atq; expectet bona, & malorum depulsionem aut mitigationem, vera fide & inuocatione. Non destituta consilio præsidiove humano, confugiat ad creaturas, non ab illis auxilia requirat, sed à Deo solo: & statuat hunc esse Architectum & Dominum naturæ, qui velit & possit liberrimè, vel mutare, vel mitigare, vel prorsus tollere, quæ Physicæ causæ denunciant aut apportant, & eundem multa quotidie aliter dispensare, atque ad exitum alium dirigere, quàm secundæ causæ proponunt.

Hoc ordine obseruato, contemplatio causarum, signorumque, & prædictionum inde extructarum vsus concessus est & approbatus.

In hunc enim sunt vsum signa conformata, & causæ certis instructæ viribus, vt illa, quid hisce naturæ opifex præmonstret, quarum rerum occulta vis creaturarum indicia præbeat ac proponat, doceant naturas intelligentes: hæ naturam suo loco atque ordine gubernent.

Vult ergo ea ab homine, cui soli mentem intelligentem indidit, aspici atque expendi, & quidem non frustra, sed vt his indiciis legitimè vtatur.

Superstitionem damnant sacræ literæ, & huius ordinis conturbationem, cùm certius animi hisce monitis confidunt, firmiúsq; iisdem adhærescunt, quàm Deo ipsi, & cœlitus promulgatis oraculis: aut cùm à Deo, atq; oraculis cœlestibus ad creaturas sese conuertunt, deq; earum significa-

tis deliberationes, consilia, actiones, & studia sua instituunt, moderantur, & administrant, Deum verò, & mandata cœlestia negligunt.

Rectè verbo Dei institutis animis, & assuefactis ad seriam veri Dei inuocationem, hoc etiam præstat commodi πρόγνωσις futurorum, quòd, seu aduersa minitentur, seu spondeant læta atque felicia, erigunt animos ad Deum, accenduntque, & commouent, vt ostensa promissaque Physicis causis bona à Deo iuuari & perfici, denunciatas clades leniri aut amoueri petant. Ita præbet occasionem exercendæ fidei, atque inuocationi. Et intelligit rectè institutus, quæ sint prædictiones Physicæ, & quatenus his niti debeat, quæ sint à superstitiosis hominibus introducta, atque arti diuinatrici temerè assuta.

Disserui hactenus de causis secundis & propinquis, obuiis & occultis, sed verbo Dei tamen patefactis. Nunc vt primæ causæ vis omnis, atque Maiestas, & potestas, omnisque gubernatio, omnipotens illa quidem, sed liberrima, fiat cõspectior, & illustretur magis discrimen inter se causarum secundarum, quæ ab vna & sola prima vt pendent omnes, sed aliæ aliter, sic conseruantur, atque intra metas, quas illa vult ac statuit, aut diriguntur, aut cohercentur, reducam velut per ἀνακεφαλαίωσιν secundas ad primam: & primæ qualis sit præsentia, seu quomodo illa adsit singulis, qua vi & efficacia: quove effectuum & operum discrimine cùm illa se ostendat, tum hæ inter se, atq; à prima causa discrepent, paucis exponam, declaratis & gradibus præsentiæ, quibus sacra scriptura Deum rebus creatis adesse, inque eis efficacem esse, in aliis tamen ad alium finem & vsum, disertè perspicueque demonstrat, & differentijs operum, quæ à Deo sunt & quæ ab eodem non sunt.

Differentia inter primam causam Deũ, & res creatas.

Separat scriptura ac discernit primò Deum, vt primam causam architectatricem omnium ab omnibus creaturis. Deinde in rebus creatis causam boni à causa mali, ordinis ac recti à prauo & confusionibus. Deum describit vnum essentia: Trinum in distinctis tribus hyphistamenis seu personis, in vna tamen indiuidua, immensa, & infinita essentia,

Dei descriptio.

quam tribuit ei spiritualem, ἀσώματον, intelligentem, ἁπλῆν,

ἀσύνθε-

ἀσύνθετον, ἄναρχον, ἄκτιστον, ἀνόλεθρόν τε καὶ ἀθάνατον, ἀκίνητον, αἰώνιον, ἄπειρον, ἀπερίγραπτον, ἀπερίοριστον, παντοδύναμον, ἀπειροδύναμον, παντεπιστήμονα, ἀπειρόσοφον, παντοκρατορικόν, πάντα πληροῦσαν, ἄρρευστον, ἀπαθῆ, ἄτρεπτον, ἀναλλοίωτον, ἀόρατον, φῶς νοερὸν καὶ ἀπρόσιτον, δυνάμει ἄμετρον, βουλήσει καὶ ἐνεργείᾳ αὐτεξούσιον, *expertem corporis, simplicem, incompositam, sine principio, increatam, non obnoxiam interitui, atque immortalem, immobilem, æternam, infinitam, non circumscriptam, non terminatam, omnipotentem, infinitæ potentiæ, omniſciam, infinitæ ſapientiæ, omnibus imperantem, omnia implentem, non fluxam, perturbationis immunem, immutabilem, non variabilem, effugientem omnem oculorum ſenſum, lucem intelligentem, & inacceſſam. potentia immenſam, liberrimæ voluntatis & effectionum:* quæ ſit αὐτουσία, αὐτοζωὴ, αὐτοφῶς, *ipſa eſſentia, ipſa vita, lux ipſa*, &c. alia à mundi corporibus, & omnibus aliis creaturis, ſed fons & cauſa omnibus, τοῖς οὖσι, τῆς οὐσίας: τοῖς ζῶσι, τῆς ζωῆς: τοῖς λόγου μετέχουσι καὶ ἐννοίας, τοῦ λόγου: *Iis qui ſunt, eſſentiæ: iis qui viuunt, vitæ: ratione & intelligentia præditis, rationis.* Cauſa etiam omnis boni. Ideoque bona, verax, iuſta, caſta, miſericors, φιλάνθρωπος, *amans hominum*, benefica, verè iraſcens peccato. Adhæc, quòd ſit patefacta in tribus perſonis vna, nō vt in creaturis tanquam vna & communis natura ſpecie, indiuiduis ſeparata ac diſiuncta quibus ineſt ſeparatim, ſicut τὸ ἓν καὶ κοινὸν τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, *vnitas & communitas naturæ humanæ*, in Petro & Paulo conſideratur λόγῳ, *ratione*: Sed ſicut vna eademq; eſſentia numero reipſa, μία καὶ ταὐτή, ἀμέριστος, καὶ ἀδιαίρετος: *vna & eadem, indiuidua & indiuulſa.* In diuinitate enim τὸ κοινὸν καὶ ἓν πράγματι θεωρεῖται, *vnitas & communitas reipſa conſiderantur*, ad eum modum, vt cùm eſſentia, quæ tota eſt in patre ἀγεννήτως *abſq; generatione*, tota ab eo communicetur Filio, tota Spiritui ſancto: Vtrique ἀμερίστως καὶ ἀδιαιρέτως, *indiuiduè & indiuulſè*, ſed illi γεννητῶς *eo quòd genitus eſt*, huic ἐκπορευτῶς *eo quòd procedit*, maneat tamen vna ἀδιαιρέτως *inſeparatè*, & tres perſonæ ἀριθμῷ *numero*, ſint vnum eſſentia, nō ſpecie, vt in creatis, in quibus non diſtinctis tantùm, ſed diuiſis etiam indiuiduis, ſua tamen propria ac ſeparata eſſentia ſubſiſtentibus, vnitas eſſentiæ, id eſt, communis omnibus natura ac ſpecies, mente tantùm deducta ab indiuiduis concipitur, ſed vnitate eſſentiæ indiuiſæ numero etiam, non ſpecie:

Eſſentia in diuinitate non eſt vna confuſione.

Nec etiam κατὰ συναίρεσιν *complexionem ac cohærentiam*, Sabellianam, sed ὡς ἐν ἀλλήλοις ὄντες, οὐχ ὥστε συγχεῖσθαι, ἀλλ᾽ ὥστε ἔχεσθαι, καὶ τὴν ἐν ἀλλήλοις περιχώρησιν ἔχοντες χωρὶς πάσης συναλειφῆς καὶ συμφύσεως, id est, vt in se mutuò existentes, vna persona in alia, Pater in Filio, Filius in Patre, ratione essentiæ vnius absque diuisione & separatione communicatæ, non confusione aliqua in personis in vnam, nec cohæsu coalitúque ad vnam aliquam communem quartam essentiam, sed vt communicatæ essentiæ ratione esse in se mutuò habendo, & discretam etiam inter se subsistentiam absq; glutine aliquo & commixtione. Non est enim vna essentia in alia, quia omnium vna. Nec vnius personę proprietates sunt in alia, quia cuiusq; characteristicæ ac propriæ. Nec eodem modo in vna communi essentia subsistit Pater, quo Filius, quo Spiritus sanctus.

Essentia in diuinitate non est extra personas, nec diuisa.

Nec est diuina essentia aliquid extra Patrem, Filium, & Spiritum sanctum existens, quasi quoddam quartum, in quo tres hi contineantur, aut ex quo enascantur ac prodeant hi tres, tanquam ex vno stipite tres rami, sed est tota ipsa in Patre, tota in Filio, tota in Spiritu sancto, hoc etiam præter alia innumera ab humana discrepans, quòd humana finita est, καὶ μεριστὸς *&* *in partes diuiditur*. Ideò multi sunt homines, ἀλλ᾽ ἐν ἰδίᾳ οὐσίᾳ ἕκαστος, καὶ ἀνὰ μέρος, *sed sua quisq; essentia ac natura præditus ac sigillatim*. Illa infinita est, καὶ ἀμέριστος *indiuidua*, & in singulis personis tota, eoq; vna & eadem in omnibus. Hæc causa est, cur personæ non sint essentia diuisæ ac separatæ, sicut in hominibus κατὰ διαίρεσιν *diuisionem* Arrianam, & διάστασιν τοπικὴν *loci separationem*. Nec sint ταυτούσιοι, nec sint ὁμοιούσιοι, nec ἑτερούσιοι: *eadem essentia, nec similes essentia, nec diuersæ essentia*. Sed ὁμοούσιοι, συναΐδιοι, καὶ ὁμότιμοι, consubstantiales, coæterni, dignitateque æquales. Differant tamen inter se essentia non absoluta, sed relatiua, id est, relatione; ea tamen non rationali, & per intellectum, vt à creaturis abstracta, sed reali ac vera, quia relatio in diuinitate, essentia & res ipsa est, non accidens, eò quòd extrema, seu fundamenta, & subiecta sunt res ipsæ, & esse atq; essentia in eadem non sic differunt, vt in humanis, quibus esse subsistentiam, qua indiuiduum quodq; est & consistit Petrus aut Paulus: essentia speciem confert, qua indiuidua,

Petrus

Petrus & Paulus sunt homo. In diuinis enim esse & essentia simul sunt ab vna essentia, in qua tamen differentia, & inter personas, & vnius indiuisæ essentiæ in distinctis personis mente & intelligentia concipitur. Etsi enim personæ dignoscuntur ac discernuntur solis proprietatibus hypostaticis & characteristicis, non sunt illæ tamen *ἰδιότητες*, *proprietates*, solæ, relatione & respectu diuerso consideratæ; sed sunt essentia ipsa *τῷ τρόπῳ τῆς ὑπάρξεως*, seu proprio in singulis subsistendi modo distincta *κατὰ πατρότητα, καὶ υἱότητα, καὶ ἐκπόρευσιν*, & *κατ' ἀγεννησίαν, καὶ γέννησιν, καὶ ἐκπόρευσιν*, *eo quòd pater est, & quòd filius, & quòd ab vtroque procedit; & quòd non est genita, & quòd genita, & quòd procedit*, quæ non est, *υἱικῶς*, *filii modo*, in Spiritu, *καὶ γεννητῶς* *& vt genita*, sicut in Filio, sed *ἐκπορευτῶς ἢ ἐκπροϊόντως*, *id est, sed vt procedit atque egreditur.*

In hac descriptione non definitur, nec demonstratur *ἡ θειότης*, *deitas*, & essentia diuina quid sit. Deus enim *κατὰ φύσιν καὶ οὐσίαν ἀκατάληπτος καὶ ἄρρητος*, *natura & essentia incomprehensibilis & ineffabilis.* Nec vlli creaturæ peruestigabile est & explicabile esse Dei: & quid illud sit, quòd dicit Deus: Ego sum qui sum, sed quæ *ἀποφατικῶς*, *negatiuè*, de Deo prædicantur, id quod non est, tantùm negant, & quod hoc non sit, perhibent. quę verò aliquid *καταφατικῶς*, *asseueratiuè*, affirmant, *οὐ τὴν φύσιν, ἀλλὰ τὰ περὶ τὴν φύσιν, καὶ τὰ τῇ φύσει παρεπόμενα*, *non naturam sed quæ naturam circumstant & hanc consequuntur*, demonstrant. Nec appellatio Dei propria Iehoua designat *τὸ τί ἦν εἶναι*, sed *τὸ εἶναι* tantùm, *id est, non quid sua natura sit, sed quòd sit.*

Dei essentia quid sit, definiri non potest.

Ex his fundamentis, quæ statuit scriptura de deitate immota, describit eadem ac definit personas secundum interna, quantum ad personas inter se: & secundum externa, quantum ad communia creaturis omnibus opera patefacta in creatione, & Verbo, hoc modo. Primùm quòd Pater prima persona, *ἄναρχος*, id est, *ἀναίτιος* sine principio causæ & originis. Ex nullo enim: *καὶ ἄχρονος*, *sine temporis initio ac fine*, non natus, nec aliunde procedens, genuit ab æterno filium imaginem suam integram ac perfectam, *ὁμοούσιον καὶ συναΐδιον*, *consubstantialem & coæternam*. Filius secunda persona *ἄναρχος*, *expers principii*, tempore; id est, *ἄχρονος*, *carens tempore*; sed non *ἀναίτιος*, *absque principio causæ & originis*. Origine enim

Descriptio Dei quo ad interna & externa.

& principio ex Patre: genitus ab æterno de essentia Patris, sit coæterna Patris imago, καὶ λόγος οὐσιώδης, σοφία καὶ δύναμις, *& verbum substantiale, sapientia, & potentia.* Spiritus sanctus procedat ab vtroq; ἀνάρχως ἢ ἀχρόνως, *sine principio initii ac temporis*, sitq; substantialis amor ac lætitia coæterna inter Patrem & Filium. Deinde quòd Pater cum Filio, & Spiritu sancto condiderit ex nihilo cœlum & terram, & omnes creaturas, & adsit omnibus, quoad conseruationem, & gubernet omnia in eis liberrimè, aut effectione vel actione συνεργοῦ, *adiuuante ac participe operis*, aut determinata permissione: Quòd per Filium λόγον, *verbum*, dixerit Pater decretum ac totum ordinem creationis ac reparationis hominũ: Quòd in eo, perque ac propter eum, vt condidit, sic conseruet & regat omnia: Quòd eundem miserit, vt proferat Euangelium, & assumta natura humana fiat λύτρον, *redemptionis precium*, ac victima pro peccatis, sitq; mediator, redemtor, iustificator, ac saluator: Quòd in genere humano condito ad imaginem suam, & ad certam obedientiam, per ac propter eundem voce doctrinæ suæ, & virtute Spiritus sancti, qui mittitur in corda credentium, colligat Ecclesiam, à qua hæc vna ac vera diuinitas, & in hoc seculo iuxta verbum traditum Prophetis & Apostolis agnoscatur ac colatur, damnenturque omnes cultus, qui diriguntur ad alios deos, & alia commentitia idola ac numina, & celebretur in vita æterna. Sitq; iudex iustorum & iniustorum.

Distinctio creaturarum in visibiles & inuisibiles.

Ab hoc Creatore, autore, & opifice æterno & immenso secernit scriptura res creatas, quas distinguit in spirituales, incorporeas, inuisibiles, νοητὰς *sub intelligentiam cadentes*: Et corporeas, sensui subiectas, ac visibiles. Vtrasq; conditas ex nihilo vel immediatè, vel mediatè. τρεπτὰς item *mutationi obnoxias*, vtrasq; & finitas: μόνον γὰρ τὸ ἄκτιστον, ἄτρεπτον, καὶ ἀόριστον, *sola enim natura increata, mutationi non est obnoxia, & nullo termino finita.* Immediatè quidem, dicente Deo, de nihilo prodierunt ad esse, & extiterunt simplices creaturæ, tam inuisibiles & incorporeæ, vt Angeli νόες ὄντες καὶ φῶτα δεύτερα νοερά, *qui sunt mentes seu naturæ intelligentes & luces quædam alteræ, intelligentia præditæ*, & Animæ, quarum illuminatio est à prima causa: quàm visibiles corporeæ, quæ sunt aut διαφανεῖς pellucidæ, visuique peruiæ, aut ἀδιόπτοι, *visui non peruiæ*, soli-

solidæ, opacæ, densæ, tenebrosæ. Διαφανεῖς, *pellucidæ*, aut sunt ἐνεργείᾳ, *actu*, tales, vt cœlum erat, cœlique partes ac firmamentum initiò ex accensa creatione, infusa, ac diffusa primogenia luce: aut δυνάμει, *facultate*, natura sua lucis expertes, sed capaces illius, ac participes ex æthereæ lucis creatæ affulsu, vt elementa pellucida, ignis, aer, & aqua. Mediatè ex nihilo conditæ sunt res reliquæ, ex primis simplicibus compositæ atque conformatæ triplici discrimine, aut ex æthereis tantùm, vt luminaria & stellæ in firmamento, cui ἄϋλον σῶμα, *materiæ expers corpus*, & essentiam quintam philosophi tribuunt: aut ex elementaribus tantùm, vt ex elementorum mixtione conflata, ἄλογα, *ratione carentia*, Meteora, fossilia, plantæ, animantia bruta: aut ex incorporeo spirituali, & elementari corporeo, vt homo ex anima & corpore.

Est verò & mutationibus obnoxium creatum omne, ac motibus. Aliter tamen λογικὸν, *rationis particeps*, quod simul est αὐτεξούσιον, *libertate voluntatis præditum*. Aliter ἄλογον καὶ ὑλικὸν, *carens ratione & materia constans*. Illud προαιρέσει, *consilio & proposito*, mutatur, hoc iis afficitur motibus & mutationibus, quæ sensu percipiuntur. Cœlum & stellæ motu locali: sed & interibit cœlum ac renouabitur. Elementaria ortu atque interitu, augmento ac decremento, mutationibus qualitatum, & motu secundum locum. Finitum præterea est omne creatum. Inuisibile & ἀσώματον, *incorporeum*, etsi loco circumscriptum non est, proprietate tamen suæ naturæ finitur ac circumscribitur, vt quanquam sit ad motum agillimum, in duobus tamen aut pluribus locis simul, inque momento non sit, sed cùm in cœlo est, non est in terra; & è conuerso: denique vt νοῦς καὶ οὐσία νοερὰ, νοητῶς, *mens & essentia intelligens, intelligentia sua vi*, est ibi, vbi suas, quas edit actiones, exercet. Idque definitiuè in loco esse scholastici vocant. Corporeum & propriis suis, suæ substantiæ ratione, & alienis atque externis terminis loci comprehendentis circumscribitur. Illa circumscriptio separari à corpore nunquam potest, nisi eius destruatur essentia. Altera, etsi separari potest, eodem tempore tamen abesse & adesse simul non potest. Ideò multò minus in locis pluribus potest esse vno momento corporeum, quàm incorporeum.

Creatum omne mutabile & finitum.

Visibilium creaturarum duæ classes.

Quidquid autem est visibilium creaturarum, id omne digeri ac distribui in duas classes potest: nimirum in rerum naturam *ἄλογον, rationis expertem*, pendentem à liberrima Dei potestate & gubernatione, & in genus humanum *λογικὸν, ratione præditum*. Hoc rursus in societatem generis humani, politiis, & Oeconomiis, legibus, iudiciis, artibus, commerciis, & innumeris aliis rerum atq; officiorum vinculis inter se deuinctam: Et in Ecclesiam quæ etsi creata ab initio non est, sed post lapsum, per & propter filium Mediatorem regeneratione, quæ verbo promissionis, & Spiritus sancti virtute fit, excerpi ex genere humano ac condi cœpit, visibilis tamen cœtus est; sed distinctus à reliqua caterua suis, quibus cognoscitur, donis diuinis, ac notis patefactis in verbo.

Incorporeæ naturæ Spiritus & Angeli vocantur.

Angeli boni.

Incorporeas creaturas, intelligentes omnes & liberas scriptura nominat Spiritus & Angelos: Illo à natura, hoc ab officio sumto nomine, conditi ex nihilo omnes ab initio ad diuina ministeria, in conspectu & consuetudine Dei, ornatique notitia ac sapientia legis, & aliarum rerum, libertate voluntatis, & iusticia. Non tamen in statu primo integritatis atque innocentiæ omnes perstiterunt. Sed qui perseuerarunt, confirmati in bono, videlicet in dilectione Dei, Angelorum, & hominum piorum, in veritate, & castitate, vt nunquam deficiant à Deo, distinctíque in choros, in cultu perpetuo, ac ministerio, subiectissima obedientia Deo, simulque, quanquam præstantior natura; tamen mandatis ac destinatis officiis, inferiori etiam ipsis seruiunt Ecclesiæ, iuxta Dei voluntatem, qui vult fortiores curam agere inferiorum, studiumque humilitatis approbat. Psal. 91. Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Super leonem & aspidem ambulabis, & conculcabis catulum leonis, & draconem. Item Psal. 34. Castrametatur Angelus Domini in circuitu timentium. Iidem fruuntur contuitu & consuetudine Dei coràm, habentque accessus liberrimos ad thronum Dei, abeunt, redeuntque exequentes iussa Dei, & sui muneris leges atq; officia, & referentes peracta: hos scriptura bonos Angelos & Spiritus vocat.

Angeli mali.

Ab his diuersi Angeli & Spiritus mali atque impuri fuerunt

runt & ipsi in creatione ornati notitia ac sapientia legis, & rerum aliarum, libertate voluntatis, & iusticia. Sed voluntate sua liberè se auerterunt ac discesserunt à Deo, contemtu Filij Dei, ob idque abiecti à Deo, & destinati addictique pœnis, sine fine furunt odio Dei, mendaciis ac blasphemiis, ac sæuitiam exercent in genus humanum, impellentes alios ad alia scelera, ad blasphemias, mendacia, idola, superstitiones, prophanitatem, superbiam, bella, cædes, iniurias, tyrannidem, libidinum confusiones, non vt ipsis sit melius, sed propter ἐπιχαιρεκακίαν, *malevolentiam*, & vt Deum ac Dominum nostrum Iesum Christum contumelia afficiant. Quare hæc duo encomia à Christo ipsi Diabolo tribuuntur, quòd sit mendax, ac homicida. Nominatur Diabolus, quia verbum Dei sophistica & calumniis corrumpit in mentibus hominum, & ad strophas ac simile studium recta deprauandi incitat & instruit homines. Satan vocatur, quia cùm post defectionem à Deo regnum ex superbia propriũ exorsus esset, contemtu & odio Filij Dei, sed Dei tamen determinato permissu, factus hostis Dei, sine intermissione, quæ potest, hostiliter machinatur, molitur & experitur per se & per malos homines abusu etiam aliarum creaturarum, aduersus Deum, Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum & Ecclesiam imprimis.

Diabolus vnde dicatur.

Vocatur & Beelzebub, quia eiectus cum satellitio suo vniuerso ex cœlo & sede beatorum ac sanctorum Angelorum, Deo præsenti intuitu ministrantium, volitat ac habitat crabronum instar in aere. Vnde Paulus nominat eum Principem potestatis aeris, efficacem in his, qui non obediunt Deo. Illa potestas, quæ & quanta sit, etsi indicatum est suprà, in rerum naturam, genus humanum, & Ecclesiam, & repetetur iterum: circumscripta tamen semper, suisque circũdata est atq; arctata, limitibus, ac pendet omnis à nutu, permissu imperióque, & mandatis Dei, etsi non liberos habent aditus ad Deum, sed concessos ac definitos tãtùm, vt historia Iobi docet, & visiones Micheæ Prophetæ. 2, Reg. 22. & Zachariæ 3. Commemorat & Christus ipse, vidisse se Satanam cadentem de cœlo sicut fulgur. Has sibi præfixas metas, quòd transgredi conantur Diabolus ac ministri ipsius, admissisque ac præscriptis plura maioraque au-

BeelZebub cur dicatur.

dent & aggrediuntur: inde perpetua certamina bellaque existunt inter Angelos bonos & malos: his Dei mandata ac decreta vel sophisticè eludentibus, vel maliciosè deprauantibus, vel superbo fastu aspernantibus: illis eadem vrgentibus ac perficientibus victrici præsidio Filij Dei, vt certamina ista Daniel.10, & in Apocal. describuntur.

Angelus & Spiritus malus cur dicatur.

Vocatur & malus Angelus ac Spiritus, quia omne malum culpæ seu peccatum, principio, origine, & causa effectrice natum est atque profectum ex Diabolo, qui elatus superbè supra Filium Dei, cùm deseruisset stationem suam, & exarsisset furioso Dei odio, ad scelus omne Deo displicens, prohibitumq;, ac damnatum lege Dei, quæ debebat ipsi norma esse rectrix obedientiæ erga Deum, fabricandum ac perpetrandum se cõuertit. Ac deinceps hominem infirmiorem se fraude deceptum ac seductum, in societatem sceleris sui pellexit. Quidquid igitur peccati est, quod destructio est ordinis operisq; creati in natura rationali, & libertate voluntatis prædita, sed relicta in potestate consilij & arbitrij sui, τρεπτῇ κατὰ τὴν γνώμην καὶ ἐθελοτρέπτῳ, *mutabili in sententia & voluntate*, id à Diabolo est, ἀρχεκακῷ, *authori malorum*, tanquam fonte & causa, vt docet Christus, Ioh.8. Vos ex patre Diabolo estis, & cupiditates patris vestri vultis explere. Ille fuit homicida à principio, & in veritate non perstitit. Non est enim veritas in eo: Quotiescunq; loquitur mendacium, de suo loquitur, quia mendax est, & mendacij pater. Idem repetitur 1. Ioh. 3. Qui facit peccatum ex Diabolo est, quia à principio Diabolus peccat. Ad hoc patefactus est Filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli. Item Matth.5. Sermo vester sit Est, est: Non, non, quod supra hæc est, à Malo est. Primus homo, etsi iudicij & arbitrij sui libertate discessit à Dei præscripto, non ex se tamen id fecit, sed mendaci ac fraudulento persuasu Diaboli circumuentus & adductus. Quare quidquid nunc in orbe scelerum est, illud omne à Diabolo & hominibus prouenit Diaboli organis ac mancipiis. Vocatur & πνεῦμα ἀκάθαρτον, *Spiritus impurus: vt discernatur à Deo fonte castitatis, & à castis Angelis.*

Deus non est causa peccati.

Nec Deus, qui immutabiliter bonus est, vnaque, & sola omnis boni causa existit, simul est aut fuit causa positiua

tiua & effectrix mali contrarij, quod boni priuatio est, ordinisque diuini euersio, & operis corruptio ac deformatio in iis, quæ Dei propria, sed in creatione vtrisque, Diabolis & hominibus communicata, ita fulserunt ac viguerunt ante lapsum in vtrisque, vt essent imago Dei, & cum illustri luce agnitionis Dei veræ exprimerent ac referrent Archetypum in iusticia, & sanctitate vera, sed vtrique hæc ornamenta summa sua voluntate abiecerunt, rectore Deo excusso.

Nec voluit, aut vult Deus peccatum *ἁπλῶς*, ac per se & simpliciter, nec efficit, nec est causa *συνεργὸς*, *adiuuans*, nec approbat idem: Sed odit non simulatè, atque abominatur immutabiliter & vlciscitur, ac punit pœnis præsentibus & æternis: Etsi vult *κατά τι*, *secundum quid*, respectu boni alicuius maioris ac præstantioris voluntate permissiua, vt ostendat ac declaret intelligenti naturæ primò discrimen inter bonum & malum: Inter se boni fontem, autorem, & architectum, & inter Diabolum autorem & fabrum mali. Deinde & gloriam sapientiæ, bonitatis, iusticiæ, misericordiæ, atq; omnipotentiæ suæ, affectionemque suam erga salutem generis humani. Et in his, atque ab his omnibus ipse vt celebretur. Nec propterea censeri debet aut potest causa *συνεργητικὴ*, *efficiens*, quia organa & *δυνάμεις*, *vires & facultates*, actionum effectrices conditas à se nunc propagat, sustentat, ac conseruat cum ea labe ac prauitate, quæ à peccato accessit, & quam à parentibus ex ortu contrahimus: aut quia in opere à se condito radicem mali tolerat, quam extirpare posset, aut quia hominem permittit *κατὰ συγχώρησιν*, *permißione*, insitæ prauitati, Diaboli subiectionibus & instinctibus, mundiq; irritamentis atque illecebris liberè obsequi, cùm impedire id posset: aut cùm iis, quæ prauè, & contra Dei interdictum, & ordinem fiunt, metas constituit, determinans, quo cursu, quóve fine & exitu, & quo vsque sit ea toleraturus & concessurus, operis enim & ordinis à Deo instituti euersio, conturbatio, corruptio, & destructio ab eodem nulla est, nulla *ἀταξία*, aut *ἀκαταστασία*, *confusio aut seditio*, neq; in rerum natura, neq; in societatis humanæ distinctis partibus & gradibus, neque in Ecclesia, sed, vt dixi, à Diabolo illa sunt artifice primo,

& malis hominibus Diaboli organis ac ministris. At prauitatem ab ipsis ortam, & sua sibi libera voluntate accersitam atque attractam, Deus agens omnia ad gloriam suam atque salutem nostram, reliquam esse suo consilio, & arbitrio liberrimo in vtrisque, & perdurare vsque ad finem rerum voluit: quæ quidem in Diabolis & reprobis est & manet insanabilis, luenda pœnis æternis. In electis hominibus sanatur, emendatione inchoata, hoc seculo in sola Ecclesia, & in his, qui fiducia Filij Deo reconciliantur, & virtute Spiritus sancti per ministerium verbi & sacramentorum regenerantur ac renouantur ad nouam vitam, æternam, ac Spiritualem, sed in lucta, vera, viua, seria, ac perpetua cum repullulante viciosa radice, quæ in carne reliqua est, cum Diabolo ac mundo: consummabitur illa deinceps post resurrectionem in seculo futuro, cùm efficientur conformes glorioso corpori Christi, & templa Dei, luce æterna pleni coram cernent Deum *πρόσωπον κατὰ πρόσωπον*, *de facie ad faciem*. Nec vtitur Deus ad scelera peragenda vnquam opera aut ministerio sanctorum Angelorum, aut hominum, sed Diabolorum tantùm & malorum hominum, etiam tunc, cùm punit peccata peccatis: etsi enim peccata, quatenus sunt pœnæ, à norma sunt iusticiæ diuinæ, opus ipsum tamen à Diabolis est, & malis hominibus.

In homine post lapsum reliquum lumen aliquod & aliqua libertas in ciuilibus.

De homine lapsu corrupto, peccatique sauciato vulnere, ac labe infecto, etiam hoc monet scriptura, quòd, etsi ornamenta lucis & sapientiæ diuinæ in mente obscurata, & virium ceterarum integritas fracta atque conuulsa est, voluit tamen Deus reliquum esse, aliquod in eo lumen diuinum, quod lucet in reliquis homini vestigiis sapientiæ diuinæ, notitiis, scientiis, doctrinis, artibus, in discrimine honestorum ac turpium, in sapientia politica, intellectu ordinis ac numerorum. Voluit *αὐτεξούσιον*, *arbitrii libertate præditum* quid, seu aliquam libertatem voluntatis reliquam esse in actionibus ciuilibus atque externis, & rectione locomatiuæ, de vtroque tantum, quantum huic vitæ cum ratione degendæ ac peragendæ vsui futurum erat, tam cuique priuatim, quàm publicè plurimis in rebus & officiis societati humanæ tuendæ, fouendæque, ac benè administrandæ necessariis, in Politiis, & Oeconomiis. Has imaginis Dei, & donorum

rum diuinorum reliquias Spiritus ſanctus in regeneratione hominis non deſtruit, ſed noua luce & virtute noua repurgat cõuerſas ad Deum, & aſſiduis exercitiis nouarum actionum ſpiritualium auget ac confirmat.

Deus etiam poſt lapſum naturæ Dominus.

Ex hac commemoratione planum fit cuiuis, quid interſit inter Deum creatorem, & inter creaturam ſic conditam, vt ordine & lege diuina immutabili creatori ſubiecta ſit ac pareat: Aut ſi obedientiæ ſe ſubtrahat, non ſurripiat tamen ſe poteſtati ſimul & iuſticiæ, etiam in repreſſione ac vindicta, cohercente inſolentius & contumacius tumultuante, & rapiente ad decretas iuſto iudicio pœnas præſentes & æternas. Quid præterea interſit inter res creatas ab initio, & deinceps lapſu Diabolorum ac hominum corruptas, vt nunc ſunt, quia propter peccatum reliquæ etiam creaturæ, quæ hominis cauſa fabricatæ erant, & eiuſdem imperio ſubditæ, ex maledictione diuina, in feliciores cum diſſenſione quadam & antipathia euaſerunt. Quale deniq; ſit Dei imperium in creaturas, quas adhuc omnes in ſua habet omnipotenti manu ac poteſtate. Etſi enim defectione Diabolorum à Deo, & auulſu generis humani, qui erat à principio, inſtitutus ordo interruptus eſt ac turbatus, præſertim in creaturis aliquibus rationalibus, Diabolis, & hominibus, & mutata eſt ea forma gubernationis, qua illis, ſi permanſiſſent in ſtatu ſuæ integritatis & innocentiæ, affuturus ac dominaturus fuiſſet, adeſt tamen adhuc operi condito vniuerſo idque liberrimè gubernat, etſi in eo aliter alia. Aliter enim regit *προαιρετικὰς, quæ conſilio agunt*, naturas & rationales, aliter phyſicas *ἀλόγους, rationis expertes*: Et ex illis aliter integras & addictas ipſi: aliter auerſas & contumaces: Aliter bona gubernat, quæ vult ſimpliciter, vt dictum eſt, efficit & approbat: Aliter mala pœnæ, quæ ab ipſo decernuntur, & infliguntur ordine immoto & immutabili iuſticiæ diuinæ, per delecta ac deſtinata ad hunc vſum organa. Aliter mala culpæ, quæ non vult abſolutè, ſed *κατά τι ſecundum quid*, reſpectu boni alicuius. Nec efficit illa nec approbat, ſed permittit, curſuque ac fine determinat, decernendo quomodo & quouſque ea admiſſurus, & Diabolis atque impiis hominibus quantum ac quouſque ſit indulſurus.

Quomodo distinguenda opera ordinaria & extraordinaria, diuina & Diabolica.

Hæc clariora fiunt, quando gradus præsentiæ Dei in & cum creaturis rectè discernuntur, & explicantur, & opera Dei à Diabolicis operibus manifestis, id est, benè & rectè facta, à sceleribus: opera Dei ordinaria secundum ordinem creationis in rerum natura, secundum ordinem nouum reparandi generis humani verbo patefactum Ecclesiæ, ab extraordinariis miraculosis: vtraque à præstigiis Diabolicis impostura & fascino interdum tantum, quandoque reipsa etiam efficacia Satanæ, vsu ac fine tamen mendaci diuina opera ordinaria aut extraordinaria effingentibus ac repræsentantibus: denique ordinata à Deo regularia, perpetua, rectè distinguuntur à confusionibus inuectis artificio & impulsu Diaboli & impiorum, aut partu ex se, aut ministerio, innumeris specie ac diuersis, Deo tamen aduersis ac humano generi perniciosis omnibus. Nihil fit omninò, nisi Deo præscio: nihil etiam, nisi illo volente, ea tamen voluntatum differentia, secundùm causarum secundarum discrimina, quæ exposita est. Nihil etiam (vt cum scriptura loquar) sumere sibi quisquam potest, id est, conari, aggredi, perficere, siue in iis, quæ naturæ rerum, aut societati humanæ seruiunt aut prosunt, comparata diuinitus ac distributa ad vsum & conseruationem vitæ caducæ præsentis: siue in aliis æternæ vitæ spirituali acquirendæ & inchoandæ noua patefactione causarum aliarum, ac mediorum aliorum, præter creata, definitis & destinatis, nisi sit ei datum concessumve diuinitus. Omnis enim nostra *αὐτάρκεια facultatis & virium potestas*, ex Deo est, sed præsentia alia in iis creaturis, quas ordinatè agentes conseruat & adiuuat: alia in ruentibus contra ordinem in quibus creatam à se substantiam & vires illi attributas conseruat, viciosum & inordinatum in viribus & actionibus neque ciet, neque adiuuat. Et in agentibus ordinatè rursus efficacia alia, atque in aliis donis diuinis, sed interituris tamen ac caducis, ad vsum vitæ præsentis. Longè alia itidem *ἐν δωρεαῖς ἢ χαρίσμασι ἄλλοις πνευματικοῖς, in donis aut beneficijs aliis spiritualibus*, ad futuram vitam æternam, duraturis in omnem æternitatem: communicatione etiam ac distributione horum alia in assumta natura humana à Christo, cui *ὑποστατικῶς, personaliter*, adest, & in quam Spiritum sanctum effudit *οὐ κατὰ μέτρον, non secundum*

mensuram

mensuram, seu prærogatiua tanta, quæ omnes res creatas exuperat: alia in reliquis sanctis. Denique nihil fit sine Deo agente, aut κατ' εὐδοκίαν, aut κατ' οἰκονομίαν, aut κατ' συγχώρησιν, *aut secundum beneplacitum voluntatis suæ, aut secundum dispensationem, aut secundum permissionem*: quæ quomodo differant, mox declarabimus. Horum illa duo fiunt ac perficiuntur ἐνεργητικῶς *effectus productione*, tertium permissione ac determinatione.

Gradus præsentiæ Dei primum distinguemus ac declarabimus, quorũ scriptura non plures nouit, quam quatuor, differentes inter se, & gradibus ipsis diuersis, & præsentis Dei actionib. atq; effectis, quib. se exerit aliter in aliis, & in finem alium. Etsi enim est Deus vbiq;, & immensitate suæ essentiæ atque infinitate implet omnia, non tamen eodem gradu & modo præsentiæ, singulis adesse, nec eodem genere actionũ atq; effectorum in efficaci communicatione donorum diuinorum se ostendere, ex traditione doctrinæ sacræ cognoscitur. Primum præsentiæ gradum vniuersalem, & creaturis omnibus communem: Alterum beatis angelis & hominibus: Tertium Ecclesiæ, & renatis ac saluandis in Ecclesia: Quartum soli Filio Dei in assumpta natura humana proprium, scriptura statuit. Hos lucidioris & euidentioris discriminis causa, suis differentiis hoc modo seiungemus inter se ac separabimus, vt duo constituamus prima genera, & horum rursus alterum diuisibile in suas partiamur species.

Gradus præsentiæ Dei in creaturis distincti.

Graduum itaq; præsentiæ Dei in & cum creaturis duo primi sunt. Vnus χωριστὸς, separabilis: Alter ἀχώριστος, ἀδιαίρετος, ἀδιάστατος, inseparabilis, indiuulsus, continens ac perpetuus. Separabilis omnem in reliquis creaturis præsentiam complectitur, vna illa vnionis hypostaticæ duarum naturarum in persona Filij Dei exclusa, quæ sola inseparabilis & illi propria est. Separabili præsentia, etsi Deus vbiq; est & in omnibus essentia, non commiscet tamen vlli essentiam suam, nec fit vllius pars, neque ab vlla inquinatur. Cumque adsit, κατ' παρέστασιν, *quasi astando siue secundum præsentiam*, separabiliter, exerit δύναμιν καὶ ἐνέργειαν, vim & efficaciam suam donis & effectis creatis, in quibus lucet & cognoscitur. Isto gradu præsentiæ adest Deus liberrime creaturis, agens atque efficiens in singulis, quæ &

Duo primi gradus præsentiæ Dei.

quanta vult. Hunc gradum geminum facimus, non gradu tamen diuersum, sed actionis modo & effectis differentem. Agit enim & efficit alia Deus, secundum à se conditum in natura vel de nouo institutum ordinem in Ecclesia per ordinatas causas. Vnde quæ fiunt inde opera, ordinaria, & cõsueta, atque vsitata (τεταγμένα) rectè vocantur, ac rectè dicuntur fieri κατὰ φύσιν, secundum naturam, quæ fiunt ordine naturæ: κατὰ τάξιν ὑπηρετικὴν ἢ μυστικήν, quæ fiunt ordine verbi patefacti: Alia agit & efficit vt agens omnipotens ac liberrimum, præter & extra vsitatum agendi modum, ordinemque consuetum in natura, & sine præsidio & viribus secundarum causarum, immò contra earum vires, sed absq; naturæ & ordinis destructione. Quæ hoc modo fiunt, quia noua, inusitata, rara, & extraordinaria sunt opera, θαύματα vocantur, id est, miracula, & ὑπὲρ φύσιν *supra naturæ ordinem*, rectè dicuntur fieri. Quæ in Ecclesia præter ordinem verbo institutum facit Deus, ὑπὲρ τὴν τάξιν ὑπηρετικὴν ἢ μυστικήν, *supra ordinem ministerij & mysticum*, facta dici possunt. Etsi autem modi actionum & opera differunt, gradus tamen præsentiæ ad res ipsas, in quibus fiunt, non sunt alij. Et modi quidem actionum atq; effecta sic discernuntur, vt illa ordinaria & vsitata à Deo κατ' εὐδοκίαν, *secundum placitum voluntatis suæ*: hæc extraordinaria & inusitata κατ' ὁμιλίαν, seu dispensatione effici dicantur. Vtraq; diuersa ab iis, quæ κατὰ συγχώρησιν, & permissu diuino fiunt, non efficacia in causis liberè καὶ προαιρετικῶς, *ac consilij & propositi arbitrio*, agentibus in Diabolis & malis hominibus, contra Dei ordinem, aut operum Dei mendaci imitatione in contumeliam Dei, & hominum perniciem. Κατ' εὐδοκίαν, & secundum beneplacitum suum gubernat Deus rerum naturam, societatem generis humani, & Ecclesiam, & in singulis singula, sicut vult, secundum ordinem à se profectum, actionibus etiam & operibus suis, distinctis tamen, & opere ac fine diuersis, ad gloriam suam, & hominum salutem, alijs ad præsentem vitam quæ communis est bonis & malis, alijs ad æternam, quæ solis electis in Ecclesia propria est.

Opera Dei καθ' ὁμιλίαν seu dispensatione.

Quæ καθ' ὁμιλίαν & dispensatione facit Deus extra ordinem, ea aut in seipso edit, sed ad hominem & hominis causa, aut in creaturis. In seipso quæ edit, complectuntur φανερώσεις

ρώσεις omnes, id est, apparitiones & patefactiones, quibus Deus ostendit sese hominibus, quod varijs formis historia sacra factum tradit, quibus ex arcana sede prodiens velut aperuit se, & conspiciendum, audiendumve præbuit, euanidis tamen omnibus, post opus completum, cuius causa obiecta species illa oculis fuit, vt Angelorum, in ardenti rubo, in nube, in caligine, in forma columbæ, & ignitarum linguarum, qua Spiritus sanctus conspectus est: perpetua nunquam, εἰ μὴ ἐν μόνῃ τῇ ἐνανθρωπήσει ἢ ἐνσαρκώσει, *nisi in sola hominis assumptione & incarnatione*, Filij Dei, quæ vt omnium maxima, summeque admirabilis, πᾶσαν φύσιν, καὶ νοῦν, καὶ λόγον *omnem naturam, & intelligentiam & rationem*, excedit.

In creaturis fiunt οἰκονομικῶς, *dispensatione* miracula, cum vel absq; mutatione εἰς βελτίωσιν, ἤγ' ἐλάττωσιν, *vt in meliorem statum res deducatur, vel diminuatur, ac in deterius abeat.* Ista propriè dicta & verè miracula, nec sunt κατὰ φύσιν *secundum naturam*, quia legibus naturæ non respondent, nec congruunt etiam ad ordinem Dei verbo Ecclesiæ commendatum, nec sunt etiam παρὰ φύσιν, nec παρὰ τάξιν ἱερατικὴν, *contra naturam nec contra ordinem verbo Dei sancitum*. Non demoliuntur enim, nec perimunt essentias rerum *aut species totas*, nec ordinem naturæ, vel Ecclesiæ proprium tollunt aut abolent, etsi actu vno singulari nouum quiddam, insuetumq; naturæ, atq; insolitum prorsus exhibent, quod creaturis, siue virtute sua natiua & insita, siue per aliarum creaturarum innatas vires factu impossibile est: sed ὑπὲρ φύσιν, καὶ ὑπὲρ τὴν τάξιν ἱερατικὴν *quæ superant naturam & ordinem ministerij*, opera Dei sunt singularia, & extraordinaria, edita aut immediatè à Deo, sine interuentu vllorum mediorum, aut cum his, vel in vsu horum externo ac sensibili, sine horum tamen ope ex natiua virtute (ἐνεργείᾳ γὰρ θεοῦ τυγχάνει τὰ θαύματα, *efficacitate enim Dei fiunt miracula*, secundum Damascenum) creaturis impossibilia & inimitabilia, positiua aut priuatiua: Positiua, quibus efficitur nouum quiddam, seu permanens, ac durabile, seu cessans, atque euanescens, re ad priorem naturam reuertente, actu miraculi contrario. Priuatiua, quibus cursus naturæ inhibetur ac velut interrumpitur, aut prohibetur se vis congenita expromere aut in parte aliqua naturæ, vel creatarum rerum specie fit destructio miracu-

Oeconomia in miraculis.

Miracula positiua & priuatiua in natura.

losa, aut strages, editur vi omnipotente, vt cum in diluuio totum genus humanum absorbetur, vsq; ad homines octo: cum enecantur primogenita in Ægypto: cum exercitus Sennacheribis Assyrij trucidatur. Positiua sunt miraculosæ aut conuersiones rerum, vel procreationes & multiplicationes: Aut mutationes eius, quod est παρὰ φύσιν *contra naturam*, toto genere, in aliud κατὰ φύσιν *secundum naturam*, positiuum sine vllis adminiculis, aut præsidiis creatis. Habet & Ecclesia quædam propria, quales fuerunt extraordinariæ vocationes & missiones Prophetarum, & Pauli vocatio, atque ad Deum conuersio, quæ tamen ordinem Ministerij non aboleuerunt.

Mutationes miraculosæ. Conuersionibus miraculosis etsi mutatur vnum in alterum, & alterum actu perit, non redigitur tamen in nihilum, sed potentia manet in altero semper, Dei respectu, etsi non semper de potentia in actum priorem reducitur. Denique nunquam in miraculosis conuersionibus fit annihilatio, & omnimoda destructio rei, sed ex vno positiuo fit aliud. Talia sunt, conuersio aquæ in vinum, baculi Mosis in colubrum, aquarum Ægyptiarum in sanguinem, ac reditus vtriusq; ad priorem formam, ranarumq; eductio: quæ etsi permissu Dei ac potestate, Malefici Ægyptiorum imitantur, vt magis induretur Pharao, aquis tamen restituere ademtam formam, ranasq; dispersas congregare & enecare nequeunt, & à colubro Mosis dracones Ægyptiorum deuorantur. Huius generis est & μεταμόρφωσις *transformatio* Christi, quæ typus est perfectionis nostrorum corporum, ex glorificatione Christo conformi prouenturæ. Procreationis & multiplicationis exempla sunt, diluuij aquæ auctæ: Manna ex sublimi demissum tot annis in solitudinibus sterilissimis: Torrentes aquarum dulcium effusi ex aridissimis petris ad contactum baculi Mosis: Pastus ac saturatio multorum millium de paucis panibus & piscibus: Et qui omnem naturã, omnemq; mentis humanæ captum exuperat, conceptus Filij Dei in humana natura, formatioque in vtero virginis sine virili semine. Mutationes τοῦ παρὰ φύσιν seu priuatiui, quod est contra naturam, in aliud κατὰ φύσιν positiuum, quod est secundum naturam, sunt fœcundatio sterilium, sanationes miraculosæ congenitæ cæcitatis & clauditatis, aliæq; ad vocem & iussa

Christi,

Christi, ad contactum vestimenti eius, vmbræ Petri, sudariorum & semicinctiorum Pauli: viuificatio cadaueris ad contactum ossium Heliæ, & resuscitationes mortuorum aliæ cum vniuersali futura.

Priuatiua sunt, cùm Sol stat, cùm non splendet tempore passionis Christi; ferrum natat, excæcantur hostes ad preces Helisei; cùm discipulis in Emaus, Iudæis in Nazareth euadente Christo per medium ipsorum, clauduntur oculi. Quando Christus & Petrus calcant aquas, pondere corporum suspenso, ne mergantur. Cùm fissæ maris rubri & Iordanis aquæ, ac repressæ, affluxuq; coaceruatæ, scopulorũ instar assurgunt ac consistunt. Ignis nõ vrit pueros in camino Babylonico. Ionas non suffocatur in ventre piscis. Christus & Helias non consumuntur ieiunio quadraginta dierum. In horum neutro destruuntur essentiæ, ne quidem vbi formæ mutantur, superstite materia: vt cùm aqua simplex, miraculosa conuersione abit in compositum perfectum, eadem quantitate ac mensura; nimirum quando aqua transit in vinum, & sanguinem, motu subito ac momentaneo. Nec euertitur ordo naturæ, cùm repressus cohibetur, aut interrumpitur actu aliquo nouo, raro, & singulari, cedente creatura omnipotentiæ creatoris, & hoc ordinem ipsum & naturam, ne quid detrimenti capiat inde, vel in vno, vel pluribus indiuiduis, aut speciebus, sustentante ac tuente. Aqua in Vinum versa non interit, nec esse desinit. Aqua tantùm esse desinit actu, non etiam potentia. Reduci enim ad essentiam priorem sub pristina forma potest vi omnipotente, sicut cùm in sanguinem vertitur, & cùm baculus fit coluber, retinet horum duorum vtrumque *δυνάμει potestatem*, redeundi ad priorem naturam, quam & recuperat vtrumque. Denique in talibus conuersionibus miraculosis, *τὸ εἶναι*, *ipsum esse siue quod est*, quo quid actu est, nunquam interit, sed *οὐσία*, *natura*, qua quidque id est, quod est; id est, certa species ab alijs differens, vertitur in aliam. Sol cùm stat, Sol non esse desinit, sed progredi cessat actu, potentia manet mobilis, sicut aquæ maris rubri & Iordanis, cùm in cumulum agglomeratæ consistunt. Immò, quidquid est creatum, *δυνάμει facultate*, tale est, vt possit ex quocunq; fieri quodlibet, respectu omnipo-

Miracula priuatiua.

tentiæ Dei, & misericordiæ, qui solus est actus purissimus ac perfectissimus, sed agens liberrimum. Exempla miraculorum talium in natura obuia frequentiora sunt, Ecclesiæ tamen conspectiora ac notiora, cui etiam, & propter quam eduntur, sed habet illa sua etiam propria, quanquam rariora, attamen conspicua, maximè in mirandis & conuersionibus ad Deum hostium atrocissimorum, sicut docent exempla Regum Assyriæ ac Persicorum aut in operibus, defensionibus, ac liberationibus sanctorum, aut vocationibus singularibus ad opus nouum & extraordinarium cum testimonijs certis.

Oeconomia βελτίωσις aut ἐλάττωσις.

Οἰκονομία *Dispensatio* deniq; omnis aut *βελτίωσις instauratio siue mutatio in melius*, est, qua res creata in statum conditionemve trãsfertur meliorem, vel effertur etiam in altiorem: Aut *ἐλάττωσις mutatio in deterius*, qua in meliorem antè collocata, inde in deteriorem vel humiliorem statum reuocatur, ad destinatum tempus. Βελτίωσις aut certi est temporis, aut perpetua. Temporanea est omnis in miraculis *μεταποίησις* & prouectio rerum in melius, seu mutatione fiat prædictarum duarum alterutra, siue cohibitione actionum, aut ordinis interruptione. Mutatio in miraculosis aut durabilis est, vsq; ad subiectorum finem, quales fuerunt sanationes connatarum ægritudinum, resuscitationes mortuorum, conuersio aquæ in vinum, &c. Aut durabilis non est, qualis fuit transfiguratio Christi temporanea, fœcundatio ad vnum partum, &c. Cohibitio temporanea perpetuò est actus vnius ac temporis definiti. Perpetua *βελτίωσις*, *mutatio in melius*, est in glorificato corpore Christi, post ascensionem in cœlos, *μεταποίησις τοῦ ταπεινοῦ εἰς τὸ ὑψηλὸν*, *prouectione eius quod humile est, in altum*, cuius efficiemur nos participes: Euectio ac translatio Henoch & Heliæ viuorum in cœlos. Ἐλάττωσις, *Extenuatio seu mutatio in deteriorem seu humiliorem statum*, est in corpore Christi post resurrectionem, vsus cibi. quo illi opus non erat, ex inchoatæ glorificationis initijs in terra: Immò totum opus τῆς ἐλαττώσεως ἢ ταπεινώσεως, *extenuationis aut humiliationis*, Christi extenuantis ac humiliantis, sese in assumtione naturæ humanæ propter nos, & obedientis Deo vsq; ad mortem in eadem in cruce.

Extraordi-

Hoc singulare, inusitatum, & extraordinarium genus

nus operum diuinorum raris, nouis, singularibus, & ab ordinis noti regula variantibus fit actibus & exemplis; cumq; diximus aut immediatè fieri, aut mediatè, de mediis etiam, & de quadam illorum proprietate, admoneri aliquid necesse est. Etsi Deus vtitur quandoq; mediis externis, tamen res, quæ cernitur proferre ac producere miracula in sese, aut in alio nunquam est vnum idemq; cum essentia, vel omnipotentia Dei, quæ duo à se inuicem diuersa non sunt, quia omnipotentia est ipsa omnipotens essentia. Neque vis effectrix est rei, quæ videtur agere, sed est ac manet illa, quod fuit, & agit ex se, quod suum est ac proprium. *ἡ δὲ παντοδύναμος ἐνέργεια, omnipotens autem efficacia,* Dei quæ ad illam, cum illa, in illa, aut per illam efficax arbitrio liberrimo, ista, quod suum est, agente visibiliter, opus quanquam visibile, inuisibiliter tamen perficit. Non facit Moses miracula noua aliqua, sua & ascita vi, aut baculi sui: Nec cadauer Helisei vitam reddit apposito cadaueri: sed præstat id, quæ ad actionem Mosis, & contactum cadaueris accedit, seq; exerit Dei potestas, qui vtitur aliquando creaturis præter ordinariam rationem suo arbitrio, vt, sicut dictum est, testetur, se agens esse non omnipotens modò, sed & liberrimum. Nec alligatum se esse vllo vinculo aut nexu ad seriem, aut vires causarum secundarum, nec ad ordinem, quo causas inter se digessit ac deuinxit. Nec omnipotentiam suam se impertiri creaturis.

naria aut mediatè aut immediatè fiũt.

Ne quidem natura humana in Christo, in se ac per se *παντοδύναμος, omnipotens* est. Neque ex omnipotentia realiter communicata, miraculosa patit opera, quia natura creata finita, non potest esse Deus, nec capere pôtest ea, quæ Dei propria sunt, vt sit & maneat creatura. Sed in persona Christi, ex vnione hypostatica, vtraq; natura distinctim agente proprium in actione Theandrica (quæ sensui effectu & opere vna: reipsa ex duabus ad opus vnum ac commune distinctim concurrentibus, non separatis tamen actionibus constat) quidquid in hac humana agente, quod suum est sensui, simul fit omnipotenter, non vt effectu tamen, sic & actione ipsa conspicuum, in vno apotelesmate & opere, id à Deitate seu diuina natura Christi proficiscitur, ἡ γὰρ τῶν θαυμάτων δύναμις (inquit Damascenus) τῆς θεότητος Χριστοῦ ὑπῆρ-

Humana natura in Christo per se non omnipotens.

χειν ἐνέργεια, ἡ δὲ χειρουργία καὶ τὸ θελῆσαι καὶ τὸ εἰπεῖν τῆς ἀνθρωπότητος. Item τῆς θεότητος αὐτοῦ, ἡ θεία καὶ παντοδύναμος ἐνέργεια. Item τὰς ἐπισημασίας ἡ θεότης εἰργάζετο. *miraculorum enim potestas* Deitatis *Christi erat efficacia, administratio verò, & voluntas, & locutio, humanitatis.* Item, *Deitatis ipsius, diuina & omnipotens effectio.* Item, *Signa Deitas edebat.* Aliter tamen exerit se Deitas in Christo, in quo est vnione hypostatica & inseparabili, vt essentia, sic ἐνεργείᾳ, *effectione*, & cum humana natura agit ἡνωμένως, οὐ διῃρημένως, *cum vnione quadam, non separatione.* Aliter in sanctis, quibus assistentia & societate separabili adest. Ab his enim, quod fieri cognoscitur miraculosè & omnipotenter, non ex principiis nascitur vnitis inseparabiliter: Nec actiones, in vnam compositam actionem coëunt inseparabilem, ex apparente humana & diuina inconspicua, sed vt à principiis & causis oriuntur ac progrediuntur, non diuersis tantùm ac distinctis, sed & separabilibus, etsi vnione alioquin assistentiæ & societatis iunguntur, in donis creatis, sic non distinctim tantùm, sed vt diuisa, separatim etiam agunt, διῃρημένως, οὐχ ἡνωμένως, *distinctè non vnitè.* Et opus quod exit, non à distincta tantùm vtriusq; , sed & separata actione prouenit, suntq; longè aliæ actiones & opera sanctorum, quæ virtute Spiritus sancti edunt sancti ex sese quidem vt organo, sed virtute à Spiritu indita, & cùm miraculosè quid faciunt, vt θαυματουργοί, *qui miracula edunt.* Petro in nomine Iesu sanante claudum, alia Petri actio est, alia Christi perficientis, quod ille in nomine & fiducia Christi verbis denunciat, Christus effectu complet. Verba Petri sunt: opus est omnipotentiæ non Petri, sed Christi.

Miracula non simul sunt aliquid & non sunt.

Alterum quod in miraculis considerandum esse innui, sic habet. In nullo vnquam miraculo obseruatum est, quod subiectum aliquod sic sit redactum in nihilum, vt sit penitus extinctum, & desierit esse, de quo iam aliquid dixi suprà. Neque hoc obseruatum est vnquam, quòd actu aliquid fuerit, idemq; simul, eodemq; tempore non fuerit. Vinum in Cana Galilææ non actu simul est vinum & aqua, vinum non vinum. Sol non stat simul & progreditur. Aquæ non subsistunt simul & fluunt. Ignis in camino Babylonico non pariter vrit & non vrit. Id cùm certissimum sit ac dubio careat, cur per miraculi modum fingitur corpus Christi actu

ſti actu ſimul ac ſemel, & ſecundum corporum naturas ac proprietates *πεπερασμένον, περιγραπτὸν, ἐσχηματισμένον, ἁπτὸν, ὁρατὸν. finitum, circumſcriptum, figura comprehenſum, quod tangi & oculis cerni poteſt: & contra eaſdē ἄπειρον, ἀόριστον, ἀσχημάτιστον, ἀναφὲς, ἀόρατον, infinitum, non terminatum, non figuratum, neq; tactui neq; viſui expoſitum*. Cur ſimul in vno, in pluribus locis, vbiq; eſſe contenditur. Talia commenta miracula non ſunt, ſed mōſtroſa mēdacia, quia ſimul & proprietatibus verum corpus ſuis inſeparabilibus exuunt, eoque eſſentiam etiam extinguunt: & corpus affingunt Chriſto, quod ſimul vi miraculi corpus & non corpus eſt, particeps & expers proprietatum eſſentialium contra rationem miraculorum, contraq; perpetua ac ſibi per omnia congrua ſacri verbi teſtimonia. Non mutat Chriſtus eſſentialia, nec figuram deponit corporis, ac ne veſtium quidem, cum in transfiguratione perfunditur luce diuina, & fulgere conſpicitur. In ſuo priſtino enim à diſcipulis agnoſcitur corpore: Item cùm elabitur è medio, & ex manibus prehenſantium: cùm euaneſcit ex oculis diſcipulorum detentis, ne eum agnoſcerent: cùm ante lapidem amotum ab Angelis, vt pleriq; ſentiunt, prodit è ſepulchro, quem Angelus non egreſſuro Chriſto, ſed foris ingreſſuris dimouet: cùm ad Apoſtolos venit, clauſis foribus. Sed manet idem qui erat: Nec virtute diuina exitum ſibi patefeciſſe, & ingreſſum deſtructione ſui corporis, & reſtitutione in integrum momentanea, vel inde certum eſt, quia verum eſſe illud ſuum ac priſtinum corpus, mulieribus primùm, deinde congregatis omnibus probat. Si tamen ceſſione alterius, *κατ' ἀφανισμὸν, per ſublationem & euaneſcentiam*, corporeæ molis atque eſſentiæ, miraculum vtrumque peractum fuiſſe fingatur: (*ἀδύνατον γὰρ σῶμα διὰ σωμάτων διήκειν, μὴ τέμνον καὶ τεμνόμενον, καὶ πλεκόμενον, καὶ ἀντιπεριτιθέμενον, fieri enim non poteſt, vt corpus penetret corpora, ſine ſectione mutua, & complicatione, ac circumdatione*, vt loquitur Damaſc.) Quis ſana mente præditus non dixerit, omnipotentiæ diuinæ, ac pietati, & veritati Chriſtianæ fidei magis conſentaneum eſſe, creaturas, id eſt, lapidem & fores ceſſiſſe potius creatori, quàm hunc creaturæ, cùm miraculis Chriſtus omnibus in ſe ipſo editis, & in aliis, demonſtrare voluerit, ſe vtrumque verum eſſe,

& Deum, & hominem, non in vna tamen natura sola: sed duabus hypostaticè vnitis, diuina & humana se corpore hominem esse; Luce effusa in corpus, Deum: se corpore mori; diuinitatis suæ virtute omnipotente resurgere: se corpore vno in loco esse circumscripto, quo vult; diuinitate vbique. Totum itaq; commentum de corpore Christi, vi miraculi finito simul & infinito, visibili & inuisibili, & secundum diuersos existendi modos, occupante sub sua περιγραφῇ, *circumscriptione*, certum definitumque spacium, ac sine dimensione simul, vel in omnia diffuso, vel plura disiunctaq; spaciis immensis aut breuibus loca tenente, quod ne quidem spiritualibus & incorporeis finitis competit, figmentum est.

Extraordinaria ac miraculosa semper distinguenda ab ordinatis.

Quidquid est ergo miraculorum, hoc vt Deo proprium, & ab eo solo profectum, vel in creato rerum systemate & ordine physicarum, aut proæreticarum, ὑπὲρ φύσιν, καὶ νοῦν, καὶ λόγον *supra naturam, intelligentiam, & rationem*, vel in mystico opere & ordine Ecclesiæ proprio, & verbi patefacti lege instituto, ὑπὲρ τὴν τάξιν ἱερατικὴν, *præter ordinem in Ecclesia vsitatum*, quorum in veteri Testamento plura & conspectiora, in nouo rariora sunt. Hoc ergo semper ab ordinato in vtroq; perpetuò seiungi ac secerni magna cura oportet. Nec ab hoc tantùm, sed multò magis ab offusis vtriq; ordinario & extraordinario Diaboli κακοζηλίᾳ, *praua imitatione*, præstigiis, operum diuinorum autoris sui efficacia aut fascino æmulis. Et quanquam diuina illa opera vtraq;, ordinaria & extraordinaria à Deo sunt, modo tamen actionis in iisdem differunt subiectis tantùm, quòd secundum ordinem illa, præter ordinem hæc fiunt, nec constituunt nouum gradum præsentiæ.

Differunt τὸ ὑπὲρ φύσιν κατὰ φύσιν, παρὰ φύσιν: quod est supra naturã, secundum naturam, contra naturam.

Idem etiam τὸ ὑπὲρ φύσιν, *quod est supra naturam*, distingui semper ac separari oportet ab eo, quod est παρὰ φύσιν, *contra naturam*, quod nunc cum hyperphysico magno errore confusum paraphysicum, & antiphysicum vocant nouis vocabulis. Nam τὸ ὑπὲρ φύσιν, *quod est supra naturam*, in miraculis, etsi nouum quid est, & inusitatum, naturam tamen & ordinem eius, seu τὸ κατὰ φύσιν, *quod est secundum naturam*, vt ostendi, non corrumpit, nec destruit: vtrumq; enim Dei est opus, sed alterius speciei; hoc ordinatum, illud extraordinarium: Et quidem τὸ κατὰ φύσιν ἴδιόν τί ἐστι τῆς φύσεως, καὶ ἐκείνης συστατικὸν ἢ

σιωπῆ·

συντηρητικόν. At *τὸ παρὰ φύσιν ἀλλότριόν τι ἐστὶ, καὶ τῆς φύσεως ἐκτροπή: τῶν δὲ κατὰ φύσιν φθαρτικόν, id est, quod secundum naturam est, naturæ proprium quiddam est, constituens eam aut conseruans: quod contra naturam est, abhorrens quiddam ab ea est, ac naturæ subuersio, & eorum, quæ secundum naturam sunt, corruptio.* Estque *παρὰ φύσιν*, *contra naturam*, omne, quod naturam, vt Dei opus, demolitur, siue sit malum culpæ, siue malum pœnæ. Sed aliter tamen peccatum, quod à Deo non est, aliter pœnæ peccati, quæ etsi iusto Dei iudicio decretæ sunt atq; introductæ propter peccatum, secundum latam à Deo legem, cum sententia contra violationem, Quacunq; die comederis ex arbore hac, morte morieris. Item: mors introiit per peccatum: Et *τὰ ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος, stipendia peccati mors*, deniq; quidquid est morborum & calamitatum, peccato attractum & ad hoc consecutum est, iusto Dei iudicio: tamen cùm homo ad *ἀταξίαν*, *ordinis desertionem*, & interitum à Deo conditus non sit, sicut peccatum, sic & pœna in ipso Dei opere, quatenus opus Dei, & primæ integritatis respectu, quæ corrupta est, *παρὰ φύσιν*, *contra naturam*, est, & præter naturam, quia destructio est operis Dei, eoque ab ipso opere, & iis, quæ sunt *κατὰ φύσιν secundum naturam*, distingui oportet.

Quantum ergo ad ordinaria opera Dei attinet, præsentia etiam Dei ordinata est, (*τεταγμένη*) id est, vel patefacta in creatione, verboque confirmata, vel prodita atq; confirmata certo verbo, vtraq; ad suum ordinem: Illa ad seriem creatarum causarum, physicarum, & proæreticarum: hæc ad ordinem mysticum institutum in Ecclesia, & seriem causarum ex instituto concurrentium ad hominis regenerationem ac conuersionem ad Deum, sed nulla lege necessitatis, aut coactionis Stoicæ: verùm liberrimæ voluntatis ac potestatis arbitrio. Vtraq; præsentia est ex ordinatione prima secundum ordinatas causas, in suo genere & subiectis ordinata, regularis, ordine vniusmodi, & perpetua, sed separabilis à subiecto: exerens se qua & quanta vult efficacia, & in quos vult, & qua vult mensura donorum, sed actionibus, & effectis, donisq;, & vsu ac fine longè aliis & aliter in rerum natura & societate humana ad vitam præsentem: Aliis & aliter in beatis Angelis, & hominibus, & electis ad vitam æternam. Distinguitur itaq; separabilis & ordinatus iste gra-

Ordinata præsentia in ordine physico naturæ, & mystico verbi & Ecclesiæ.

Separabilis & ordinatus gra-

dus præsentiæ generalis aut specialis.

dus præsentiæ vsitatè *εἰς γενικὸν, ἢ καθολικὸν*, generalem seu vniuersalem, communem creatis omnibus, & *εἰδικὸν*, seu specialem ac singularem proprium prædestinatis ad consuetudinem æternam cum Deo. Vniuersalis seu generalis, ordinatus ac perpetuus præsentiæ gradus est, quo Deus adest vniuersis à se creatis rebus, & efficax est in eis, secundum ordinem à se conditum, aut deinceps institutum suo loco & ordine singulis, ac secundum naturas ac vires singulis attributas, tam æthereis, quàm elementaribus: tam physicis inanimatis & animatis, sed brutis, ad conseruationem sui, & ad hominum vitam physicam atq; animalem; quàm ratione præditis, vt hominibus ad vitam aliam etiam ab animali, quam cum brutis habet communem, scilicet ad rationalem, in moralibus ac ciuilibus, & vniuersim ad societatem generis humani, ad scientias, doctrinas, leges; Ad disciplinam, politias, & Oeconomias, imperia, regna, & Respub. iudicia & commercia pertinentibus.

Hæc præsentia causas habet à prima origine creatas; & ordine distributas in rerum natura, quas secundas vocamus, primæ causæ *ὑποτεταγμένας*, *subordinatas*; omnes, sed ratione diuersa, secundum ipsarum discrimina. Aliter enim intelligentes, ac liberè agentes sunt sub Dei imperio ac potestate. Aliter *ἄλογοι*, *rationis expertes*, seu *κατ' ἀνάγκην ἀμετάβλητον*, *secundum necessitatem immotam*, æthereum, seu *κατὰ τὸ μεταβλητικὸν τῆς φύσεως*. *secundum naturæ vicissitudinem*, in elementaribus agentes. In omnibus enim, quantum ad Dei voluntatem, prouidentiam, & imperium liberrimum atque omnipotens, locum habet *τὸ ἐνδεχόμενον* seu contingentia, etsi non eodem modo in omnibus. Vtitur enim Deus singulis, vt vult liberrimè, augens vires, aut exacuens & incitans: vel hebetans contrà ac reprimens. Cumque hominis causa conditæ sint, seruiunt etiam & vsui sunt vitæ hominis præsenti, naturali, physicæ; effectis ac præsidiis physicis: Rationali, morali, ac ciuili facultatibus intelligentibus & liberis; atq; harum ministris, & organis accommodatis ac necessariis; suo loco singulæ secundum eam, quæ est conditarum rerum; quantum ad creata, ac naturalia, inter sese, & cum homine *συμπάθειαν*, *conuenientiam*, atq; consensionem. Communis est autem hæc præsentia creatis omnibus: etiam in

gen-

genere humano omnibus, in & extra Ecclesiam. Act. 17. Non longè est ab vnoquoq; nostrum Deus. Omnes enim in ipso sumus, viuimus, ac mouemur. Ipse est vita nostra, & longitudo dierum nostrorum. Sub hoc genere præsentiæ comprehenduntur & Diaboli, sicut homines impij. Liberrimè enim illis imperat Deus, quantumuis contumacibus ac superbis, conseruans eos, sicut conseruat alias creaturas, donec vult, cùm destruere posset: sicut perdidit Pharaonem, & maximam partem generis humani. Statuit etiam vt finem regno, sic metas potestati ipsorum ac progressui, quemadmodum impiis hominibus. Habet enim regnum suum, vt dixi, Diabolus longè potentius, quàm mens humana concipere & cogitare potest, quod à defectione raptum, & in satellitium ac societatem suæ ἀποστασίας, *defectionis*, vsurpatum, mox etiam conatu primo, sed Dei permissu extendit in primos parentes, ac deinceps in rerum naturam, & in Ecclesiam omnium temporum, inde vsque ab initio.

Opera huius gradus præsentiæ Dei, qui inter quatuor primus est, sunt, cùm quæcunque in natura conformia fiunt operibus creatis, & cum ordine diuino consueto conueniunt intra metas constitutas, tum & illa, quæ præter morem per easdem causas ordinatas fiunt κατ᾽ ὑπερβολὴν, ἢ ἔλλειψιν, excessu aut defectu, vel in bonos vsus ac salutares, vel in detrimentum ac perniciem: In societate humana verò, in politiis, & Oeconomiis, ac ciuili vita tota, priuatim in vnoquoque, publicè in vniuersis aut plurimis, quæ sapientiæ, veritati, bonitati, iusticiæ, & misericordiæ Dei congruunt, siue in mediocritate consistant, siue καθ᾽ ὑπερβολὴν ἢ ἔλλειψιν, *per excessum aut defectum*, fiant. Insignia enim & excellentia καθ᾽ ὑπερβολὴν, *excessu*, sunt à Deo tam mala pœnæ, quàm bona. Bona sunt fœcunditates terræ exuberantes, excellentia ingenia artificum & sapientum, heroicæ naturæ, &c. Mala pœnæ sunt, tempestates prodigiosæ, bella, quantumuis iusta, quæ semper sunt pœnæ partis vtriusque, ex norma iusticiæ diuinæ. Κατ᾽ ἔλλειψιν, *per defectum*, sunt sterilitates, defectus sapientiæ & virtutis. Liberrima est enim in & per creaturas actio Dei, vt Ierem. 32 dicitur: Ecce ego Dominus sum vniuersæ carnis. Num-

quid mihi difficile est omne verbum. De tempestatibus sunt Psalmorum illustria testimonia. Psal. inprimis 18. Commota est & contremuit terra, & fundamenta fontium conturbata sunt, quando iratus fuit eis. Ascendit fumus in ira eius; & ignis à facie eius exarsit. Inclinauit cœlos, descendit caligo sub pedibus eius. Volauit super pennas ventorum. Intonuit de cœlo. Altissimus dedit vocem suam: grando & carbones ignis. Misit sagittas, & dissipauit eos, multiplicauit fulgura, & conturbauit eos. Psal. 77. Fuderunt aquas nubes & sagittæ tuæ discurrerunt. Vox tonitrui tui in cœlo. Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, & contremuit terra.

De bellis inquit Esa. 10. Assur virga furoris mei baculus ipse est. In manu eius indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo ei. Ier. 50. Aperuit Dominus thesauros suos, & protulit vasa iræ suæ, quoniam opus est Domino exercituum in terra Chaldæorum, quoniam Dominum prouocauit. Esa. 54. Ecce ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum; & ego creaui interfectorem ad perdendum. Omne vas, quod est fictum contra te non dirigetur, &c. Esa. 45. Ego Dominus faciens pacem, & creans malum sæpe. Ier. Adducam mala super populum istum. Amos. 2. Non est malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus. De pœnis κατ' ἔλλειψιν, *secundum defectum*, vt de sterilitatibus terræ & cœlo ferreo, multa sunt scripturæ dicta. Multa etiam de sapientiæ defectu, vt Esa. 29. Peribit sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentum eius abscondetur. Hæc dicta omnia testantur, mala pœnæ à Deo esse; quod de decreto & sententia iusticiæ diuinæ dubium non est: sed hoc adhuc quæritur, vtrum omnes pœnas infligat ipse Deus immediatè, an verò aliquas mediatè per Angelos, & vtrum per bonos omnes, an verò etiam per malos, cùm expressè dicatur Psal. 78. De pœnis populi in cap. Ex. 7. 8. 9. & 10 Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immissiones per Angelos malos. De Saule etiam expressè scribitur, Spiritus Domini recessit à Saul, & exagitabat eum Spiritus malus à Domino. Sicut & de Iuda: Intrauit in eum Satanas. Et de strage pestilenti illata populo propter Dauidem, cùm historia referat, Dauidem con-

specto

pecto Angelo Domini supra Ierusalem expauisse, ac pœnam deprecatum esse: quæritur, vtrum Angelus ille executor iudicij Dei, Angelus Domini fuerit bonus an malus. siquidem psalmus 91. quo se & alios propheta consolatur seruatos ab illa strage, discertè videtur discernere inter Angelos infectionis pestilentis, ac stragis autores, ac depulsores. De autoribus enim inquit: Ne timeas à timore nocturno, & à sagitta volante in die: A peste grassante in tenebris, & à pestilentia prædante in meridie: De angelis *ἀποτροπαίοις, depulsoribus siue auerruncis*, mox subiicit: Si cadant à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te non appropinquabunt. Non affliget te malum, & flagellum non attinget te. Quoniam Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in viis tuis. In manibus portabunt te, ne impingas pede tuo ad lapidem. Discertè inquit, suis Angelis mandauit.

De hac quæstione priusquam respondeam, pauca repetam de natura rerum, & de societate generis humani.

Nihil habet hoc dubij, quod sicut rerum natura, cum tota serie & varietate causarum ac specierum differentium suo loco & ordine agentium tamen naturaliter *ἄνευ προαιρέσεως, sine consilij proposito*, in qua & minus confusionum spectatur, sicut & ipsa societas generis humani *προαιρετικῇ consilio agens ac proposito*, pulcherrimo distincta ac distributa ordine, in gradibus hominum loco & donis differentium, præsidentium & subditorum, imperantium & obtemperantium, in ordine doctrinarum, artium, & artificum: Legum, iudiciorum, monarchiarum, rerumpub. commerciorum. & similium aliorum, quibus hæc continentur, constant, ac seruantur: Quòd sicut hæc ergo sic & ea, quæ secundum causas ordinatas in his omnibus legitimè & ordine fiunt, sunt opera Dei tantùm, vel immediata, vel per ministerium sanctorum Angelorum. Quidquid fit etiam *καθ' ὑπερβολὴν ἢ ἔλλειψιν nimium aut parum*, effectuum & operum naturalium, exuperantia aut defectu in beneficijs aut pœnis, per ordinatas causas, in vtroq;, in naturæ systemate, & in cœtu quocunq; societatis humanæ; id quoque à Deo est per se, aut per Angelos bonos. Deus enim solus est Dominus & naturæ, & generis humani, qui causas secundas substantia augere,

Opera Dei in generali præsentia & Diaboli horum æmula quomodo differant.

numeroq;, aut incitare & intendere viribus potest, vel contrà diminuere & attenuare, aut cohibere, ac velut vincire. Idem est & ordinis conditor atq; conseruator, osorq; ac vindex confusionum in vtroq; opere physico & politico. E conuerso quidquid fit in natura, per confusas temerè aut corruptas causas easdem per sese, aut abusu illarum, suo præstigiis & incantationibus Magicis: quidquid per liberè agentes in societate humana fit ἀτάκτως inordinatè, confusè, impiè, blasphemè, tyrannicè, seditiosè, iniustè, crudeliter, auarè, fraudulenter, sceleratè, flagitiosè, turpiter, opere ipso aut fine, in vtroque in Dei contumeliam, & hominum detrimentum præsens vel æternum, id à Deo non est, nec ab Angelis sanctis, sed à Diaboli & malorum hominum peruersitate ac malitia. Diabolus enim autor est ἀκαταστασίας, *perturbationis*, atque effector per se, & malos homines ministros suos, & hostis ordinis atque operum Dei: per hæc reipsa aut abusu deprauata in pœnis lædit homines, aut perimit. Nec causa est, cur dubitemus, Deum vti opera & ministerio Diabolorum in pœnis, sicut malis hominibus vtitur. Hæc si considerentur, existimo non difficulter diiudicari posse mala pœnæ, quæ iusto Dei iudicio decretoque, secundum immotam iusticiæ normam, incutiuntur, aut à Deo per se, aut per bonos aut malos Angelos. Diluuium vniuersale, conflagrationem Sodomorum atque absorptum, excidium vltimum politiæ Iudaicæ, & dissipatæ gentis, oppressæque tam triste & diuturnum iugum, atque innumera alia, quis dubitabit Dei opera esse? Deuastationem Asiæ & Aphricæ, oppressionemq; sæuissimam à Mahometicis blasphemiis, furoribus, tyrannicis sceleribus: potestatem tenebrarum, abusuum, superstitionis, idololatriæ, ac tyrannidis Pontificiæ pœnas esse iustissimas à Deo: opera ipsa non esse à Deo, sed à Diabolo expressè scriptura affirmat. Paulo in tam illustri descriptione Pontificis apertè testante παρουσίαν αὐτοῦ εἶναι κατ' ἐνέργειαν τοῦ σατανᾶ: *presentiam eius esse opus effectionis Satanæ*. Nec, cùm peccata peccatis puniuntur, etsi pœna iusta est, scelera à Deo sunt, sed à Diabolo, quanquam ne per illa quidem libitu suo, nec nisi quantum definitum ac permissum est, grassari potest.

Monendum tamen hoc loco est, quod in his videtur præci-

præcipuum esse. Etsi expers est dubij, Diabolum creaturis abuti posse, idque scripturæ & experientiæ documentis facere plus nimio, sic vt re ipsa in eis, aut per eas efficax sit, vel per sese, siue immediatè, siue mediatè, vel fascino & præstigiis de creaturis persuadendo, quòd ipse absque his peragit seorsum, aut solis turbat ludibriis præstigiarum sine effectu: tamen certissimum rursus est, quòd opera essentiæ & omnipotentiæ Dei propria Diabolo sunt *ἀδύνατα*, *impoßibilia*, quales sunt mutationes, quibus conuertuntur in se naturæ rerum, vna in aliam, aut per adauctam procreationem multiplicantur, supra ac præter consuetum, aut corruptione destructa, vel penitus extincta restituuntur. Morbos inferre re ipsa & præstigiis potest, & eisdem mederi, si tales sint, vt subiecta ipsa, vel toto corpore, vel partibus læsis aut affectis, vita adhuc superstite constent, & fabrica cum partibus incorruptis sit integra. Si vita deficiat, si partes organum componentes forma corruptæ, si fabrica diremta sit aut conuulsa, mederi non potest: interimere potest, vitam enectis reddere non potest, Cœco nulli ex oculo fabrica & partibus suis corrupto visum restituet. Nulli auditum ex aure destructa.

In abusu creaturarum Diabolo impoßibilia.

Præstigiæ φαρμακίδων veneficarum in medendo.

Præstigiæ Diabolicæ sunt, & mendacia, promissa Chymicorum profitentium se ex argento viuo, aut ære, aut quocunque metallo alio, aurum transmutatione illorum conficere posse, vel vt aliqui ludunt, perfectione, eo quòd imperfecta sint cetera metalla, aurũ solum, in hoc genere perfectionem speciei propriam obtinuerit, quam consequi cetera arte possint. Sunt metalla singula specie sua perfecta, qua existunt, & conseruantur, atq; à cognatis speciebus & rebus aliis distinguuntur. Nulla enim res creata existere, & consistere, durareque potest, nisi in sua forma. Transmutatio autem specierum diuersarum inter se, aut multiplicatio, nullius artis humanæ, nullius creaturæ opus est, sed solius Dei creatoris. Diabolus præstigiis imponit oculis spectantium, & mutationem rebus ipsis furto alibi surreptis, ac fascino in opere subditis, sicut & augmentum adimplet, aut alio modo ludit, donec vult suis gratificari ministris, dumq; potest permissu Dei, & furtis. Artes enim Diabolicæ præstigięq; sunt inexplicabiles, multoq; magis imperuestigabile,

Præstigiæ Chymicorum.

est, quantum possit, & quousque sese permissio determinatà extendat,

Præstigiæ Mag. & Venef. in momentaneo per aerem transitu.

Meræ sunt præstigiæ ex Diaboli fascino, quòd Magi & Veneficæ se somniant momento, aut breuissimo spacio temporis, corpore transferri volatu aut raptu dæmonis in loca interuallis diuersa, immò disiunctissima, quinquaginta, centum, ducentorum, & multò plurium milliarium spacio. Vnius enim & solius Dei est vno momento vbique esse. Finitis naturis aut vbiq; esse, aut locum situmve, in quo est, mutare transitu momentaneo in alium tam procul distantem, *ἀδυνάτον impoßibile* est, ipsis etiam Angelis & Diabolis, quantumuis ad motum agillimis. Non enim momento motus horum perfici potest, sed vt omnis motus, qui de vno termino fit ad alium, in tempore fit. Nec vllus Angelorum, vt dixi, simul est in cælo & terra. Nullus Diabolorum simul in aere pendet, & humi degit, aut momento ex vno loco in alium suæ substantiæ deportatu transuolat. Quod ergo in seipso tenuiore multo ac leuiore natura non potest Diabolus, id quomodo præstaret in corpore tam graui, nec ad talem motum pondere ipso idoneo, nec ad eundem condito, nec periculo vel colliquationis, vel suffocationis carente, in raptu tanto ac tam subito: et cuius exemplum scriptura nullum suppeditat. Periculum suffocationis quantum vrgeat, (vt de colliquatione corporis non dicam ex incenso & adaucto calore) experiuntur illi, qui renixu aliquo contra flatus obuios vehementiores contendunt. An ergo raptu corporis tali per aërem, continua, vehementique, & conferta irruptione in cor irruentem minus arctari cor, strangularique existimabimus, quod alioquin facillimè suffocatur, respiratu paulò grauius impedito aut intercluso, quàm flatus contrarij & crassi concitato, confertimque penetrante impetu? Quod enim flatus aduersus aeris impulsu, hoc in raptu corporis, haustu absorptuque eiusdem rapido confertoque efficit.

Adducitur in contrarium exemplum Christi, Habacuc, Philippi Apostoli. Quod de Christo adducitur, narratio ex Euangelio historica rei gestæ refutat. Nusquam enim vno verbo innuitur Christum à Diabolo raptum aut vectura traductum esse per aerem. Matthæus inquit, παραλαμβάνει

αὐτὸν

αὐτὸν, εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν, καὶ εἰς ὄρος ὑψηλὸν, *secum deducit eum in sanctam vrbem, & montem excelsum.* quod quid est aliud, quàm assumendo adiungit eum sibi socium aut comitem itineris? Iter quale fuerit, describit Lucas. De monte inquit, ἀναγαγὼν αὐτὸν ὁ διάβολος εἰς ὄρος ὑψηλὸν ἔδειξεν, &c. subducens eum in altum montem, & de translatione in vrbem sanctam ἤγαγεν αὐτὸν εἰς Ἱερουσαλὴμ, duxit eum in Ierusalem. Denique de collocatione super pinnas templi, Matthæus inquit, ἵστησιν: Lucas ἔστησε statuit. Quid his verbis refertur, nisi quod cum Christo, & ab ipso ordine naturæ factum est? ductu enim ascendit in montem, venit in vrbem sanctam, constitutus est supra templi pinnas, non volatu non raptu. Erramus, si existimamus, Christum quantumuis eo tempore humiliatum, aut voluisse vt Diabolus experiretur miraculum in se concessu omnipotentiæ diuinæ, quod ipsi Diabolo est ἀμήχανον, *nefas*; aut edi ab eo voluisse nouo & inusitato prodigio primo, quod nullo exemplo diuino proditum fuit antea; aut eo momento certamen illud acerrimum inter Christum & Diabolum peractum fuisse, quo verba historiæ recitantur. Quæ proferri enim exempla è scriptura possunt? De Propheta Habacuc quid senserit tota antiquitas, nemini ignotum est, & significatur id ab Hieronymo in præfatione Danieli præfixa, exemplo cuiusdam Iudæorum Rabini, qui vrgentes traductum Habacuc ex Iudæa in Assyriam, iussit vnum exemplum simile ex canonica scriptura producere, cùm narratio de Habacuc authentica non sit: eoque allegorica potius, quàm & historica: deque Ezechiele ex ipso Ezechiele demonstrauit, Spiritu illum non corpore spectasse, quæ commemorat cap. 37 & 43. & de Paulo addidit ex ipsius confessione, non fuisse eum affirmare ausum, vtrum κατ' ἔκστασιν, *alienatione quadam mentis*, raptus in cœlum tertium, Spiritu ibi an corpore fuerit. De Philippo quid narrat historia aliud, quàm abreptum illum ex Eunuchi oculis à Spiritu Domini, & Azoti inuentum esse? Angeli iussu accessit ad Eunuchum. Spiritu Domini abductus ex eius conspectu recessit. Vbiq; igitur esse cum essentiæ diuinæ solius sit: Eiusdem est etiam in momento aut interuallo breuissimo temporis, diuersissimis in locis ac dissitis longissimè esse ac conspici. Quod igitur Diabolo in sua spirituali

natura, id in graui corpore aliquo multò magis effectu est impossibile. Sed quidquid huius factū à Magis aut veneficis asseueratur, totum hoc ex lusibus est ac deceptionibus præstigiarum oculis & menti offusarum.

Præstigiæ in abusu ingeniorum humanorum.

Quantum etiam Diabolus in partem hominis intelligentem ac rationalem possit, in mentem scilicet & voluntatem liberam, docet scriptura toties, cùm ignita tela Diaboli, & subiectiones venenatas: cùm insidias structas & retia tensa erroribus blanda specie fucatis, & præstigiis sophisticis ac sycophanticis, illecebras & impulsus cauere, fugere, & elidere armis spiritualibus præcipit. Exemplis refertæ sunt historiæ, & obseruationes experientiæ perpetuæ. Sed inter omnia facultatem ac potestatem Diaboli in hoc genere operum, & actiones eiusdem in partem rationalem, demonstrant maximè impiis ac prophanis hominibus familiares ac domestici Spiritus mali, quos ex pacto sibi ac fœdere asciscunt vates, prænuncios futurorum, aut ignotorum, quę inquiruntur, indices, aut etiam Magistros opinionum, ac Rectores præuios, aut præsidiarios succenturiatos, disputaturis aliquid aut commentaturis in quocunq; doctrinarum & disciplinarum genere: inter quos acumine, argutiis, & inuolutæ sophistices, sed speciosæ, perplexitate antecellere aliis feruntur Spiritus Siculi. Tales enim si adipiscantur, facilè se Antagonistas superaturos confidunt. Suggeri illis hominibus minime dubium est à talibus spiritib. multa de iis rebus vel artibus, quas exquisitè norunt. Multa reipsa sæpe vanissima, ad speciem veri tamen ingeniosa, sed sophistica subtilitate componi, sicut aliis artes malas & consilia perniciosa, facie prima præclara & salutaria subiiciunt. Præstigiæ tamen & imposturæ tantùm sunt, quales sunt argutiæ Auerroisticæ in Philosophia, quæ non, vt dona diuina excellentium artificum, artes condunt & excolunt: nec in eis veritatem diuinam illustrant ac stabiliunt, sed illas deprauant ac labefactant: hanc dubiis implicant & obruunt. Illa, quæ à Deo sunt in excellentibus ingeniis rectis, & naturis Heroicis, Diabolo *ἀμίμητα, non immitabilia*, sunt.

Præstigiæ Diabolicæ in abusu [illegible]

Denique præstigiæ illæ ex Diabolo natæ vanissimæ sunt, quibus non Magi tantùm & venefici, sed & impostores Pontificij persuadent sibi & aliis. Illi suis ἐπῳδαῖς, κηλιδέσσι,

ἐπαγω-

ἐπαγωγαῖς, καὶ καταδέσμοις, *carminum incantamentis, alligationibus, illiciis, et vinculis*, quacunq; forma verborum in carminibus & incantationibus vtantur consecrando, vel execrando, deprecando, vel adiurando. Hi suis, quas ex Dei verbo impio illius, & nominis diuini in inuocatione Dei inprimis abominando ac detestando abusu vsurpant consecrationibus, fingunt vim inesse tantam, vt vel ipsa pronunciatione efficiant, quod volunt, vel mediis assumtis imprimant vim nouam illorum effectricem. De Deo solo dicit scriptura; Dominus sum ego omnis creaturæ. Numquid mihi difficile est omne verbum: Item; Ipse dixit, & facta sunt. Et de Filio Dei, quòd sustineat omnia verbo suo potente. Solus Deus quod iubet, iussu facit. Idque omnipotentiæ solius est, & Diabolo præstare impossibile est. Pontificij impostores verò hanc virtutem ac potestatem non soli verbo tribuunt, sed sacerdoti simul raso & vncto, ritu curiæ Romanæ, quod deterius. Nec inficiabuntur incantationes esse, vsitatas adhuc ipsis consecrationes aquæ, salis, olei, plantarum, characterum, verborum sacrorum, & similium, quibus se præter insitas & physicas vires inducere illis nouas sacras & spirituales, aspersu, illitu, appensu, impressu characterum, ad delendum peccatum, sanandos morbos animæ & corporis, fugandos Dæmones, & similia, impudenter & audacter affirmant.

per nouas vires mendaces.

Characteres ac literas pictas nullam agendi vim in se habere natura, & quantitates determinatas, & inefficaces esse, notissimum est. Quam igitur acquirent facultatem ex consecrationibus? An maior horum erit vis, quàm Dei creatoris? An cogent agere, quod ad actionem à Deo conditum non est, nec vlla re aptum? Si id præstent, naturam eorum vt mutent necesse est in substantiis & qualitatibus, quæ solæ sunt efficaces. Id erudita etiam antiquitas Ethnica agnouit, Galeno teste, qui repudiat τὰ περίαπτα καὶ τὰς ἄλλας μαγγανείας *amuleta quæ alligantur, & alias magorum imposturas*, incantationibus magicis fucatas, οὐ μόνον ὡς περιέργους, καὶ ἔξω τῆς ἰατρικῆς τέχνης, ἀλλὰ καὶ ὡς ψευδεῖς ἁπάσας, *non solum vt superuacaneas & alienas ab arte medica, sed etiam vt falsas vniuersas*, & à præstigiis incantationũ, quod profectum somniant, nominat, μεταμορφώσεις ληρώδεις, *transformationes nugatorias*.

Magi & Pontificij impostores nec substantias nec vires nouas creant: sed ludunt præstigijs opera Diaboli.

Si nouas vires antea sua natura efficacibus adiungi contendant, nouas simul substantias illarum effectrices, vt cudant assuantque prioribus necesse est. Rectè enim Damascenus ait: ὧν ἡ οὐσία ἡ αὐτὴ, τούτων καὶ ἐνέργεια ἡ αὐτή: ὧν δὲ αἱ φύσεις διάφοροι, τούτων καὶ ἐνέργειαι διάφοροι· Item ἀμήχανον οὐσίαν ἄμοιρον εἶναι φυσικῆς ἐνεργείας. *Quorum natura est eadem, eorum quoque eadem est efficacia: quorum verò naturæ sunt diuersæ, horum etiam effectiones differunt.* Itē, *Fieri non potest, vt substantia expers sit effectionis naturalis.* Ergo è conuerso vbi ἐνέργεια *effectio*, ibi necessariò est substantia, à qua illa editur ac procedit. Nec sine substantia vlla vsquam esse actio potest. Et vbi actiones sunt plures ac diuersæ, ibi substantias esse plures oportet ac diuersas. Nec Spiritus Sanctus in regeneratis; nec Diabolus in impijs creat substantias aut vires nouas. Sed ille priores corruptas renouat atq; instaurat virtute spirituali: Hic magis deprauat efficaci malitia. Christus solus verbo voce prolato depellit morbos absentibus & præsentibus. Id creaturis omnibus est ἀδύνατον, *impossibile.* Ille facit tamen, quia Deus est & homo. Vt homo enim edicit voce, vt Deus exequitur; vtrumq; simul facit, quia non διῃρημένως, sed ἡνωμένως, *non separatè, sed vnitè*, in naturis vnitis agit. Idem in alijs cum voce, tactu, sputo, luto in pugillum emplastri formato, lotione, in momento præstat, agens non vna substantia, sed duabus, quarum cuique sua est ac propria δύναμις καὶ ἐνέργεια, *facultas & effectus.* Hoc etiam omni creaturæ est impossibile per se soli. At in Magorum & Impostorum Pontificiorum ἐπάσμασι, quæ erit illa altera substantia? De Magis & Veneficis Plato inquit, secundo de Repub. πείθουσιν ὡς ἔστι παρὰ σφίσι δύναμις ἐκ θεῶν ποριζομένη, θυσίαις τε καὶ ἐπῳδαῖς εἴτε τι ἀδίκημά του γέγονεν αὐτοῦ ἢ προγόνων, ἀκεῖσθαι μεθ' ἡδονῶν τε καὶ ἑορτῶν: καὶ ἐάν τινα ἐχθρὸν πημῆναι ἐθέλῃ μετὰ σμικρῶν δαπανῶν, ὁμοίως δίκαιον ἀδίκῳ βλάψει, ἐπαγωγαῖς τισι καὶ καταδέσμοις τοὺς θεοὺς, ὥς φασι, πείθοντές σφισιν ὑπηρετεῖν. Persuadent inquit, ciuibus, penes se esse potestatem à dijs profectam, quæ sacrificijs & carminibus quibusdam, quæ iniustè ab ipsis aut maioribus perpetrata sunt, expiare cum voluptate, ac diebus festis; & inimico, si vlcisci velint, iustum pariter & iniustum, minimo sumtu nocere queant, quippe illecebris & vinculis

quibus-

quibusdam diis se persuadere posse, vt eos habeant obsequentes. An non idem reipsa prorsus de suis consecrationibus impostores Pontificij dicunt, & in vsu consecratorum faciunt, nisi quòd Deo tribuunt impiè & falsò, quod à Diabolis prouenit. Et quòd ad tentationes & ludibria Diabolica auertenda, ad lemures ac spectra arcenda, ad contagia & infectiones extinguendas, tam spirituales, quàm corporales, ad liberandas ex purgatorio animas maiore, quàm Ethnici, improbitate & prophanitate, in tanta luce doctrinæ Euangelicæ prodesse illud, nocere nemini fingunt, Diabolo ex collusione sponte cedente, aut sponte dante illis, ac perficiente, quod Magis ex conuento ac pacto præstat. Si cum Magis Deum cogi suo verbo asserunt, vt ipsis obsequatur mentiuntur. Nulla enim se scriptura Deus hoc modo ad creaturas, & ad tale per illas actionum genus alligat. Sed creaturis vti nos vult, eo ordine, quem condidit, sanctificatis precatione. Iis autem mediis, quæ destinauit vsibus sacris in ministerio Ecclesiæ, eo ordine, quem verbo præscripsit. Neutras vult transferre ad vsus impios, alienos, & prohibitos, & Diabolicis ludibriis ac præstigiis in Dei contumeliā cum hominum fascino seruientes. In his ordinem contra quod fit ab vtrisq; Magis & Pontificiis impostoribus, efficacia fit Satanæ, in potentia, signis ac prodigiis mendacibus, secundum Paulum Apostolum,

Hæc de abusu rerum & operum diuinorum in natura postquam dixi, adiiciam aliquid etiam de abusu hominum & ordinis politici, sub prætextu operum Dei. Horum exempla suppeditant omnium temporum historiæ, & vtrorumq; quotidianæ experientiæ documenta. Vt naturam rerum, sic politias & OEconomias, Magistratum, & omne, quod in his ordini diuino, operibus, ac personis consentit, ea à Deo esse, cum illustria in vtrisq; Dei vestigia, ceu præsentiæ, sapientiæ, potentiæ, ac iusticiæ diuinæ τεκμήρια, signa, certa demonstrant, tum comprobat doctrinæ sacræ autoritas. Per me (inquit sapientia apud Salomonem) Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt iusticiam. Et Iosaphat Rex 2. Paral. 19. ait: Non hominis exercetis iudicium, sed Domini.

Daniel 4. Excelsus dominatur in regno hominum, & cuicunq; voluerit, dabit illud, & humillimum ex hominibus constituet super illud. De liberrima gubernatione Dei, inquit: Iuxta voluntatem suam facit tam in virtutibus cœli, quàm in habitatoribus terræ, & non est, qui resistat manui eius. De operibus Dei: Omnia opera eius vera, & omnes viæ eius iudicia, & gradientes in superbia potest humiliare. Itē cap. 2. Sapientia & fortitudo Domini sunt. Et ipse mutat tempora & ætates transfert & constituit regna, dat sapientiam & intelligentiam. Paul. ad Rom 13. Non est potestas, nisi à Deo, & quæ sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaq; quisquis potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Huc pertinent & illa dicta. Prouerb. 20. Aurem audientem & oculum videntem, Deus facit vtrumq;. Item, Misericordia & veritas custodiunt Regem, & clementia fulcitur thronus eius. Prouerb. 25. Auffer impietatem de vultu Regis, & firmabitur iusticia thronus eius. Ex his dictis liquet perspicuò, & Deum esse autorem Imperiorum, & ordinata omnia ac legitima, seu legibus honestis, conuentisq;, ac pactis mutuis, secundum leges fulta ac munita, à Deo volente, iubente, ordinante, gubernante, constitui, ab eodemque approbari & autoritate mandatoque diuino obligari legibus tam Magistratum, qui secundum Deum & leges gerens & administrans munus à Deo commissum, ἔμψυχος ἐστιν εἰκὼν θεοῦ, *animata est imago Dei*, quàm subditos.

Quomodo Deus regna transferat.

Cùm autem dicitur Deus transferre regna, & tradere quibus vult, id ipsum de legitima & ordinata translatione accipi debet. Constituit aut transfert regna Deus aut immediatè, vt cùm Saulem creat regem, & ab hoc regnum transfert in Dauidem, ac deinceps scissi regni auulsam partem deuoluit in Ieroboamum, &c. Aut mediatè, sed legitimè, vel secundum regnorum leges aut consuetudines hereditario iure in successione vnius, aut diuisione inter plures, electione libera per χειροτονίαν, *manuum sublationem*, aut calculos, & suffragia, sorte, dono per cessionem ac traditionem, aut testamentum: vel bello iusto iure gentium. Quocunq; horum modorum quis regnum aliquod consequitur, beneficio diuino, id legitimè obtinet. Nec plures sunt modi. Nec inter hos beneficium diuinum, cùm caput sit, fons, &

causa

causa, inter alias causas tanquam species accenseri debet, Deo velut in ordinem redacto, exclusoq; à ceteris modis, quos omnes ipse, vt à se profectos origine, dirigit ad eum, quem vult, exitum. Regna legitima sunt beneficia Dei, & ipsius beneficio legitimè transferuntur, qui, sicut dictum est, euehit & excutit quos vult.

Confusiones, euersiones, & vastationes ordinis & operum diuinorum in imperiis: contemtum, conculcationem, & abolitionem legum & iudiciorum, tyrannides, inuasiones, & raptus regnorum sine vlla iusta ac legitima causa violentos aut insidiosos, seditiones, conspirationes, iniusta arma, & *ἄτακτον, inordinatum*, quidquid est, eadem scriptura euidenter docet, non Dei esse opera, sed illius Mendacis, qui in tentatione apud Lucam contra Filium Dei Dominum omnium, sed illo tempore humiliatum, propter eam potestatem, quam ex diuino permissu habet in Mundum impium propter scelera & impietatem, superbè, sed falsò gloriatur, ostensis ei regnis Mundi; Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam regnorum illorum. Nam mihi tradita est, & cuicunq; volo, do illam. Hunc enim vocat Paulus *πνεῦμα τὸ ἐνεργοῦν ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας, spiritum qui efficax est, in hominibus contumacibus*, & clarè dicit Ioh. Qui facit peccatum, ex Diabolo est. Si ergo opera impiorum & cõtemnentium Deum sunt, *ἐνεργήματα, effectiones*, Diaboli à Deo oriri non possunt: contra quæ etiam atque insidias Architecti instruit ac munit Paulus pios, exaggerata illius potentia. cùm ostendit, luctam esse aduersus imperia, aduersus potestates, aduersus potentes mundi rectores & tenebrarum seculi huius, aduersus spirituales malitias, quæ sunt in sublimi. Vnde eum Principem nominat, cui est potestas aëris. Immò Christus ipse vocat eum Mundi principem, quem in hoc positum totum, id est, traditum ac subiectum *τῷ πονηρῷ*, id est, illi malo, & quòd genitos ex Deo, seq; metipsos conseruantes non peccando, iste non attingat, testatur Ioh. 1. Epistola 5. Per mundum autem quòd intelligat totam colluuiem non obedientium Deo, quem & vicissim profitetur Christus, ex Petri declaratione constat.

Eph. 6.

Eph. 2.

Si ergo Princeps est Mundi Diabolus, potestatem ergo in eo, & regnum aliquod habet. Si regnum eius est regnum

tenebrarum & peccati ad quod destruendum apparuit Filius Dei: Ergo quidquid in mundo mendaciorum est ac scelerum, quidquid est etiam iniustarum cædium, & confusionum, illorum effector non est idem, qui destruit, sed ἀρχεκακὸς, *author malorum*, eorundem primus, Malus seu Diabolus: qui, si princeps est mundi, Dominus eius tamen non est, eoque potestatem, quæ Domini est, meram, immensam, & liberam non habet in mundum, vt opere ipso fabricam Dei, quatenus opus est Architecti Dei, sed quantum ad ea tantùm, quæ ipse ex se genita contra Deum, aspersit & inuexit, permissu Dei, propter hominum peccata, eiusdemque arcano & nobis abscondito consilio. Et eam ipsam quoq; definitam, ad certasq; astrictam metas. Discrepant in immensum creaturæ à Deo fabricatæ, & à Diabolo creaturis illata atq; impressa labes, ex qua, quam habet in easdem potestatem, adeptus est, quia nulla potest omnipotentiæ diuinæ opera propria per creaturas moliri ac perficere, etsi fascinatis oculis & animis interdum præstigiis quid simile ingerit, vt paulò antè dixi. Dominium autem eius est, in quo, per quem, & propter quem, cuiusq; respectu condidit Deus omnia, qui est ante omnia, & in quo omnia consistunt, quem Deus Pater constituit Dominum supra omnia, cuius pedibus omnia subiecit, qui sustinet omnia verbo suo potente, & dissoluit Diaboli opera, nimirum Rex regum, & Dominus dominantium, Dominus noster Iesus Christus. Creatura ergo manet in Dei potestate, & sub eius imperio. Vastator & destructor Diabolus sui similis perpetuo, suo partu edita vrget sceleribus & iniuriis nouis, fucis, coloribus, prætextibus, & fraudibus veteribus, quibus propagat ac stabilit regnum suum inter τοὺς περιπατοῦντας ἐν τῇ ματαιότητι τοῦ νοὸς αὐτῶν, ἐσκοτισμένους τῇ διανοίᾳ, ὄντας ἀπηλλοτριωμένους τῆς ζωῆς τοῦ θεοῦ, διὰ τὴν ἄγνοιαν τὴν οὖσαν ἐν αὐτοῖς, διὰ τὴν πώρωσιν τῆς καρδίας αὐτῶν. Id est, Ex vanitate mentis suæ cogitationem habentes obtenebratam, & abalienatam à Dei vita, propter ignorantiam, quæ est in eis, ex induratione cordium ipsorum. Qui, sicut Propheta ait, ponunt cor suum sicut adamâtem, ne audiant verbum & legem Domini: Qui dicenti Domino Deo per doctores sanos & orthodoxos: Audite me: Audite vocem tubæ meæ: Audite & videte, quid audiatis:

Audite

Audite & intelligite: respondent contumaciter, nolumus audire. Et præcipienti, Insistite viis meis, quærite de viis antiquis, de semitis veritatis, quæ sit bona, quæ recta, vt incedatis in ea iterum respondent; Non ambulabimus. Quos tradit Deus tandem, ex consequente iusto iudicio, in mentem omnis iudicij expertem, & ruentem velut impetu ad facienda, quæ minimè conuenit, & permittit cupiditatibus cordium suorum, ac fœdis affectibus, vt posteaquam dedoluerunt, dedant se proteruiæ, ad certatim patrandam impuritatem omnem. Tales desertos à Deo eo modo, quo Psalmus docet 81. (Quia non audiuit populus meus vocem meam, & Israël non voluit me, ideò dimisi eos secũdum desideria cordis eorum, ibant in adinuentionibus suis.) Tales ergo Diabolus obsessos cõuertit in latibula, organa, & cloacas suas, de quibus infrà plura. Hæc de discrimine inter Dei opera primi gradus præsentiæ, & Diaboli horum æmula, opere ipso ac fine diuersissima, monuisse satis sit, quorum caput est ac summa, Deum opus suum conseruare ac gubernare liberrimè. Nec hostem Diabolum violentia, aut fraude, vel insidiis aut præstigiis magicis plus posse in eo, quàm sit à Deo concessum, habet enim regnum eius ac potestas præfixas metas.

De ipsa verò præsentia hoc etiam addendum est, vt tota Trinitas condidit creaturas, sic eisdem adest tota, sed eo personarum trium & actionum distinctarum discrimine, quod doctrina sacra tradit. In creationis opere Basilius sic distinguit personas, vt, quemadmodum dixi, cum scriptura statuat Patrem αἴτιον προκαταρκτικὸν, *causam antecedentem*, à quo omnia profecta sunt ac manârunt tanquam fonte consilij totius & decreti de rerum creatione. Filium αἴτιον δημιουργικὸν καὶ τεκτονικὸν, *causam opificem & quasi fabrilem*, per quem peracta est creatio, tanquã per Architectum. Spiritum sanctũ αἴτιον τελειοτικὸν, ἢ τελεσιουργικὸν, *causam consummatricem, aut operis perfectricem*, quòd perfector est operis, secundum 33 Psalmũ, Verbo Domini cœli creati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Ipse dixit, & fuit: Ipse mandauit, & stetit. Et Paulus ad Rom. 11. complectens omnes personas, ἐξ αὐτοῦ, καὶ δι' αὐτοῦ, καὶ ἐν αὐτῷ τὰ πάντα, *ex ipso, & per ipsum, & in ipso omnia*. Patrem demonstrat, cùm dicit, ex quo sunt omnia; Filium,

Tota trinitas quomodo præsens sit generali præsentia.

per quem: Spiritum, in quo. Hoc dictum & ad opus absolutum nunc rectè accommodatur, simili personarum trium discrimine in scriptura expresso, quòd Pater rursus adsit, vt *αἴτιον προκαταρκτικόν, causa antegressa*: Filius, vt *αἴτιον κυβερνητικόν, causa gubernans*, per quem Pater administrat omnia, sicut ipse Filius testatur: Pater vsq; modò operatur, & ego operor. Et Paulus inquit: Omnia per ipsum consistere. Epistola ad Heb. Omnia eum sustinere verbo suo potente: Spiritus sanctus, vt *αἴτιον συντηρητικόν, causa conseruans*, immediatè sustentans ac conseruans omnia, vt dicitur in Gen. 1. cap. Spiritus Domini ferebatur super aquas, &c. Et 1. Sap. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis.

Præsentia specialis duplex.

Venio ad alterum gradum præsentiæ, quem *εἰδικὴν καὶ διάφορον*, id est, specialem & singularem vocant, vtpote non communem creatis omnibus, sed certis quibusdam ex hoc numero proprium ac peculiarem. Pertinet is enim tantùm ad electos, ad beatos Angelos & homines, sed aliter ad homines beatos post hanc vitam in cœlo; aliter ad sanctos, vocatos ad Ecclesiæ societatem, & inchoationem nouæ, æternæ, & Spiritualis vitæ in terris. Rectè itaq; gradus hic distinguitur in duos gradus discretos, ordinatum tamen vtrumque, & certo verbo traditum. Horum vnum *αὐτοπτικόν*, id est, intuitiuum nomino, à præsenti intuitu Dei, & cum eo consuetudine, quo beati Angeli fruuntur & homines post hanc vitam. His adest non tantum conseruans vitam eorum, sed & viuificans eos vita æterna, suaq; implens luce & iusticia. Et visibiliter ab eis atq; immediatè conspicitur, ac conspicietur deinceps in æterna consuetudine, vbi erit Dominus coràm perficiens omnia in omnibus electis, id est, vbi sine mediatore, sine ministerio verbi & sacramentorum, vt causa immediata, sese nobis & æterna sua bona communicabit, cum æterna beatitudine, & immediatum erit obiectum nostrum. Quanquam autem non discedit à beatis tamen adest eis tantùm societate.

Præsentia intuitiua, gradus secundus.

Tertius gradus, præsentia mystica &

Alter gradus specialis præsentiæ proprius est Ecclesiæ in hac vita, quæ colligitur tantùm ex genere humano. Et cœtus etiam est visibilis, sicut ipsa societas, sed longè alius ab hac

ab hac, & diuersus, vt qui prædicatione verbi patefacti, ministerioque Sacramentorum in virtute Spiritus sancti per Filium Dei excerpitur ac segregatur ex genere humano, in quo cœtu, quanquam electis admixti sunt, secundum consuetudinem externam, multi non sancti, de doctrina consentientes, non tamen idcirco Ecclesia vera est confusum corpus, & non sancta. A principali enim fit denominatio. Non sancti mortua sunt membra Ecclesiæ, vel potius veræ Ecclesiæ nulla, sed illius tantùm visibilis cœtus, qui communiter à consortio & consuetudine externa sic vocatur. Viua autem & electa membra veræ & propriè dictæ Ecclesiæ, regeneratione instaurata ac sanctificata, digerit & coagmentat Spiritus sanctus in vnum corpus mysticum, cuius gloriosum caput est ipse Filius Dei, ad vitam nouam, æternam, spiritualem, lege Dei congruam, Deo placentem: ad imaginem conditoris, in vera Dei agnitione, in iusticia, & sanctitate vera, in actionibus nouis, sanctis, spiritualibus, quæ longè alia est vita ab altera illa priore animali, & rationali, ciuili, externa. *pactionalis.*

Inchoatur autem in hac corrupta natura in terris, & corpus ipsum totum (vt Paulus inquit) congruenter coagmentatum compactumque per omnes suppeditatas commissuras, ex vi intus agente, pro mensura cuiusque membri, incrementum capit corpori conueniens, ad sui ipsius extructionem, per caritatem, quæ exerit, se lucet, & crescit in fructibus & operibus fidei, ac bonæ conscientiæ erga Deum & homines, & suis cognoscitur atque à multitudine impia discernitur notis necessariis & vniuersalibus, doctrinæ Euangelij incorrupta professione, vsu Sacramentorum conueniente diuinæ institutioni, & obedientia debita Deo & ministerio iuxta Euangelium. Quod verò hic inchoatur, deque die in diem crescit, consummabitur in vita altera, vbi conformes efficiemur corpori glorioso Christi, resuscitatis corporibus nostris ipsi similes. Inchoatur autem non aliter, quàm applicatione beneficiorum Christi, & sui ipsius communicatione, in regeneratione & conuersione ad Deum, per causas & media ordinata.

Hic gradus præsentiæ est, & rectè vocatur μυστικὸς,

mysticus, à ministerio verbi & Sacramentorum, quod est *μυστήριον, mysterium*. In verbo enim & Sacramentis apprehensus Deus eo modo, quo instituit, fide habitat & efficax est in cordibus credentium. Vocatur rectè & Spiritualis, & pactionalis, quia donum est gratiæ & misericordiæ diuinæ singulare per nouam ac singularem virtutem Spiritus, ex pacto ac promissione. Estque præsentia ordinata non in creatione, nec per vires creaturarum, sed in patefacto verbo: & quanquam alligata est ad media externa verbi sonantis & mediorum in Sacramentis, & ad vsum eorundem, & in vsu ordinato ac legitimo, inque actione ipsa, sicut est præcepta, quæ se expromit liberrimè, in quos vult, & qua vult mensura donorum Spiritualium & æternorum: virtus tamen non est mediorum, quæ nec substantia mutantur, nec viribus insitis, sed secundum ordinem & institutionem verbi ac promissionis, totiusque Trinitatis præsentis & efficacis, quæ in vsu fides intuetur, & apprehendit, sibique applicat. Nec sine fide vlla fit rerum promissarum perceptio, vlla applicatio. Nec vsus externus sine interno, qui in fide consistit, alius est quàm prophanus & physicus. Deniq; liberrima est, præsentia Trinitatis distribuentis volũtate liberrima, & virtute viua Spiritus sancti per fidem impertientis semetipsam credẽtibus, vnione vera Spirituali, & æterna bona Spiritualia lucis, sapientiæ, iusticiæ, & sanctitatis diuinæ & æternæ, quæ non vt bona huius vitæ, quantumuis splendida, cum ipsa deficient & interibunt vita caduca, sed in æternum durabunt, & augebuntur, ac cumulabuntur illis, qui talenta sua non neglexerint, sed negotiando vsibus & fœnoribus sanctis in vita sancta, amplificarint. Superinduemur enim, sed si non nudi reperiemur.

Præsentia totius Trinitatis in ministerio Ecclesiæ.

Pater quomodo adsit.

Adest autem & est efficax tota Trinitas, eo rursus ordine ac discrimine personarum atque actionum, quo se affuturum pepigit ac promisit. Adest pater rursus vt *προηγουμένη αἰτία, antecedens causa*, noui operis totius, principium, fons & causa prima reparationis atque instaurationis nostræ ad vitam æternam, accedens & augens fidem per verbum, & per Sacramenta, velut sigilla promissionem obsignantia, eandem confirmans in luce Filij, & virtute Spiritus sancti, recipiens in gratiam, ac donans remissionem peccatorum, lucem,

lucem, iusticiam, & vitam nouam & æternam, ac Spiritum sanctum cum spe certissima hæreditatis æternæ, reconciliatis sanguine & meritis filij, per & propter eundem.

Filius verus Deus, & verus homo adest & efficax est, vt αἴτιον ἀνακτητικὸν καὶ ἀναληπτικὸν, *causa recuperans & instaurans*, & merito atque efficacia, totius operis effector atque administrator, & donorum dispensator, quæ Spiritus sanctus secundum mensuram donationis Christi distribuit & exhibet. Nimirum vt Mediator & Sacerdos perpetuus, applicans nobis merita obedientiæ, passionis, & mortis suæ, tegens vmbraculo iusticiæ suæ, interpellans pro nobis, placans iram Patris, sonans per verbum & sacramenta in cordibus audientium & vtentium, accendens & confirmans fidem, per quam habitat in cordibus, abluens nos suo sanguine, & pascens participatione sui corporis & sanguinis, agensque & efficiens in nobis, sicut vult in singulis, κατὰ μέτρον, *secundum mensuram*, donationis suæ, quæ in suo corpore efficit, οὐ κατὰ μέτρον, *non certo quodam modo ac mensura*, sed eodem Spiritu, obsignansque sua beneficia arrabone Spiritus, & dicens perpetuam consolationem, qua eripit ex terroribus Diaboli, mortis, inferni, & mundi. *Filius quomodo adsit.*

Adest, & efficax est totus Christus in homine, vtraque natura nunc per ministerium, sed secundum vtriusque proprietates, & modo vtriq; conueniente ac proprio, eo scilicet, quem scriptura tradit, & agente vtraque, quod suum est ac proprium: humana scilicet præsente & agente ad vitam spiritualem, non physico suo corpore, nec physica, materiali, corporea commixtione illius, actione, & efficacia; sed ex vno perpetuoque consensu scripturæ, sui Spiritus vnitate, virtute, & efficacia, quo inserimur & vnimur illi corpori, ex quo effunditur. Non enim agit diuina natura, quæ sua sunt ac sibi propria, καὶ ἀκοινώνητα, *nec communicantur*, creaturis, & quorum creatura nulla capax esse potest, per humanam naturam tanquam per συναίτιον, *sociam causam*, aut tanquam per organum σύνεργον, *adiuuans ac particeps operis*, earum actionum, ex reali ac re ipsa cum ea Deitatis communicatione & participatione aut diuinæ naturæ idiomatum. Talis enim communicatio, confusio est naturarum, & physica conuersio humanæ in diuinam. Nec sine ea fieri potest. *Filius quomodo adsit corpore.*

Nec est in pane aut homine, corpore suo physico, naturali, substantiali, vero, vel ratione vbiquitatis, ex communicatione reali proprietatum essentialium naturæ diuinæ, vel κατὰ μετουσίαν ἢ συνουσίαν, *per transsubstantiationem aut consubstantiationem*, Pontificiam miraculosam, quibus commentis vtrisque, veritas eius corporis, quod adesse affirmatur, destruitur penitus. Nec adest aut vnitur pani, per adhæsum & annexum, nec homini per contactum, mansum, pastum, actum, effectum, & coalitum materialem, physicum, vel hyperphysicum. Nec distribuitur in proprietatibus suis physicè & corporaliter: Nec hyperphysicè. Sed adest, distribuitur, & agit secundum ordinem expressum in verbo, & promissionem, in hominem, vt in creaturam rationalem, virtute spirituali Deitatis, & vnius eiusdemque Spiritus, qui & in ipso corpore Christi est, & quo eidem, tanquam viti viuæ, credentes coaptantur & agglutinantur insitione efficaci & viua, ac cohærent & coalescunt illi cohæsu ac coalitu vero ac viuo, vt palmites, vt surculi trahentes & haurientes ex eo, fide succum spiritualis nutricationis, quo aluntur, proficiunt, & crescunt in vita spirituali, ex Deitate vt causa ac fonte, per corpus tanquam organum & canalem, virtute Spiritus, propagatione verò & applicatione, non physica materiali, sed spirituali. Omnia enim interna hic spiritualia sunt, causæ agentes, res quæ offeruntur & exhibentur, vsus internus, in vsu applicatio: organum per quod fit, fides scilicet in mente, & subiecta, quibus fit applicatio.

Interna in Sacramentis Spiritualia, externa physica.

Externa media physica, non ipso vsu physico, sed ex ordinatione diuina per verbum nouo & mystico, docent & commonefaciunt mentem, vt partem hominis præcipuam, intelligentem, qua homo est, per organa corporis comparata in creatione ad ministeria & vsus menti seruientes, verè interius vi diuina Spiritus offerri & exhiberi à diuinitate præsente & efficace, quæ foris sono verbi per aures denunciantur: oculis pinguntur characteribus scriptis: mediis verò Sacramentorum designantur, secundum verba promissionis, pacti, & institutionis, ex analogia ordinata externorum mediorum visibilium, vt signorum & causarum, suo loco tamen, ad res denunciatas & significatas,

non

non *μιμητικὰ quæ imaginem referant*, tantùm, aut *δεικτικὰ ostensiua*, illarum, sed & *μεταδοτικὰ exhibentia*, non aliter tamen, quàm in verbo patefacto; fitque renouatio eo ordine, quo vires sunt conditæ ab initio, interque sese distinctæ ac distributæ. Initium est à mente & cogitatione, in meditatione auditi aut lecti verbi, & consideratione mediorum, in Sacramentis secundum verbum. Ideò præcipit Christus facere initium a doctrina. Docete omnes: Audite omnes, sed videte, quid audiatis. Audite & intelligite. Quod auditur autem, legitur, & cernitur, illud intelligitur, non humani ingenij acumine, aut sapientia, sed luce & virtute Spiritus. Per hanc lucem & agnitionem veritatis ac voluntatis diuinæ cientur deinceps, instruuntur, ac flectuntur ab eodem Spiritu reliquæ vires ordine, vi noua conueniente singulis: voluntas primùm, vt inter vires præcipua & menti proxima, & reliquæ ex ordine per voluntatis imperium & Spiritus omnia gubernantis, liberrima tamen actione. Renouamur enim præcipuè Spiritu mentis, & secundum interiorem hominem, quæ nouitas de die in diem crescit. Exterior homo corrumpitur indies, cuius in carne renouatio fit per repressionem ac destructionem insitæ & inhærentis labis, & subinde in peccatis affectuum, & actionum viciosarum, reuiuiscentis, & erumpentis, nisi in seria & acri lucta, eaque perpetua, aduersa vi Spiritus coherceatur ac retundatur. Idem tandem propter peccatum extinguitur, superstite Spiritu propter iusticiam, & resuscitabitur in die nouissimo propter Christi Spiritum.

Caro Christi viuifica est, quia caro *τοῦ λόγου verbi* propria, & eidem hypostaticè vnita est, sed quatenus per fidem in virtute Spiritus (non enim alio modo cum ipsa vera & essentiali carne Christi coniunctio fit) eidem inserimur & vnimur. Tunc verò & Spiritum Deitatis *τοῦ λόγου verbi* participamus, qui nos viuificat. Non enim caro Christi vitæ illius æternæ causa est *ἐνεργητικὴ efficiens*, quæ virtus & efficacia tota est Deitatis *τοῦ λόγου verbi*: Nec assumtæ carni communicatur reipsa & essentia. Ne *λόγον verbum* qui Deus est, æqualem sibi creaturam fecisse, atque ita nouum Deum procreasse somniemus. Non nata est enim caro Christi in illa vita, de qua inquit Christus: Pater dedit Filio habere *Caro Christi viuifica.*

vitam in semetipso, sicut Pater habet, & qua, sicut Pater, viuificat quos vult, sed in illa assumta per animam, de qua dicit deinceps: Nemo auffert animam meam à me, sed ego habeo potestatem ponendi & sumendi eam. Quare viuifica est caro tantùm, vt medium quoddam primarium, & velut canalis, per quem, propter *ὁμοουσιότητα, naturæ participationem*, cum nobis, & propter opera reconciliationis ac redemtionis nostræ in ea carne impleta, Spiritus à Deitate *τοῦ λόγου verbi*, in nos transfusus defluit, tanquam ex illius corporis fonte, & in nobis cum illa commissis atque vnitis hoc agit, quod in illo: Quia qui Domino adhæret, vnus est Spiritus: Et transformamur ad eandem imaginem de gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu: Et qui Spiritum Christi habent, hi sunt eius. Item, ex hoc scimus, quòd habitat in nobis ex Spiritu quem dedit nobis. Hoc Spiritu, & hac fide, qui manducant carnem, & bibunt sanguinem Christi, nutriuntur corpore eius & sanguine, in operatione & effectu spirituali Deitatis *τοῦ λόγου* & Spiritus sancti, ad profectus & progressus in vita noua, spiritualibus donis & fructibus, donec euadant omnes in vnitatem fidei & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, ad mensuram staturæ adulti Christi, pro ipsius in nobis, & nostri in ipso incremento. Fiunt iidem vnus cum ipso Spiritus, non vnum corpus, cum ipsius corpore, sed veri viuique corporis ipsius palmites & surculi: caro de carne, & os ex ossibus ipsius: & vnum inter se corpus mysticum, atque illius corporis inter se membra, cuius ipse caput est, manentque in eo, & ipse in eis, sicut docet Christus ipse Iohan. cap. 6. & 15. & testatur ad Corinthios Paulus, & alibi, quibus Hilarij dictum consonat. Hæc sumta & hausta faciunt, vt Christus sit in nobis, & nos in Christo.

Spiritus S. quomodo adsit.

Spiritus sanctus adest & efficax est, *ὡς αἴτιον ἀνακαινωτικόν, vt causa innouans seu renouans*, & vt opifex proximus atque immediatus totius operis noui ac beneficij in applicatione, missus ac datus in hoc credentibus, vt semper sit & maneat in eis. Hic virtute conueniente noua ciens, mouens, fouens, ac dirigens hominem, secundum facultates singulas, suo loco atque ordine, & afflatus suos miscens spiritibus nostris (quia Sancti sunt templa Spiritus sancti) efficit primò,

vt fit apprehensio & applicatio totius doni ac beneficij agniti, propria cuiusque fide, in intellectu vero & vsu verbi ac Sacramentorũ legitimo, & accendit in fiducia misericordię Dei, per & propter Mediatorem, ardens perpetuumq; nouæ obedientiæ desiderium ac studium erga Deum, in conatu ac lucta perpetua aduersus Diabolum, carnem, & mundum.

Ex hac declaratione manifestum est, tertium hunc gradum præsentiæ institutum esse tantùm pro Ecclesia, cui ministerium verbi commendatum est, & pro electis præcipuè, non pro mediis ipsis, nec pro vllis creaturis aliis, nec propter ipsas. Patet & hoc liquidò, quòd vna eademque sit præsentia in toto ministerio, & in partibus singulis. Non alia enim in verbo, alia in Sacramentis, alia rursus in Baptismo, alia in Cœna sacra. Eadem docent, denunciant, offerũt, exhibent, applicant, significant. Sacramenta, quæ per se verbum, nullo rerum ipsarum aut internarum actionum discrimine. Externa rebus, mediis, ritibus, vsu, & fine differunt, quæ diuersitas hoc propter instituta est, vt Deus pluribus modis opituletur ac medeatur imbecillitati nostræ, inuitet nos ad considerationem operum & beneficiorum suorum in nobis occasionibus pluribus, & exuscitet, & acuat, confirmet, obsignetq; fidem pluribus quasi pignoribus. Non adest Filius Dei sacræ Cœnæ alia noua, inusitata, extraordinaria, miraculosa, hyperphysica præsentia, qualis falsò fingitur & creditur, sed eadem prorsus, qua ministerio verbi & Baptismi. Nec alia est præsentia aut vnio Sacramentalis, quàm ministerij, vtraque promissi pacti, ordinis, atque instituti diuini, noui, ex analogia medij & signi ad rem & significatum præsens, in vsu & actionibus externis & internis. Vnde eam dixi vocari pactionalem, scilicet à promisso & pacto nouo ac fœdere, cuius meminerunt Prophetæ Esa. 48.51.55.59. cap. Ierem. 31. Ezech. 37. Ioel. 3. Zach. 2. Et Christus ipse Cœnam vocat ritum Testamenti Noui. Dixi & spiritualem vocari à spirituali vsu, quia, quæ hic fiunt interius verè, per externa designata, sunt spiritualia. Talis est enim, quæ fit *κοινωνία, participatio vel communicatio*, per illa cum Deo, qua se nobis communicat, & qua ipsi adiungimur vicissim. Immò *κοινωνία* est ipsa efficacia spiritualis, per effectus ac fructus spirituales, ad vitam spiritualem. In quauis enim in-

Vna & eadem præsentia in toto ministerio, & singulis partibus.

tegra, efficaci, & fructuosa ministerij parte concurrunt & coniunguntur vnione mystica ordinata in homine, & in ipso vsu ordinato, ista sex. Tria foris incurrẽtia in sensum externum, Minister, verbum sonans aut applicans media externa Sacramentorum, persona audiens verbum, accipiens exhibita, vel admittens applicata media. Intus tria inuisibilia quidem, sed viuo ac spirituali sensu innotescentia menti & viuentia in corde. Tota Trinitas efficax eo ordine, quo dixi, quæ per verbum sonans, aut in Sacramentorum vsu lucens, sed cogitatum, accendit nouam lucem agnitionis & intellectus, ac fidem, & offert exhibetque sese ac sua beneficia. Fides appræhendens amplectensque communicantem sese diuinitatem, & beneficia promissa sibi accommodans cum lætitia in Deo acquiescente. Dixi & mysticam vocari, quia Paulo ministerium verbi & Sacramentorum est mysterium patefactum per Spiritum solis electis. Rom.16.Eph.1.& 2. Colos. 1. Item: 2. Timo. 1. ad Tit.1.Item, 1. Petri. 1. Rectè & ideò vocatur mystica, vt discernatur à physica prius descripta, nomine etiam conueniente, sicut re differt. Duæ sunt enim tantùm species præsentiæ Dei ordinatæ in homine, dum in his terris viuit, vna generalis, communis omnibus hominibus, vt dixi: Altera specialis mystica, propria Ecclesiæ & electis. Inter has tertia nulla est media, quocumque veletur aut venditetur nomine, seu miraculosa vocetur, seu hyperphysica, seu Magica: quarum miraculosa & hyperphysica, alterius est speciei, sub extraordinariorum genere, in rebus naturalibus, in quibus solis τὰ ὑπὲρ φύσιν, *quæ sunt præter naturam*, locum habent, & non in ordinatis ministerij sacri & Ecclesię, in quibus alius est ordo verbo conditus. Magica præsentia Diaboli est in efficacia & præstigiis Diabolicis, de quibus paulò pòst.

Quomodo efficax sit Deus per verbum & Sacramenta.

Ad eundem autem vsum, & ad vitam eandem spiritualem effectu, in eadem præsentia & efficacia diuinitatis, & eorundem beneficiorum distributione atque applicatione, cùm totum ministerium, mediis tamen diuersis, velut distinctis partibus institutum dixerim, de partium etiam discrimine, & de modo applicationis, pauca subiiciam.

Omnium

Omnium temporum Ecclesia collecta est, ac velut norma rectrice gubernata doctrina, quam ex sinu arcano æterni Patris protulit ac promulgauit Filius Dei, de Dei essentia & voluntate. Legem in creationem insitam mentibus obscurauit lapsus: Eam repetiuit. Euangelio vt doctrina noua patefecit mysterium arcanæ voluntatis suæ, *κατὰ τὴν εὐδοκίαν*, *secundum voluntatis suæ placitum*, edita promissione de Messia, ac Mediatore, & hanc subinde renouatam & illustratam tandem suo aduentu, passione, morte, resurrectione, & ascensione ad cœlos impleuit. Eadem illa Ecclesia iustificata est semper coram Deo, id est, Deo reconciliata, atq; in gratiam acceptata fide, gratis seu fiducia misericordiæ Patris in Euangelio promissæ, per ac propter Filium Mediatorem, quem in carne venturum, vt satisfaceret legi & iusticiæ Dei, & solueret *λύτρον redemptionis precium*, pro peccatis Deo debitum, ac liberaret nos à potestate Diaboli, mortis, & inferni, expectarunt spe certa Israëlitæ: Exhibitum in ea credunt constanter ac firmiter Christiani. Illi edocti voce sæpe renouatæ & inculcatæ promissionis, & commonefacti atq; confirmati in spe sua, & expectatione sacrificiorũ, quæ λυτρωτικὰ vocabantur, & miraculorum quorundam typis, ac Sacramentorum velut appensis ad promissionem sigillis, inter quæ fuerunt præcipua, circumcisio, & esus agni paschalis: Christiani in fide exhibiti confirmati verbo itidem ac testimoniis promissionis completæ, sigillisq; Sacramentorum Noui Testamenti Baptismo scilicet & Cœna sacra, quę Iudaicis abolitis, significato, documentis & obsignatione præteritorũ ac confectorũ successerũt. Semper adfuit etiam Filius Dei Ecclesiæ suæ, vt Dux & caput, *καὶ σωτὴρ & seruator*. Ante incarnationem quidem in Deitate sola efficacia sancti Spiritus, post assumtam carnem in eadem Deitate rursus, & efficacia eiusdem Spiritus, sed in, & ex, ac per assumtam carnem, eo tamen quo dixi modo, cui nunc, actu vtrique quotquot viuunt sancti & electi in cœlo & in terra, tanquam capiti, virtute illius Spiritus insiti & agglutinati cohærent, & ab eo gestantur. Hæc cùm sint hoc modo, ex euidentissimis scripturæ testimoniis, demonstrata liquidissimè piorũ plurimorum scriptis, omissa declaratione vberiore, pauca

attexam de ministerio verbi & Sacramentorum Noui Testamenti in Ecclesia.

Ministerium Euangelij. Vocem doctrinæ vtriusque, Legis & Euangelij, sicut à Christo repetita ac declarata: ab Apostolis propagata & illustrata est, vult Deus sonare palam in orbe terrarum perpetuò, vsque ad reditum filij sui, Domini nostri Iesu Christi, & iudicij extremi momentum: vult illam concionem esse vniuersis perpetuam, de Dei essentia ac voluntate: de peccati, & generis humani à Deo auulsi corruptique causis: de causis, modo, ac medijs reparationis & instaurationis generis humani ad vitam, nouam, spiritualem, æternam: vt arguat peccata totius mundi; vt doceat, omnes obnoxios esse peccato, & reos ab origine iræ Dei; vt vocet omnes ad pœnitentiam: vt omnibus agentibus pœnitentiam, in agnitione ac detestatione vera seriaque suorum peccatorum, & remedia proposita ad salutem æternam quærentibus ac desiderantibus, secundum promissionem gratiæ, annunciet remissionem peccatorum, iusticiam, vitam, & hæreditatem æternã, ac testetur in iisdem, Deum verè efficacem esse communicatione sui, ac suorum beneficiorum, & donorum æternorum. Hac fit initium regenerationis nouæ spiritualis, & cõuersionis ad Deum, in iis, qui audiunt, & fide apprehendunt promissam cum Mediatore ipso misericordiam Dei. Hæc doctrina vbicumque purè & incorruptè sonat, ibi cœtum esse vocatorum, & in eo Ecclesiam delectam ad societatem vitæ & consuetudinis æternæ cum Deo, & beatis Angelis, ac hominibus, certum est. Nec alibi, quàm in tali cœtu, Ecclesia quæri debet, cui, si doctrinæ illibata constet puritas, signa cetera nunquam desunt: quia doctrina rectrix norma est reliquorum omnium ad Deum, Deiq; cultum syncerum pertinentium.

Non est autem vera regeneratio, & conuersio ad Deum repentina aliqua & momentanea mutatio, physicis motibus & mutationibus similis, vt mox ostendetur, sed remissio peccatorum ac reconciliatio cum Deo, & renouatio, quæ est in luce & virtute noua Spiritus sancti per verbum & fidem intuentem Deum, & in misericordia apprehensa acquiescentem, lucta perpetua ac perennis cum prauitate insita, cum Diabolo, & mundo, totoque regno tenebrarum,

& spiri-

& ſpiritualis nequitiæ, & certaminibus, ſtudiis, conatu, atq; exercitiis aſſiduis creſcit. Ideò Miniſterium verbi eſt renatis & ſanctis, inde vſque ab exordio primo inchoatæ regenerationis, alimonia animæ, perpetua deinceps & medicina. Alimonia quidem doctrinæ forma & inſtitutionis, præceptorum, operum, atq; exercitiorum gradibus cuilibet ætati accommodatis, & captui cuiusq; conuenientibus, ad profectus & incrementa in vita ſpirituali. Teneris & rudibus lacticinia ſufficiunt. Adultis, exercitatis, & iudicio confirmatis ſolidiora exhibentur. Medicina eſt, prædicatione pœnitentiæ, & commonefactione perpetua oſtendente & accuſante inhærentem naturæ prauitatem, tenebras & caliginem mentis, *ἀταξίαν, confuſionem*, omnem auerſarum à Deo virium, interq; ſeſe, & à Dei ordine diſſidentium, immundiciem omnem, & lapſus ac delicta omnia pugnantia cum lege & præceptis diuinis. Reuocat enim lapſos per concionem ſalutaris pœnitentiæ ad Deum, erigitq;, ac ſanat vulnera conſcientiæ, noua conſolatione, & Spiritus ſancti virtute. Huius ſanationis initium fit à principio regenerationis & conuerſionis, duratq; per omnem vitam, in mortalis huius & caducæ vitæ curſu. Sed quò peccat quis crebrius & grauius, eò terroribus, pauoribusq; maioribus, ex iræ Dei ſenſu & conſpectu magnitudinis ac deformitatis peccati concuti ſe experitur. In ſanctis etiam quid vita ſpiritualis eſt aliud, quàm perpetua ad Deum conuerſio, in agnitione ac deprecatione imbecillitatis inſitæ, & lapſuum, atq; erratorum quotidianorum? Radix enim peccati non eluitur ſpirituali in Baptiſmo ablutione aut abiectione ſui. 1. Pet. 3. Nec in vera pœnitentia & conuerſione, voce abſolutionis extirpatur, vt euulſu phyſico ac materiali, ſed reatus tollitur atque condemnatio: Radix ipſa, id eſt, ingenita labes ac prauitas reliqua manet, ac fixa. Nec ocioſa eſt illa aut inefficax, ſed & ſua ſe malitia commouet, atq; effert contra ſpiritum & multò magis prouocata, incitata atq; armata telis, ſubſidiisque Diaboli ac Mundi. Nemo tam ſanctus eſt, qui ſtimulos peccati in carne ſua ſpiritui aduerſos, & Diaboli, mundique inſtinctus, vibratuſque non experiatur. Alius tamen alio magis minuſve pro delictorum diſcrimine, & gradu. Ideò doctore Chriſto precamur aſſiduè: Remitte no-

Miniſterium verbi alimonia eſt & medicina.

bis debita nostra. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Non aliter mortificatur radix peccati, id est, reprimitur atq; cohercetur, ne regnet: ne, si repullulet aut regerminet, erumpat in actum: Nec Diabolo mundoq; aliter resistitur, quàm vi noua & contraria Spiritus sancti, in lucta seria, assiduisq; conatibus, aduersis, ac certaminibus. Quia ergo remanente ac repullulante prauitate, semper proni sumus atq; procliues in lapsus Deum offendentes: semper erramus etiam, impingimus, aut delinquimus: Ideò medicina semper nobis opus est, qua efficaciorem nullam & salubriorem Deus ipse proponit seria & salutari pœnitentia per Euangelium, quod est δύναμις τοῦ θεοῦ, *potentia Dei*, ad salutem omni credenti. Cuius vis est ἐν λόγῳ τῆς ἀληθείας καὶ δυνάμει θεοῦ, in sermone veritatis & potentia Dei.

Baptismus. Baptismus est lauacrum regenerationis, ad aliam nouam vitam Spiritualem, quæ Baptismo inchoatur in infantibus, quibus, vt adultis omnibus, deinceps est & manet per omnẽ vitam, sigillum certissimum ac testimonium applicatæ promissionis ac beneficiorum Christi, ablutionis à peccato, per sanguinem eius, reconciliationis cum Deo, per ac propter filium, insertionis in corpus Christi, verum, simulq; mysticũ, seu copulationis atq; vnionis cum vero Christi corpore & cum Ecclesia, & donati Spiritus sancti, vt habitet in eis, sitq; opifex ac director vitæ nouæ spiritualis. Deniq; monumentum est, cõmonefaciens omnes, quotquot baptizati sumus in Christum Iesum, & Christum induisse, & in mortem eius baptizatos esse, vnaq; cum eo sepultos per Baptismum in mortẽ, vt sicut excitatus est Christus ex mortuis in gloriam patris, ita & nos in noua vita ambulemus, resuscitati per fidem Dei efficaciter agentis. Inchoata enim hoc modo vita noua, deinceps cum ætate proficiente vires ingenij ac corporis crescunt, ac virtus Spiritus sancti euidentius sese exerit, studio doctrinæ & exercitiis piis fidei, inuocationis, & pietatis, in omni obedientiæ genere erga Deum, ac dilectionis erga proximum, assiduè augetur & confirmatur, verbo suppeditante aptum cuiq; ac vitæ spirituali congruum doctrinæ alimentum, sicut natura rerum nutrimẽta gignit, ac suppeditat corpori alendo cõmoda ac necessaria, pro ætate & conditione cuiusq;. Ideò sicut semel nasci ad vitam hanc ani-

animalem & caducam: sic semel baptisari, id est, regenerari, ac renasci ad primitias & exordia vitæ spiritualis, satis est.

Cœna sacra est manducatio corporis & sanguinis Christi, & ex hac plenior ac robustior alimonia animæ ad profectus vberiores, in vita noua spirituali: ad exuscitandam, fouendam, acuendam, atq; obsignandam fidem, frequenter iterato vsu, pro adultis, qui viribus ingenij, iudicio, doctrina, vsu, exercitiis, ac certaminibus fidei, donisque Spiritus sancti aucti & confirmati, rectius solidiusque, intelligunt, considerant, ac meditantur rerum magnitudinem, quas præcipit recoli Christus, ac celebrari, in vsu huius Sacramenti, quales sunt totum opus missionis Filij ad redemtionem ac reparationem generis humani, & fructus incarnationis, passionis, & mortis eius. Ad quam vitam enim regeneramur, ad eandem & nutricamur, foris, mediis specie & vsu ex ordine instituti diuersis, verbo semper docente, sono quidem per aures, signo per oculos in mediis Sacramentorum: Intus ipso alimento spirituali, viuo, præsente, quod fides verbo nixa ac freta accipit & amplectitur. Nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habetis vitam in vobis. Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego in die vltimo excitabo illum. Idem in me manet, & ego in illo. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, inquit Christus. Manducari autem corpus Christi, & bibi sanguinem eius spiritu ac fide tantùm, non etiam physico aut Capernaitico mansu & potu, idem docet ibidem: Qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet vnquam. Qui credit in me, habet vitam æternam. Verba, quæ loquor vobis, Spiritus & vita sunt. Confirmat hoc Paulus, verborum Christi vous omnium certissimus ac verissimus interpres, qui, etsi Christus symbola corporis ac sanguinis sui appellationibus insigniuit, ad commendandam fidei analogiam signorum ad significata, vno consensu tamen perpetuò repetit & inculcat, ore sumi panem & poculum, hisq; indignè vtentes, non frui corpore & sanguine τῦ σωτῆρ&, *seruatoris*, sed reos illorum fieri, esuq; illo, ac potu iudicium sibi accersere, vt qui non diiudicent corpus Domini: non distinguãt cibum hunc sacrum destinatũ

Cœna Domini.

ad hoc, vt in vsu legitimo sit corpus & sanguis, secundum ordinem institutionis, à cibo alio profano.

Quomodo panis & vinum corpus Domini.

Quomodo autem sint Panis & Vinum corpus & sanguis Domini, declarat idem, ostendens claris ac disertis verbis, in ordinato & legitimo vsu, inq; actione ipsa, cùm fit distributio externa mediorum, in concursu & coniunctione symbolorum, cum internis rebus significatis, panē esse *κοινωνίαν communicationem* corporis: calicem *κοινωνίαν communicationē* sanguinis Christi; sumenti tamen tantùm, & quidem eo modo, qui verbo traditus est. Κοινωνίαν enim illam, seu communicationem consistere, docet idem, non tantùm in participatione & perceptione eorundem beneficiorum Christi, sed in vera viuaq; cōsociatione, atq; vnione cum Christo ipso, qua ita efficimur *κοινωνοὶ καὶ μέτοχοι τοῦ σώματος, καὶ τοῦ αἵματος χριστοῦ, communicando participes corporis & sanguinis* Christi, vt simul coalescamus, & ipsi tāquam palmites viti, tanquā arboribus surculi, fiamusq; caro de carne, & os ex ossibus ipsius, & inter nos in corpus vnum mysticum Ecclesia, tanquam alter alterius membra, cuius corporis ipse caput est, *συναρμολογίαν ὅλην, καὶ συνάρθρωσιν εἰς ναὸν ἅγιον ἐν κυρίῳ, εἰς οἰκητήριον τοῦ θεοῦ, καὶ εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος χριστοῦ, id est, coagmentationem totam, & compagem, ad templum sanctum in* Domino, *ad domicilium* Dei, *& ad ædificium corporis* Christi, dirigente ac perficiente Spiritu sancto, non coaptatu tamen materiali & physico corporum, atq; coalitu, sicut immittuntur in fissum truncum surculi, aut ex vite enascuntur palmites, sed spirituali per fidem viuam, vero tamen ac viuo, in quo est congruentia omnis harum similitudinum. Vita enim noua spirituali fit fide, per vnionem illam coalitus cum Christo, in virtute & efficacia, donisque & actionibus nouis spiritualibus. Vnus panis & corpus vnum sumus omnes, inquit Paulus, quia de pane vno percipimus omnes. Vnitatis huius ex consociatione, coniunctione, atque coalitu mutuo rationem declarat Paulus ad Ephes. Vnum est corpus, Vnus Spiritus, sicut & vocati estis in vnam spem vocationis vestræ, vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma: Vnus Deus & Pater omnium, qui est super omnia, ac per omnia, & in omnibus vobis. Sed vnicuiq; data est gratia pro mensura doni Christi. Orditur ab effectu, id est, à corpore vno Ecclesiæ, cui subiungit opificem

tem proximum & immediatum Spiritum sanctum, in iis efficacem, qui vocati sunt in spem vnam: vno Domino Christo meritorum suorum ac donorum distributore, qua vult mensura, per vnam fidem, qua fit applicatio, & per vnum Baptisma, quo vt per lauacrum regenerationis in Spiritu sancto Ecclesia renouatur & coagmentatur, Deo & Patre gubernante omnia. Nec vllum alium vnionis modum nouit scriptura, quod declarat Paulus, cùm per vnum Spiritum, nos omnes in vnum corpus baptizatos, & omnes vna potione potatos esse, inquit, in vnum Spiritum, Sacramentum vtrumq; complectens, vt ostendat, id quod in vtroque fit, secundum ordinem institutionis, & verbum promissionis, dono misericordiæ Patris, & meriti, ac distributionis Christi, id opus esse vnius Spiritus interius sub externis designatum per verbum, ad vnum eundemque finem & scopum. Quanquam enim partem Cœnæ nominat pro tota, & permutatione quadam, quæ alterius censentur, alteri tribuit; tamen nec mutilat, nec confundit propterea Sacramenta. Etsi enim Baptismus peculiariter lauacrum est regenerationis, & ablutio à peccatis per sanguinem ipsius, quæ *τῷ λουτρῷ τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι, lauacro aquæ in verbo*, significatur: tamen simul est insertio in corpus Christi Mysticum, seu incorporatio, cuius ipse caput est, *καὶ σωτὴρ, & seruator*. Et Cœna sacra, etsi manducatione corporis, & haustu sanguinis Christi alimonia est animæ, qua fit incorporatio, tamen sanguine, qui alit, fit simul ablutio, & vtroque viuificatio, sed virtute vnius Spiritus, & actione, effectuq; spirituali. Nec Christus, quando ritum sacræ Cœnæ instituit & sancit, præsentiam sui corporis in pane & homine, & manducationem aliam ordinat ab illa, de qua Ioh. 6. concionatur, multoq; minus illam oralem ipsam & Capernaiticam, quam ibidem arguit ac reprehendit, sicut, quando ritum Baptismi discipulis tradit, non alium regenerationis modum, & ab illo diuersum sancit, de quo concionatur Nicodemo. Qui tribuunt hoc Christo, contradictorium sibi ipsi faciunt, & Pauli interpretationem falsi arguunt.

Nec, quæ ex deprauato sensu verborum institutionis solo eruitur atq; extruitur præsentia corporis, vlla sibi parte constat. Quocumq; enim Sophisticæ fuco proprietas verborum

asseratur, & prædicationis identitas: relinquitur hoc tamen in dubio, quod quæri & explicari necesse est: vtrum panis sit corpus Christi substantia, seu, vt loquuntur, verum, naturale, & substantiale Christi corpus: An verò Relatiuè, ex ordine institutionis, & Sacramentorum natura. Si panis est substantia corpus Christi, necessariò est idem corpus, numero vel specie. Si numero idem est & indiuiduo, vnoq; tempore in locis est innumeris ac diuersissimis, quomodo vbiquitatem illam phantasticam & imaginariam effugere possit, non reperio. Si specie idem est, vt confici à sacerdotibus tot corpora noua credantur, quot hostiæ sunt, non erit panis illud corpus, quod pro nobis traditum est: nec vinum sanguis, qui effusus est, sed alius indiuiduo innumerus, sola specie vnus. Siue igitur ex reali communicatione proprietatum essentialium Deitatis, quod absq; mutatione fieri non potest in Deitatem: siue κατ' μετουσίαν, ἢ συνουσίαν, *per transsubstantiationem aut consubstantiationem*, adesse corpus statuatur, absq; παντουχουσία, *omni præsentia*, id fieri nequit. At παντουχουσία fingi & constitui nequit, nisi corporis essentia penitus euersa, quod fit Eutychiana confusione, καὶ ἀποθεώσει, *& deificatione seu mutatione in Deum*, ex reali effusione proprietatum: detractione verò & separatione omnium proprietatum atque accidentium à corpore Christi commentitia in Transsubstantiatione & Consubstantiatione, quod docet & Damascenus cùm inquit, ἀδύνατον εἶναι φύσιν ἐκτὸς τῶν φυσικῶν ἰδιωμάτων, *fieri non posse vt natura consistat, sublatis naturalibus proprietatibus*. Vtriusq; commenti autores quærunt corpus in pane, quod corpus esse verbis affirmant, reipsa negant: commentum tamen venditant, ac propugnant miraculi velo, & operis, quod fit ὑπὲρ φύσιν, *supra naturam*. Id verò redarguitur testimoniorum scripturæ consensu perpetuo, & de veritate corporis Christi, & de miraculorum proprietate, quorum nullum reperitur, in quo res aliqua simul aliquid fuerit, & non fuerit, quemadmodum suprà dixi. Cùm res examinatur ad normam veritatis, deprehenditur, quòd vtrumq; commentum pugnat cum scriptura, de ordine perpetuo ministerij verbi & Sacramentorum in Ecclesia, deq; præsentia & efficacia Dei per ministerium in homine ad vitam spiritualem æternam; cum verbis institutionis, & do-

ctrina Christi, de manducatione suæ carnis, & haustu sui sanguinis: cum interpretatione & doctrina Pauli: cum articulis Symboli de incarnatione Filij Dei, ascensione in cœlum, exaltatione ad dextram patris, & testimoniis de proprietatibus veri corporis: cum tota prima ac puriore antiquitate in hoc articulo: cum natura rerum: Secum ipsum vtrúmq;. Ἀσύστατα enim *quæ consistere non poßint*, prorsus in vtroq; pleraq; sunt, καὶ ἀντιφατικὰ, *&* *contradictoria*, omitto magicis similem vim, quæ Sacerdotibus rasis & vnctis, verbisque affingitur. Deniq; vt totum de præsentia corporis Christi carnali ad symbola panis & vini, & in homine symbolis vtente commentum est poëma impietatis & audaciæ humanæ, sic nullum vsum habet alium, nisi quod neruus est idoli in consecrato pane Pontificij, & falsi sacrificij missæ propter idolum panis. Nec vlla talis scripturæ testimonio demonstrari potest, vel quòd sit, vel quàm diu duret, quid conferat, quo fine & effectu, qua consolatione, quando discedat, cùm repeti iterato frequentique vsu debeat, quid hæc momentanea præsentia differat ab illa perpetua, qua Christus per fidem habitat in cordibus credentium, cuius ἐνοικήσεως σφραγὶς, *inhabitationis sigillum*, est & obsignatio vsus creber Sacramenti Cœnæ, confirmans fidem.

Non est Panis corpus Christi substantia, sed relatiuè. Nulla fit enim noua aut miraculosa conuersio mutatæ substantiæ, vel naturæ mediorum sensui subiectorum, in ministerio verbi & Sacramentorum: non vocis Ministri verbum proferentis: non aquæ in Baptismo, cùm fit perfusio aut mersio: non panis aut vini, quando consecrantur ac distribuuntur, multò minus extra actionem & vsum. Nec vi ordinis instituti, aut singulari aliqua vi verborum acquirunt aut asciscunt media in sese, aut naturas alias nouas, prioribus abiectis, aut vires nouas nouorum operum diuinorum ac spiritualium effectrices per se, aut vt socias, καὶ συνέργους, *participes operis*, insitis in iisdem, quæ solius Dei propria sunt. Nec Symbola, cùm nomina, vsum, ac finem mutant ex dono & ordine gratiæ, mutant simul naturam pristinam, proprietates innatas, & agendi facultatem, quod fieri nisi substantiis.

Panis est corpus Christi non substantia, sed relatiuè.

& naturis in ſpiritualem aliam conuerſis nequit. Nec vnio Sacramentalis eſt annexus rei ſignatæ ad ſymbola materialis phyſicus, aut hyperphyſicus, aut magicus. Deniq; ſymbola non ſunt res ipſæ abſolutè καὶ καθ' ἑαυτὸ, *& per ſe*, ſubſtantia aut viribus: ſed κατά τι, καὶ κατ' ἄλλο, *ſecundum quid, ſecundum aliud*, ac relatiuè, vſu nouo ex ordinatione diuina, ſicut ſigna ſunt res ſignatæ, reſpectu & ordine ad res ipſas. Neq; ex ſe efficacia ſunt operum, quæ fiunt, ſed quod conferunt, id præſtant ex definito vſu, vi verbi ac promiſſionis, & dono gratiæ, & quidem in actione ipſa atque vſu. Si ergo panis nō eſt corpus ſubſtantia, ſed relatiuè tantùm, ex conſtitutione diuina ad hunc vſum & finem, neque eſt inter hæc duo medium tertium. Quæ ſunt enim, ὑπὲρ φύσιν, *ſupra naturam*, tanquam extraordinaria, collocari inter ordinata diuerſarum ſpecierum nequeunt, ſed ſui ſunt generis, quod ab ordinatis omnibus diſcrepat, cuiuscunq; ſit ſpeciei. Ideò verba inſtitutionis non poſſunt intelligi, ὑπαρκτικῶς, *de ſubſtantia*, identica corporis & propria de pane prædicatione, in qua ſubiectum & prædicatum ſemper ſunt eiuſdem naturæ, neq; συνεκδοχικῶς, *tropo quodam comprehenſionis*, vt concipiatur animo, aut mutatio & tranſitus ſignorum in res ſignatas natura vel viribus, aut ad illa harum alligatio, κατὰ ἢ ὑπὲρ φύσιν, *ſecundum aut præter naturæ ordinem*, qualis eſt inſeparabilis aſſumto humanæ naturæ ὑπὸ τοῦ λόγου, *à verbo*, in vnitatem perſonæ: Sed μετωνυμικῶς, *forma orationis, qua nomina transferuntur*, ex relatione & ordine ſigni ad ſignatum. Vera ſunt ac manent verba inſtitutionis, ſicut ſonant. Et panis eſt corpus Chriſti, non tamen ex ſenſu Pontificio ſubſtantia, ſed ex ſenſu irrefutabili ſcripturæ ſecundum ordinationem Chriſti, atque eiuſdem & Pauli declarationem, relatiuè in vſu ſacro nouo, cui ordinatione Chriſti deſtinatus eſt & addictus. Denique ſic panis eſt corpus Chriſti, ſicut Chriſtus eſſe vt in Sacramento voluit, ſymbolo & antitypo ſigno & figura, cui in vſu ipſo & in homine vtente Sacramento iungitur, concurrente in Sacramento integro gemina ſemper manducatione: Vna Sacramentali Panis & Vini, externa typica, quæ fit ore: Altera ſpirituali corporis & ſanguinis interna, quæ fide fit & Spiritu, & qua ſola fit perceptio, participatio, atque applicatio ſignificatorum & exhibitorum: Mente in Spiritu

potiunte

potiunte ac fruente fide rebus spiritualibus, vt corpus potitur ac fruitur physicis ore. Vnio verò Sacramentalis κοινωνία est seu communio rerum cum signis, secundum verbum gratiæ & promissionis, qua res cum signis offeruntur; coniunctione non physica materiali, sed pacti ac promissi, ex ordine & analogia signi ad rem designatam. Accedente verbo ad elementum fit Sacramentum. Augustino, non sola pronunciatione verborum, sicut imaginatur ex inueterati erroris persuasione imperitum vulgus, quia hac tantùm panis à profano vsu ad sacrum alium ac mysticum transfertur: sed in vsu elementi fide intuente verbum ac promissionem, & oblata beneficia amplectente, sine qua symbola sola sumenti nuda sunt & inania signa. Sine fide enim verbum audienti sonus est inanis: Sacramenta aspicienti vt verbum visibile; inania sunt spectacula. Accessu verbi fide apprehensi elementum fit Sacramentum sumenti; non quòd ratio Sacramenti ex fide pendeat, quæ est Dei ordinatio, sed vtenti non est Sacramentum, nisi fide suum ac proprium faciat. Nec dubium est, Filium Dei in hac Cœna, tanquam Testamento vltimo, perpetuoq; monumento, Pane & Vino appellationibus corporis & sanguinis sui insignitis consecrare atque commendare fideli posteritati memoriam passionis & mortis suæ: Mansu verò pastuque corporis, & sanguinis potu, fidem veri & spiritualis fructus, præter quem frustra alium materialem, physicum aut hyperphysicum vel magicum quærimus & somniamus: atq; inhabitationem Christi in cordibus per fidem perpetuam, societatemque fide semper durantem, ac coalitum cum ipsius corpore viuum excitare, ac velut pignore certo obsignare & confirmare voluisse. Etsi enim tota Trinitas præsens coniungit se nobis vera, viua, & efficaci societate, eaque non momentanea, sed fide stabili: Filius Dei tamen, vt qui in carne nostra factus est pro nobis victima, & præcioso nos sanguine suo redemit, testatur ἐξαιρέτως *eximia quadam ratione*, in ritu Cœnæ, sacrificio sui corporis, id est, merito mactati corporis, profusique sanguinis, & totius obedientiæ, donum hoc & opus misericordiæ diuinæ partum esse: Eoque credentes per fidem non tantùm effici templa & habitacula Dei Patris, Filij, & Spiritus sancti, sed & membra Christi, id est, copulari

atque connasci corpori ipsius tam vero, quo factus est nobis, ὁμοούσιος, consubstantialis, & cui nos vicissim conformamur, per Spiritum sanctum, inchoatione tamen sola in hac vita: quam mystico suæ Ecclesiæ, suæque hæreditatis, & per hoc ipsi etiam, tanquam capiti eius glorioso, καὶ σωτῆρι, & seruatori, & in vtroque sustentari ac gestari credentes: ex vero etiam nutriri communi his cum illo nutrimento Spirituali, sed ablutos prius ipsius sanguine in Baptismo, ad incrementa progressusque in vita æterna; quod fit Deitate τοῦ λόγου, verbi, succum ac vigorem vitæ illius in nos transfundente: Spiritu sancto applicante. Hæc omnia complectitur manducatio corporis & sanguinis Christi, sed eorum quomodo fiat applicatio, paulò pòst dicetur.

Ex his liquet, qualis sit præsentia tertij gradus. Nimirum quòd sit præsentia in ministerio verbi & Sacramentorum, quo colligitur Ecclesia, & sanctificatur, sicut orat Christus: sanctifica eos in veritate tua, sermo tuus est veritas. Opera Dei, quæ sint huic gradui præsentiæ propria, & quòd adsint efficaces personæ omnes, ac per ordinata media verbi & Sacramentorum, docent testimonia scripturæ. Iohan. 6. Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Quisquis ergo audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Non quòd patrem viderit quisquam, nisi is, qui est à Deo, hic vidit Patrem. Nemo potest venire ad me, nisi datum fuerit ei à Patre meo. Spiritus est, qui viuificat. Caro non prodest quidquam. Verba, quæ ego loquor vobis, Spiritus sunt, & vita. Ioh. 1. Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. Matth. 11. Nemo nouit Filium, nisi Pater, neque patrem quisquam nouit, nisi Filius, & cuicumque voluerit Filius reuelare Iohan. 15. Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & in quo ego maneo, hic fert fructum multum. Nam absque me nihil potestis facere. Si manseritis in me, & verba mea manserint in vobis, quodcumque volueritis, petite, & accipietis. Iohan. 14. Si quis diliget me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum. Et veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Ibidem de Spiritu sancto: Rogabo patrem, & alium paracletum dabit

bit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem capere mundus non potest, quia nec videt, nec nouit eum: vos autem cognoscitis eum, quia apud vos manet, & in vobis erit. Ibidem: Paracletus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæ dixi vobis. Iohan. 15. Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit: Ille testabitur de me. Iohan. 16. Cùm venerit Spiritus veritatis, deducet vos in omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed, quæcumque audierit, loquetur, & quæ ventura sunt, annunciabit vobis. Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, quod renunciabit vobis. 1. Iohan. 3. Hæc eius est doctrina, vt credamus nomini filij eius Iesu Christi, & diligamus nos mutuò, sicut mandauit nobis. Nam, qui seruat eius mandata, in eo manet, & iste in ipso vicissim, & per hoc nouimus, eum habitare in nobis ex Spiritu, quem nobis dedit. Iohan. 6. Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille. 1. Thessal. 2. Excepistis sermonem, non vt sermonem hominis, sed (sicut verè est) vt sermonem Dei, qui efficax est etiam in vobis credentibus.

Paulus 1. Corinth 12. discrimina etiam personarum in hoc gradu, atq; effectuum & operum explicat, cùm inquit: Nemo potest dicere Iesum Dominum, nisi per Spiritum sanctum. Discrimina sunt donorum, sed idem Spiritus. Et discrimina sunt ministeriorum, sed idem Dominus. Et discrimina sunt effectorum atque operum, sed idem est Deus efficiens ea omnia in omnibus, scilicet in quibus est efficax. Vnicuique autem datur *φανέρωσις manifestatio*, seu declaratio Spiritus ad vtilitatem. Alteri in aliis & per alia dona, quæ commemorantur ordine. Sed omnia hæc efficit vnus idemque Spiritus, distribuens illa seorsim singulis, *καθὼς βούλεται, καὶ κατὰ τὴν θέλησιν αὐτοῦ, sicut vult & pro sua voluntate*, & prout cuique partitus est Deus mensuram fidei. *Χαρίσματα, dona gratiæ*, sunt omnia illa, quæ operatur & efficit Spiritus sanctus, quia *κατὰ χάριν, ex gratia*, sunt omnia, & dona gratiæ ac misericordiæ, *διακονίαι, ministeria*, sunt Filij regnantis omnipotenti maiestate, & munera ac ministeria digerentis in regno

Discrimina operum secundum personas apud Paulum.

&sacerdotio suo, ac distribuentis & imponentis, quibus vult,& quos, de sententia ac delectu arcani decreti, ad quæuis munia euocat. Ἐνεργήματα, id est, effecta & opera ipsa χαρισμάτων καὶ διακονιῶν, *donorum gratiæ & ministeriorum*, & salutares fructus, sunt Patris, qui agit & efficit omnia in omnibus, id est, cuius consilio, decreto, voluntate, & virtute tanquam causæ primæ, & fontis, atque originis, omnia fiunt ac perficiuntur, ὁ θεὸς γάρ ἐστιν ὁ ἐνεργῶν τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας: id est, *Deus est enim qui efficit vt velimus, & vt efficiamus pro bona voluntate sua.*

Ordo & causæ ministerij in vno dicto, Effici, & Fin.

Contentus his, prætereo innumera alia, adiecta gratiarum actionis forma complectente omnia, quam vsurpandam omnibus electis, Paulus præscribit Thessalonicensibus & Ephesiis. Nos, inquiens, debemus gratias agere Deo semper, quòd elegit nos ab initio, in Christo Iesu, πρὸ τῆς καταβολῆς κόσμου *antequam iacerentur fundamenta mundi,* ad salutem, per sanctificationem Spiritus, & fidem τῆς ἀληθείας, id est, in veritate agnita & apprehensa acquiescentem: Et prædestinauit nos, quos adoptaret in filios, per Iesum Christum, in sese, seu in suo arcano consilio ac decreto, cum Filio ac Spiritu sancto, suique respectu, κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, pro beneuolo affectu voluntatis suæ: Et vocauit nos per Euangelium suum, ad acquirendam gloriam Domini nostri Iesu, in laudem gloriosæ suæ gratiæ, qua nos gratis efficit sibi gratos in illo dilecto, in quo habemus per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum, ex diuite ipsius gratia. Inest his paucis verbis totus ordo ministerij, Pater, qui elegit nos ab initio, & ante iacta fundamenta mundi, in Filio, & per eundem in filios prædestinauit, ad salutem nostram scilicet æternam per Filium partam, quæ per sanctificationem Spiritus, & fidem habitam veritati contingit & applicatur gratis, sed per Euangelium vocatis. Fides enim ex auditu est, & datur ad obtinendam Christi gloriam, in gloriam gratuitæ misericordiæ Dei.

Applicatio beneficiorum Christi, in regeneratione & conuersio-

Tota ergo redemtio atque instauratio nostra, ad salutem & vitam æternam, donum est & gratiæ Patris, & dilectionis Filij dispensantis merita sua pro sua bona voluntate. Opus verò Spiritus sancti illa applicantis, per ministerium verbi & Sacramenta, fide. Cùm sit autem fides donum & opus

Dei

Dei, quæritur, qua actione & efficacia Spiritus, & quomodo se homine habente accendatur, adeoque quomodo apprehendat, sibique accommodet, & propria faciat apprehensa beneficia. Vtrum, quoad Spiritum sanctum, actione & efficacia physica & bruta, sicut Sol illuminat & calefacit: An verò coactione ex lege necessitatis Stoicæ: aut afflatu, impulsu, & raptu violento, Enthusiastico, Anabaptistico? Quò ad hominem autem, vtrum homini ocioso, nihil agenti, habentique se purè passiuè, siue vt se lapis & truncus habent, fiat impressio: vel vtrum in homine, vt in bruto, fiat mutatio physica & materialis, de contrario in contrarium, non sine sensu quidem, vt in ranis verno tempore fotis ac viuificatis, quando velut enectæ hyberno frigore obtorpuerunt, sed sine omni tamen motu, tantùm vt subiectum patiens & conuertibile, nihilq; agens eò vsq;, donec ex mutatione illa, & viuificatione tantum acquisiuerit facultatis ac virium, vt agere possit: An verò homo, vt vacuus vrceolus, infusam gratiam, & qualitatem nouam excipiat, quam, vt imbuta testa, paulatim induat ac combibat: Aut, an etiam sua natura, & ex sese, viribus innatis, cooperetur Spiritui, aut præparet, vel applicet se ad gratiam. Denique vtrum regeneratio & conuersio sit mutatio spiritualis, (quæ enim ὑπὲρ φύσιν, *supra naturæ ordinem*, sunt, huc non pertinent, sicut ostensum est) & vtrum fiat concurrentibus his tribus causis, Spiritu sancto, verbo, & viribus humanis, & agentibus singulis suo loco & ordine, quod suum est: viribus quanquam ex sese & sua natura inualidis, immò & contrà nitentibus, in aliis plus, minus aliis, vt rationalibus, tamen & inter se differentibus, eoq; ordine, quo conditæ sunt, à Spiritu sancto accensis, motis, & tractis per verbum, in auditu, & meditatione, sed liberrimè tractis, sine coactione, viua luce, & viua atque efficaci virtute actionem nouam ciente, quanta placuit lucis & virtutis mensura, sed in actione semper, & quidem in lucta ac certamine carnis cum Spiritu, id est, nouæ virtutis cum prauitate insita. In hoc delemmate, quæ duæ partes priores proponunt, scriptura manifestè redarguit, vt patebit in declaratione partis tertiæ. Illa enim per omnia consentit cum scripturæ testimoniis, & exemplis perspicuis atq; illustribus, quæ docent de Spiritu sancto, quòd

ne, non fit homine habente se purè passiuè.

cieat, trahat, illuminet, doceat, arguat, perterrefaciat, consoletur, viuificet: sit doctor, gubernator, ac paracletus, sed præsentia & actione liberrima exerente se per verbum, non in res alias, sed in hominem tantùm, cui verbum patefactū ac traditum est, & in hunc, tanquam in creaturam rationalem, habentem organa & facultates rationis & liberæ voluntatis, quanquam deprauata peccato, eoque ex sese, ad æterna bona intelligenda ac percipienda, & diuinitus mandata opere ipso exequenda, nihil habentia virium aut præsidij: talia tamen, vt viua & noua sancti Spiritus luce accendi, ac doceri, & virtute noua cieri, trahi, impelli, ac regi possint, è quibus vim lucis quidem experitur mens, in verbi diuini recto intellectu, & veritatis ac voluntatis Dei agnitione, inque omni scientia & sapientia spirituali: virtutem autem efficacem vires reliquæ in nouis & acribus motibus spiritualibus secundum verbum, in fiducia & lætitia exultante in Deo, vincente ac profligante terrores iræ Dei & peccati, Diaboli, mortis, & inferni, & proferente sese omni sermone, & opere bono.

Spiritus sancti efficacia qualis sit.

Non est Spiritus sancti per verbum efficacia afflatus aliquis auræ præteruolantis, aut impulsus externus, leuis, aut fortis, sed δύναμις vis, & facultas noua Spiritus in sensu viuo efficax, absque violentia tamen & coactione, & quidem in actione, in auditu, lectione, & cogitatione verbi, in vsu ac consideratione symbolorum, ad præscriptum verbi. Verba, quæ loquor vobis, Spiritus sunt & vita, inquit Christus. Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Item: Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrantior quouis gladio ancipiti, ac pertingit vsque ad diuisionem animæ, simul ac Spiritus, compaginumque, ac medullarum, & diiudicat cogitationes & conceptiones cordis, quod in terroribus & anxietatibus seriæ contritionis, conscientia perculsa & oppressa sensu iræ Dei & suorum peccatorum conspectu, rursusque in consolatione fidei, eluctante ex his conscientia experimur. De quibus Iere. 23. Nunquid non verba mea, quasi ignis, & quasi malleus conterens petram. Item: 1. Cor. 2. Oratio mea & prædicatio non est in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in demonstratione spiritualis potentiæ, Ne fides vestra consistat in sapientia hu-

mana, sed in Dei potentia. Item Psalm. 19. Lex Domini immaculata recreans animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Mandata Domini recta, lætificantia cor. Præceptum Domini lucidum illuminans oculos, &c. Non destruit Spiritus sanctus, sed renouat & instaurat vires à Deo conditas, & peccato sauciatas, eneruatas, ac pollutas, id est, emendat hoc quod in eis viciosum est, eo ipso ordine, quo conditæ sunt, incipiendo à mente, vt parte intelligente, & à voluntate, vt parte principe, viribus reliquis imperante, atque illa pars, quæ natura spiritualis est, ac rationis *καὶ προαιρέσεως, consilij ac voluntatis*, particeps, renouatur præcipuè in viribus ipsi propriis, luce & intelligentia, & motibus atque actionibus spiritualibus, Deo placentibus in quibus omnibus lucent initia vitæ, sapientiæ, iusticiæ, & sanctitatis æternæ. Fit enim in regeneratione & conuersione ad Deum renouatio illa, in vera Dei agnitione, ad imaginem eius, qui condidit nos, & in vera agnitione nostri, qui nihil sumus natura, nisi massa peccatrix, plena vulnerum, vlcerum, liuorum, sordium, & infirmitatum: In sincera fide, qua iustificamur coram Deo, id est, efficimur iusti, grati, & accepti Deo, fiducia misericordiæ Dei Patris, & obedientiæ ac meritorum Filij induti Christum, id est, vestiti eius iusticia per fidem, & donati cum remissione peccatorum, Spiritu sancto, ac hæreditate æterna; In iusticia & sanctitate vera, ad motus & actiones iustas, sanctas, Dei voluntati ac mandatis congruas, eidemque gratas ac placentes. Fit etiam renouatio de contrario in contrarium, qua tenebræ mentis & caligines, in erroribus & opinionibus aberrantibus ac falsis, & dubitationum conflictibus, luce verbi, ac Spiritus discutiuntur, & euidentia ac certitudine veritatis confirmatur assensus: sanatur auersio & contumacia in voluntate conuersa ad Deum, ceteræque vires *ἄλογοι*, velut in ordinem redactæ subiiciuntur menti ac voluntati regnãti in Spiritu. Sed non fit in homine ocioso, & nihil agente habenteq; se purè passiuè, tantùm vt subiectum patiens & conuertibile: Nec mutatione, aut impressione physica, passiua, bruta, sed in actione virium

Spiritus sanctus non destruit vires, sed instaurat.

luctantium & confligentium secum in duobus principiis, & duabus facultatibus contrariis; vna noua, aduentitia, sancta, spirituali, à Spiritu sancto: altera veteri, innata, & viciosa, quæ incitatur, acuitur, ac roboratur Diaboli & mundi præsidiis. Natura hominis parte vtraque, Anima & corpore & distinctis animæ viribus atque organis corporis, opus Dei est. Deprauatio, quæ accessit, à peccato est. Quod agit itaq; vi creata agit: quod viciosè & deprauatè agit, hoc est, τοῦ ἐπεισάκτου κακοῦ, *mali quod accessit siue ascititij*. Hoc ipsum autem, quatenus malum est culpæ, seu peccatum, corrigens Spiritus sanctus actione contraria per contraria, id est, virtute & actione noua spirituali, paulatim reducit animam ad priores integritatis inchoatas primitias, ac magis magisque corporis ὁρμὰς, *impetus*, & æstus inordinatos cohercet ac cohibet repressu. Eosdem & pœnis peccati, morbis quidem ac calamitatibus omnis generis obtundit ac frangit: morte verò abolet. Hæc lucta, cum primo iniens atque exordiens principio regenerationis aut conuersionis, durat per omnem vitam, vrgens & exercens alios acrius ac vehementius, mitius alios. Quid est enim pij hominis vita aliud, quàm perpetua conuersio ad Deum, in perpetua agnitione, deploratione, ac deprecatione innatæ infirmitatis ac prauitatis, lapsuumque pænè momentaneorum, & misericordiæ atque auxilij diuini imploratione, cum serio ardentiq; conatu ac studio, in certamine perpetuo, virtute Spiritus cientis ac regentis, retundens obnixu contrario insitæ prauitatis radicem, quæ nunquam ociatur aut quiescit in singulis viribus, nec quiescere potest, suis semper stimulata impulsibus, & Diaboli mundique vel lacessita, inescata, & capta retibus, vel telis sauciata? Semper luctatur homo pius cum tenebris, dubitationibus: alienis, impiis, perplexis, dubiis, sophisticè fucatis opinionibus & erroribus de Deo, & Dei verbo in mente: In voluntate cum contumacia repugnante Deo, indignante, aut fremente contra Deum in cruce & afflictionibus, odiente ac fugiente Deum, diffidente Deo, in rebus aduersis, aut in terroribus quibuscumque & vndecumque ortis, ac quærente præsidia sine Deo & prohibita, Diabolica, vel humana: In ceteris

Hominis pij vita conuersio perpetua.

viribus cum ἀταξίᾳ, *confusione*, cæco brutoq; impetu ruente, quò sua prauitate illæ feruntur, aut simul impellentibus voluntatem, contra ordinem diuinum propositum verbo, & contra Spiritum sanctum. In hoc certamine, qui eluctantur & vincunt, isti πορευόμενοι ἐν ταῖς ἐντολαῖς τοῦ κυρίου, περιπατοῦσιν ἀξίως τοῦ θεοῦ, τοῦτ᾽ ἐστὶν, ὁσίως, καὶ δικαίως, καὶ ἀμέμπτως, ἅγιοι καὶ ἀνέγκλητοι: *ambulantes in præceptis Domini, incedunt vt dignum est Dei seruis, hoc est, sanctè ac iustè & inculpatè. sancti & vacantes crimine*: Si perseuerant, saluantur. Qui succumbunt, labuntur, & peccatis contaminati offendunt Deum, nisiq; redeant ad pœnitentiam, pereunt in æternum. Qui negligentia, otio, securitate, voluptatibus, curis, & cupiditatibus honorum, dignitatum, opum, & potentiæ mundi negligunt aut effundunt: vel hostili rabie, furoribus manifestis, pertinacia immedicabili repellunt aut excutiunt Spiritum sanctum Rectorem, & viuam eius virtutem, siue sua malitia id faciant, siue Mundi, aut Diaboli persuasu vel impulsu. Hi à Deo reiecti & Diaboli laqueis irretiti, vt mancipia illius, æternæ damnationis ac mortis exordia iam in hac vita circumferunt, in Spiritu & corpore.

Offert & exhibet Deus promissa beneficia æterna per verbum, cum facultate accipiendi, in viua & efficaci virtute Spiritus, à quo, & non à nobis, est facultas applicandi se ad gratiam. Sed vires humanæ, aut illa efficaci virtute noua, in semetipsis reprimunt ac debellant, quod prauum est ac repugnans, aut, illa neglecta, indulgent, & obsequuntur carnis desideriis, vel repulsa illa etiam aut abiecta, spiritui aduersantur ac refragantur. Quicquid benè fit & rectè, id à Spiritu est. Quod malè & improbè, Deoque displicens, hoc à carne, Diabolo, & mundo proficiscitur. Qui assentiuntur & obsequuntur Spiritui sancto, virtute eiusdem id faciunt, non sua; nec tamen sine actione, sine conatu & annixu in virtute Spiritus. Qui verò repugnant, sua malitia aut contumacia repugnant, aut alia sua culpa aliqua, donum impertitum obruunt, negligunt, aspernantur, amittunt: Spiritum sanctum expellunt, sicut dicitur 1. Thess. 4. Qui hæc reiicit, non reiicit hominem, sed Deum qui etiam dedit nobis Spiritum suum sanctum. Neutiquam vult nos Deus securos, non ociosos, non ignauos, non deditos esse cupidita-

Deus offert & exhibet beneficia sua verbo, cum facultate accipiendi.

tibus carnis, aut artibus & delitiis mundi, sed vult nos, velut in acie perpetua collocatos præliari aduersus hostes non minus internos ac spirituales, quam externos & obuios. Nihil ociosum, nihil merè passiuum agnoscit scriptura, in homine conuertendo & conuerso. Etsi enim totum opus vt redemtionis, sic reparationis generis humani, & eius, quæ fit in regeneratione atq; conuersione applicationis, donum est Dei, & Spiritus sancti ἐνέργημα, *effectum*, nusquam excluditur tamen actio virium humanarum illa, quam dixi in lucta contrariarum facultatum fieri, in qua, superante Spiritu, & fide, aduersaq; retundente, applicatio consistit. Omnis enim fit in & per actionem, & luctam, in qua, victoria Spiritus saluat: victoria carnis perdit, & præcipitat in exitium. Ideoq; præcipitur & exigitur actio, attentio, vigilantia, cura, conatus, studium, & velut in hypotyposi, subiicitur, oculis certaminis illius ac periculorum magnitudo, descriptionibus illustribus, & parabolis, vt augeatur & acuatur studium, audiendi, legendi, discendi, meditandi, exercendi fidem & inuocationem, cauendi insidias, & elidendi tela Diaboli, auersandi ac declinandi occasiones à mundi artibus, & moribus, & consuetudine prodeuntes. Qui enim dat velle, dat etiam perficere, sed per eadem media ordinata, & eodem ordine applicationis.

Testimonia de actione virium humanarum & lucta.

Ista omnia ex sequentibus scripturæ dictis clarè demonstrãtur & elucescunt Marci I. Agite pœnitentiam, & credite Euangelio. Matth. 13. Qui habet aures ad audiendum audiat. Marc. 7. Audite, & videte quid audiatis. Mar. 7. Audite me omnes, & intelligite. Matt. 24. Qui legit, consideret. Psal. 32. Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Psal. 95. Hodie si vocem eius audiueritis, nolite obturare corda vestra. Paulus septimo & octauo cap. ad Rom. postquam declarauit dissidium & conflictum inter carnem & Spiritum, illustri collatione inter se vtriusq;, concludit tandem suo exemplo: Delector, inquiens, lege Dei, quoad interiorem hominem, sed video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis, &c. Ad Rom. cap. septimo; Intelligentia carnis, mors est. Intelligentia verò Spiritus, vita & pax. Propterea quòd intelligentia

gentia carnis, inimicitia est aduersus Deum. Legi enim Dei non subiicitur, ac ne potest quidem. Ergo qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Ibidem: Debitores sumus, ne secundum carnem viuamus. Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Sed, si Spiritu actiones corporis mortificabitis, viuetis. Quotquot enim Spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei. Ad Roman. sexto; Non regnet peccatum in mortali corpore vestro, vt obediatis peccato in cupiditatibus corporis. Neque sistite membra vestra arma iniusticiæ peccato: Sed sistite vos Deo, vt ex mortuis viuos, & membra vestra arma iusticiæ Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur. Roman. 12. Non configuremini seculo isto, sed transformemini per renouationem mentis vestræ ad hoc, vt probetis, quæ sit voluntas Dei bona, accepta, & perfecta. Ibidem: Non sapiat quis vestrum, supra quàm oportet sapere, sed sapiat ad sobrietatem, prout cuiq; Deus partitus est mensuram fidei. Roman. 13. Abiiciamus opera tenebrarum, & induamur armis lucis. Ephes. 3. Renouamini Spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iusticia & sanctitate. Eph. 5. Eratis olim tenebræ: nunc autem lux estis in Domino. Vt filii lucis ergo incedite. Nam fructus Spiritus est in omni bonitate, & iusticia, & libertate. Col. 3. Mortificate membra vestra terrestria, scortationem, impuritatē, mollitiem, cupiditatem malam, & auaritiam, quæ est idololatria, ob quæ venit ira Dei in filios cōtumaces. Deponite vos hęc omnia. Et induite nouum hominem, qui renouatur in agnitionē congruentem imagini eius, qui ipsum condidit. Gal. 5. Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficite. Caro enim concupiscit aduersus Spiritum, & Spiritus aduersus carnem, hæc inter se opposita sunt, vt nō faciatis, quæcumq; volueritis. Hæc dicta, & similia alia apertè testantur, quæ sit ratio & conditio virium humanarum in conuersione, & quòd ocium non agant, nec se habeant purè passiuè. Quòd autem facultas effectrix omnis sit à Deo per Spiritū, antè citata dicta docēt. Spiritus S. vt opificis plerumq; fit mētio expressa. 2. Cor. 3. Fiduciam huiusmodi habemus apud Deum, per Christū, non quòd idonei simus ex nobis ipsis, ad cogitandū quidquam, velut ex nobis ipsis, ἀλλ' ἡ ἱκανότης ἡμῶν ἐκ τοῦ θεοῦ,

quòd idonei sumus, id ex Deo est, qui fecit etiam, vt idonei essemus ministri Noui Testamenti, non literæ, sed Spiritus. Litera enim occidit: Spiritus autem viuificat 1. Cor. 2. Nemo nouit, quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei. Nos verò non mundi Spiritum accepimus, sed Spiritum, qui est ex Deo, vt sciamus, quæ Deus ex gratia nobis præstitit. Animalis homo non percipit ea, quę sunt spiritus Dei. Sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter diiudicantur. At spiritualis diiudicat omnia, &c. 2. Cor. 5. Deus est, qui nos ad hoc condidit, qui & dedit nobis arrabonem Spiritus. Eph. 5. Ne tristitia afficiatis Spiritum sanctum Dei, per quem obsignati estis in diem redemtionis. 1. Thess. 5. Spiritum ne extinguite. Item; Nolite locum dare Diabolo. Iacob. 4. Resistite Diabolo.

Contumacia resistentium Spiritui S.

Considerentur & testimonia de contumacia contranitentium Spiritui sancto. Esa. 65, & 66. Pro eo quod vocaui vos, & non respondistis mihi: locutus sum vobis, & non audiuistis: sed faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui, elegistis pro eo, &c. Ier. 5. Erudire Ierusalem, ne fortè recedat anima mea à te. Interrogate de semitis, quæ sit bona, & ambulate in ea. & dixerunt; Non ambulabimus. Audite vocem tubæ, & dixerunt, Non audiemus. Ier. 7. Locutus sum ad vos, manè consurgens & loquens, & non audiuistis. Vocaui vos, & non respondistis. Præcepi vobis, Audite vocem meam, & ero vobis Deus. Misi ad vos seruos meos Prophetas per diem, consurgens diluculo & mittens: Sed non audierunt me, nec inclinauerunt aurem suam, sed indurauerunt ceruicem suam: Indurauerunt faciem suam, & noluerunt reuerti. Ier. 32. Verterunt ad me terga, & non faciem, cùm docerem eos diluculo, & erudirem, & nollent audire, vt acciperent disciplinam. Oseæ 8. Erudiui eos, & cogitauerunt super me malitiam. Zach. 7. Posuerunt cor suum sicut adamantem, ne audirent verbum & legem Domini. Psal. 81. Audi populus meus, & contestabor te. Israel vtinam audires me. Sed non audiuit populus meus vocem meam, & Israel non voluit me. Et dimisi eos, secundum desideria cordis eorum: Ibant in adinuentionibus suis. Ier. 16. Vos peius operati estis, quàm Patres vestri. Ecce enim ambulat vnusquisque post prauitatem cordis sui mali, vt me non audiat.

Chri-

Christus Ioh. 5. Scrutamini scripturas, quia in eis putatis vos habere vitam æternam. Et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me, sed vos non vultis venire ad me, vt vitam habeatis. Ioh. 8. Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Sermo meus non habet locum apud vos. Vos facitis, quod vidistis apud patrem vestrum, vos ex patre Diabolo estis, &c. Item: vos verbum Dei non habetis in vobis manens, quia, quem misit ille, huic vos non creditis. Matth. 23. Ierusalem quoties volui congregare filios tuos, sed noluisti. Esa. 63. Ipsi prouocauerunt eum ad iracundiam, & afflixerunt Spiritum sanctum eius, & conuersus est eis in inimicum. Acto. 7. Hic est, qui fuit in solitudine cum Angelo, cui noluerunt obedire patres vestri, sed repulerunt auersi cordibus suis. Item: vos semper resistitis Spiritui sancto. Sicut Patres vestri, ita & vos. Hæc contumacia in aduerso conatu, renixuq; perseuerante contra Spiritum sanctum, recusans audire, cognoscere, & amplecti veritatem, vel agnitam, atq; approbatam, aut repudians, aut oppugnans in eo cœtu, cui sonat verbum Dei, ex illorum peccatorũ numero est, quæ Christus complectitur nomine blasphemiæ: de qua pronunciat, quòd omne peccatũ & blasphemia remittatur hominibus: blasphemia verò in Spiritũ non remittetur. Et quisquis locutus fuerit aduersus filium Dei, quòd id remittetur ei: Qui autem locutus fuerit aduersus Spiritum sanctum, nõ remittetur ei, neq; in hoc seculo, neq; in futuro. Si ergo renixus est in talibus hominibus & reluctatio Spiritui obsistens, huius etiam in eis vt actio aliqua sit necesse est, quam propter pertinaciter exclusam, siue odio furoreq; Diabolico, siue Cyclopico, aut Epicureo contemtu, siue desperatione de Dei misericordia, siue hypocritica securitate, rei fiunt peccati illius summi, quod non expiari, & veniam consequi nullam potest.

Concurrunt itaq; in spiritualibus semper hæ tres causæ in homine, Spiritus sanctus efficaciter mouens virtute noua spirituali, per verbum, vires humanas, mentem ac voluntatem: accendens in illa lucem nouam: In hac ciens nouos motus & actiones, virtute noua. Et agunt singulæ suo loco & ordine: vires humanæ vt subiectum, in quod se efficacia Spiritus per verbum expromit, quo vult metro, sed incitatæ, vt

Spiritus sanctus, verbum, & vires humanæ semper concurrunt in Spiritualibus.

dixi, à duobus principiis contrariis. Vno innato prauo, altero aduentitio nouo Spiritus sancti ex huius virtute & ductu. Et in certamine perpetuo peragentes, quod rectum est, ac bonum, ad Dei gloriam & salutem nostram victoria Spiritus: quod aduersum verbo ac spiritui, victoria carnis ex sese, aut ex instinctu & præsidio Diaboli & mundi, in Dei contumeliam & hominum perniciem. Nec aliter fit applicatio beneficiorum Christi in regeneratione, conuersione, ac renouatione hominis spiritualis, quàm hoc modo. Crescit autem nouitas in sapientia & intelligentia spirituali, in iustitia & sanctitate vera, & in omni robore spirituali, secundum gloriosam vim Spiritus, quæ confertur credentibus. In his igitur crescit precationibus ardentibus, studio, vigilantia, circumspectione, certaminibus internis & externis, cum iis, quos dixi, hostibus, carne, Diabolo, & malis hominibus, tolerantia in cruce & afflictionibus, exercitiis, assiduis in omni cogitatione, sermone, & opere bono, sicut ostendit parabola de talentis, & docet dictum: Habenti dabitur, à non habente etiam quod habet, auferetur. Habenti, id est, defodienti aut negligenti talentum suum, sed illud vsu assiduo benè collocanti in vsum & commodum aliorum, suo cum fœnore. Idem etiam deinceps superinduetur, id est, maiore luce perfundetur, & donis ornabitur ac cumulabitur maioribus in vita æterna, cuius consequendæ atq; obtinendæ causa, ministerium verbi & Sacramentorum in hac vita institutum est, quod cessabit, quando coram se Deus nobis ostendet & communicabit.

In hac vita quomodo ædificentur sancti.

In hac vita autem sancti, vt electi, apud Deum, ac preciosi, ædificantur per Ministerium, vt fiant domus spiritualis, domus & Ecclesia Dei viui, columna & stabilimentum veritatis: Christi corpus, cuius ipse est caput, & Ecclesia, quam ita dilexit, vt semetipsum pro ea traderet, vt eam purgatam lauacro aquæ per verbum sanctificaret, sisteretq; sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam, aut quidquam eiusmodi, sed vt sancta esset & inculpata: vt fiant ipsi singuli templa & habitacula Dei, membra Christi, domicilia, & organa Spiritus sancti, genus electum, sacerdotium regale & sanctum, ad offerendas spirituales hostias, acceptas Deo per Iesum Christum: Gens sancta: Populus quem sibi Deus

vt pro-

vt proprium vendicat, vt prædicent virtutes illius, qui nos vocauit eductos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filij sui, in lucem admirabilem, ad participandam sortem sanctorum. A quibus, quæ fiunt ἔργα ἀγαθὰ καὶ καλὰ, opera bona & honesta, sunt καρποὶ τοῦ πνεύματος, fructus Spiritus, & ἔργα τῆς μετανοίας, opera pœnitentiæ scilicet omnia illa, quæ Deo præstantur, & hominibus secundum normam immotam præceptorum Dei, in Spiritu, qualia sunt, quæ recitat Paul. ad Roman. Gal. & Colos. Fides, Spes, Charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, mansuetudo, temperantia, modestia, misericordia, tolerantia, precatio. gratiarum actio, denique dilectio, quæ omnia complectitur, vt obedientia erga Deum, secundum omnia mandata, & vinculum perfectionis. Quæ discedunt à regula verbi diuini opera, aut cum ea pugnant, sunt ἔργα τῆς σαρκὸς καὶ τοῦ σκότους, opera carnis & tenebrarum, ab hominum malitia & Diabolo, cuiusmodi sunt, adulterium, scortatio, impuritas, proteruia, idololatria, præstigiæ Diaboli in veneficiis & incantationibus, inimicitiæ, lis, contentiones, dissidia, hæreses, inuidiæ, cædes, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ commemorat Paulus describens extremorum dierum tempora periculosa. Erunt homines sui amantes, auari, gloriosi, superbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, impuri, affectuum humanorum expertes, implacabiles, calumniatores, intemperantes, immites, minimè amantes bonorum, proditores, præcipites, inflati, voluptatum amantes potius, quàm amantes Dei, habentes formam pietatis, sed vim eius abnegantes. Hos præcipit Apostolus auersari.

Quantum autem sit odium Diaboli aduersus Ecclesiam, quanta potentia: quibus modis insidietur sanctis, quibus petat & adoriatur eos artibus ac molitionibus: quantum sæuiat furoribus & mendaciis manifestis, & violentia quanta, ac tyrannide, non modò in membra Ecclesiæ & Christo addictos, ac veritatem eius, & gloriam doctrinæ assertione atque confessione propagantes, contra Diaboli præstigias, sophisticen, & mendacia, id docent testimonia scripturæ, & historiarum, atque experientiæ perpetuæ documenta Christus ipse, vt caput Ecclesiæ, suo probauit

Diaboli opera in Ecclesia.

exemplo; Diaboli tentationibus expositus ac permissus; quid sit illud: Serpens insidiabitur calcaneo illius, & quantum, qui capiti non pepercit, ex permissu tẽtet aduersus corpus ipsius ac membra. Luc. 22. inquit Christus ad Petrum. Satanas appetiuit vos, quos ventilaret, sicut triticum; sed ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua. Matth 24. Surgent Pseudochristi & Pseudoprophetæ, & edent signa magna & miracula ita vt seducãt etiam, si fieri possit, electos. 1. Petri 5. Sobrij estote, vigilate. Nam aduersarius vester Diabolus tãquam leo rugiens obambulat, quærens, quem deuoret: cui resistite firmi per fidem. Ephes. 6. Corroboramini per Dominum & forte ipsius robur. Induite vniuersam πανοπλίαν, *vniuersam armaturam*, Dei; vt possitis stare aduersus insidias Diaboli: vt possitis resistere tempore aduerso, & omnibus confectis stare. Assumite scutum fidei, quo possitis omnia ignita tela Mali illius extinguere. Non est enim vobis lucta aduersus sanguinem & carnem, sed aduersus principatus, & aduersus potestates, aduersus Dominos in mundo, & rectores tenebrarum seculi huius, aduersus spirituales malitias, quæ sunt in sublimi.

Exemplorum plena est omnis historia, ætas omnis, sed illustriora nulla sunt illis, quæ acciderunt inde vsq; ab initio vniuersalis illius ἀποστασίας, *defectionis à doctrina veritatis*, per totum orbem Christianum, quam pepererunt furores blasphemiæ, & tyrannidis Mahometicæ in Asia & Aphrica, persona Christi contumeliose oppugnata, ipsoq; eiecto penitus atq; excluso & profligatis scriptis Propheticis & Apostolicis: Corrupta verò & impia dogmata, abusus verbi & Sacramentorum, superstitio, idololatria, & sub religionis ac hierarchiæ nomine introducta in Ecclesiam, tyrannis Pontificia in conscientias crudeli carnificina excruciatas, in corpora, fortunas, Regna, & Principatus in Occidente, veritate doctrinæ, & gloria meritorum atque officij Filij Dei deprauata, obscurata, proiecta, & conculcata, cultuque ipsius in sanctos, & idola, in statuas, imagines, & panem consecratum translato, spoliatu nefando.

Regnum Mahometicum & Pontificiũ. Hæc duo regna non sunt ordinata à Deo, sed Dei permissu, sicut prædictum fuit oraculis Spiritus sancti, in pœnam detestandæ ingratitudinis mundi, pro summis beneficiis

tiis, missi in carne nostra filij vnigeniti ad redemtionem nostri, per mortem & sanguinem suum, à potestate tenebrarum Diabolicarum, à cæcitate ac furoribus Ethnicis, peccati, Diaboli, & mortis æternæ: & ad restitutionem atque instaurationem nostri; per ministerium verbi sui, ac Spiritum sanctum visibiliter effusum in primam Ecclesiam. In pœnam itaq; ingratitudinis, pro his tantis donis, excitata sunt à Diabolo, & opposita regno Filii Dei, cum fastidio salutaris doctrinæ ac cõsuetudinis in Ecclesia, & dulcedine tenebrarum, nouarum opinionum, superstitionum, & abusuum alludentium ad affectus humanos, & rationi blandientium, quæ paulatim autore Diabolo irrepserunt: homines auerterunt se aut à Filio Dei penitus, vt factum est in oriente, aut à luce veritatis ad tenebras offusas doctrinæ, quæ fulsit in prima Ecclesia, & ritibus vsui bono comparatis, vt omnia fierent *εὐσχημόνως, καὶ κατὰ τάξιν, decenter & ordine.* Denique cùm cresceret & ingrauesceret in Asia & Aphrica licentia & audacia fingendi quiduis doctrinæ Apostolicæ puritati de Christo Deo & homine aduersum: In Europa, à peregrinarum & superstitiosarum gentium, infusione & commixtione distracta in regna, & gentes plures ac diuersas, & occupata: cùm cresceret ergo in his, qui præerant, Romanis Episcopis, *ἐθελοθρησκεία, cultus voluntarius*, & dominandi cupiditas: in promiscua & confusa multitudine & doctrinæ ac consuetudinis antiquæ puræ imperita, *τῦφος καὶ δεισιδαιμονία, fastus & superstitio*, quæ solis externis reb. ritibus, ac personis præclara specie ostentatis adhærens, ex hypocrisi innata, *μόρφωσιν τῆς εὐσεβείας, speciem pietatis*, amplectitur ac præ se fert, *δύναμιν vim*, eius ignorat. Ab hac enim aphorme, quæ tacitè initiò ac paulatim irrepsit ac serpsit, mox se deinde ac subitò diffudit, & inualuit superstitio: hæc verò cum iactura & interitu veræ doctrinæ, in abusum etiam rituum, & idololatriam erupit atque euasit: ista se tandem prætextu falso, in Monarchiam cœlo terræq; imperantem extulit.

De duobus regnis Christi, vniuersali & spirituali, in Ecclesia.

De hac priusquam dicam, repetam aliquid de regno Christi, omnium Domino, de quo testatur ipse, adducens testimonium patris in operibus miraculosis, quæ edidit, inquiens, Matth. 11. Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Matth. vlt. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.

Acto.& Rom.10.constitutus est super omnia. Dominus est omnium. Ephes.1.collocauit eum ad dexteram suam in cœlestibus, longè supra omnem principatum, & potestatem, & potentiam, & dominium, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc seculo, verùm etiam in futuro. Et omnia subiecit eius pedibus: Eumque constituit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, & complementum eius, qui omnia implet in omnibus. Philipp.2. Extulit eum Deus supra omnia, ac donauit ei nomen, quod est supra omne nomen, vt ad nomen Iesu omne genu se flectat cœlestium ac terrestrium, & subterraneorum; omnisq; lingua confiteatur Dominum esse Iesum Christum ad gloriam Dei Patris Colo.2. Caput vocatur omnis imperij & potestatis. Et 17. Apoc. Agnus vincet illos, quoniam Dominus dominorum est, & Rex regum, & qui cum illo sunt vocati, & electi, & fideles.

De solo itaq; Christo, Deo & homine, cùm pronunciet Scriptura, quòd super omnia sit constitutus: nec illa potestas vlli tribuatur creaturæ spirituali, vel corporeæ: Quàm sit vera vox mendacis Diaboli iactantis, sibi tributa esse omnia regna mundi, & se illa tradere, quibus velit, ostendit vox Christi, qui est ipsa veritas. Iste autem Dominus omnium Iesus Christus aliter administrat rerum naturam, & in societate generis humani politias, monarchias, principatus & potestates, quorum respectu Rex regum, & Dominus dominantium nuncupatur: aliter Ecclesiam suam, cuius est & vocatur caput, & ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς καὶ σωτηρίας, καὶ σωτὴρ, *dux & author vitæ ac salutis, & seruator*. Ante incarnationem, cùm esset Ecclesia alligata ritibus certis externis ad gentem certã, propter Messiam ex ea nasciturum, coniunxit Deus politiæ hierarchiam, sed ordine diuerso, & distinctis legibus, personis, muneribus, vsu, & fine, qui in hierarchia spectabat Deum immediatè: in politia gubernationem salutarem populi. Hierarchia, quanquam certis constabat legibus, ritibus, ac personis, & regebatur ab vno sacerdote summo ἐργοδιώκτῃ *operis exactore*: tamen Magistratui suberat politico, qui Iudicum tempore euocabatur diuinitus, ex qua Deo placebat, tribu, ne quidem sacerdotali, prætèrita: Aristocratia verò in Monarchiam conuersa, erat sub imperio posterorum Dauidis.

In populo Israel Deus & hierarchiam & politiam constituit.

Dauidis, vsque ad confusionem sub Asmoneis seu Maccabeis, qui vtramque potestatem, regiam & sacerdotalem traxerunt ad se. Post incarnationem diuulsit ac separauit hierarchiam à politiis & regnis Mundi. Et in Ecclesia regnum constituit spirituale tantùm, quod inquit, de hoc mundo non esse, etsi in mundo sit, neque gubernationem habere cum regnis mundi communem. Hoc sibi retinuit & vendicauit soli, vt in eo regnet potenter & efficaciter Spiritu suo sancto, quemadmodum expositum est. Non mutat, nec abolet Christus regna Mundi, & ordinationes politicas: sed sancit ac stabilit, & Ecclesiam his subiicit. Date Cæsari, inquiens, quæ sunt Cæsaris, & Deo, quæ sunt Dei. Nullum verò tradit Ecclesiæ imperium, nullam potestatem politicam. Et Ecclesiæ seruientes ac ministeriis sacris fungentes vult abstinere à ciuilibus muneribus, & fugere onera impeditæ ac laboriosæ gubernationis politicæ, cuius curæ nec pares esse, nec vacare, vt fieri oportet, animo in diuersa distracto possunt. Damnat & omnem ambitionem superbam, efferentem se supra alios, aut dominia affectantem. Matth. 20. Scitis Principes gentium in eas dominari, & qui magni sunt, ius in eas, & potestatem habere. Verùm non erit ita inter vos. Sed quicumque voluerit inter vos magnus esse, sit vester minister: Et quicumque voluerit inter vos primus esse, sit vester seruus. Qui maximus est inter vos, sit sicut qui minimus est, & qui princeps est, sicut qui ministrat. Iohannis 20. Sicut misit me Pater, sic ego mitto vos. Testatur autem, se ad regnum politicum in hoc mundo non esse missum. Apostoli deinceps auditoribus præcipiunt suis, vt obediant Magistratui politico, & pro hoc ad Deum vota faciant. Paul. 13. ad Rom. Quæ sunt potestates, à Deo sunt ordinatæ. Quisquis itaque potestati resistit, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi condemnationem accersunt. 1. Pet. 2. Subiecti estote omni humanæ ordinationi, propter Dominum, siue Regi, vt qui supereminet, siue præsidibus, qui per eum mittantur, cùm ad vltionem maleficorum, tum ad laudem rectè agentium, quoniam ista est voluntas Dei, vt benè agendo frenetis amentium hominum ignorantiam.

Post incarnationem separauit Christus Ecclesiã à politiis.

Regnum Christi in Ecclesia spirituale.

Paulus ad Rom.13. διακόνους, *ministros*, vocat, ac λειτουργοὺς θεοῦ, *munere publico fungentes diuinitus*. Item, 1. Timo.2. Adhortor, vt fiant preces pro Regibus, & omnibus in eminentia constitutis, vt tranquillam & quietam vitam degamus, cum omni pietate & honestate. Ad Tit.3. Suggere ipsis, vt sese subiiciant principatibus & potestatibus, vt obtemperent, vt ad omne opus bonum sint parati.

Christus sustulit politiã Iudaicam.

Adhæc sustulit Christus politiam Iudaicam totam, & χρήματα seu forensia abrogauit; ne, si superessent ac vigerent, obligari illis Ecclesiam quis opinaretur. Nec alligauit Ecclesiam ad vllam gentem certam, sicut antea, sed soluto intergerini parietis septo, sublatis & abolitis inimicitiis, id est, lege mandatorum, quæ in ritibus posita est, gentes omnes sine discrimine, qui absque Christo alieni erant à Repub. Israelitica, & extranei à pactis promissionis, sine spe, Dei expertes, adduxit ad Ecclesiæ societatem, & ex vtrisque condidit in semetipso vnum nouum hominem, corpus vnum, in quo gentes, non hospites amplius, & inquilini, sed conciues essent sanctorum, & domestici Dei. Multò minus inclusit aut astrinxit Ecclesiam certo alicui loco. Veniet tempus, inquit, quando neque in hoc monte, neque in Ierusolymis adorabitis patrem. Veniet hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in veritate & Spiritu, Item: Luc. 17. Regnum Dei non venit μετὰ παρατηρήσεως, cum obseruatione, vt quæratis hîc, vel illic, sed intra vos est, Tales enim quærit pater, qui est Spiritus. Ideò eos, qui adorant, in Spiritu & veritate adorare oportet. Cùm ergo amouerit & eiecerit ex Ecclesia omnia politica priora, & subiecerit eam potestati illorum, qui secundum leges politicas, & iura gentium corporibus ac rebus præsunt, non voluit vllum esse in Ecclesia imperium politico simile.

Iohan. 4.

Christus aboleuit hierarchiam in populo Israel.

Sustulit verò & hierarchiam Leuitici ordinis, in personis, & ritibus externis, ac ceremonijs, in quibus, peruersissimo errore, iusticia æterna posita putabatur, vnde δικαιωμάτων *Iurium*, nomen est. Nec summum sacerdotem & Pontificem vllum Aaroni similem pro illo Ecclesiæ præfecit. Nec ritus nouos externos condidit Leuiticis similes. Nec vlli in terris delegauit locum suum & vices. Nec vlli fecit potestatem, aut mutandi à se tradita, aut præscribendi atque

impo-

imponendi Ecclesiæ alia, authoritate pari, cum vinculo necessitatis, & opinione meriti, iusticiæ, aut cultus: multò minus decernendi & statuendi diuersa suis, aut prorsus contraria. Deniq; non alligat Ecclesiam, ad vllam authoritatę humana constitutam, & ordinaria successione personarum, vt Episcoporum, propagatam potestatem: neq; ad vllas traditiones, quanquam boni ordinis causa conditas, si obseruatione æquentur diuinis. Sed solus ipse est, & manet caput catholicæ, hoc est, vniuersæ Ecclesiæ, in toto orbe terrarum, vbicumq; est. Si enim duo aut tres sunt congregati in nomine meo, inquit, in medio ipsorum sum. Ipse regit & seruat eam. Ephes. 1. 4. & 5. Col. 1. Ipse dat Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores, & Doctores: Ipse solus est Ecclesiæ sponsus. 2. Cor. 11. & Ephes. 5. Ipse solus princeps pastorum, & summus Pontifex. 1. Pet. 2. & 1. Pet. 5. ad Heb. 6. 7. & 9. semper viuens, vt interpellet pro nobis, Rom. 8. & Heb. 7. & 9.

Ecclesia alligata ad fundamentum Prophet. & Apost.

Alligat autem Ecclesiam ad fundamentum Prophetarum & Apostolorum, cuius imus lapis angularis ipse est, & ad ministerium verbi & Sacramentorum, eo, quo instituit, modo: Ite, docete, prædicate pœnitentiam in nomine meo, quorum remiseritis peccata, remittentur eis: quorum retinueritis, eis retenta erunt. Baptisate in nomen Patris, Filij & Spiritus sancti. Celebrate testamentum Domini, &c. De ritibus externis inquit Paulus Rom. 14. Regnum Dei non est esca & potus, sed iusticia, & pax, & gaudium per Spiritum sanctum. Col. 2. Nemo vos damnet ob cibum vel potum, aut respectu diei festi, aut nouilunij, aut Sabbathorum. Sic describitur Regnum Christi spirituale in Ecclesia, in quo, qui sunt viua ipsius membra, sunt opus Dei conditi in ipso, ad opera bona, in omni bonitate, iusticia & veritate, quæ præparauit Deus, vt in eis versaremur.

Regnum Christi vniuersale.

De Regno Christi vniuersali super omnia, à quo est & vocatur Rex Regum, ac Dominus dominantium, Psal. 110 inquit, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Paul. 1. Cor. 15. Deinde erit finis, cùm tradiderit regnum Deo & Patri: cùm aboleuerit omne imperium, & omnem potestatem & virtutem. Nam oportet eum regnare vsque quo omnes inimicos subiecerit pedibus eius. Act. 2. & 3. dicitur

constitutum eum esse Dominum & Christum, & cœlo susceptum, vsq; ad tempora restitutionis omnium. Cùm sit ergo Dominus omnium, & sustineat omnia verbo suo potente, ipse ergo regna mundi in sua habet manu ac potestate. Ipse constituit, mutat, & transfert illa, sicut ostensum est suprà, aut per se, aut permissu suo. Quæcumque enim sunt regna ordinata, legitima, & salutaria, id est, honestis & iustis legibus, ordiniq́ue diuino consentientibus constituta, gradibus hominum atque officiorum honestæ ac salutari gubernationi accommodatis & necessariis distincta, & omni genere officiorum atq; operarum necessariarum vitæ inter se consociata ac deuincta, sub Magistratu etiam legibus obtemperante, & secundum normam harum imperante: & in his, quæ secundum leges ordinatè geruntur, ac fiunt ex hominum salute, illa à Christo sunt. Quidquid verò (vt sæpe repetitum est) quoquo modo contra ordinem diuinum fit, contumeliosum in Deum, & societati generis humani exitiosum, Diaboli opus est.

Mahometicum & Pontificium duo regna Christo contraria.

Contra hæc ergo duo regna Christi excitauit eodem artificio Diabolus, quo suum initiò adeptus est, defectione scilicet, duo alia inter homines hostilia regna, Mahometicum & Pontificium. Quid est enim horum vtrumq; quàm blasphemia in Deum, latrocinium grassans, & eorum, quæ benè constituta fuerunt, vastatio; A Mahometicis contumelia ac vi manifesta: A Pontificiis vtraque itidem, contumelia ac violentia, sed sub blandæ meretricis forma ac specie, sophistices ac præstigiarum mendacium fuco vestitæ ac comtæ? Quid est enim, aut fuit inde vsq; ab initio Regnum Mahometicum aliud, quàm horrendus & blasphemus furor in Filium Dei? Quo verò ille se effudit effectu & euentu alio, quàm omnium eorum, quæ fuerunt bene rectéque in Ecclesiis & politiis Asiæ atque Aphricæ, doctrina pietatis Christianæ, & Romanis aut propriis legibus fundata ac sancita, deuastatione, oppressione, eradicatu? Quid fuit Regnum Sarracenicum aliud, quàm immanis in perpetua militia crudelitas ac sæuitia, quæ cum sanguine Christiano expleta esset ac satiata, se tandem in viscera mutua conuertit, qua demum est consumta? Et quanquam fracta potentia pæneque euersa, ac publicis bellis sopitis aliquantulum,

Regnum Sarracenicum.

alicubi in Aphrica, vt Maroci & Fesis, tandem & in Hispania Cordubæ studia philosophica, physica imprimis, medica, & mathematica ex Alexandrinæ scholę reliquiis, ac librorum Græcorum monumentis sunt restituta: tamen in omnibus blasphemia, impietas, crudelitas, sæuitia in semetipsos mutua, per latrocinia perpetua, cōfusiones teterrimæ libidinū, & scelerum aliorum infinita licentia præualuit ac dominata est. Nec illa priuata regna quidquam fuerunt aliud, quàm authore & artifice Diabolo officinæ impietatis & scelerum, & stabula latronum. Quid verò, quod successit Sarracenico Turcicum Regnum, nunc ab annis penè trecentis aliud est, quàm illi similis blasphemia, & militia vastatrix in Asia & Europa, in qua Christianorum doctrina, ac disciplina, politiis & legibus extinctis & oppressis, Mahometis decreta regunt conscientias scelerate mandantia omnem in Filium Dei blasphemiam, & concedunt licentiam atque impunitatem libidinum omnium ac flagitiorum spe veniæ, per Mahometen Diaboli organum? Militia & tota gubernatio, in tristissima & acerbissima seruitute corporum & rerum, administratur ex libitu & affectibus Tyranni, aut libidine & sæuitia cuiusq; qui pro Tyranno in armis cum satellitio militari præest? Regnum his est, & cum regno ius ac pietas in armis, quibus si exuantur, deleti præliis, quid de ipsorum *πολιτεύμασι reipub. administrationibus*, erit reliquū? Cohorresco legens encomia regni Turcici apud illos, qui id seueritate disciplinæ militaris, id est, nullis legibus circumscripta tyrannide, & omnia pro arbitrio ac cupiditate sua statuente ac faciente, regnis sapientia legum rectarum & iusticia, atq; gubernatione moderata & iusta, secundū leges florentibus anteferūt Illos verò detestor toto pectore, & execror, qui Turcos pro semichristianis etiam declarare ac commendare nō verentur, Diabolica hæc sunt, sed iusto tamen Dei iudicio decretoq; gentibus illis imposita, propter ingratitudinem erga Deum, & Dei, ac Filij Dei lucisq; diuinæ contemtu petulantissimo vsurpatam licentiam omnium, quę libuerunt, cùm nullæ commonefactiones, minæ nullæ, & denunciationes pœnarum quidquam proficerent, nec frenare petulantiam, & cohibere licentiam possent. Iudicium diuinum iustissimum est. Ipsam impietatis, libidinum, flagitiorum,

Regnum Turcicum.

licentiæ, ac tyrannidis speciem teterrimam, & durissimum seruitutis tam atrocis & immanis iugum, abripientis liberos piorum parentum, & abutentis illis ad ministeria blasphemiæ, impietatis, scelerum, & sæuitiæ in Christianos homines, in natos ex eodem cum ipsis sanguine. Illa ergo tanquam per se & sua natura recta probare, aut à Deo effecta confirmare, An hominis sit nescio, Christiani certè hominis non est. Sed hæc si inueniunt patronos & ἐγκωμιαστὰς *laudatores*, quid mirum excusari, colorari, fucari, extolli, ac stabiliri Pontificia, quæ sub velo vindicatæ ac conseruatæ personæ Christi, ac scripturæ canonicæ retentæ, vastarunt & euerterunt, quidquid fuit de Ecclesia ab Apostolis, & successoribus eorum propagata: quidquid de lacinijs, ruderibus, & fragmentis dilacerati Imperij Romani reliquum, è quibus velut de tabulis ex naufragio collectis atq; consartis emersuram Pontificis Romani authoritatem ac potestatem, & sub religionis pallio sedem imperij inuasuram, occupaturam, & obtenturam, non modò vocis diuinæ vaticiniis, sed & aliorum piorum scriptis, olim fuit prædictum.

Mahom. & Turcæ reg. quando cœperunt.

Cœpit vtrumq; circa idem tempus propemodum, non magno inter vtrumq; interuallo: Alterum Mahometicum, ab hominibus in dubitationem adductis, ac pertæsis rixarũ perpetuarum, & digladiationum, de filij Dei persona, qui caput est ac fundamentum religionis & fidei nostræ, sub Heraclio: Alterum ab hominibus superstitione, abusu antiquorum rituum, & errore de officio ac beneficiis Christi, falsaque de ritibus externis, tam ex Apostolica Ecclesiæ primæ, quàm ex Christi institutione acceptis, persuasione fascinatis atque obsessis, & adductis in admirationem sacri ordinis, Romanique Pontificis inprimis, cuius authoritatem & locus, & rapta atq; vsurpata loci ratione potentia, multum auxerat. Illo prætermisso, de hoc dicam. Inchoatum id est ab hierarchia, quam multò antè affectatam, sub OEcumenici Episcopi nomine, scelerato Imperatori Phocæ tandem extorserunt. Ab hac deuentum est ad Monarchiam orbis Christiani. Hierarchiam cœpit condere Gregorius Magnus, qui formam aliquam, & memoriam externorum rituum veterem, iam abusu superstitiose plurimùm deprauatam, & consuetudine, qua inoleuerat,

Pontificium Regnum.

uerat, confirmatam, cùm retinere vellet, & cuperet ethnicis adhuc tenebris detentos allicere ad Christianæ religionis studium, magna ex parte, quod fuit in prima & puriore Ecclesia, mutauit *καιρῷ δουλεύων, tempori seruiens.* Nouam enim publicorum rituum formam condidit, ex Iudaicis atque Ethnicis conflatam, vel potius malè consutam, hypocriticæ ostētationis plus, quàm pietatis spiritualis præ se ferentem, mutauit psallendi formam Ecclesiæ veteri vsitatam, templa Ethnica consecrauit Sanctorum memoriæ, instituit ad templa panegyres & supplicationes ritu prorsus Ethnico, confirmauit persuasionem de oblatione in Missa, & innumera alia. Ætas sequens paulatim magis magisq; discessit à norma & veritate verbi, & consuetudine rituum veterum, auxitq; errores, superstitiones, idololatricos cultus, abusus verbi & Sacramenti. Auxit & superbiam Pontificum, ac dominandi cupiditatem, quæ non prius quieuit, quàm hi penitus excusserunt è sede Imperij, & vrbe Roma, Imperatores Germanicos Henricos: reliquos omni autoritate & potestate spoliatos oppresserunt: subiugarunt & plura regna alia, vincta superstitionis fascino, & per agmina satellitij monastici, ac superstitionis, & idololatriæ vim, sub iugo & in officio retinuerunt, quod sequentibus annis factum, durauit vsque ad emendationem per Lutherum cœptam. Sic hierarchia, seu degenerauit, seu extulit sese in Monarchiam.

Huius regni, quod templum Dei, & Ecclesiam Christi inuasit & oppressit, sub titulo ac professione Christianæ religionis, si opera & fructus considerentur, iudicare facilè erit: Vtrum Christi sit, & ex Christo: An verò Diaboli sit, & ab eodem. Certè luce meridiana clarius consideranti fit cuiq;, quòd nil sit, nec fuerit hoc regnum tenebrarum aliud, quàm præstigiis & inuolucris impiæ sophistices, superstitiosæ dementiæ fascino, abusuum tetra profanitate, & audacia planè Diabolica, in dogmatibus, cultibus, & ritibus definiendis aut fabricandis, contra Christi & Apostolorum vocem ac doctrinam, mendacissimo diuinæ potestatis prætextu, furens in Filium Dei blasphemia; latrocinium sæuiens in conscientias, & ad interitum adigens æternum; Impia & immanis tyrannis, quæ conditam ab Apostolis Ecclesiam, feri apri instar, & imperij reliquias deuastare, & grassari in

Regnum Pontificium quale.

Regna, Reges, Principatus, Respub. corpora, res, & fortunas nunquam destitit, quod continua series historiarum inde à Caroli Magni temporibus, & ciuilium bellorum perpetua demonstrat, quibus ex incendiis Pontificum Italia & Germania arserunt, & quod superfuit de Imperio, pœnè conflagrauit. Sed illam recitare ac persequi nimis foret longum. Ecclesiam si quæras in agmine Pontificio, vt nunc est, non Christi Ecclesiam Catholicam, sed Romanam ac Pontificiam curiam, id est, *ἱεραρχίαν*, *sacrum dominatum*, tyrannicam reperies, mendaciis ac parricidiis oppugnantem ac vastantem ouile Christi, & nomine tamen, autoritateq́; ac potestate Ecclesiæ Christi, hæc audentem omnia, suscipientem ac tuentem. Manifestè falsa sunt, quòd Ecclesiam Romanam Catholicam & vniuersalem nominant. Agmen enim Pontificium non est Catholica Ecclesia: nec Romana Ecclesia est vniuersi orbis Ecclesia: nec curiæ Romanæ decreta, sunt decreta vniuersalis Ecclesiæ. Græcam enim Ecclesiam non prohibere coniugium sacerdotum: Nec priuatas habere missas extra monasteria: Nec institutam ab Vrbano Pontifice circumgestationem & adorationem consecrati panis: Nec decretum Romæ factum, quòd Pontifex Romanus iure diuino habeat autoritatem summam in Ecclesiis & regnis, Græciam, sicut & Asiam, constat vnquam recepisse. Immò non modò vniuersalis Ecclesia Christi, non est Romana Ecclesia, sed ne quidem pars illius vlla, quia Antichristi Ecclesia est, omnibus illis signis & argumentis, quibus Antichristus suo cum regno & agmine describitur, aduersus in omnibus, & contrarius officio, doctrinæ, cultui, & honori Christi.

Falsum est, quòd Christi Ecclesiam alligant ad sedem Romanam, & ad ordinariam Pontificum & Episcoporum successionem, autoritate humana, & consuetudine longa introductam. Blasphema sunt, quòd Pontifex se vt Deum ostentat, ac Dei nomen, potestatem, opera, & perfectionem, quæ Dei solius sunt sibi arrogat, quòd errare nõ possit, quòd tradita diuinitus interpretari pro arbitrio ac mutare, & condere articulos fidei possit, quòd sit *ἀνυπεύθυνος καὶ ἄνομος*, *non obnoxius reddendis rationibus, atq; exlex*, quòd nullius subire iudicium & censuram debeat: quòd locum, officium

& par-

& partes Filij Dei sibi sumit & vendicat, seq; potestate illi exæquatum & imperio, summum caput, & sponsum Ecclesiæ in terris militantis, summum Pontificem ac sacerdotem, œcumenicum atq; vniuersalem Episcopum, Pastorem, & Doctorem facit autoritate diuina, contra scripturam reclamātem. Blasphemia est, quòd scripturam vt ambiguam, obscuram, mancam, & imperfectam, & oracula Sibyllinis similem infamat, qua contumelia maior impingi Deo veraci & fonti veritatis non potest, vrgetq; ac stabilit traditiones humanas & ἐθελοθρησκείαν, *cultum voluntarium*: Paulo 2. Tim. 3. testante omnia ad salutem necessaria ab Apostolis tradita esse literis, & inde petenda esse: & cùm toties inculcetur, nihil addendum, nihil demendum esse. Frustra inquit Christus, colunt me mandatis hominum. Et Col. 2. damnatur ἐθελοθρησκεία, *cultus spontaneæ religionis*. Ad Gal. 1. Si quis aliud Euangelium prædicauerit vobis, anathema sit. Blasphemia est, quòd idololatriam multiplicem ac tetram, in inuocatione mortuorum hominum, & in sacrificio commentitio Missæ, inq; cultu & adoratione panis consecrati: in consecrationibus, prodigiosis mutationibus ac mendacibus, & abusibus magicis aquæ, salis, ac characterum, verbi scripti, sacri panis, in tanta luce veritatis restitutæ, tam euidenter confutati ac reuicti, mordicus tamen & pertinaciter retinere, tantaq; acerbitate & sæuitia propugnare non cessant. Cohorrescit pia mens, quando cogitat, quātum sit in his omnibus abominandæ impietatis. Nec minor est blasphemia, quòd in defendendis pingendisq; suis erroribus, quibus omnem ferè Christi doctrinam conuulserunt atque corruperunt, contra immutabilem & irrefutabilem scripturæ lucem ac veritatem, tam obstinatè perseuerant. Non desinunt enim doctrinæ de vera pœnitentia & conuersione ad Deum, & de iustificatione, qua sola, per fidem in Christum, seu fiduciam misericordiæ promissæ propter Christum reputamur iusti, & donamur remissione peccatorum gratis, sine operibus & meritis nostris, cui multi alij articuli doctrinæ & fidei Christianæ cohærent. Huic ergo non opera tantùm sophistico illitu admiscere non desinunt: sed, vt olim in caligine summa, & aliena etiam opera, ac merita, atque inter-

cessiones sanctorum, & tanquam legi Dei satisfiat, cum Pelagianis, opera indebita, & supererogationis, & canonicas satisfactiones assuunt. Et quòd beneficiorum Christi applicatio ex opere operato fiat opere sacerdotis in Missa, & in vsu Sacramentorum, Cœnæ sacræ imprimis, sine fide, illaq; applicatio, quòd mereatur remissionem culpæ ac pœnæ æternæ, horribili furore asseuerare non verentur: & vt omnem certitudinem salutis nostræ tollant, fidem, notitiam solam historiæ esse, non fiduciam, & dubitandum esse contendunt de misericordia Dei, & de remissione peccatorum. Longum foret omnia hic repetere manifestè falsa, impia, verbo Dei repugnantia in mutilatione Sacramenti Cœnæ, in prohibitione coniugij, & confirmatione impuri ipsorum cœlibatus, in interdicto ad certa tempora vsu ciborum certorum: in ieiuniis, sine pœnitentia & precibus, certis diebus: inque obseruationibus aliis superstitiosis innumeris, persuasu operis operati, & ab autoritate humana profectis, in ritibus externis in theatrica & histrionica spectacula cõuersis, in ludibriis & præstigiis Diabolicis; quibus vel Satan, vel quis ex ministerio Satanæ imposturæ imitatione per signa & prodigia falsa, ac mendacia, ex collusione, quandoq; aut comprobauit atq; confirmauit facta promissa, aut annuit atq; assensit votis petentium. Hoc verò inter omnia ista maximè blasphemum etiam, quòd, cum scripturam falsis apertè refragantem negare nec possint, nec audeant, arrogant sibi tamen titulum Ecclesiæ, & hoc, velut capite Gorgonis impia ac mendacia commenta munita, autoritati verbi Dei anteferri volunt.

Potestatem vtriusq; gladii vnde habeat Pontifex.

Vnum adhuc addo de insigni impudentia, qua nondum cessant Pontifici, gladium vtrumq;, id est, vt vocant potestatem spiritualem & secularem, & iurisdictionem vtramq; asserere autoritate diuina, & omnium regum, ac monarcharum Mundi caput ac dominum; & disceptatorem ac iudicem controuersiarum ac bellorum inter Reges, proclamare, & defendere, idq; quod affectatum semper, tentatum sæpe frustra (sicut omnium historiarum consensus docet) raptum tantum fraude ac violẽtia, nunc vsurpat ius decernendi in regnis orbis, ac statuendi, quæ vult, & creandi reges quos vult. Mendacium est manifestum, quòd à Deo illam

pote-

potestatem habeat, quia vox verbi Dei ostendit falsum, ac redarguit. Blasphemia in Deum est, quòd inter causas & ordinata media, quibus mutantur & transferuntur regna, confusione manifestè falsa, sed impietate maiore, præsul Romanus collocatur, & Deo exæquatur; immò excluso Deo, plus præsuli Romano tribuitur, quàm Deo, vt qui potestatem habeat etiam contra Deum statuendi, cui, vt causæ particulari redacto in ordinem, non plus ascribitur aut defertur, scelerata & Diabolica impietate & impudentia, quàm causis ordinatis secundis, successioni hæreditariæ, electioni, donationi, armis, &c. quasi ista à Deo non sint, pendeant, & dirigantur. Et quasi inter hos locus Pontifici sit, qui nullo iure, nec diuino, nec humano esse potest. Pontificis enim potestas, contra Deum, Filium Dei, & omnia à Deo ordinata in Ecclesia & Regnis, vnde est, nisi ab illo omnis mali autore, qui in Christi contumeliam dicit: Mihi tradita sunt hæc omnia, & cui volo, trado illa? Cuius exemplo pontifex, in Christi contumeliam ac conculcationem, & suæ potestatis eleuationem ac commendationem mendacem, vsurpat blasphemo ausu dictum Christi de se, Christo parem se faciens, Mihi omnia tradita sunt: omnis potestas in cœlo & in terra. A Diabolo patre suo & autore, (quantum tamen conferre ille potest) non à Deo, non ex Constantini donatione ficta, qui nequidem potuit alteri impertire, quæ solius Dei propria sunt, & quæ ipse nec habuit, nec habere potuit; non etiam ex acquisito vllo iure ciuili legitimo: sed à principatu in terris Monarchico, per tyrannidem, in conscientias, & fulmina bruta vt quæsito, & rapto, sic obtento, accepit illa in regna Mundi iura, quæ iactitat more & exemplo sui Patris & Magistri, cuius opera facit: quæ sunt perpetua vastatio Ecclesiæ Christi, & Regnorum Mundi. Illius in blasphemo, impio, & crudeli dominatu, per mendacia dogmata, decreta, prodigia, & per parricidia: horum per tyrannidem, & incendia bellorum intestinorum. De quibus, cùm tot eruditorum ac piorum scriptis, ex libris Ecclesiæ & historiis, autores & patroni conuicti dudum sint, semper tamen, sicut aspides surdæ, excæcatæ, & induratæ Diaboli fascino redeunt, sicut canis ad vomitum, repetentes cantilenam eandem suam, id est, Ecclesiæ autoritatem

falsò alligantes, quam talem nullam habet ex scriptura, & magis mendaci impudentia alligantes Ecclesiam ad coniuratum agmen, pro Pontifice vicario & organo Diaboli contra Christum. qui omnes, vt coniurati socij fœdere, aduersus veritatem, gloriam, & Ecclesiam Filij Dei, conspirarunt, atque hoc vnum moliuntur & agunt, vt, profligato Christo, regnet Pontifex suis decretis mendacibus & idololatricis, ac tyrannide. Quo dicto ergo Christus compellat Pontificem populi sui, Pharisæos & Scribas (ad omnes enim absentes etiam pertinet, quo præsentes affatur) omnes (inquam) hostilis odij & molitionum earundem socios eodem dicto semper affatur, Pontificem Romanum, & satellitium ipsius, Vos ex patre Diabolo estis, & cupiditates Patris vestri vultis explere. Ille fuit homicida à principio, & in veritate non perstitit. Non est enim veritas in eo. Quotiescunque loquitur mendacium, de suo loquitur, quia mendax est ac pater mendacij. Talem futurum esse Pontificem cum vniuerso suo satellitio, cùm demonstratum sit eruditorum scriptis, ex prophetiis sacris euidentissimè & nunc esse res doceat oculos: non desunt tamen, qui eludere prædicta ac testimonia diuinæ veritatis audent & conantur, errore & sophistica tam aperta, vt agnosci & iudicari ab imperitis, ac manibus palpari possit. Nolunt aspicere lucem veritatis: nec quærunt gloriam Filij Dei, sed indulgentes suis tenebris, & sui Pontificis gloriam quærentes, demonstrant inter illos se esse, quorum excæcauit mentes Deus, ne irradiet eos lumen Euangelij gloriæ Christi.

Testimonia de fructibus & operibus Regni Pontificii & exortu

Ex fructibus eorum & operibus cognoscetis eos, inquit Christus. Hæc opera cum potestate tenebrarum, mysterioque iniquitatis, & Domino ipso, cùm multis seculis antè Spiritus sanctus descripserit, & nunc renouata luce Euangelij detegat ac coarguat, agnoscere tamen in semetipsis opera illa Diaboli patris sui & emendare nolunt. Quid manifestius est, Romanum Pontificem, & Regnum eius notari ac depingi Pauli Prophetia 2. Thes. Ne quis vos seducat vllo modo. Non enim aduenict dies Domini, quin venerit defectio prius, & retectus fuerit homo ille sceleratus, filius perditionis, sese opponens: & efferens aduersus quidquid dicitur Deus aut numen, adeo vt in templo Dei, tanquam

Deus

Deus sedeat, præ se ferēs se esse Deum, &c. Et tunc retegetur impius ille, quem Dominus conficiet Spiritu oris sui, & illustri aduentu suo abolebit. Illum, inquam, cuius aduentus est ex efficacia Satanæ, cum omnipotentia, & signis ac prodigiis mendacibus, & cum omni fraude iniusticiæ in iis, qui pereunt, pro eò, quòd amorem veritatis non receperunt, vt salui fierent. Propterea mittet illis Deus efficaciam deceptionis, vt credant mendacio, vt damnentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed acquieuerunt in iniusticia. Antichristum describi his verbis, & illius regnum, & sub hominis nomine, non vnum tantum, sed totam seriem & successionem impiorum Pontificum, regnum illud tenentium & exercentium, & quidem in templo Dei, quod est non ædificium, sed cœtus hominum, nemo est qui inficiari poterit, considerans omnia. Congruunt cum hac Pauli Prophetia Danielis vaticinia, apud quem Antiochus Epiphanes typus est Antichristi, etiam ex declaratione Romani Pontificis, & Apocalypses Iohanni exhibitæ sub effigie bestiæ & Babylonis. Apoc. 13. 17. & 18. cap.

Vocat eum hominem, sceleratum, & filium perditionis, id est, & perditum, & causam interitus aliis, qui sessurus sit in templo Dei, id est, in Ecclesia, quæ est templum & domus Dei, regnaturus tanquam Deus, & pro Deo se ostentaturus. Opponet & efferet sese aduersus quidquid dicitur Deus aut numē. Idem Dan. 11. cap. ei tribuitur sub typo Antiochi, Faciet secundum voluntatem suam Rex, & extollet ac magnificabit se super omnem Deum: ca. 7. vocatur, Os loquens grandia. Item sermones contra excelsum loquetur, & putabit, quòd possit mutare tempora & leges. Faciet quod volet, blasphemus erit. Dan. 11. contra Deum deorū loquetur. Apoc. 13. loquetur blasphemiam aduersus Deum. Idololatra erit Da. 11. Deum Maozim in loco suo venerabitur, & Deū quem ignorauerunt patres eius, colet auro & argento, & lapide precioso, rebusque preciosis. Deus iste Maozim est Numen & Idolum panis. Dan. 11. Deum patrum suorum non reputabit, & erit in concupiscentiis fœminarum, nec quenquam deorum curabit, quia aduersus omnia consurget. De prohibitionibus impiis, 1. Tim. 4. Spiritus disertè dicit fore, vt posterioribus temporibus desciscant quidam à fide, Spi-

ritibus deceptoribus attendentes, ac doctrinis dæmoniorum, per hypocrisin falsiloquorum; quorum conscientia cauterio resecta est, prohibentium contrahere matrimonium, iubentium abstinere à cibis; quos Deus creauit ad participandum cum gratiarum actione fidelibus. Impudẽtia, dolus, vafricies, vanitas, superbia; successus exprimitur, Dan. 8. secundum voluntatem suam dirigetur dolus in manu eius, & cor suum magnificabit. In copia rerum omnium occidet plurimos, & contra principem principum consurget, & sine manu conteretur. Ibidem impudens facie dicitur. Crudelitas in sanctos declaratur Dan. 7. Videbam cornu illud bellũ gerere aduersus sanctos. Item: Sanctos altissimi conteret. Dan. 8. Interficiet populum sanctorum. Apo. 11. Bestia geret bellum aduersus eos, & vincet eos, & occidet eos. Apo. 17. Vidi mulierem illam ebriam sanguine sanctorum, & sanguine martyrum Iesu. Quin & tempus definitur, & modus exortus huius regni. Nam mysterium illud iniquitatis: quod occultè ac latenter, sine autoritate publica, & sine imperio inferre sese, ac velut cuniculis actis serpere cœpit. mox Apostolorum tempore, & illorum, qui his successerunt. illud collapsa ac discerpta Monarchia Romana cum vi quadam erupturum ex ruderibus imperij prædicitur, ipsiusq; locum ac sedem inter duo maria occupaturum in Babylone, quo nomine designant vrbem Romam 1. Pet. 5. & Ecclesiæ Doctores veteres, & Apocal. 14. Item: 17. & 18. cùm vrbem septicollem & rerum dominam vocat. Denique cùm meretricem sedere ait super aquis multis, hoc est, super populis & gentibus multis, sua ipsius interpretatione, & in ciuitate magna, quæ habet imperium in reges terræ. Apocal. 17. Hæc cùm & veris characteribus notisq; vitiis exprimant, & quasi digito demonstrent Regnum Pontificium; non desunt tamen, qui elusione sophistica peruertere ea, & quæ oculis obuia sunt, quæ viderunt, audiuerunt, sustinuerunt Patres nostri, & adhuc experiuntur ac ferunt ij, quibus dominatur, inficiando negare, aut excusando tueri, proque rectis & veris asserere conentur.

Autor Mysterii iniquitatis.

Autorem verò huius mysterij iniquitatis, & regni tenebrarum, operumq; damnatorum ne ignoremus, Paulus expressè testatur: Aduentum eius fore ex efficacia Satanæ,

cum omnipotentia,& signis,ac prodigiis mendacibus,quod Christus prædixit antè: Surrecturos pseudochristos (quo nomine quem indicaret aut notaret alium, quàm Pontificem Romanum, qui pro Christo,affectata eius maiestate & authoritate, se gessit:) et pseudoprophetas cum signis & prodigiis magnis, &c. Item cùm prohibitiones Pontificias doctrinam dæmoniorum Paulus nominat. Apoc.13.ortus à Satana totus depingitur,quomodo Draco bestiæ tradat virtutem suam, & thronum suum, & potestatem magnam: quomodo adorent draconem,qui dedit potestatem bestiæ, & adorent bestiam: quòd à Dracone datum sit bestiæ loqui magna & blasphemias,& bellum gerere cum sanctis,& vincere eos: quòd data est ei omnis potestas in omnem tribum, linguam, & gentem: quòd edit signa magna. Et cap.8. Babylon sedes & regnum Antichristi, habitatio dæmoniorum,& custodia omnis Spiritus immundi vocatur. Hæc testimonia scripturæ, & opera ipsa operibus Spiritus sancti contraria, multò antè tamen oraculis scripturæ prædicta; cum circumstantiis omnibus aliis,satis sint nobis ad confirmandam fidem de Regno Pōtificio,aduersus sycophanticas & sophisticas artes & imposturas Pseudoprophetæ, quem Apocalyp. coniungit cum Dracone & bestia, haud dubiè intelligens Pseudoprophetæ nomine ministros & satellites Romani Pontificis, Doctores scholasticos, Canonistas, & totam farraginem atque colluuiem Monachorum veterum & recentium, sicut religionem ipsam Pontificiam Meretricis nomine pingit,qua cum fornicati sunt Reges terræ. Ex ore Draconis, & bestiæ, & Pseudoprophetæ vidisse se ait prodire tres immundos Spiritus, vno scilicet ex patre & authore per duos reliquos. Idem est Spiritus,qui opus blasphemum cudit,& qui administrat absolutum,atque exequitur, qui tuetur ac stabilit.

Affirmamus itaq;,Romanum Pontificem, & eius satellites non esse Ecclesiam Christi magis, quàm erant Pontifices, Sacerdotes, Scribæ, Pharisæi, Sadducæi,& similes, nascente & in terris versante Christo, quibus dicit Christus: Vos ex Deo non estis. Vos ex patre Diabolo estis. Erant illi in sede & successione ordinaria, ex Dei mandato & instituto, in qua semper fuerat Ecclesia; sedebant in cathedra Mo-

sis, retinebāt libros Mosaicos & Propheticos: Ritus externos sacrificiorū, dierum festorum, & similes obseruabant & exercebant. Negat illos tamen Christus de suo grege esse, sed sobolem esse affirmat Diaboli, eò quòd suam vocem non audiant, & quærant interficere ipsum, qui Dei verba accepta à patre afferat ac doceat: monetque auditores suos, vt, quæ illi docent aut proferunt ex Mosaicis & Propheticis monumentis, amplectantur ac præstent: opera ipsorum, id est, quæ ex se, & authoritate sua proponunt, mandant, faciunt, ne sectentur. Sic Ecclesia vera semper ibi fuit, vbi Papa Romanus, vt Antichristus, se primùm extulit, sed impiè ac falsò, ex sese, non ex Dei mandato & ordinatione, se Christi vicarium ac Petri successorem fingens. Manserunt titulus & vestigia Ecclesiæ: manserunt Biblia, hoc est, libri Prophetici & Apostolici, mansit vera de Deo, de Trinitate Personarum diuinarum, & de persona Christi, doctrina, vt in illo populo manserat doctrina de vno Deo, sicut erat patefacta, & miraculis confirmata: mansit Baptismus, etsi additamentis alienis ab institutione, & abusibus pollutus, cum Symbolo Apostolico. Negamus itaque & nos rectè ac verè, Pontifices, & illorum satellites, Ecclesiam Dei esse, & pluribus argumentis, cum de rapto principatu, & constituta hierarchia nulla mandata habeant: immò cum interdictis Christi seriis ac vehementibus prohibeantur quid tale machinari: cùm à Christo & Apostolis promulgata dogmata corrumpant, & Sacramenta in rebus & ordine institutionis, inque vsu ipso mutilent ac deprauent: denique cùm defensores sint idolorum, blasphemi, & parricidæ.

Semper fuit aliqua Ecclesia Dei, vt in populo Dei impio, sic in Ecclesia Romana impia.

Fuit tamen aliqua Ecclesia semper in illa ingenti & confusa multitudine populi Iudaici, & in confusione illa opinionum Ethnicarum cum falsis, & peruulgatis, atq; inueteratis opinionibus Iudaicis de opere operato, in sacrificiorum & rituum Leuiticorum abusu, deque Regno Messiæ politico, & aliis innumeris. Sed exigua, obscura, oppressa; fuit sine regno, sine Magistratu, sine viribus humanis: in qua erant, nascente Christo, Ioseph, Maria mater, Simeon, Anna, Zacharias, Elisabeth, &c. & horum auditores, quæ postea, docente Christo, accessione discipulorum & plurimorum aliorum, paulatim creuit. Sic etsi Pontificia cohors & factio

factio nō erat Ecclesia maiorum ætate, vti ne nunc quidem est coniuratum cum & pro Pōtifice Romano agmen, tamen certissimum est, sub impio illo, blasphemo, & idololatrico regno, ante hæc tempora fuisse multos sanctos ac rectè sentientes, & adhuc esse, quia vbicūq; retinetur & sonat verbum Dei, etiamsi illi, qui ordinarium munus gerunt, & ministeriū administrant, impij sunt, ac corrumpunt verbū interpretatione, sensu, abusu: semper sunt tamē aliqui, qui monitore & doctore Spiritu sancto rectius intelligunt, & rectius explicant aliis veritatem verbi. Et hi sunt vera & viua membra veræ Ecclesiæ, quæ aliàs frequentior est, aliàs minus frequens; aliàs plus, aliàs minus lucis habet: vt inquit propheta: Nisi Dominus reliquisset nobis semen, velut Sodoma essemus facti. Item: Erit populus, vt arena maris, tamen saltem reliquiæ saluæ erunt. Item Dominus inquit: Nisi abbreuiati essent dies illi, non fieret salua omnis caro. Esaias pulcherrima similitudine hanc pingit Ecclesiæ faciem 24 cap. Erunt in medio terræ: in medio populorū, quomodo, si paucæ oliuæ remanserunt, excussa olea: Et racemi, cùm fuerit vindemia finita. Fundamentum retinuisse semper aliquos, in regno tenebrarum Pontificiarum, & restitisse erroribus, atq; Idololatriæ paulatim inuectæ, declarant scripta, quæ extant, Augustini & discipulorum eius ac sectatorum, Prosperi, Fulgentij, Vigilij, Martyris, Rustici Diaconi, Bedæ, & qui tempora Caroli Magni secuti sunt. Rabani Mauri, Bertrami, Pascasii, Fulberti, Berengarij, Fulberti discipuli: qui omnes idolo consecrati panis, & propiciatorio sacrificio missæ, quòd idolo isto solo & vno, sicut totum regnum Pontificium, velut neruo continetur, stat, ac viget adhuc, se opposuerunt, illo primo nascentis Idoli seculo, quod nunc inueteratum oppugnatur. Adhæc extant scripta Hugonis, Tauleri, VVesseli Gruningensis, VVesaliensis concionatoris Moguntini, Hiltenij Isenacensis, & multorum aliorum recentium omnium, qui, quanquam oppressi tyrannide Pōtificia, habebant tamen suos cœtus, & auditores suos, in visibili cœtu & afficiebantur suppliciis Iohannis Hussi, & Hieronymi Pragensis, quales fuerunt cœtus septem millium in regno Israelitico, qui non flexerunt genua coram Baalim, qui in captiuitate Babylonica non adorarunt statuam

à Rege erectam: quorum fuisse innumeros alios, præter istos tres coniectos in caminum, non est quod dubitemus. Tales multos alios fuisse cœtus, in regno Pontificio, rectè sentientes, sed qui à Pontificiis, ob discessum ab ipsis, & disiunctionem ab ordinaria potestate, vt hæretici accusati ac traducti sunt, docent historiæ. Nemo hiscere contra tyrannidem tam confirmatam, & tot munitam præsidijs Regnorum & Monachorum, fuit ausus pænè, nisi in certum vellet se, & acerbissimum proiicere exitium. Istorum verò rectè sentientium, nec in populo Israelitico, nec in Ecclesia, post Christum, talis fuit vnquam species, qualem effingit & pingit, ex curiæ & Monarchiæ Romanæ statu, satellitium Pontificium: sed cœtus talis est, qualem describunt Prophetæ; Reliqui mihi populum pauperem in terra, inuocantem nomen Domini. Item: Dabo eis Doctorem, & panem, & aquam cum tribulatione. Qualem Christus ipse, compellans & consolans suum agmen; Ne time, Grex parue, quia visum est Patri vestro, dare vobis regnum. Qualem requirit clariore crucis secuturæ declaratione, si quis vult sequi me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Item: Quicumque vult piè in Christo viuere, persecutionem patietur. Et vno dicto complectitur omnia Paulus Apostolis accommodans, quod pertinet ad omnes, qui Christo adhærentes vestigiis eius insistunt, & Apostolorum doctrinam sequuntur: Deus (inquit) puto, nos vltimos Apostolos proposuit, tanquam morti addictos. Nam spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. Ad hoc vsque tempus, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & incertis sedibus erramus: Et laboramus operantes propriis manibus: conuiciis affecti benè precamur: persecutionem patientes sustinemus: infamati precamur: purgamenta mundi facti sumus, vtque omnium sordes adhuc. Item: 2. Cor. 4. Deus, qui dixit, vt è tenebris lux splendesceret, is est, qui splenduit in cordibus nostris, ad præbendum lumen cognitionis, in facie Iesu Christi. Habemus autem thesaurum hunc in testaceis vasis, vt eis virtutis præstantia sit Dei, & non ex nobis. Dum in omnibus premimur, at non coarctamur: hæsitamus, at non

Ecclesia Christi sub cruce est.

at non prorsus hæremus: persequutionem patimur, sed in ea non deserimur: deiicimur, at non perimus, semper mortificationem Domini Iesu in corpore circumferentes, vt etiam vita Iesu, in corpore nostro, manifesta fiat. Semper enim nos, qui viuimus, morti tradimur, propter Iesum, vt etiam vita Iesu manifesta fiat in carne nostra. Hoc modo qui sunt Christi, in Ecclesia vera, crucem Christi assiduè circumferentes in semetipsis, per crucem & afflictiones, propter Christum, sequuntur, non præcedunt ipsum potentem & triumphantem in nostra infirmitate, & mirando modo seruantem ac liberantem suos, quos vult & quomodo vult. Non, vt Bestiæ Romanæ, in curia Romana, præfertur crux aurea, cum idolo panis, in comitatu Cardinalium, Regum, Principum, & in luxu ac splendore Mundi. Hic mundus donec steterit, durabit etiam ac vigebit, qui semel cepit, πόλεμος ἄσπονδος, inter Regnum Christi, atque huic insertos cum lege & conditione crucis; interque regnum Satanæ, vt Mundi principis, cui potestas est aeris: manebit & discrimen inter Electos & credentes, qui sunt vasa misericordiæ ac gloriæ, templa ac organa Spiritus sancti, & viua membra corporis Christi; interque reprobos vt υἱοὺς τῆς ἀπειθείας, qui sunt vasa iræ & contumeliæ organa, & cloaca Diaboli, quos efficaciter Diabolus impellit & exagitat. Denique inter σῶμα καὶ ἄνθρωπον ψυχικὸν ἢ σαρκικὸν, καὶ πνευματικὸν, quorum ille prior & χοϊκὸς propagatur ab Adam, hic ἐπουράνιος à Christo est. Sed inchoatur in hac vita, vt perficiatur in futura.

Quo consilio autem voluerit Deus grassari Diabolum per organa sua, in Ecclesia tam diu, & tot tamque detestandis blasphemiis, & tam rudi & crassa idololatria, in statuarum adoratione, quam ne quidem sapientiores Ethnici probarunt, magisque adhuc in adoratione & cultu panis transsubstantiati, quod mendacium cum scriptura abhorret, & execratur etiam rerum natura, & in incantationibus rerum mediarum, per commentitias & impias consecrationes, quas etiam sapientiores Ethnici in sagis detestati sunt: huius ergo consilij causas declarant Prophetica & Apostolica testimonia. Matth. 18. Necesse est, vt veniant scandala: sed væ illis, à quibus existunt. 1. Corinth. 11.

Quo consilio Deus permiserit Regnum Pontificium inuadere Ecclesiam.

Oportet hæreses esse inter vos, vt, qui probati sunt, manifesti fiant inter vos. Dan. 8. Sic Deus fieri permittet, vt compleatur ira ipsius. Item: 1. Iohannis 2. Hoc factum est, vt patefieret, non omnes esse ex nobis. Et in antè citato loco Pauli 2. Thessalon. 2. Cum omni fraude iniusticiæ in iis, qui pereunt, pro eo, quòd amorem veritatis non receperunt, vt salui fierent, misit eis Deus efficaciam deceptionis, vt crederent mendacio: Et vt damnentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed acquieuerunt iniusticiæ. In testimonium itaque iræ, iudicij, & iusticiæ Dei, & in pœnam pertinaciæ perseuerantis in contemtu diuinæ veritatis, hæc, quæ commemorata est, mutatio religionis puræ in meretricem, ex idololatria, superstitionibus, abusibus, & traditionibus humanis consartam, & tyrannide munitam, contra Deum, permissa est Diabolo, vt Architecto: Bestiæ, vt vicario præsidi, & executori: Pseudoprophetæ, vt satellitibus ac ministris. Erga redditam verò nobis, inenarrabili misericordia Dei, lucem puriorem Euangelij, cùm non minor sit ingratitudo in nobis: cùm non minus incipiant plurimi, aduersus vel agnitam, vel tam clarè fulgentem veritatem furere, pœnas non speremus secuturas mitiores, quæ, nisi stuperemus fatali cœcitate & duritie, studeremus emendatione nostri seria auertere, & ardentibus suspiriis, ac gemitibus ad Deum deprecari.

Hæc sunt illa præclara opera Diaboli, contra regnum & ministerium Filij Dei, in Ecclesia ipsius, quibus superstructum est ædificium totum Ecclesiæ Romanæ, quibus & nititur atque consistit, quamdiu volet Deus. Illud verò labefactatum à Filio Dei, Spiritu oris sui, & fissuris lacerum, hiansque ab omni parte, ac ruens, cum satellitio Romano fulciunt nunc hypocritæ, confirmatione errorum, abusuum, superstitionum, operis operati, & Idoli panis imprimis. Nec cessat Diabolus, lusibus & præstigiis fallacibus signorum & prodigiorum captos homines ac dementatos laqueis irretire pristinis, & exagitare. Accedunt hæretici, qui blasphemias in Filium Dei, & furores iam olim condemnatos, ac pulsos, sopitosque, refodiunt ac resuscitant. Fiunt hæc omnia permissu Dei, in pœnam rursus detestandæ ingratitudinis erga Deum, pro beneficio repurgatæ & illustra-

illustratæ doctrinæ Euangelij. Oportet enim hoc compleri, quod voce sua denunciauit Filius, de tempore reditus sui ad iudicium; Filius hominis cùm venerit, num repercurus est fidem in terra? Manebit tamen aliqua Ecclesia, exigua numero, qualis erat tempore Nohæ ingredientis in arcam, & Christo veniente in carne. Tantum de tertio gradu præsentiæ Dei in Ecclesia, & de regno Christi spirituali, monuisse satis sit.

Restat gradus vltimus & quartus, quem in media distinctione secundum feci, primos duos gradus statuens, *χωριστὸν separabilem*, vnum: alterum *ἀχώριστον inseparabilem*, qui soli Filio Dei, Domino nostro Iesu Christo proprius est, in assumta humana natura. Hæc præsentia neutiquàm est, per communicationē realem proprietatum essentialium, cum humana natura, confusio inter se naturarum Eutychiana, quæ eruditorum plurimorum scriptis refutata satis est. Nec compositio est personæ Christi, ex persona *τοῦ λόγου verbi*, & natura humana, tanquam partibus essentialibus. Partes enim substantiales sunt, sine quibus res esse & existere non potest, quæcumque illarum desit, sicut homo, sine anima & corpore, homo esse nequit. Anima separata, corpus cadauer fit: ipsa verò spiritus manet hominis, qui fuit, non homo. At *λόγος verbum*, fuit persona perfectissima & integerrima, antequam assumeret humanam naturam. Nequaquam hæc ergo constituit personam Christi, tanquam pars substantialis, sed vt natura toto genere diuersa, assumta est in vnitatem personæ, *καὶ εἰς ὕπαρξιν ὑποστατικὴν, quam caro habet, ἐν τῷ λόγῳ in verbo*, inseparabiliter, indiuulsè, inconfusè, immutabiliter. Hoc rectè declaratum ostendit, quid intersit, inter *ἕνωσιν ὑποστατικὴν τὴν κατ' οἰκονομίαν*, sic propriè dictam Ecclesiæ, & inter *συνάφειαν*, *inter vnionem personalem eam, quæ est officij; & inter compositionem*, quæ naturas coagmentat tanquam partes, aut essentiales, substantiam rei coalitu mutuo absoluentes; aut integrales, constituentes totum: quorum & Damascenus meminit, modum hunc vtrumque à tertio hypostatico separans: Item inter Nestorianam *συνάφειαν, σύζευξιν, παράζευξιν, προσθήκην, παράστασιν, παράθεσιν, μετοχὴν*: & Eutychianam, *κρᾶσιν, μίξιν, ἐπιμιξίαν, ἔγκρασιν, κατάκρασιν, σύγκρασιν, σύγχυσιν,*

Discrimen inter vnionem hypostaticam, compositionem, &c.

σύμφυρμα, ἀποθέωσιν, μεταβολὴν, τροπὴν, ἀλλοίωσιν: id eſt, *Inter Neſtorianam contiguitatem, coniunctionem, adiunctionem, acceſſionem, aſſiſtentiam, appoſitionem, participationem: & Eutychianam temperiem, mixtionem, admixtionem, immixtionem, permixtionem, commixtionem, confuſionem, ſubactionem, deificationem, transmutationem, mutationem, alterationem*, quæ iudicio Eccleſiæ orthodoxæ ſunt repudiata. Ita enim aſſumta eſt natura humana in vnitatem perſonæ, vt ἰδιοσύστατος, *per ſe conſiſtens, ſeu propriam habens perſonam*, non ſit: ſit etiam ſecundũ ſeſe ἀνυπόστατος, *perſonæ expers*, aſſumtione verò tali ſit effecta ἐνυπόστατος, & τὸ ὑπάρξαι ἢ τὴν ὕπαρξιν ὑποστατικὴν, *in alio habens ſubſiſtentiam & quod ſubſiſtit, ſiue ſubſiſtentiam perſonalem*, in aſſumente τῷ λόγῳ *verbo*, obtinuerit. Nõ enim extitit humanitas vnquam aut vſquam, quàm in hypoſtaſi τοῦ λόγου *verbi*: Et eſſe ac ſubſiſtere in illa cœpit, cùm Verbum caro factum eſt. Denique, niſi in ea hoc modo exiſteret, ſuſtentaretur, aut geſtaretur, aut non eſſet, ſed redigeretur in nihilum, aut eſſet hyphiſtamenum per ſe. Atque ita & duo conſtituerentur Chriſti, & inueheretur in Trinitatem quaternitas. In hoc modo aſſumtionis conſiſtit ſpecifica differentia vnionis hypoſtaticæ, quæ nec eſſe confert perſonæ Chriſti prius exiſtenti ab æterno, nec perficit eandem, quaſi ante acceſſum humanæ, & cum ea connexum, imperfecta ac mutila fuerit: ſed aſſumtæ naturæ hoc præſtat, vt ab aſſumente, & in ea τὴν ὕπαρξιν ἐνυπόστατον, καὶ ταυτότητα ὑποστατικὴν, *ſubſiſtentiam in alia perſona, & identitatem perſonalem*, διὰ τοῦ τρόπου τῆς ὑπάρξεως, ſiue per ſubſiſtendi modum ſubſtantialem, perfectum ac completum adipiſcatur & habeat. τὸ εἶναι, *quod eſt*, enim habet à ſeipſa, vt natura perfecta: τὸ ὑποστατικὸν εἶναι, *quod ſubſiſtens quiddam eſt ſubſtantiale*, & ſubſtantialis ſubſiſtentiæ perfectionem, καὶ πλήρωμα, *& completionem*, ab vnione, quæ ex hoc ipſo humanæ naturæ ſoli in aſſumente λόγῳ *verbo*, ſingularis ac propria eſt, μονότροπος, ἐξαίρετος, θαυμάσιος, ὑπὲρ φύσιν, ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ ἄνθρωπον, *ſingularis, eximia, mirabilis, ſupra naturam, præter intelligentiam, præter rationem, ſupra hominis captum*: quia non per ſe ſubſiſtit, ſed in alio: Nec tamen, vt accidens, in ſubiecto eſt, ſed ſubſiſtentia ſubſtantiali: ὕπαρξις *ipſa verò*, ſiue ſubſiſtentia per ſe, non eſt ſubſtantia, nec accidens,

ſed

sed proprietas quædam & modus substantialis, quo substantia per se subsistit, & immediatè distinguitur ab accidentibus, quæ subsistere non possunt, sicut esse in subiecto non est accidens, sed modus & proprietas quædam accidentis. At humana natura, cùm sit substantia, & tamen per se non subsistat, sed in persona τȣ̃ λόγȣ, *verbi*, hoc habet ἐξαίρετον, *eximium*, prorsus, καὶ ὑπὲρ φύσιν, *& præter naturæ ordinem*. Quomodo sustentetur humana natura in persona τȣ̃ λόγȣ, *verbi*, declarant aliqui, quòd fiat hoc, non vt in genere causæ efficientis, seu per modum actionis, sed vt in genere causæ formalis, seu per modum naturæ, quia vt materia ὢν δυνάμει, *facultate existens*, & imperfecta substantia à formæ coalitu, sic natura assumta beneficio personæ acceperit vltimam, non accidentalem, sed substantialem subsistendi τελειότητα, *perfectionem*, quod etsi aliquid simile habet in coalitu, & ratione subsistentiæ: multa tamen etiam ab vnionis hypostaticæ ratione dissident. Materia enim suscipiens & induens formam, imperfecta est & incompleta substantia: ὁ λόγος, *verbum*, assumens humanam naturam, est essentia perfectissimus, & actus perfectissimus ab æterno existens: ac persona in ea essentia, seu ὑφιστάμενον ἰδιοσύστατον, *persona per se consistens, seu propriam habens hypostasin*. Deinde forma materiam rudem format, seu specie certa vestit, conferens rei, quæ fit & constituitur, esse substantiale, vnà cum idea, qua differt ac discernitur à rebus & speciebus aliis cognatis. Ideoq; τελειότης est, seu perfectio rei, quæ fit. At humanæ naturæ nihil horum competit. Nihil enim naturæ assumenti adiungit, nisi seipsam. Nihil personæ ad perfectionem. Nec est ἰδιοσύστατον, *per se consistens*, quiddam, sed in assumente, per vnionem subsistentiam personalem, tanquam perfectionem vltimam & substantialem obtinet, non tam per modum naturæ, & causam formalem, sicut materia per formam, in physico corpore, quàm in genere causæ efficientis, & per modum actionis. Sustentatio enim & gestatio ociosa non est & inefficax, nec fit sine virtute sustentantis, sicut Irenæi & aliorum testimonia ostendunt. Tertiò humana natura non componit, vel vt pars substantialis, personam, sicut forma cum materia rem existentem, vel vt integralis totum: sed persona, prius existens perfecta, fit ex assumtione illius, in vnitatem &

Quomodo sustentetur humana natura in persona verbi.

identitatem personæ, per modum subsistentiæ, vnitate nihil mutata, vnum compositum, non tamen ex duabus personis, sicut duo asseres conglutinantur, sed ex duabus naturis in vno subsistentibus hyphistameno. Quartò, naturæ humanæ in Christo, quanquam naturæ perfectæ, atque ex sua materia & forma compositæ, qua nobis est ὁμοούσιος, *consubstantialis*, τρόπος tamen ὑπάρξεως, *modus subsistentiæ*, præ nostris naturis, proprius est; quòd non per se existit ac subsistit, sed ἐν τῷ λόγῳ, *in verbo*: nec tamen vt accidens in subiecto, sed substantiali perfectione & hypostatica illi soli propria: qua sine, aut non esset, aut esset hypostasis per se. hoc enim modo subsistendi à nobis differt, qui sumus hyphistamena per se existentia. Disertè scriptura docet, τὸν λόγον, *verbum*, personam ab æterno existentem, factam esse carnem, & quidem carnis assumtione. Non autem carnem factam esse personam, sed ἐνυπόστατον, *habentem subsistentiam*, esse factam in persona iam existente. Vnio ergo hypostatica propriè compositio non est, sed per peculiarem τρόπον ὑπάρξεως, *modum subsistendi*, assumtio humanæ naturæ in vnitatem inseparabilem, qua subsistentiam substantialem in persona τοῦ λόγου, *verbi*, habet. Et tamen ex vnione illa hypostatica, tanquam ex causa effectus, fit Christus vnum ὑφιστάμενον σύνθετον, *subsistens compositum*, propter naturarum coalitum οὐσιώδη, *substantialem*, & inconfusum, χωρὶς συγχύσεως, *absque confusione*. Confusio enim Eutychiana, & παράστασις, *assistentia*, Nestoriana, & dudum sunt confutatæ atq; explosæ ab Orthodoxis, & hac declaratione liquidò redarguuntur. Damesceni de vnione tali clarum est dictum: εἰ γὰρ ἀληθῶς ἡνώθη τῷ θεῷ λόγῳ ἡ σὰρξ ἐξ ἄκρας ὑπάρξεως, μᾶλλον δὲ ἐν αὐτῷ ὑπῆρξε, καὶ τὴν ὑποστατικὴν πρὸς αὐτὸν ἔσχε ταυτότητα: πῶς οὐ τελείως κατεπλούτησε πᾶσαν σοφίαν καὶ χάριν, οὐκ αὐτὰ τὰ τῆς χάριτος μεταλαμβάνουσα, οὐδὲ κατὰ χάριν τῶν τοῦ λόγου μετέχουσα, ἀλλὰ μᾶλλον διὰ τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν τῶν τε ἀνθρωπίνων, καὶ τῶν θείων τοῦ ἑνὸς Χριστοῦ γεγονότων: *Id est, Si enim verè Deo, quod est Verbum, caro vnita est singulari subsistentia, vel potius in ipso cœpit subsistere, & personalem cum ipso nacta est identitatem; quomodo non perfectè affluat copia omnis sapientiæ & gratiæ, non ipsa quidem, quæ gratiæ sunt sibi vendicans, neque ex gratia, quæ Verbi sunt, participans: sed potius propter personalem vnionem, & humanæ & diuinæ naturæ propria vnius Christi extiterint;*

rint: Et Rustici Diaconi dictum: Deus verbum, secundum semetipsum quidem, vnitus est carni. Vna enim persona, & vna subsistentia factus est cum carne. Secundum verò naturam coniunctus est potius, quàm vnitus. Duæ enim mansere naturæ. Hanc suam carnem propriam Christus assumtam, propter nos, & propter salutem nostram, exaltauit super omnia in prærogatiua donorum omnium tanta, quæ exuperat omnes creaturas, ad societatem etiam in vna persona Regni æterni. Tantum de quatuor gradibus præsentiæ Dei in creaturis, paucis ex orthodoxa scripturæ & Ecclesiæ doctrina repetere & disserere: atque opera Dei ab operibus Diaboli, in primo tertioq; gradu: ordinata item regularia, ac perpetua, in iisdem duobus gradibus separare ab extraordinariis & miraculosis volui, à quibus monstra, quæ errata naturæ, & *παρὰ φύσιν*, *contra naturam*, sunt, toto genere differunt, vt infrà dicetur, vt facilius ac rectius agnosci, & seiungi, in diuinationum generibus, à diuinis Diabolicæ præstigiæ possint. Causis enim consideratis, effectorum facilior est dinotio ac discretio. Nunc ad ipsas species varias ac diuersas venio.

DE ORACVLIS.

QVATVOR primis generibus constitutis & distinctis, nunc reliquas differentias ordine pertexemus, & singularum species recensebimus. Earum quælibet, cui sit subiicienda generi, adeoque quo loco ponenda, & quanti facienda, conspicuum fiet, vbi, quæ complectantur ac tractent, & ex quibus diuinent notis atque indiciis, commemorauerimus. Ordiemur autem ab Oraculis.

Oracula à Græcis quomodo appellata.

Hæc Græci *χρησμοὺς*, *χρησμῳδίας*, *χρησμῳδήματα*, *μαντεύματα*, *θεοπρόπια*, *θεσπίσματα*, *θέσφατα*: Oraculorum interpretationes, *χρησμολογίας*: Interpretes, *χρησμολόγους*: Consultores seu sciscitatores, *θεοπρόπους*: Loca in quibus reddebantur, *χρηστήρια* & *μαντεῖα* nominarunt.

Definitio oraculorum.

Voco autem oracula responsa, quæ dabantur sciscitantibus, incertis & à Diabolo obsessis locis, vel à Dæmonibus ipsis, voce, somniis, gestu nutúve aliquo statuarum, sonitu,

tinnitúve, aut aliis huiusmodi, vel ab hominibus Diabolico spiritu afflatis, qui tunc, cùm de proposita quæstione responsa danda erant, cum vehementi impetu, & horribili sonitu, ex specubus elisus, in vates irruebat, impletosq;, & in furorem actos ita concutiebat, vt præ tremore palpitationeque artuum omnium, nec consistere, nec sese continere possent.

Oracula Diabolica imitatione exempli diuini instituta.

Imitatione hæc & instituit & exercuit exempli diuini, vt alia pleraq;, Diabolus.

Oraculorum diuinorum tres modi.

Testimonio enim doctrinæ sacræ constat, Deum multa Patres sanctos initiò, & populum suum per Prophetas postea, ante natum Christum, docuisse & monuisse: vsum aliàs compellatione vocis humanæ, sed variata specie ἐπιφανείας seu apparitionis, vt cùm virorum trium specie occurrit Abrahæ, & luctatus est viri habitu cum Iacob, & Moysi sese ostendit ex ardenti rubo, &, Christo baptizato, de cœlo personat voce humana, qua & Christum dilectum filium suum esse testatur, & audiri eum præcipit.

Aliàs somniorum immissione, cuius rei exempla præbent Iacob, Ioseph, Daniel; aliàs exhibitione visionum, quæ fuerunt velut picturæ, quas cernebant & intelligebant Prophetæ, aut perculsi impulsique euidenti motu diuino, cum quadam ceu consternatione, aut etiam sine euidenti aliqua concitatione animorum.

Sed procul ab his aberat errabundæ & vesanæ amentiæ furor.

Discrimina inter oracula diuina & Diabolica.

Non permouebantur ratione, sed integra, immota, & constanti mente ac ratione afflatuum diuinorum excipiebant impetus, & sentiebant vim horum atq; ardorem, & monita intelligebant diuina, quæ à patefactis antè ac promulgatis oraculis nunquam discordabant, nunquam à perpetua æternæ veritatis & immotæ iusticiæ diuinæ discrepabant norma: nunquam vel præcipiebant, vel comprobabant scelera vetita diuinitus & idololatrias; sed his reprehensis atq; condemnatis, pœnas denunciabant autoribus, & horum asseclis, ac sectatoribus atrocissimas, ingenti spiritu ac planè ardenti, nisi qui discessissent à Deo, atq; à vestigiis deflexissent veritatis, abrogatione idololatriæ, & sceleratæ vitæ emendatione, cum vera pœnitentia, atq; ad Deũ conuersione seria, redirent in viam.

His

His longè dissimilis erat furiosorum vatum conditio apud Ethnicos, quorum mentes, non vis diuina, sed impulsus concitabat Diaboli, falsò imitātis illam Dei inenarrabilem κοινωνίαν seu consociationem, qua sese euidenter communicabat & aperiebat Patribus & Prophetis.

Vates enim Ethnici, cùm, ex insultu insessuq; Diaboli, furore corriperentur, nec corporum suorum, nec mentis rationisq; compotes esse amplius poterant, & sese ignorabant, & nihil eorum, quæ argutè concinneq;, vel oratione soluta, vel numeris, versuque, sæpe pronunciabant, intelligebant, Diabolo vim adferente corpori, & violenta contorsione atque coactione partes intelligentiæ seruientes ac rationi, prorsus deprauante: & semel tali furore perciti, nunquam postea recuperabant amissæ rationis vsum. Quæ verò fundebant, si ad religionem spectabant, sententiis prolatæ diuinitus veritatis aduersabantur semper, vel palàm atq; expressè, vel cum obscuritate fraudulenta atq; insidiosa. Si denunciationem aut cladium futurarum, aut prosperitatis continebant, obscuritatibus erant inuoluta inextricabilibus & ambiguitatum plenis, quibus adulabatur quandoq; Principibus, sicut de Dæmone Delphico Demosthenes queritur, Pythiam φιλιππίζειν, *quasi cum Philippo facere*.

Minimè in talibus furoribus suo liberoque ferebantur mentes impetu, sed incitationibus agitabantur violentis Diaboli, quibus eam κοινωνίαν, *communionem*, qua sese Deus sanctis Patribus & Prophetis coniungebat efficienter, exprimere falsò studuit.

Videtur autem tota oraculorum institutio instructioq; composita fuisse præcipuè ad illam ἐπιφανείας seu φανερώσεως, *apparitionis seu manifestationis*, diuinæ speciem, qua Deus cum patribus aliàs alia occasione, & ex aliis locis, & alia specie collocutus est, quarum vt patefactionum memoria conseruaretur ac propagaretur, aras exædificatas esse, ac dedicatas Deo in iisdem locis, legimus,

De origine prima horum alij aliter fabulantur, nec certò constat, quo tempore primùm extiterint, aut quando illas quasi arces regni sui constituerit, & aperuerit velut templa professura ac celebratura religionem, ac cultus diuinis contrarios, Diabolus veritatis & gloriæ Dei hostis. Hero- *Oraculorum Diabolicorũ origo.*

dotus antiquissima fuisse annotauit in Libya Iouis Hammonis, in Græcia Dodonæum: hoc tamen illo prius innotuisse, & quæsitum, frequentatumq; fuisse aliquanto antè. De ortu etsi dubitat, duas tamen recitat fabulas, vnam ex narrationibus sacerdotum Ægyptiorum, alteram ex annotatis Antistitum, qui præfuerunt oraculo Dodonæo.

Ægyptiaca, de duabus sacerdotibus raptis ac diuenditis à Phœnicibus, quarum vna in Libya Hammonis, altera in Græcia Dodonæum aperuerit, commentitia tota est, & nullam veri speciem habet.

Dodonæa ex diluuij historia manasse, & à posteris ex ignorantia historiæ antiquæ deprauata videtur.

Fabula de ortu oraculorũ.

Retulerunt Antistites Dodonæi, geminas ex Ægypto columbas prouolasse, earum alteram transiisse in Epirum, ibique in fago primò conspectam, & humana voce exauditam esse, atq; inter cetera hæc sonasse mandata, vt templum in eo loco incolæ extruerent: Iouem enim affuturum, & inde oracula hominibus redditurum: se verò internuncios atq; interpretes decretorum Iouis fore. Deucalionem tandem, cùm, reliqua Græcia inundationibus obruta ac mersa, solus euasisset, in ea Epiri loca, quibus propter eminentiam & altitudinem aquæ non inundarant, profugisse, collectisq; qui superfuerant ex diluuio, hominibus, circa templum oppidulum ædificasse, atque id nominasse Dodonam, vel à Dodone Oceanitide Nympha, vel à Dodone Iouis & Europæ filio.

Etsi verò, autore Diabolo, nata oracula Ethnica, eoque gubernatore prodita ac conseruata fuisse, minimè dubium est: tamen qua occasione primùm exorta, & vnde hanc narrationem profectam coniiciam, recitabo.

Sedes filiorum Nohæ post diluuium.

Refert historia Geneseos, Nohæ tres fuisse filios, Sem, Cham, & Iaphet, hosque post diluuium prole numerosiore auctos, cùm sola familias tantas Palæstina, ob angustiam loci, non caperet, seiunxisse sese, & cardinibus terræ communi consilio distributis, ac paulatim prolatis, finibus, ex solo patrio, alios in alia loca cum familiis secessisse.

Posteros Cham Libycas gentes, & partim Asiaticas, quæ versus Meridiem & Solem Orientem incolunt, condidisse & propagasse: Posteros Iaphet Europæos, qui terræ

tractus

tractus in Occasum & Septentrionem vergentes tenent.

Constitit Arca Nohæ, cùm aquæ diluuij defluxissent, primò in Armeniæ montibus.

His montibus quoquo versus subiecta atq; adiecta loca, extensaq; inde longo tractu, in Septentrionem, quà Colchidis Iberorum & Albanorum regio Scythiæ montes, & maria Euxinum & Caspium attingit: in Meridiem, quà sese decliuitas montium in Mesopotamiam submittit Syriæ adiacentium: in Orientem, quà Hyrcanorum, Medorum, Persarum sedes est: in Occasum, quà Cappadocum terra, Asiæ minoris amplissimos campos respicit: Illa ergo loca, primò à posteris Nohæ habitari ac coli cœpta esse: inde propagatas demanasse gentes orbis terrarum, primis à diluuio temporibus: inde posterioribus seculis, magnos exercitus, & magna colonorum nouorum agmina effusa, vel proximas versus Occidentem terras, possessoribus vel summotis, vel profligatis, subegisse, ac paulatim processisse longius vel desertas adhuc, horridas, atq; incultas primò ceu consitas incoluisse, dubium non est.

Noham, qui vixit post diluuium annos trecentos quinquaginta, rediisse ex Armenia in veterem patriam, id est, in loca vicina Damasco, vbi primos parentes conditos esse sciebat, consentaneum est.

Certum est enim, filium Nohæ Sem rursus vixisse in illa regione, cum fuerit Rex Salem, quæ postea nominata est Ierusalem. Est enim Sem ille ipse, qui nominatur Melchisedech.

Filij Nohæ fuerunt Sem, Cham, & Iaphet. Loca exporrecta in Orientem & Meridiem, posteritas Sem: In Meridiem & Occasum, posteritas Cham: Septentrionem & Occasum, posteritas Iaphet impleuit.

Iapetum, qui Iaphet est, & Cham, qui Iupiter Hammon, tota antiquitas Ethnica celebrauit, etsi, qui fuerint illi, ignorarit. Iaphet nati filij plures, ex quibus & originem dederunt, & nomina imposuerunt, vt congruentia vocum ostendit, Gomer Cimbris, Magog Scythis, Madai Medis, Iauan vel Iaon Ionibus, Elissa Æolibus, Tharsis Cilicibus, quorũ Metropolis, Tharsus vocata est, Cethim Macedonibus & Ceciis montibus, Dodanim Dodonæis in Epiro, Mosoch

Gentium nomina primã originem declarant.

Moſcis, Thiras Thracibus, in quorum vicinia, cùm Thiras fluuius vetus nomen diu retinuerit, hodie Niſter vocari conſueuit.

A Thubal Iberos ortos eſſe, qui in Aſia habitarunt, & Alybes, conſentaneum eſt. Nomen Chalybes factum eſt ex alio vetuſtiore Alybes, quod congruit cum nomine Iobel, exigua metatheſi literarum, & ſignificat res natas in terra.

Ex filiis Gomer, Aſcanes, Tuiſcones, Riphat Riphæos, id eſt, Henetam & Sarmaticam gentem condiderunt.

Inter filios Sem numeratur & Geter, à quo Getarum ſeu Gottorum origo.

Et notum eſt ex Bibliis, in quam ſeſe Mundi plagam poſteri Sem & Cham conuerterint, & in quibus terræ partibus conſederint.

Ex hoc igitur circa montes Armeniæ angulo, primas à diluuio gentes, in omnes Mundi partes deriuatas eſſe, ac ceu diſſeminatas paulatim, argumento eſt, cùm quòd de migrationibus illarum, ac profectionibus, literis monumentisq; proditum reperitur, quas ſubinde magis magisq; prolatis finibus, & dilatatis ſedibus, ſuſceperunt longiſſimas: tùm quòd, quæ egreſſæ ſunt inde, ac diſtributæ in orbem terrarum gentes, nomina originis primæ, vt certa illa & indubitata eſſet, conſeruarunt.

Inde prodiiſſe conſtat Sacas, Saſſones, Getas ſeu Gottos, Daos, ſeu Dacas, ſeu Danos, Alanos, Sueuos, Germanos, Henetos, Iberos, & alios plurimos, quos omnes his terris potitos, & in Germania, Gallia, ac Hiſpania latè dominatos eſſe, conſenſus omnium hiſtoriarum affirmat.

Ita prorſus dubium non eſt, Hammonis appellationem defluxiſſe à Cham, Dodonæ à Dodanim, quas appellationes retinuit Græcia ſolas, amiſſa noticia primæ religionis, primæ originis, & maiorum, *καὶ οἰκιστῶν, conditorum*, ſuorum.

Quales verò fuerint ſanctorum Patrum familiæ notum eſt.

Sanctorum patrum familiæ, & ſtudia.

Nohæ, qui viderat vtrumq; Mundum, ante & poſt diluuium, cum tribus filiis, & intelligebat ſancta ſapientia tantarum pœnarum cauſas, quibus viderat deletum vniuerſum genus humanum in Schola domeſtica, liberos nepoteſque piè fideliterq; erudiit, de ortu Mundi, de lapſu primorum paren-

parentum, atque auersione eorundem, à conditore suo, de peccatis generis humani, de horrenda ira Dei aduersus peccata, de pœnis testib. iræ Dei, de veris cultibus Dei, de sacrificiorum ritibus, diuina voce præceptis & commendatis.

Hi rursus, etsi auulsi à parentibus, dispersiq; in terræ partes diuersas, tamen imitati parentum curam, & institutionem sedulam, etsi plus alij, alij minus, doctrinam & cultus diuinos conseruare, pia ac religiosa celebratione, & vsurpatione assidua, studuerunt. Condiderunt aras & templa publica, in quibus πάροικοι & ὁμόφυλοι, *accolæ & qui eiusdem erant tribus*, conuenerunt ad celebrandum Deum, ad audiendam explicationem doctrinæ, & recitationem historiæ, de Mundi origine, deque Ecclesiæ constitutione & propagatione, ad exercendam fidem & inuocationem in sacrificiis: Cumque excellerent donis Spiritus sancti & sapientia diuina, ex hominum imbecillitate, & atrocibus ac multiplicibus Diaboli insidiis structis tensisq; in omnes partes, prospexerunt, quæ tenebræ irrepturæ, quæ doctrinæ deprauationes peruasuræ essent in Ecclesiam: Id vt caueretur, cœlestes voces, literis monumentisq; procul dubio comprehensas, in templis deposuerunt, quò asseruatæ ibi, & custoditæ certorum hominum diligentia, transmitterentur ad posteros.

Sed cùm natura hominum in superstitionem prona sit, & nouarum religionum auidissima, Diabolus, cui hoc vnicum, inde vsque ab initio, summo fuit studio, vt aspergeret & deformaret gloriam Dei, & doctrinam de Deo obscuraret, non destitit statim à diluuio, viuo adhuc Noha & filiis eius, impellere ingenia mala ad nouas & falsas opiniones serendas, clam suppeditatis & obiectis seminibus. *Oraculorum Diabolicorum prima occasio.*

Eas primùm insigni exquisitæ religionis specie vestiuit, quò facilius stolidos animos his captos abduceret à Patrum doctrina: deinceps progressu temporis sensim auxit superstitiones, in aliis locis plus, in aliis minus, pro vt plus minúsve sequaces, atque idoneos, vel aduersantes, adeptum se animaduertit: donec tandem cumulata caligine, extinctaque ac sopita luce veræ doctrinæ, & euulsa protsus ex animis omni memoria veri, & verbo, atque illustribus testimoniis patefacti Dei, sua organa in plus, quàm Cimmerias tenebras demersit.

Accesserunt &, quæ semper extinctam doctrinæ lucem comitantur, fœdæ & promiscuæ commixtiones, migrationes, vastationes terrarum & gentium: Vel petulantia, vel quòd locorum angustiis cogerentur dilatare terminos, aut nouas quærere sedes, aliæ gentes aliis sese miscuerunt, simulque illud, quo ipsi iam imbuti erant, virus ceteris affricuerunt & inhalarunt, aut pepulerunt vicinas gentes, & templis dirutis, monumentis antiquis laceratis destructis aris, aboleuerunt religionem traditam à maioribus, & nouam instituerunt.

Religionum mutationes ex imperiorum mutationibus.

Et omni tempore, ex Imperiorum & gentium mutationibus, religionum mutationes: ex commixtionibus earundem, ac confusionibus, religionum tetræ confusiones ortæ sunt.

Doctrina abolita, alibi antiquarum historiarum somnia, alibi vmbræ sacrificiorum & ceremoniarum, quæ fuerant in vsu sanctis Patribus, remanserunt: sed fabulis sunt inuoluta ab hominibus, primæ & veræ originis ignaris: alibi hæc quoque interierunt, & innouata sunt omnia.

Et quanquam alicubi monumenta etiam vetera conseruata constat, vt in Ægypto, Phœnice, ex quibus repeti ac restitui doctrina potuisset: tamen quòd in animis excæcatis à Diabolo, impiæ opiniones atq; idololatricæ dominarentur, non intellecta, sed ad *εἰδωλομανίαν, insanum idolorum cultum*, stabiliendam detorta, aut commenticiis fabulis deprauata & elusa fuisse, in multis videre licet.

Diabolus scholas veræ doctrinæ conuertit in latibula suæ impietatis.

Hoc vbi perfecisset Diabolus, quod clam antea, & dolo sese insinuans struxerat, id palàm postea aggredi & vrgere cœpit. Manifestis conatibus abstractos à Deo homines, & manifestis furoribus percitos, ad sese rapuit, quoque voluit, perpulit. Loca, quæ fuerant antea domicilia & sedes doctrinæ cœlestis, sanctissimæ scholæ Patrum, & *ναοὶ ἅγιοι, καὶ κατοικητήρια τοῦ θεοῦ, templa sancta & habitacula* Dei: ex illis conuersis in latibula impietatis & mendaciorum, suas blasphemias contumeliosas in Deum, & hominum generi perniciosas, eructauit atque euomuit.

Mihi dubium non est, in eo loco, in quo postea cultum fuit oraculum Iouis Hammonis, vel ipsius Cham, vel posterorum eius, præcipuam Scholam: in loco oraculi Dodonæi,

hæi, sedem familiæ & Ecclesiæ Dodanim nepotis Nohæ ex filio Iauan, fuisse.

Ad id sentiendum, multis adducor coniecturis. Non enim appellatio Hammon alia est à Cham, quod nomen Hebræi aspiratione paulò duriore efferunt. Commenticia est & ridicula Græcorum Etymologia, qui ab arenis deducunt, cùm reuera ab Hamah, quæ vox calorem significat & æstum, defluxerit. Ardenti enim calore vicini, & verticibus assiduè imminentis Solis, perpetuò loca illa Libyæ torrentur ac deuruntur.

Oracula prima, Iouis Hammonis & Dodonæum, antiquitus sanctorum patrum Scholæ.

Abolita doctrina de Deo, cùm vagarentur animis posteri, & ductu naturæ quærerent aliquod numen, nec, quæ sequerentur vestigia, inuenirent: ex reliquis adhuc veteris historiæ somniis, pro arbitrio, finxerunt Deum, cui geminum nomen, authoris primi Cham, & veri Dei Iehouah, imposuerunt.

Confirmauit figmentum Diabolus, miraculis editis, nutu, aliisque signis, ex statua, quæ in eo loco collocata erat.

Nec Dodonæ nomen diuersum est à Dodanim nepote Nohæ, qui, cùm Iauan pater Ionicæ gentis in littorali Asia consedisset, cum familia separatus à patre, in editiora Epiri loca transiit.

Retinuerunt Græci & Latini, ex veterum monumentis, multa authorum suorum & maiorum nomina, etiam postquam pænitus euanuissent & periissent historiæ. Celebrant Græci Iapetum, qui est Iaphet Nohæ filius: Latini suam originem in Ianum referunt, qui à Mose Iauan nominatur. Fuit enim pater vtriusque gentis Iauan filius Iaphet. Vtrique vtut fabulentur de Etymologiis vocum, Διὸς & Iouis, tamen valde consentaneum videtur, vtramque ex Hebræa voce Iehouah defluxisse, quod sibi nomen tribuit & vsurpauit verus Deus, & hoc secerni voluit ab omnibus commenticiis numinibus cuiuscunque conditionis.

Græci & Latini conditorum & maiorum suorum nomina retinuerunt.

Commentum de exortu Dodonæi oraculi, etsi ex commenticia fabella, & narratione historica, de diluuio Deucalionis temerè consutum est & consarcinatum, tamen ex historia diluuij natum videtur.

Figmentum de geminis columbis, alludit ad columbas emissas à Nohe, vt explorarent defluxionem & diminutionem aquarum.

Mentio diluuij, ad vniuersalem mundi κατακλυσμὸν, *inundationem*, non ad illam solius Græciæ,& quarundam partium inundationem, quæ multò pòst Deucalionis seculo accidit, spectat.

À diluuio vniuersali, cùm sese posteri Nohæ disiunxissent, Epirum Dodanim Nohæ nepos occupauit, excoluit, suoque insigniuit nomine, & ibidem instaurauit templa & cultus diuinos, à patre quasi per manus acceptos.

Constat enim antiquissimis temporibus, sicut & Stephanus annotauit, Epirum Dodonam vocatam fuisse, & longè vetustior est Dodonæ appellatio, quàm Epiri. Vnde irrepsit in Græciam vocabulum, si inde non est? certè Græcam non sapit originem.

Omnino igitur existimo, hæc duo oracula, quæ in historiis prima & antiquissima celebrantur, fuisse initiò sanctas primorum parentum Scholas: Diabolum verò eadem primò occupata suo veneno conspurcasse ac polluisse, tum quòd in admiratione, ob priorum celebritatem, esse vidit, tum quòd opinione antiquitatis facilius allectura imperitos, & fidem approbationemque meritura, præsensit.

Dodonæum oraculum. Dodonæum frequentatum est ad Dodonam amplissimam & vetustissimam vrbem Molossidis in Epiro, vicinam nemori quercino, in quo vocales quercus creuisse, proditū est, quæ statim, vbi accessissent interrogaturi, commouerint sese atque insonuerint, expresso, quod dandum erat, responso, ibidemque statuam stetisse, quæ virga æneos lebetes pulserit, hos ad moderatos ictus paulatim increpuisse, & numeris ligata responsa edidisse.

Iouis Hammonis oraculum. Iouis Hammonis alterum à Dodonæo, in extimo sinu Libyæ, apud Garamantes, vltra Cyrenen, in solitudinibus vastis, torridis, ac siccitate sterilibus, situm fuit, quò propter intensos & exurentes Solis æstus, vastamque planiciem, ardoribus Solis & ariditate infestam, non cuiuis facilè accessus patuit.

Cambysen Cyri, & Alexandrum aditum tentasse, historiæ memorant.

Circa ipsam oraculi sedem densum nemus, proceris, diffusisque, & confertis arboribus, quadraginta stadiorum spacio, gratissima vmbra leniit feruores diurnos, & passim

extillan-

extillantibus fontibus rigauit solum, sua natura exuccum & sterile.

Medium syluæ templum obtinuit, in quo idolum Hammonis pelle amictum hircina, & hircino capite colebatur. *Idolum Hammonis.*

Sacerdotes responsa petituri, idolum aurato nauigio impositum circumuectabant, accinebantque carmen patrium: His delinitum ritibus, non voce, sed solo nutu, signisque subobscuris, quæ vellet, proferebat: signa antistites iis, qui consultum accesserant, referebant ac declarabant Diaboli monitu & indicio.

His duabus, velut arcibus sui dominij constitutis ac stabilitis, Diabolus cumulauit pòst oracula, alibi aliis patefactis. *Varia oracula, à Diabolo patefacta.*

Pythium ab his condidit, dehinc Trophonium, Amphiarai, Branchidarum in Milesia, Sabæum in Phocide.

Et plurima quidem in Græcia extruxit, quòd eam gentem præ ceteris pronam in superstitiones ruere, auidissimè arripere, admirari, atque amplecti noua quæuis, motu leuissimo, & stolida garrulitate effutire ea, proclamare, atque extollere, eoque nomine huic suo instituto aptissimam esse nôrat.

Cùm ad prima illa & vetera, maiore numero sciscitatum confluerent, tanquam non sufficeret expedientis omnibus vnus locus, noua oracula, quæ adornabat alibi, inde renunciabat, locisq; demonstratis, & additis mandatis, vt illa percontarentur, declarataq; responsorum veritate, euentu semel atque iterum, perficiebat, vt mox inclarescerent, & consulerentur, atque amplificarentur donariis & opibus.

Deinde, ne quid pateretur de suo vspiam dominio decedere, mox si qua bellis diruta, vastata, & expoliata essent, aut vetustate neglecta iacerent, instaurari atq; in integrum restitui, donisque exornari præcipiebat.

Celebratur præ ceteris cultu, religione, fama, opibus, & donariis Pythium Delphis, quod oppidum totius orbis vmbilicum tenuisse, falsò creditum fuit. Diodorus originem eius fabulosè exponit. *Pithij oraculi origo.*

Cùm in eo loco, vbi templum postea extructum est, terra pateret profunda voragine, & circum pascerent capræ,

factum, vt vna ex grege frequenter ad hiatum illum accederet, & quotiescunque introspexisset, toties reuersa miris & inusitatis gestiret saltibus, vocemque sonaret insuetam, quæ pastor miratus, cùm accederet & ipse hiatum spectaturus, mox eodem impetu hausto, conceptoque, simili modo exilire, & vaticinia fundere incipit.

Fama increbrescit & peruulgatur. Fit concursus ingens ad hiatum, & quotquot demittunt sese, statim vatidico halitu afflati, furibundis similes euadunt.

Tandem quòd ex furore multi per præceps in hiatum desilirent ac perirent, interdicto cautum fuit, ne quis amplius inscenderet: Voragini templum impositum, & ministerium excipiendi ab insiliente Dæmone, referendique responsa, fœminæ virgini commendatum fuit.

Aliquando pòst, quòd Isocrates quidam Thessalus Pythiam raptam violasset, his quoque id ademtum, & vetulæ, quæ quinquagesimum excessisset annum iniunctum fertur.

Pausanias plures, easque diuersas, de origine sententias recitat. Quacunque occasione eruperit, & in noticiam venerit, non moror: antiquum fuisse, & pluribus, quàm centum annis, ante Troiana tempora claruisse, constat.

Parnassus oraculis celebris.

Stephanus author est, primam oraculi sedem in vicino monte Parnasso extitisse. Moueor appellatione veteri Parnassi, vt existimem, primis à diluuio temporibus, sub posteris Noha, hanc specum, terra, Diaboli opera, dehiscente, sese aperuisse. & mox coli celebrariq; cœpisse eodem authore vatidicum virus inspirante iis, quos delegerat ministros.

Etsi enim Pausanias Parnassum quendam Cleodoræ Nymphæ filium, auguriorum inuentorem, monti nomen indidisse, ex Græcorum fabulis refert: tamen appellatio ipsa nihil Græcum redolet: Sed videtur facta ex Hebræo Nahas, quæ vox augurium significat, & diuinationem, & vel Har, sed præposita in compositione litera P, vel potius Parai, quarum vocum prior montem significat, posterior hiatum, vt idem sonet Parnassus, quod vel mons, vel rectius hiatus diuinationum.

Parnassi Hebraica etymologia.

Templum Delphicum.

Hoc verò, quod posterius frequentatum fuit oraculum, sedem habuit ad radices Parnassi, vbi templum condiderant

incolæ,ſupra ſpecum oppido muroq; cinctum, & templum ipſum,ob natiuam præcipitiem, munierant aditu adeò difficili & anguſto,vt,obiecta lapidum mole,acceſſum omnem vndique præcluſerint,exigua ſemita relicta, qua conſulturi oraculum abſq; comitatu incederent. In medio templi exigua planicies erat,& in ea hiatus,ex quo ſpiritus acer & vehemens terribili ſonitu excuſſus,vatem tripodi inſiſtentem, & afflatus expectantem corripiebat,agitatamq;, & concuſſam in furorem vertebat ſtatis diebus,quibus fari licebat.

Ferunt enim annuatim ſex menſes continuos apud Lycios,totidemque in Delo,oracula percontaturis patuiſſe. In reliquis locis, non quouis tempore, ſed ſtatis definitíſque diebus tantùm , vtpote vel Idibus , vel Calendis, vel augeſcente, vel deficiente Luna, vel ineunte, aut deſinente die, ſciſcitari licuiſſe.

Oraculorum conſulendorum ſtata tempora.

Religionem in conſulendo Pythio oraculo eam ſeruari oportebat, vt qui interrogaret, breui oratione, quæ requireret, Pythiæ ſignificaret, & Græco ſermone reſponſum expoſceret, mactata ſimul & ſolenni ritu conſecrata victima. Pythia verò, quam mulierem eſſe oportebat, non promeret quicquam, niſi totam prius victimam contremiſcere, ac velut micare cerneret. His legitimè peractis, Dæmon ex obſeſſa Pythia (ἐκ τοῦ ἀτμοῦ enim ἔνθεος γίνεσθαι, *ex halitu enim numine Dei afflata*,credebatur) concepta,& ferè metris Græcis ſcitè admodum atque argutè , ſed ambiguè nimis ac captiosè,illigata reſponſa pronunciabat: cumque in ſuam ſeſe recepiſſet atque abdidiſſet ſpecum,Pythia,ceu exonerata ſpiritu, & ad ſeſe reuerſa conſiſtebat ac conquieſcebat.

Ratio conſulendi Pythiũ oraculum.

Fuit autem omnium templorum Ethnicorum locupletiſſimum, ſtatuis ex ſolido auro argentoq; conflatis immenſi ponderis, & aliis innumeris ac precioſiſſimis donariis refertum. Hippocratem etiam ſceleton æneum,exquiſitiſſimè ad figuram humani ſceleti fabrefactum,eò collocaſſe, Pauſanias author eſt, ea fortaſſe ſpe, vt religione templi defenſum conſeruaretur ad poſteros. Quinquies deſtructũ exuſtũque, pluries direptũ, à latrone quodam Eubœenſi Phlegyarum gente, Pyrrho Achillis filio, exercitu Xerxis, Gallicis copiis, Phocenſium ducibus, Nerone, qui inde quingentas

Delphicum ſeu Pythium templum locupletiſſimum. Sceleton æneum Delphico templo ab Hippocrate dedicatum.

Delphicum templum quinquies destructum.

æneas imagines asportasse fertur, mactatis ad ostium voraginis subterraneæ, vbi latebat Diabolus, hominibus, & cadaueribus horum in specum deiectis. Sed communibus semper sumtib. restitutum ac locupletatum legimus, vsq; ad extremam euersionem, à qua non est renouatum amplius.

Non destitit enim Diabolus sui imperij ius vrgere ac defendere. Sæpe atrocibus exemplis editis in eos, qui templo vim attulissent, testatus est, hanc sibi sedem curæ esse. Crudelissimis suppliciis Phocensium duces, qui in bello sacro templi opus exhauserant, affecit & sustulit. & plura recitat in Phocicis Pausanias.

Templum Delphicum Christiani diripiunt.

Imperante Constantino, Christiani freti pij principis defensione & consensu, expoliatum templum non demoliti sunt, sed tantùm deuastarunt. Valuis enim ianuarum auulsis, destructis aris, & parietibus fœdè deformatis, tripodes aureos & argenteos Byzantium transtulerunt, cum vniuersis templi opibus, quæ inde vsque à Neronis ætate congestæ, denuò interea creuerant in immensum. Ab hac direptione, cùm postremò instauratum esset, tandem sub Iuliano, eo ipso tempore, quo is sciscitatum miserat eò, de euentu belli Parthici, quod meditabatur, fulmine cœlitus incensum totum conflagrauit. Periit incendio simul inaurata statua Apollinis, & subterraneum latentis Dæmonis domicilium collapsi templi ruinis obrutum atque obstructum, oraculi locus esse desiit.

Delphici templi postrema euersio.

Circa idem tempus Iudæi, qui Iuliani permissu conuenerant, ad instaurationem templi, atq; vrbis Hierosolymę & ruinis ac ruderibus repurgatis, iam fundamenta repararant, terræ hiatu absorpti interierunt: Ædificia verò flammis, quas hiatus simul euomuerat, cremata, non præbituram hanc terram amplius habitationem pertinaci ac maledictæ genti, testata sunt.

Eodem tempore politiam Iudaicam & oracula Diabolica Deus funditus sustulit.

Ita eodem tempore admirandis prodigiis, Deus, tum vltimos Iudaicæ gentis, in restituendis cum politia cultibus Iudaicis, conatus repressit, tum reliquias ludibriorum Diabolicorum, disturbatis & funditus extirpatis latibulis nequitiæ, scelerum ac blasphemiæ, penitus extinxit: etsi non acquieuit Diabolus, his amissis; sed mox alias infestandæ atque oppugnandæ gloriæ Dei vias aggressus, cœpit fundamenta

menta

menta struere impietatis nouæ, quæ non ita multò pòst exiguis orta initiis creuit in tantum, vt penè furores Ethnicorum superarit.

Narrant etiam fontem templo vicinum fuisse, cui nomen χασσωτὶς, qui ardentes faces propius admotas extinxerit, procul positas & non ardentes accenderit: Aqua eius ἐν τῷ ἀδύτῳ θεοῦ, *in adyto seu penetrali templi Dei*, pota, mulieribus vaticinatricem vim adferebat. Talibus præstigiis conciliauit fidem oraculis, & autoritatem eorundem amplificauit.

Fons mirabilis prope templum Delphicum.

Nec miremur talia. Retexamus maiorum nostrorum memoriam, aut ea replicemus atq; reuoluamus tempora, quæ Apostolos consecuta sunt: non longo interuallo: Nihil his dissimile admodum reperiemus. An non plus, quàm Lethæa obliuio veri Dei, Christi mediatoris, totiusq; sanioris ac purioris doctrinæ, maximam partem eius cœtus, qui Christi nomen iactitabat ac profitebatur, occuparat?

Nonne animi plurimorum, in Ethnicam persuasionem, de adoratione statuarum, fuerunt defossi, quibus tamen non Deum ipsum, sed nescio quos sanctos adesse, errore maximo & stultissimo, finxerunt?

Auxit hanc cæcitatem & furores hos Diabolus, cum voce, cantu, capitis nutu, auersione, inflexione ad latera, manuum gesticulationibus, blandiore arrisione, oculorum contractione, & minaci frontis corrugatione, aut aliis motibus, signa propiciæ, vel alienæ, auersæq;, atq; abhorrentis voluntatis edidit ex statuis: & norunt exempla maiores, quæ recitare longum esset.

Cultus statuarum oraculis Ethnicis similis.

Nonne auspicaturi aliquid vel statuas salutarunt, vel Diabolicos consuluerunt vates, vel præsidia petiuerunt, ac successus, ab idolo Maozim, quod theatricæ Missæ multo ære conductæ, impiis ritibus, & scenicis circumgestationis pompis, atq; adorationis honore cultum fuit, Deum nemo desiderauit?

MaoZim idolum.

Illi verò ad certa loca furiosi concursus, & in talem amentiam subitæ hominum conuersiones, vt prostrati ante statuas iacerent, similes attonitis, καὶ ἐκπεπυφωμένοις, *& stupidis*, quo discreparunt ab his manifestis Ethnicorum furoribus?

Manebit hostis Dei, & Ecclesiæ Christi Diabolus, vsq; ad

finem rerum, nec eorum quicquam, quibus labefactare aut inquinare inter homines gloriam Dei se posse rebitur, intentatum relinquet, præsertim vbi accommodata illi rei organa adipiscetur. Quare precemur Deum, vt contra tales nos furias defendat sancto suo Spiritu, nec sinat nos fieri *σκεύη ὀργῆς, vasa iræ.*

Pythij nomen sortitum hoc oraculum, non ab interfecto Pythone, sed ἀπὸ τοῦ πυνθάνεσθαι, *à sciscitando*, liquet: Ab oraculo verò oppidum, cui Delphorum nomen erat alioquin πύθους: & Apollo, quem hominis specie, ex solido auro conflatum, in templo venerabantur, ac præsidere loco fingebant, Pythij nomen acquisiuit: Mulierem, quæ cum halitu Dæmonem excipiebat, atq; ipso incitante, & præformata responsa suggerente vaticinabatur, Pythiam ob eandem causam, & *προμάντιν, antistitem vaticinantium*, vocabant. Plura de hoc oraculo Pausanias in Phocicis.

Dindymæi Apollinis oraculum.

Oraculum Dindymæi Apollinis, Græci alioquin Branchidarum oraculum vocarunt, à Branchio Thessalo, quem diuinitate donatum, ac receptum in numerum ac consortium deorum, quòd vaticinandi excelluisset peritia, possessionem oraculi, & cultus Apollini destinasse ac legasse fama fuit Non cessit hoc opibus Pythio.

Templum ipsum, mole & magnificentia operis admirandum, à Mileto metropoli Ioniæ, octodecim; ab Ionico littore, viginti stadiis abfuit. Cumq; Xerxes expilatum id, incendio ruinisq; deformasset, Milesij aliquanto pòst impensis maximis renouarunt, auxeruntque ædificij splendorem & amplitudinem in tantum, vt trabes mille fastigio extruendo non suffecerint.

Dindymæi Apollinis oraculum Seleuco redditum.

Seleuco Syriæ Regi, sciscitanti de suo in Macedoniam reditu, quam Syriæ, à morte Alexandri occupatæ ac defensæ virtute sua coniungere cupiebat, dissuasit consilium de reditu, Dindymæi Apollinis oraculum, isto versu:

Μὴ σπεῦδ᾽ Εὐρώπην· Ἀσίη τοι πολλὸν ἀμείνων.

Ne propera Europam, Asiæ tibi faustior ora est.

Et de morte percontanti, locum, in quo periturus esset, incertum prorsus, ambiguo responso, indicauit:

Ἄργος ἀλευόμενος τὸ πεπρωμένον εἰς ἔτος ἥξεις·
Εἰ δ᾽ Ἄργει πελάσῃς τάχ᾽ ἂν κεν παρὰ μοῖραν ὄλοιο.

Fata-

Fatales perages annos, si fugeris Argos:
Ante æuum fatale cades, cum veneris Argos.

Cùm ergo monitu oraculi caueret, & fugeret Argos omne, Peloponnesium, Amphilochicum, tertium situm in Orestia, vnde Macedones Argeadæ nominati sunt, Ionicum à Diomede errante conditum: tandẽ accedens ab Hellesponto ad vrbem Lysimachiam, post deuictum & cæsum Lysimachum, casu incidit in aram amplam magnitudine, ornatuq; splendidam, ac celebrẽ cultu, quam accolæ nominabant Argos. Ad aram illã sceleratè ex insidiis, ab hospite Ptolemæo Cerauno interfectus cõpleuit oraculi prædicta.

Ex eodem loco, ambiguo delusus responso, & in falsam spem victoriæ inductus, pœnè certò Monarcham se solum futurum credidit Licinius Imperator, ante cõflictum cum Constantino Magno, in quo, ad Chrysopolin Bithyniæ vrbem acie victus & captus, prorsus excidit imperio, quod antè cum Constantino affine & Collega administrarat pariter; *Licinius oraculo ambiguo deceptus.*

ὦ γέρον, ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταί,
Σή τε βίη λέλυται, χαλεπὸν δέ σε γῆρας ἱκάνει.

Te vetulum vexat iuuenum manus impete forti,
Et tua iam fracta est vis, aduentante senecta.

Edidit oracula Diabolus & Antiochiæ, ad idolum quoddam Iouis, cognomento φιλίου: & in Apamea Syriæ, ad statuam Iouis, cognomento Beli.

Antiochenum idolum, motu gestuque capitis & oculorum, ac totius vultus, vel arridente hilaritate, vel corrugata ac refugiente toruitate, cùm annuere requisitis, tum petita abnuere, solitum scribunt: cuius similia in plurimis statuis superioris seculi, dum Pontificij regni tenebræ viguerunt, obseruata meminerunt maiores nostri. *Antiochenũ oraculum.*

Huius idoli edicto, & propter idoli autoritatem, Imperatorum mandato, Christianos extorres actos, totaq; summotos vicinia, diu oberrasse in Asia, priusquam, recuperatis sedibus, sese rursus confirmarent, Eusebius autor est.

A Iouis Beli statua, petita responsa impetrauit L. Septimius Seuerus Imperator, & de Imperio, cũ priuatus adhuc esset & de cõditione ac statu liberorum, post mortẽ ipsius, cùm ad Imperium iam peruenisset. Priuato & dignitas Imperatoria, & victoriæ bellicæ promissæ his versibus memorantur; *Iouis Beli statua,*

Ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διὶ τερπικεραύνῳ,
Ἄρει δὲ ζώνην, στέρνα Ποσειδάωνι, *id est:*
Sic oculos, sic altitonans rex ora gerebat.
Hanc Mauors Zonam pectora Salsipotens.

Iam Imperatori, tragici ac cruenti exitus liberorum prędicti sunt his verbis: Σὸς δ' οἶκος πᾶς βήσεται δι' αἵματος, *Id est, domus tua tota peribit sanguine.*

Fuisse autem talem Seuerum, qualem pingit oraculum, &, deuictis duobus fortissimis hostibus, Pescennino nigro, & Albino, obtinuisse fastigium orbis terrarum summum, testantur historiæ.

Septimii Seueri Imp. descriptio.

Dion describens eum, inter cetera, hæc recenset: ἦν τὸ σῶμα βραδὺς μὲν, ἰσχυρὸς δέ· τὴν δὲ ψυχὴν δριμύτατος καὶ ἐρρωμενέστατος· φίλοις οὐκ ἀμνήμων, ἐχθροῖς βαρύτατος· ἐπιμελὴς τῶν πρακτέων, ἀμελὴς τῶν περὶ αὐτοῦ λογοποιουμένων, *id est: Corpore quidem erat tardus, sed robustus: acie verò mentis acerrima, & validißima: non ingratus amicis, sed aduersus inimicos acerrimus: in ea, quæ agenda erant, intentus: qui de seipso spargebantur, securus & negligens, rumusculorum.*

Respondit euentus & alteri oraculo. Nam Bassianus Caracalla, natu maior filius, & patri cædem intentauit, etsi repulsus hanc non perfecit, & hoc tandem in Britannia extincto, fratrem Getam, gliscentibus inter ipsos odiis, in complexu matris confodit, & vrbem Romam ciuibus exhaustam, sanguine eorundem inundauit.

Crateres in Sicilia, ad quos periuria explorabantur.

Ad Palicen Siciliæ vrbem, templum fuit vetustissimum, in quo crateres non arte, sed natura facti fuisse scribuntur, de quibus statis temporibus, vel scintillantes flammæ colore odoreq; sulphuris exilierunt, vel aqua erupit, quæ insolitum ferbuit, nunquam effluxit tamen, neq; exundauit. Ad eos crateres, periuria explorare vsitatum fuit incolis & peregrinis, tam certa fide, vt, cùm alia accidere paradoxa, decreto & procuratione numinis, tum præsentes pœnas in periuros irruere non dubitaretur, aliis visum amittentibus, vitam aliis, aliis progrediendi facultatem cum tormentorum aut cruciatuum horribili specie & sensu.

Oraculum Sebenniticũ.

Fuit & oraculum Latonæ inclytum in vrbe Buti, quæ Ægypti ciuitas est, sita contra Nili ostium, quod Sebenniticum vocatur. Sedes oraculi in media vrbe extructa, porticum

cum habuit decem passus altam. Ex eo Cambysi, de vitæ termino, &, quo in loco vitam finiturus esset, inquirenti, responsum datum, in Ecbatanis ipsum moriturum. Sed in dubium adductus ambiguo nomine, cùm alteræ in Syria, in Media alteræ fuerint, locum cauere nequiuit.

Idem Oraculum Mycerino Ægyptiorum regi, qui templa idolorum, quæ antecessores Cheops & Chephrenes clauserant, abrogatis ac prohibitis sacrificiis, reclusit, cultu idololatrico renouato: Ei, inquam, itidem de vita percontanti, subiecit, quòd septimo anno vitam cùm morte commutaturus esset: Cumq; hic indignabundus de Oraculo, περὶ βραχυβιότητος, *de vitæ breuitate*, expostularet, quereretúrq; sibi de templis optimè merito vitam decurtari, cùm maioribus contumeliosis in templa & religionem prorogatam multos annos sciat: iterum respondit oraculum, ideò plecti ipsum, quòd quæ deberet, non faceret. Oportere enim Ægyptum centum quinquaginta annis affligi in id tempus cùm inciderit, neq; exequatur, quod diuina exigant decreta, æquum esse, vt cedat alteri maturè. *Mycerinus Aegyptiorum Rex cum oraculo expostulat.*

Præter hoc Oraculum, quod celeberrimum fuit, claruerunt in Ægypto Herculis, Apollinis, Mineruæ, Dianæ, Martis, & Iouis oracula, alia alibi. *Aegypti oracula.*

Deliæ sortes, ob perspicuitatem & certitudinem, in admirationem venerunt, quòd sine ambiguo sensu, sineq; obscuritate, quæsita declarare persuasum erat, cùm oracula pleraq; ἀσαφῆ καὶ ἀμφίβολα, *obscura & ambigua*, esse, experientia coargueret. Annumeratur autem Delus Cycladibus insulis: Nomen vetus Ortygia est. *Deliæ sortes.*

Deli appellatio ex sortium perspicuitate tracta, & insulæ accommodata videtur. Eas Apollo distribuere & gubernare credebatur. *Deli appellatio vnde.*

Templum Apollinis mari imminebat ea parte, qua proximus in Eubœam traiectus erat, & à Tanagra, quæ vetus Eubœæ ciuitas fuisse traditur, quinq; millibus passuum distitit. Natum ibi atq; educatum Apollinem fabulantur. *Templum Apollinis in Delo.*

Aræ eius nullum animal inferre fas erat. Id Delij cùm sensissent, morbis & pestilentibus, contagiis commonefacti decreto sanxerunt, ne cadauera ibi vlla cremarentur aut sepelirentur, néve canes alerentur, quo ab omni cæde, & à *Delus à cæde & cadaueribus immunis.*

pollutione, atque inquinamentis omnibus, insula foret immunis.

Athenienses etiam oraculo iussi expiare Delum, hoc genere expiationis vsi sunt. Cadauera enim sepulchris condita eruerunt atq; asportarunt, edixeruntq;, ne quis in Delo, vel moreretur, vel nasceretur. Sed lethalibus correpti morbis, aut partui vicini, in propinquam insulam Rhenam transueherentur. Hac prohibitione satis fecisse sese Oraculo, &, ne in posterum pollueretur, præcauisse existimarunt.

In Delo ne nasceretur aut moreretur homo Atticis legibus cautum.

Mandauit talia Diabolus, vt vexaret miseros homines, & oneribus quibuscunque in officio, conceptaq; erga ipsum obseruantia, retineret.

Aram Delij Apollinis, ex dextris animalium cornibus, mira arte congestis atque coagmentatis, vt Apollinis Spodij, Thebis, ex coaceruatis crematarum hostiarum cineribus, structam fuisse perhibent.

Lyciæ sortes.

Lyciæ sortes, in Patara Lyciæ oppido, vbi Apollinis delubrum fuit, sex anni mensibus continuis distribuebantur.

Amphiarai oraculum.

Insigne fuit vetustate & religione Amphiarai vatis oraculum in Attica, cultum eo in loco, quo humatus is fuit. Ibi dormientibus, somnij specie, rarò expressa, plerunq; figurata vel ambigua, euentuum significata exhibebantur.

Paulò antè conflictum Græcorum cum Persis ad Plateas, Mardonium in hoc delubrum Amphiarai seruum misisse, vt exploraret somnio euentum pugnæ, quam moliebatur, in historiis est. Et noctu dormienti, secundum quietem visus est astare sacrorum Antistes, ac dicere; abesse iam oraculi præsidem, se suadere, vt è vestigio egrediatur templo; non licere peregrino & barbaro impune in hoc cubare loco, mox cunctantem sese manibus protrudere, renuentem & tergiuersantem lapide ferire, vt collaberetur ad terram. Hoc somnio fatum Mardonij pinxit Diabolus, qui paulò pòst in acie, lapide lethaliter ictus, concidit.

Seruuli à Mardonio missi somnium.

Templum Amphiarai.

Delubrum Amphiarai ab Oropiis, qui diuinos ei honores, ob vaticinandi peritiam decreuerunt, ex candido marmore artificiosè constructum fuit, quod qui adibãt somnia capturi, corpore prius lustrato, & diis, quorum nomina in aram incisa erant, ariete de more mactato, pellem humi expandebant, cui incumbentes quæcunq; somniassent, illa

ora-

oraculi loco habebant. Somniabant autem ea plerunq; quę à Diabolo obiiciebantur, aliàs alia ſpecie.

Vatidica quoq; ſomnia ad Canopum, in templo Serapidis, dormientibus apparuiſſe, creditum eſt: Itemq; in fano Paſitheæ, & Æſculapij in Pergamo, in Narbata apud Hyrcanos, ad aram Ardali apud Trœzenios, in qua Muſis & ſomno ſacrificia offerebantur. Σημαντικὸν, *quod aliquid ſignificaret*, aliquid ſomniaturos ibi, à cibo diem integrum, à vino totum triduum abſtinere oportebat. *Serapidis templum.* *Somnia vaticica quibus in locis exhibebantur.*

Trallibus verò in antro Charonio, apud Ægyptios in Iſidis & in Melopide ſemideæ templo, ægrotos ſomniaſſe remedia ſalutaria, de perſuaſione vulgi, exiſtimatum fuit.

Trophonij duo fuerunt oracula. Vnum Thebis in Bœotia, quod cùm conſuluiſſent Thebani, aduerſus Lacedæmones dimicaturi ad Leuctra, interea dum rem diuinam faciunt, ſeq; ad ſciſcitandum ſolenni ritu præparant, gallos continuo cantu ἐπινίκιον, *carmen triumphale*, decantaſſe ipſis, annotatum eſt. *Trophonii oracula duo.*

Alterum in Lebadia Bœotiæ claruit, vocatumque Iouis Trophonij oraculum. Fuit id in hiatu ſubterraneo, tetro, & horrido, ad quem, vno & anguſto receſſu, ſcalis deſcenſus patebat. Eò conſulturos magna cum difficultate, nudos, aut veſte alba purpuréave amictos deſcendere oportebat, placentisque Lemures demulcere ac placare, vt tutò & citra offenſam Dæmonum, ſubire ſpecum, ac reuerti liceret. Aliquot diebus ante ingreſſum, illi corpore calida abluto inũctoque ſacrificia peragebant, quæ Trophonio ipſi, liberisq; & Saturno, Apollini, Ioui cognomento Regi, Cereri, quam nutricem fuiſſe Trophonij affirmabant, ſolennia erant: deinde ad fontem λήθην, *lethem*, dictum ducebantur, vt, aqua inde hauſta præteritorum omnium obliuiſcerentur. *Oraculum Iouis Trophonii in Lebadia.*

Ritus ferè hi obſeruabantur. Deſcenſurus in antrum Trophonij, primum in veſtibulo continuos aliquot dies commorabatur, quod bono Genio, bonæq; Fortunæ ſacrũ erat. Ibi dum verſabatur, cùm aliis in rebus caſtè ſe modeſteq; gerebat, tum quotidie lauacris calidis ex Hercinna fluuio expurgabatur, & rem ſacram faciebat iis, quæ antè commemoraui, numinibus. *Ritus conſulendi oraculum Trophonium.*

Ad ſingulas victimas præſtò erat vates, & ſacrificii

viscera considerabat. Ex his perlustratis diligenter, descensurum, quo eum vultu, quo animo, placidóne, beneuoloque an verò irato atque infesto, esset excepturus Trophonius, præmonebat.

Ea ipsa autem die, qua vorago subeunda erat, ad ingressum specus arietem; Agamede inuocato, immolabat, cuius viscera vates rursus scrutabatur. Si enim horum significata à prioribus discrepassent, quæ antecesserant, omnia irrita reddebant: Si congruissent, spe bona pergere ipsum iubebant.

Priusquam irreperet in antrum, denuo noctu ad fluuium Hercinnam deducebatur, vbi duo eum pueri ciuium filij, annos nati circiter tredecim, lauabant, & oleo oblinebant. Vocabant pueros illos ἑρμᾶς, id est, Mercurios. A fluuio, sacerdotes non rectà ad oraculi sedem, sed prius ad duos fontes, qui proximè coniuncti erant, ducebant, vt ex altero aquam hauriret, quæ memoriam omnium, quæ cogitarat & norat antea, aboleret, ceu litura inducta. Eam postquam biberat, simulacrum proferebatur à Dædalo fabrefactum; cuius inspiciendi nulli fiebat copia, nisi Trophonium adituro, iubebaturq;, vt emissis id precibus veneraretur. Has vbi deblaterasset, ad oraculi sedem tendebat, tunica indutus linea, & vittis circa tunicam vinctus, atq; eius loci subligatus crepida.

Antri Trophonii descriptio.

Oraculum situm erat supra nemus ad montem, fundamentum in circuitu stratum erat lapidibus candidis, ambitus fundamenti, instar minimæ areæ, penè altitudinem duorum cubitorum æquabat: huic duo insistebant ὀβελοί, *columnæ*, ænei & quibus hi connectebantur, vincula, per quę fabricatæ patebant ianuæ. Versus ambitum, prominebat hiatus non natura factus, neq; ortus casu, sed magno artificio accuratissimè structus. huius ædificij figura furnum repræsentabat latitudine quatuor, longitudine cubitorum ferè octo, per totum eum scalæ angustæ, & teretes extensæ pertingebant in pauimentum inferius, quibus descendebat. A pauimento, alia cauerna duorum dodrantum latitudine, altitudine dodrantali ducebat in adytum imum.

Cùm ergo ad pauimentum deuenisset, melleas placentas manu præferens, pedes primò cauernæ inferebat, reliquo

sub-

subsequebatur corpore, moxque, vbi pedes immisisset, velut vndoso & impetuoso absorptus vortice, ex conspectu astantium abripiebatur.

In adyto de futuris edocebatur, quæ vel oculis conspiciabatur, vel exaudiebat, voce recitata; perceptis iis, quæ desiderabat, ceu flatu excussus prorumpebat subitò, & cum impetu, ex iisdem angustiis, per quas detractus fuerat, sed pedibus primò exertis.

Egressum sacerdotes excipiebant illicò, inque solium memoriæ dicatum collocabant, & aquam ex altero fonte haustam propinabant, quà rerum cognitarum in adyto memoria confirmabatur.

Interea eum, quæ viderit, quæve audierit, percontabantur. Vbi explorassent omnia, ministris eum commendabant, quibus tales curare mandatum erat: hi rursus in ædem bonæ fortunæ transferebant attonitum adhuc, stupentemque, neque semetipsum agnoscentem, neque quenquam circumstantium.

Occisum ibi neminem aiunt, præter vnum ex satellitibus Demetrij, qui, nullis circa templum sacris factis, nec eo animo. vt aliquid sciscitaretur, descenderat, sed spe rapiendæ prædæ, & cadauer hoc, alio in loco, non per ostium sacrum, eiectum fuisse.

Præses Delphici oraculi hoc primùm patefecit. Cùm enim Bœotij toto biennio pluuiis caruissent, poscerentque à Delphico numine rigationem terræ, Pythias, instinctu Dæmonis, monuit, ad eam rem perficiendam, opus fore consilio & opera Trophonij in Lebadia. Profecti hi quæsitum Trophonium, cùm locum nescirent, Saon, vnus ex Acrephnij oppidi Legatis, natu maximus, & gnarus ostentorum, apum examine viso, lætatus, hi, inquit, nobis duces & monstratores obiiciuntur diuinitus, atque è vestigio insecutus, quà procidit examen, antrum Trophonij, terra subruta, inuenit, salutatoque Dæmone, ritus legesque consulendi, & sacrorum morem, rationemque ædificij ex ipso didicit, deque præscripto eius oraculum instaurauit. *Origo Trophonij oraculi.*

Reuersos à Trophonio, animo mœrente, stupenteque, vultu tristi, sine risu, sineque omni lætitia, velut amentes vitam finiisse tradunt.

Statua Trophonij, non in sacello aut voragine oraculi, sed, eminente tumulo, ferreis obeliscis septa munitaq; consistebat, ac colebatur, non procul ab oraculi sede.

A Trophonio, scribunt, monitum fuisse Philippum Macedonem, Alexandri patrem, φυλάττεσθαι δεῖν τὸ ἅρμα, cauendū sibi esse Harma. Id ex euētu interpretati sunt alij de gladio Pausaniæ interfectoris, cuius capulo quiddam currui simile ex ebore insculptum fuit. Alij, Philippum circumequitantem paludem Thebanam, cognomento ἅρμα, confossum à Pausania, prodiderunt.

Oraculum Pharense.

Pharis Achaicis in medio foro simulacrum Mercurij lapideum, barbatum, nescio qua adducti persuasione, incolæ collocarant, id oracula reddere interrogantibus credebant.

Consulturi accedebant vesperi, & thure suffito supra lapideam aram, quæ ante simulachrum exquisitè fabrefacta erat, oleoq; impletis & accensis lucernis, & patrio numisma te, cui nomen erat χαλκοῦς, deposito in dextram simulachri, id, quod requirebant, admurmuratis precibus, in aurem statuæ insusurrabant, moxque, auribus suis vtrisq; obturatis, à foro domum properabant, cuius egressi limites, quamcumque vocem, subitò reclusis auribus, primò excepissent, tanquam à simulachro emissam, responsi loco amplectebatur.

Oraculum Thracium.

Thraces oraculum, Libero patri sacrum, consuluerunt: Responsa protulerunt antistites Bacchi vino ingurgitati, quo cum haurire & combibere vatidicam vim putabantur, & Bessi vocabantur: sciscitabatur autem mulier. Templum ipsum in arduis eminebat montibus.

Martis oraculum in Asia.

Apud Teucros & Mysos, Thraces, qui Asiam incolebant in honore fuit atq; admiratione oraculum quoddam Marti dicatum: ex eo discebant, si quid desiderarent.

Recensentur inter oracula & superstitiosæ obseruationes Ægyptiorum, ex Api boue, & vaticinia furiosorum sacerdotum Apollinis in Colophone, & Apollinis Clarij, qui vaticinabantur, cùm, ex quadam eius loci lacuna aqua affatim pota, vatidicis intumuissent spiritibus: Tales enim aquæ inesse opinio erat.

Apis Aegyptiorum.

Apis Ægyptiorum, qui & Serapis dicebatur, bos erat corpore niger, candida fronte, in tergo alba nota insignis, duplicibus

plicibus pilis, in cauda & lingua Cantharo notatus, quem certos vitæ annos excedere non licebat: hunc, vbi consenuisset, in lacũ demergebant ac suffocabant. & iusticio indicto, ruptis vestibus, tonso, capillitio, tuso pectore pugnis, fœdè laceratis corporibus, ingentiq; planctu edito lugebant: Cùm aliũ inuenissent, gestiebant rursum, & gratulabantur.

De secuturis euentibus indicia præbere iudicabatur, vbi pabulum manu ei porrigebatur: Hoc enim, si arripuisset auidè, prospera condicere: si præteriisset aut fastidiisset, funestum omne prænunciare censebatur.

Serapidis cultus præcipuus fuit apud Ægyptios, qua appellatione, etsi Osirin cultum atque exornatum aliqui scribunt, primos parentes tamen Deo hanc tribuisse, existimo, quòd sit æterna lux, & æterna sapientia.

Serapidis cultus.

Superstitiosa posteritas, amisso vero Deo, nomen retinuit, & cultus Deo destinatos ac debitos, ficititio idolo hoc titulo præstitit, noua subinde superstitione cumulatos.

Fana huic Ægyptus dedicauit plurima, quorum vetustissima fuerunt Memphitica, celeberrima Alexandrina.

Ægyptios imitati Græci, eidem Serapidi non pauca fana consecrarunt, assumtis sacrificiorum ritibus & religionis, qua coleretur, legibus, ab Ægyptia gente. Nam & Athenienses, & Spartani, & Messenij, & Bœotij ac plures alij hos secuti, Serapidi peculiares cultus exhibuerunt, Ægyptiorum exemplo.

A Serapide profectum fertur oraculum, de tribus personis diuinitatis, cuius suprà memini.

Id à Sacerdotibus Ægyptiis, ex veteri patrum doctrina; concinnatum reor. Non enim dubium est, veterum monumenta plurima, diu in Ægypto cura & custodia sacerdotum conseruata esse: etsi doctrinæ verus intellectus perierit paulatim, deprauatus aut petulantium, aut superstitiosorum ingeniorum commentis, quę simpliciter dicta, aut in ænigmata & allegorias transformarunt, aut picturis inuoluerunt, aut dubiis & ancipitibus interpretationibus in dubium adduxerunt.

Ab eodem oraculo deceptus Hannibal, fugit ex Aphrica ad Prusiam Bithyniæ Regem, quòd ex oraculi verbis, quæ erant, λίβυσσα κρύψει βῶλος Ἀννίβα δέμας

Hannibal oraculo Serapidis deceptus.

Libyssa corpus, Annibal, teget tuum, interiturum sese in Aphrica ratiocinaretur.

Fuit autem in Bithynia fluuius Libyssus, cui adiacentem campum vocarunt incolæ Libyssam. In eo loco, mandato Flaminij, Hannibal veneno necatus est à Prusia Rege.

Extat apud scriptores historiæ Ecclesiasticæ, descriptio & templi Serapidis, & Idoli portentosæ magnitudinis, & præstigiarum mirificarum, quibus templi Antistites, imitati Diaboli artificia, imposuerunt miseris hominibus.

Templum Serapidis.

Templum stetit ad Theodosij seculum vsque, quo id Theophilus Alexandrinus Episcopus deleuit funditus statua idoli lignea dissecta ac cremata. Parietes triplicibus diuersæ materiæ laminis aureis, argenteis, & æneis obductos, ac velut incrustatos fuisse, authores prodiderunt, iisque ad eum modum coaptatis inter sese connexisque, vt, amotis anterioribus, superessent & conspicerentur posteriores, opere pænè stupendo.

AEgyptiorum oracula.

Ad eundem modum Memphi ex vacca, Heliopoli ex boue Mneo, in Arsinoe ex Crocodilis, coniectati sunt de futuris. Prout enim oblatas escas, vel accepissent, vel aspernati fuissent, sic felices & optatos exitus, vel contrà graues luctus, repentina incommoda, dira ac pestifera omina, præmonstrare putabantur.

Oracula Memphitica, sacrorum Ægyptiorum Antistites reddebant sciscitantibus, cùm ex his Idolorum commenticiis indicationibus, tum ex aliis, vel superstitiosis obseruationibus, vel Diabolicis præstigiis. Sed longum esset Diaboli ludibria & præstigias omnes, saltem in historiis hinc inde notatas, enumerare.

Hæc ferè præcipua fuerunt Diaboli domicilia, ex quibus eum suas, quas in maximam partem orbis terrarum disseminarat, blasphemias proclamasse & stabiliuisse, certò constat.

Etsi autem, quando ea primùm obsederit, quandóve sese in his manifestò ostenderit, sciri non potest: tamen horrendas idololatrias mox à diluuio, viuente adhuc Noha, irrupisse in Ecclesiam Dei, quas in sua posteritate, non sine magno dolore miser senex aspexit & tulit, cùm prohibere non posset, testatur historia sacra, eaque occasione

patefa-

patefactas tum quoque oraculorum ſedes, valde conſentaneum eſt.

Plutarchus originem eorum non refert *εἰς θεοὺς, ἢ δαίμονας ἀγαθοὺς, ἢ ἥρωας: ad deos, aut dæmonas bonos, aut heroes.* Non diuina aliqua vi terram incitatam vatidicos anhelitus edidiſſe vult, quam nulla vnquam confeciſſet vetuſtas, ſed prorſus naturali: Ortos verò inde afflatus mentes ità mouiſſe, vt eas prouidas rerum futurarum effecerint, vt non modo præuiderint eas multò antè, ſed etiam numero verſuque pronunciarint. *Plutarchi diſputatio de oraculis.*

Sicut aliæ terræ aliis fœcundiores ſunt, quædam lectas fruges, magna copia, quædam fructus optimos vbertim ferunt, quædam auri, argentique, aut aliorum metallorum venis abundant, quædam bitumen fundunt, quædam ſulphur, nitrum, aut calcem ſalémve gignunt, prout quæque vim ex temperie primarum qualitatum diuerſam, cœlique poſitu familiari adeptæ ſunt: ſic quaſdam terræ partes tali præditas temperamento diſputat, quæ pariant cieantque ſpiritus *ἐνθουσιαστικοὺς numinis afflatu conceptos*, eamque vim *θεῖαν* quidem *ὄντως καὶ δαιμόνιον, ἀλλ' οὐδ' ἀνέκλειπτον, οὐδ' ἄφθαρτον, οὐδ' ἀγήρω καὶ διαρκῆ εἶναι εἰς ἄπειρον χρόνον, planè diuinam, neque tamen inexhauſtam, nec interitus & ſenij expertem, nec perennem eſſe infinito tempore*: ſed longinquitate temporis ſenſim attenuari atque exhauriri, vetuſtate prorſus conſumi. Nec gignit tantam ſpirituum copiam aſſiduè, nec fluere atque expirare continuò, ſed periodis certis tum commouere ſeſe eam vim terræ, atque æſtuare, & efferueſcere, tum maiore halituum copia voragines implere, quàm vt contineri poſſint. Hoc vbi fit, tum demũ halitus agitatos in cauernis, luctanteſq;, atq; erumpere nitentes, allidi violenter parietibus, & ſuperſtructa templa quatere, vt velut terræ motibus impulſa tremant, alibi plus, minus alibi, prout hiatus, vel laxiorib. foraminibus peruij, vel arctius concluſi atq; obſtructi, ſpiritus diutius cohibent: tandẽq;, exitu inuento, per anguſtos aditus, cum fragore vehemẽti, & citato impetu foras ruere.

Et variare circuituum etiam interualla, pro terrarum natura Breuiori ſpacio has ſpirituum eruptiones recurrere, vbi terræ vis viget, & idonea adeſt materia, quam illa ſubigens atq; elaborans vatidicos halitus exprimit, & matura-

tionem iuuat ac promouet: tardius, & post interualla longiora redire easdem, vbi vis effectrix spirituum languet, aut materia minus est sequax & idonea. Ob eam causam, in quibusdam locis, toto semestri; in aliis, certis diebus tantùm responsa reddita fuisse.

Deniq; tum primùm eam se vim terræ exeruisse, & innotuisse, quando exactè maturuit, longo tempore, astrorum terræq; efficacia, qualitatibus exquisitè fortiterque inter se mixtis coctisq;, & temperie integrè absoluta. Rursusque, circumacta periodo, sensim defecisse, tandemq; euanuisse, vel languefacta aut dissoluta temperie qualitatum illi actioni accommoda, vel materia spirituum consumta ac dissipata.

Certiora etiam verioraq; prodiisse responsa, quò acrior, purior, elaboratior, & politior: Obscuriora rursus, & magis implicata, aut ambigua, quo hebetior aut impurior terræ vis naturaque spirituum fuit.

Sicut Ætna mons tunc exarsit, cùm sulphuris bituminisque materia, diuturnitate exactè cocta, flammas concepit: & quanquam flagrauit continuo incendio, non tamen eodem modo semper, aut ardentium fauillarum eructauit molem, aut globos est iaculatus igneos: sed habuerunt circuitus illa suos, & interualla, desiitq; incendium, postquam ea, quæ fomitem flammæ pabulumque suppeditarat, materia confecta atque exesa deflagrauit.

Quòd verò missi de specubus halitus, neq; quosuis afficiant, neq; quorumcunque animos vatidica vi imbuant, etsi plures circumstent id fieri, ob sympathias & antipathias naturarum, ostendit. Oportere enim analogiam esse & συμπάθειαν *conuenientiam naturæ*, inter agens & patiens.

Vt non ex quouis ligno fit Mercurius, ita non quemuis ab allisis immissisque corpori halitibus immutari. Eos tantùm concipere vatidicos impetus, & hos etiam pro ratione suarum naturarum diuersos, qui natura sunt φανταστικοὶ & μαντικοὶ *ad concipienda visa & diuinationes idonei*, & vt ipsius verbis vtar, πρὸς τὸ παθεῖν καὶ μεταβαλεῖν οἰκείως ἔχουσι, *qui ita comparati sunt, vt sint ad perpeßionem & mutationem accommodati*; quales Melancholicos esse constat.

Si sit ἀντιπάθεια, *discrepantia ac dissensio*, naturarum vtrarumq;, terræ & hominum, non modò nihil μαντικὸν *vatidicum*,

rum, afflatu halituum effici, sed insigniter lædi, & sæpe velut veneno infici, aut strangulari eos, qui quadam curiositate prænotionem futurorum captant: Sæpe decipi, & in errores induci, aut coniici in opiniones falsas, incertas & ambiguas. Turbari enim mentem, illa naturæ suæ aduersa halituum constitutione, & à conspectu veritatis deiici.

Inde existere, vt alij clara explicataque, obscura alij & prorsus ancipitia oracula, eadem perciti ac delibuti halituũ vi prodant. Requiri ergo, præter vim terræ & halituum, *φύσιν μαντικὴν, naturam vatidicam*, in homine, naturæ terræ congruentem. Sic enim inquit. Ὅταν ἁρμοστῶς ἔχῃ πρὸς τὴν τοῦ πνεύματος, ὥσπερ φαρμάκου κρᾶσιν, ἡ φανταστικὴ καὶ μαντικὴ δύναμις ἐν τοῖς προφητεύουσιν, ἀνάγκη γίνεσθαι τὸν ἐνθουσιασμόν: ὅταν μὴ οὕτως, μὴ γίνεσθαι, ἢ γίνεσθαι παράφορον, ἢ ἀκέραιον καὶ ταρακτικόν, ὥσπερ ἴσμεν ἐπὶ τῆς ἔναγχος ἀποθανούσης Πυθιάδος, id est: *Cùm ea pars, quæ visis afficitur, & diuinat, probè affecta est ad afflatus, tanquam medicamenti temperationem: tum in vatibus diuinum furorem generari necesse est: sin secus, vel non oriri, vel oriri tumultuosum, importunum, turbulentum, vt cognouimus in Pythia, quæ nuper mortua est.*

In hanc ferè sententiam de Oraculorum origine, duratione, periodis, καὶ περὶ τῆς ἀμαυρώσεως καὶ ἐκλείψεως τῶν χρηστηρίων, *de abolitione & defectu oraculorum*, disputat Plutarchus, concluditque, non alia de causa tandem consiluisse oracula, quàm quòd vetustate vis terræ omnis exoleuerit, quæ vatum animos diuino afflatu concitarit, vt quosdam exaruisse amnes, aut alueos mutasse cernimus, cursu contorto aliô. Non enim posse, aut perpetua esse, aut diu consistere atque vigere, quæ mixtione constant elementorum.

Quanquam autem hæc ab homine philosopho pulchrè cogitata sunt: tamen ratione carent & fundamento, atq; ipsa rei veritate redarguuntur. Non enim consentaneum est à prorsus bruta, rationisq; & sensus omnis experte, & nata ex elementis natura, cui ne minimus quidem inest sensus, vel præsentium, vel futurorum, quæque regitur & sustentatur ea vi sola, quæ indita ei primitus ab opifice Deo, suo ordine tenoreq; procedit, ab ea, inquam, consentaneum non est, cieri *ἀναθυμιάσεις expirationes* effectrices noticiarum, argutissimè & sapientissimè ad veritatis speciem confictarũ & mo-

Plutarchi sententia de oraculis refutatur.

pitrices de futuris & ignotissimis rebus, atque adeò illis, quarum præscientia expetitur & desideratur.

Solius hæc sunt naturæ intelligentis, atque eiusmodi quidem, quæ ex oculis hominum abdita, naturam rerum penitus intelligit, & intimos animorum recessus vel perspicit, vel ex gestibus externis coniectat, quæque maximam partem eorum, quæ denunciat, cùm præuidet multò antè, tum gerit aut gubernat.

Quòd si intellectum & præsensionem oraculorum præcipuè naturis hominum tribuit, tanquam ex se gignat ea mens natura φανταστική, *vt visis pellatur idonea*, sed impulsa prius ac velut excitata flatibus, quos terra emittit & efflat; quæro, vnde illæ extiterint noticiæ, longè supra & extra conspectum humani ingenij positæ, quas de summis rebus, & post multos annos consecuturis, deque absconditis prorsus, aut in diuersissimis terræ partibus gerendis, subitò, quamprimum afflati spiritu intumuissent, non inspectis nec antè consideratis signis vllis, promulgarunt?

Aut enim inspiratas vatum animis cum halitibus, aut in ipsis vatibus natas fuisse oportet. Sed ab halitibus profectas, prorsus rationi non consonum, & ἄτοπον, καὶ ἀδύνατον, *absurdum est & quod fieri non potest*. Longius à veritate recedimus, si affirmamus, vates perculsos atq; extimulatos conuenientium halituum impetu, eas ex sese sua vi genuisse.

Innascitur quidem aliquibus, ex singulari stellarum positu, vis coniectatrix, de causarum signorumque naturis, quæ vel sensibus, in natura, obuia sunt, vel ratione notantur, vel somnij specie dormientibus apparent, & alij aliis felicius futura præsagiunt. Sed nullius est hominis acumen tantum, aut tanta perspicacia, quæ, vel si rumpatur aliquis, peruestigare possit, atque eruere indagatione, meditationeque, & notatione quantumuis sedula & anxia, talia, qualia sæpè oracula aperuerunt: multò minus posset ex sese repentè & incogitanter, quamprimum esset declarata interrogatio, accommodata responsa, & miranda specie, ancipitibus innexa sententiis, atque ad distrahendos animos artificiosissimè adornata, promere.

Restat ergo, vt cum halitibus, excussis egestisve de specubus, coniuncta fuerit alia vis maior, quam etsi diuinam

καὶ δαιμόνιον fatetur fuisse Plutarchus, tamen non ab essentia halituum separat, neq; aliunde, quàm è terræ tali constitutione propagatam statuit. Sed & τῷ ὅλῳ γένει, *toto genere*, diuersam fuisse, & à terræ atq; cuiuscunq; corporeæ rei natura separandam esse, quæ hactenus exposita sunt, conuincunt. Oportuit enim affuisse naturam spiritualem, ἀόρατον, *visui non expositam*, intelligentem, astutissimam, consciam præcipuorum negotiorum & rerum, quæ in toto terrarum orbe præcipuè tractabantur, futurorumq; præsagam ac præsciam, cùm à diuersissimis, & ex disiunctissimis terræ partibus responsa poscerentur, de variis & maximi momenti rebus, & de singulis ferè aliquid, vel disertè atq; explicatè, vel inuolutè, vel ambiguè pronunciaretur. Talis verò vel diuina fuit, vel Dæmoniaca: Sed Dæmoniacam fuisse, tum promulgata oracula ostendunt, tum sacræ probant literæ.

Vaticinia pleraq; vel falsa veritatis specie, tetriora mala inuexerunt, vel idololatricos cultus, horrendamq; & commenticiam, de pluribus diis, persuasionem manifestè stabilierunt, vel turpissima quæq; ac sceleratissima, & natis nobiscum notionibus, & de cœlo prolatis testimoniis ex diametro contraria, vt iniustas cædes, rapinas, fœdas libidines, mactationes hominum, aut alia huiusmodi, exegerunt. *Oracula Ethnica à Diabolis patefacta.*

Certa est autem & immota sententia, quòd vnus sit Deus, qui est pater Domini nostri Iesu Christi; & Iesus Christus, Filius λόγος καὶ εἰκὼν ἀΐδιος τοῦ πατρὸς ἀϊδίου, *sermo & imago æterna patris eterni*; & Spiritus sanctus ab vtroque procedens; quòd is solus sit verax, & oderit mendacium immutabiliter, ac detestetur & condemnet peccatum omne: Sicut Psalmus inquit, Non Deus volens iniquitatem tu es, neq; habitabit iuxta te malignus: Non permanebunt iniusti ante oculos tuos, odisti omnes, qui operantur iniquitatem; perdes, qui loquuntur mendacium. Et de Diabolo dicitur, quòd sit homicida, & mendax, & pater mendacij, quòdq; mendacia loquatur ex propriis.

Non fuit ergo ab vlla corporea natura origo oraculorum, neq; ob vllius corporeæ vel naturæ, vel virtutis defectum extincta sunt: sed latuit in specubus illis Diabolus, & cùm euocaretur, in suos, quos huic ministerio depoposcerat, & destinarat ministros, halitibus circũdatus inuolauit, ho-

rumq; alios aliis exagitauit modis, quibusdam furentium, nonnullis ebriorum, aliis trementium, aut ridiculè gesticulantium motibus affectis: Nonnullis totum corpus, ceu articulis tormento laxatis diuulsisq; eneruauit, aut trepidantium aut palpitantium musculorum speciem induxit, aut linguas imbuit, ne proloqui possent, vt postea, vbi de obsessis egerimus, copiosius exponemus.

Oracula euanuerunt, nato Christo.

Tandem verò, nato Christo, æterni Dei filio, conticuerunt Dæmones, desertisq; nequitiæ suæ latebris cesserunt, non sponte, sed coacti horribili metu omnipotentiæ Christi, & æternæ condemnationis sui, quam instare iam atque imminere cernebant. Et verè ἐμωραίνετο σοφία κοσμική, γοητεία ὕθλος ἦν, καὶ γέλως ἡ μαγεία, πᾶς δεσμὸς κακίας ἠφανίζετο, ἀγνοίας ζόφος διεσκεδάννυτο, καὶ τυραννικὴ ἀρχὴ καθῃρεῖτο: θεοῦ, ὡς ἀνθρώπου φαινομένου, καὶ ἀνθρώπου ὡς θεοῦ ἐνεργοῦντος: *id est, In stultitiam euasit mundana sapientia, nugæ sunt ac risus carminum, & magorum præstigiæ, vinculum omne malitiæ euanuit, caligo ignorantiæ discussa est, & potestas tyrannica sublata,* Deo *in hominis forma apparente, & homine in* Dei *efficacia.*

Norant enim eo missum Christum, vt destruat opera Diaboli, & generi humano in integrum restituto, opituletur contra tam sæuam rabiem, ex Zachariæ prophetiis multò antè diuina voce traditis. Inquit enim Zacharias: Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltrà, & spiritum immundum, & Pseudoprophetam auferam de terra.

Contremiscunt & pœnè deficiunt Dæmones in obsesso, qui Christo occurrit, exclamantq;, Filij Dei, cur venisti nos cruciare ante tempus?

Diaboli præsagiunt interitum oraculorum.

Extat, inter Sibyllinos versus, vaticinium simile, de abolitione oraculorum: quod, etsi ex euentu contextum, insertumq; mutilo carmini videtur, alludit tamen ad Zachariæ prophetiam, ῥώμη μὲν ῥύμη ἔσσεται, καὶ Δῆλος ἄδηλος, *Romæ vrbi vicus erit, nec Delum moueris ipsam.* Et insulæ Deli deuastationem Delphicus Dæmon non obscurè innuit, eo versu, qui extat apud Herodotum,

Κινήσω καὶ Δῆλον, ἀκίνητόν περ ἐοῦσαν:

Et Delon, quamuis sit adhuc immota, mouebo.

Idem Augusto Cæsari interroganti Pythiam de succes-

sore,

ſore, qui poſt ipſum futurus eſſet orbis terrarum Monarcha reſpondit:

Παῖς ἑβραῖος κέλεται με θεοῖς μακάρεσσιν ἀνάσσων
Τόνδε δόμον ἀπολιπεῖν, καὶ ἀΐδην αὖθις ἱκέσθαι.
Λοιπὸν ἄπιθι σιγῶν ἐκ βωμῶν ἡμετέρων.
Me puer Ebræus iubet hinc, rex ille deorum,
Tartareas remeare domos, hac ęde relicta.
Post ergò ora tenens, altaria nostra relinquas.

Extorſit tales voces vel inuitis conſpectus pœnarum & cruciatuum, quos ſeſe paulò pòſt profligatos vinctosque à Filio Dei, ſubituros, & in omnem æternitatem perpeſſuros præſentiebant. Angebātur & de regni ſui interitu, vimq; miniſterij Euangelici reformidabant. hoc enim potentiam Dei eſſe ad ſalutem omni credenti ex genere humano, non ignorabant, & eodem tum detegi technas ſuas atque impoſturas, quas impune, ſucceſſu optatiſſimo, longo tempore exercuerant. tum proſterni euertique funditus, quæ callidè ſtructa firmarant accuratiſſimè, tum frenos ſibi ac vincula iniici, excutique ſeſe dominio antiquiſſimo inter Ethnicos, videbant.

Omni tempore lucem doctrinæ veræ refugerunt atque expauerunt Dæmones, quòd, hac eniteſcente, ſuam periclitari, & mox ruere potentiam, diſcuſſis fulgore lucis, fugatisque tenebris, quibus tota ipſorum maieſtas nititur, magno ſuo cum detrimento didicerunt.

Meminimus hæc ætate noſtra, cùm Lutheri opera, Eccleſiæ doctrina ex tenebris euoluta, repurgataque à cœno errorum pœnè infinitorum illuxiſſet rurſus, mox poſt vnum atque alterum annum, tetra Diaboli ludibria, ex locis Germaniæ pleriſque, quibus ad ſe imperitam multitudinem deceptam allexerat, diſperiiſſe, nunc verò etiam hominum memoriæ excidiſſe, luce doctrinæ ſopita: & Diabolum ipſum hac, ceu amuleto quodam exterritum atque abactum, à præſtigiarum mirificarum, quas antè exercuerat, molitionibus & illuſionibus deſtitiſſe apud eos, qui lucem doctrinæ amplexi ſunt.

Eccleſia doctrina repurgata multas Diaboli præſtigias ſublatas eſſe.

Sed ne quidem Apoſtolorum concionibus protinus ſe cōpeſci, & ex poſſeſſis tāto tempore ſedibus eiici, paſſus eſt, etſi

paulatim magis magisque inclinari potentia, & ruere cœpit autoritas, quò lux doctrinæ clarius effulsit, & latius sese diffudit huius splendor.

Diabolus hostes Ecclesiæ & hæreticos excitat.

Quocirca, vt aliquam ruentis potentiæ partem tueretur ac retineret, incitauit quantis potuit conatibus, summos Monarchas quidem, & profanam multitudinem, ad immani crudelitate persequendos veræ doctrinæ præcones, & Filij Dei legatos, à quibus oppugnabatur. Astuta verò & perniciosa ingenia, ad veritatem artificiosè eludendam, & nouo captuiq; accommodato imposturarum genere obruendam, priusquam, adauctis viribus, inualesceret & consisteret.

Quibus enim non suppliciorum & tormentorum exemplis in Christianos, Imperatorum mandato, per annos amplius quadringentos sæuitum? Quid non, in doctrina de Filio Dei, sophismatum callidè fucatis artificiis laceranda, tentatum est?

Oracula verò etiam, post Christum, non solùm à stulta plebe, inueteratæ superstitionis ritu & consuetudine sed ab ipsis etiam Monarchis ac Principibus mordicus defensa, & culta consultaque religiosè, accepimus, ad Iulianum vsque quo cum cœlesti fulmine percussum Delphicum conflagrauit, sicut dictum est, eodemque tempore obmutuerunt & cetera, vbiq; locorum.

Iulianus vltimus qui oracula consuluit.

Vltimum enim Iulianum cum diuinatoriis gentilium artibus, vt auguriis, extispicina, & similibus vsum, tum oracula percontatum reperio, cui & postremo cupienti præscire exitum susceptæ contra Persas expeditionis, promissum fertur auxilium, in hanc sententiam, ab oraculis: Νῦν πάντες ὡρμήθημεν θεοὶ νίκης τρόπαια κομίσασθαι παρὰ Θηρὶ ποταμῷ, τῶν δ' ἐγὼ ἡγεμονεύσω θοῦρος πολεμόκλονος Ἄρης. id est, *Nunc omnes dij ad Theram fluuium appulimus, relaturi tropæa victoriæ: horum ego dux ero acer belli turbo Mars.* Sed, mendacis oraculi falso promisso in spem victoriæ erectus, in ipsa profectione periit sagitta ex incerto missa traiectus.

Extant & alia eidem reddita oracula falsa, quibus, ad defensionem templorum idololatricorum pœnè collapsorum, fuit incitatus adulatione mendaci & falsa.

Ἀλλ' ὁπότ' ἂν σκήπτροισι τεοῖς περσήιον αἷμα

ἄχρι

ἄχρι σελευκείης κλονέων ξιφέεσσι δαμάσσῃς.
δὴ τότε σὲ πρὸς ὄλυμπον ἄγει πυριλαμπὲς ὄχημα,
ἀμφὶ θυελλείῃσι κυκώμενον ἐν στροφάλιγξι,
ῥύψαντα βροτέων ἐτέων πολύτλητον ἀνίην:
ἥξεις δ' αἰθερίου φάεος πατρώιον αὐλὴν,
ἔνθεν ἀποπλαγχθεὶς μεροπήιον ἐς δέμας ἦλθες.

Iamq; vbi Persigenam gladio victore domabis
Vsque Seleuceæ sternens ad mœnia gentem.
Tum te flammiuomi rapient ad sidera currus,
AEtherios inter ventoso turbine gyros,
Mortali humanis posito cum corpore curis.
Atque ita cœlesti patriam splendore reuises,
Vnde es mortales quondam delapsus in artus.

Et huic simile agenti ad Chresphontem renunciatum est.

γηγενέων ποτὲ φῦλον ἐνήρατο μητίετα ζεὺς,
ἔχθιστον μακάρεσσιν ὀλύμπια δώματ' ἔχουσι,
ῥωμαίων βασιλεὺς Ἰουλίανος θεοειδὴς
μαρνάμενος περσῶν πόλιας καὶ τείχεα μακρὰ,
ἀγχεμάχων διέπερσε πυρὶ κρατερῷ τε σιδήρῳ
νωλεμέως δ' ἐδάμασσε πόλεις τε καὶ ἔθνεα πολλά.
ἀλλὰ καὶ ἑσπερίων ἀνδρῶν Ἀλεμανικὸν οὖδας
ὑσμίναις πυκινῇσιν ἑλὼν ἀλάπαξεν ἀρούρας.

Terrigenum quondam strauit Saturnius agmen,
Cœlicolum diuo populo quod bella parabat.
At dux Iuliane inuicte clarißime Romæ
Tu Persas bello profligas, mœnia, & vrbes
Diruis, & ferro ac hostilibus omnia flammis
Vasta facis, populisq; domas compluribus vrbem.
Quin etiam, occiduis Alemanæ gentis in oris,
Prosternisq; acies, & agros populare feroces.

Sed veri quid habuerint hæc responsa, declarauit exitus paulò pòst consecutus.

Ex his liquet, oracula omnia, quæ sic propriè voco, referenda esse ad diuinationes Diabolicas, quarum vsus cùm aliàs, tum primo Decalogi præcepto prohibetur seuerissimè, & atrocissimarum pœnarum comminatione: Non habebis deos alienos coram me. Non vult nos Deus societatem inire cum Diabolis, aut sciscitari quicquam, vel poscere ab

Oracula pertinent ad Diabolicas diuinationes.

Oracula à Deo seuerè probibita.

ipsis: sed vult nos ardenter odisse eos, auersariq; atq; abominari consuetudinem omnium confœderatorum Diabolis, & diligentia, ac piis precibus vitare retia ac laqueos, quos immensa calliditate vndiquaque nobis obtendunt. Cúmq; intelligamus, quibus occasionibus primò irrepserint in animos hominum, & suos furores promserint atq; inuexerint, nimirum eleuata autoritate verbi Dei, aut sophismatum præstigiis elusa: commonefacti his veteribus & recentibus exemplis, maiore diligentia incumbamus in studium verbi Dei, non petulanter explicatam doctrinam deprauemus, non seramus contentionum, aut nouarum & peregrinarum disputationum semina, nec præbeamus ansam hostibus Diabolis nos inuadendi: & seriò petamus, vt Deus, & hanc lucem doctrinæ foueat ac tueatur, & corda nostra spiritu sancto ad se conuertat ac dirigat.

DE ALIO DIVINATIONVM GENERE, QVOD ΘΕΟΜΑΝΤΕΙΑΝ VOCARVNT.

Θεομαντεία prophetiæ oppositum.

EX diametro contraria est Prophetiæ, falsò vocata à Græcis *θεομαντεία, id est, Dei vaticinium.* Illa enim, autoritate mandatoq; veri Dei, & ductu monituq; Spiritus sancti, in eo cœtu, in quo erat Ecclesia Dei de rebus grauissimis atque inperuestigabilibus omnibus creaturis, & pertinentibus ad Ecclesiam, aut regna mundi, edebatur ab iis, quos Deus ipse huic muneri immediatè delegerat ac dedicarat, dotibusque diuinis, & illustribus testimoniis ornarat & commendarat, vt certò constaret, missos hos esse diuinitus, instructosq; labi atq; errare non posse.

Hæc in contumeliam veri Dei, & perniciem generis humani, vel palàm, vel tectè atq; insidiosè, impulsuq; Diaboli, promitur ab illis ipsius internunciis, interpretibus & administris, quos vel totos obsessos manifestè regit ac ducit, vel raptos extra sese phantasiis erroneis & commenticiis

prorsus implicat, vel quibus ascititia aliqua sese specie exhibens, prætextu religionis, aut alioquin suum insibilat atq; inhalat virus. Semperq; quantacunq; sit velata religionis specie, occulit subtus latens atro felle tinctum venenum, quo vel gloria Dei petitur, vel hominum salus, vel vtrumq;.

Plato hanc propriè *μαντικὴν, diuinationem*, appellat, cumq; in Phœdro de vocabulo disserit, *μανικὴν, furiosam*, antea vocatam, posteriores *ἀπειροκάλως τὸ ταῦ ἐπεμβαλόντας μαντικὴν, imperitè & inscitè interiecta* T *litera* appellasse ait.

Nunquam enim sine furore, sineq; perturbatæ & aberrantis rationis euersione, prodebant oracula, *οἱ θεομάντεις, vates.*

Idcirco Plato duo distincta facit τῆς *μανίας, insaniæ* genera. Vnum quod vitio euenit valetudinis, cerebro malè affecto ab humore melancholico, quod maniacis, melancholicis, & phreneticis accidit. Alterum, quod afflatis obsessione à Dæmonibus proprium est, cuius prædicunt futura nec præuisa neq; intellecta sed à Dæmonibus suggesta. *Μανίας duo genera secundum Platonem.*

Aristoteles contra Platonem disputat, nullam accedere vim vatidicam extrinsecus, sed à natura oriri omnem & peculiari huius constitutione atq; affectione.

Huius etsi vim magnam esse præstantia excellentium ingeniorum declarat: tamen non ex materia nasci, nec cieri à sola natura bruta corporum, præsensiones, præuisionesq; tam argutas futurorum, ratione turbata, & mente furoribus implicata, sed ab alia natura non bruta, sed intelligente non corporea, sed occulta & spirituali, rectè Plato censuit, etsi, quæ fuerit illa, non rectè diuinat.

Μαντικὴν enim *κοινωνίαν* esse, inquit, *περὶ θεοὺς, καὶ ἀνθρώπους, πρὸς ἀλλήλους, καὶ δημιουργὸν τῆς θεῶν καὶ ἀνθρώπων φιλίας*: denique *χρησμῳδοὺς θεομάντεις, ποιητὰς*, & ceteros vates, *θείους εἶναι, καὶ ἐνθουσιάζειν ἐπίπνους ὄντας, καὶ κατεχομένους ἐκ τοῦ θεοῦ. id est, Diuinationem, consociationem esse deorum & hominum, & conciliatricem amicitiæ inter ipsos item fatidicos, vates poetas, diuinos esse, & numine diuino afflatos, ac correptos à Deo.* Cumq; *μαντικὴν diuinationem* omnem in quatuor diducat genera, Vnam *ἐπίπνοιαν μαντικὴν, vaticinij inspirationem*, in Apollinem autorem: alteram *τελεστικὴν. mysteriorum vim atq; efficaciam*, in Dionysium: tertiam *ποιητικὴν, poeticam*, in Musas; qualis fuit Orphei, Musæi, Lini, Tyrtæi: vltimam *ἐρωτικὴν, amatorium furorem*, in Venerem refert & Cupidinem. *Μαντικὴν in quatuor genera diuidit Plato.*

Quid verò, ex sua Theologia, diceret aliud homo Dei ignarus, & patefactionum diuinarum, & qui inter actiones, & opera Dei propria, & inter præstigias Diaboli, operum diuinorum imitatrices, discernere nequiuit? Is igitur, quid diceret aliud, cùm obsessos rapi constituique extra sese, & mente moueri ac ratione, & prodere ac fundere subitò nec præcogitata, aut præconcepta, neque ex argumentis physicis coniecta, animaduerteret, de iis rebus, quæ sub sensum non cadunt, & excedunt omnis humanæ sapientiæ acumen omnem ingeniorum captum, prospectumque, & perspicaciam, omnium deniq; virium modum ac mensuram, & tam obscurè sæpe atq; ambiguè, vt, quæcunque adhiberentur coniectiones atq; explanationes interpretum, frustra declaratio vera quæreretur.

De prophetia, in Ecclesia Dei, rectè dixisset Plato, quòd sit *κοινωνία*, seu coniunctio, consociatioque cum Deo, qualem *κοινωνίαν* fieri sacræ literæ nos docent, cùm fide seu fiducia Filij Dei, Domini nostri Iesu Christi, credentes in Ecclesia Filij Dei accipiunt Spiritum sanctum, cuius missio & effusio est donum Filij Dei, sicut Paulus vocat *δωρεὰν*, *donum* Christi, & contingit credentibus *ἐξ ἀκοῆς πίστεως, ex auditu per fidem*.

Est enim Pater *ἡ ἀρχὴ καὶ πηγὴ ἀγαθῶν*, causa & fons bonorum æternorum ac salutarium: Filius *ὁ ἐξαποστείλας*, id est, illa persona diuinitatis, quæ immittit Spiritum in corda credentium, ad distributionem bonorum æternorum: Spiritus sanctus *ὁ διανέμων*, id est, tertia persona diuinitatis, quæ credentibus distribuit æterna bona, *τὰς διαιρέσεις τῶν χαρισμάτων, discrimina donorum*, efficienter, *κατὰ τὸ μέτρον*, & *καθὼς βούλεται, secundum mensuram, & prout vult*, sicut inquit Paulus.

Cùm ergo per fidem haustus acceptusq; Spiritus sanctus efficienter viuificat, renouat, sanctificat, & instaurat corda nostra, accensa æterna luce, & nouis spiritualibus, atque ardentibus motibus, fiunt illa templa Dei, in quibus habitat tota diuinitas.

Hæc est *κοινωνία, communio*, qua se Deus communicat piis, fide acquiescentibus in ipso, qui suam nobis, in æterno Filio, misericordiam expressit, & posuit ante oculos.

Ex hac communicatione, pij & credentes non concitantur

tur in furorem, non amittunt mentem & rationem, non in flagitia & scelera vel sese præcipitant, vel impellunt alios, quod furibundis vatibus Ethnicorum, impletis Diabolico spiritu, eueniebat, sed confirmati & adiuti crescunt in vera Dei cognitione, fide, inuocatione, timore, obedientia erga Deum, castitate, & aliis dotibus, ac virtutibus, quibus exornantur & instruuntur singuli à Spiritu sancto, serio ardentiq; harum virtutum exercendarum & augendarum studio atq; conatu, κατὰ τὴν ἐνεργουμένην δύναμιν, *secundũ vim efficacem*. Est enim Spiritus sanctus πνεῦμα τῆς ἀληθείας. τῆς πίστεως, τῆς σοφίας, τῆς ἁγιωσύνης, τῆς προφητείας, τῆς πρᾳότητος, τῆς ζωῆς, *spiritus veritatis, fidei, sapientiæ, sanctimoniæ, prophetiæ, mansuetudinis, vitæ*. De hoc dicit Filius Dei: Non loquetur ex seipso, sed quæ audiuerit ex me. Et: Ille glorificabit me, quoniam de meo accipiet. Ergo reguntur & ducuntur spiritu Dei, qui gloriam Filij Dei illustrant & amplificant.

Diabolus ψεύστης ἐστὶν, καὶ ἀνθρωποκτόνος, πνεῦμα πονηρὸν, πλάνον, ἀκάθαρτον, *mendax est & homicida, Spiritus malus, impostor, immundus*, qui ex sese gignit vomitque mendacia, & de sese, contra Filium Dei.

Ex hoc spiritu mendacij, furibundi vates Ethnicorum hauserunt suum cum furiosa amentia coniunctum impetum vatidicum, quo ita fuerunt dementati, vt semel tali furore perciti, vix vnquam sese receperint: qui quidem non omnes eodem furoris genere perculit, neque eadem furoris vehementia, neque eodem modo vim mentis deprauauit: quosdam leniore ac mitiore, alios acriore impetu concitauit. Talis verò concitatio non Dei, sed Diaboli communicatio fuit, ad imitationem diuinæ falsò instructa atque adornata. *Ethnicorum vates à Diabolo affiati & concitati.*

Differunt ab hac oracula, quæ, vt ex antè declaratis patet, Dæmones ipsi ex locis certis, alibi alio modo, sciscitantibus reddebant: & quanquam hominum quandoque vtebantur ministerio, non tamen perpetuò vel insidebant iisdem, vel ex illis sese ostendebant, sed certis vicibus, cùm de requisitis responsa danda essent, aut inuolabant in eos, aut velut ex abdito sese proferebant, atque, vbi enunciassent concepta responsa, recedebant vicissim, inque suas specus reuertebantur, aut sese reprimebant. *Oracula & θεομαντεία differunt.*

Superstitiosa antiquitas, Dei ignara, hos tanquam peculiaria numina, & locorum illorum, terrarumq; vicinarum præsides venerabatur, & diuinis afficiebat honoribus.

Θεομαντεία ergò vaticinia complectitur ea, quæ obsessi à Dæmonibus, vel afflati concitatione mentis, edunt, & quasi fundunt, vel rapti extra sese, vbi redierunt ad se, enunciant, arrepta aut excepta extrinsecus ex Dæmonum aspiratione, qua delibutos habent animos.

Pulchrum & sanctum nomen tributum est rei à Deo alienissimæ, & diuinis oraculis aduersissimæ, illo errore, quòd cùm amisso verbo, Deum amisissent Ethnici, postea vagantes sine Deo, quodcunque se aliqua Dei specie ostenderet, id peculiare numen esse, aut ab aliquo proficisci numine censerent.

Θεομαντῶν quatuor differentiæ.

Differentiæ *τῶν θεομαντῶν, vatum*, quatuor sunt.

Obsessi.

Obsessi, *ἐγγαστρίμυθοι, ἐγγαστρίμαντεις, στερνομάντεις*, & *δαιμονόληπτοι, habentes Pythonem in pectore, à dæmone correpti*, nominabantur à Græcis inde, quòd intra sese pectori ventriue inclusos spiritus vatidicos haberent, qui vel suggerebant, vel, vinctis compressisq; obsessorum linguis, ipsi efferebant ac proloquebantur requisita præscitaq; vaticinia. Atque hi aliàs continebant sese in abdito, ne cernerentur, aliàs se proferebant, nunc hac, nunc illa imagine.

Vidimus ipsi, in quadam puella obsessa, Dæmonem, sub summa cute, muris figura, variè discurrentem, qui mox, recondens se in imum ventrem, euanescebat ex oculis, mox prosiliens rursus, sub pectoris aut frontis torosioribus partibus prorumpebat.

Πυθῶνες.

Nominabantur iidem & *πυθῶνες, ἀπὸ τοῦ πυνθάνεσθαι*, id est, à sciscitando, quòd de futuris, occultisq;, & ignotis consulebantur, & *Εὐρυκλεῖται* à quodam obsesso, cuius meminit Aristophanes *ἐν σφήκεσιν, in vespis, μιμησάμενος τὴν Εὐρυκλέους μαντείαν καὶ διάνοιαν, imitatus Euryclis vaticinium & cogitationem*. In sacra Scriptura obsessus vocatur Ob, quam vocem ab vtre factam dicunt, quòd obsessi, cùm vaticinari incipiunt, velut vtres inflati distenduntur ac turgescunt.

Afflati.

Afflati *ἐνθουσιασταὶ*, & *ἐνθεαστικοὶ*, & *θεοπνεύσται, numine afflati, à Deo afflati*, vocari possunt: differre hi ab obsessis iudicabantur. Hi enim *ἔνθεοι, καὶ ἐκ θεοῦ κάτοχοι εἶναι, diuini & à Deo correpti*

reperi esse: Illi, non ab insitis ipsis Dæmonibus regi, docerique, sed vatidica imbuti, præsentiaque futurorum donati, ceu per afflatum diuinitus, καὶ ἐκ θεῶν ἢ νυμφῶν μαντεύεσθαι. *deorum aut* Nympharum *afflatu vaticinari*, putabantur.

Ex his quidam natura valebant, quo in genere fuerunt, Amphion, Orpheus, Euclous, Cyprius, Musæus Atticus Antiophemi filius, Orphei discipulus, Lycus Pandionis filius, Bacchus ex Bœotia κατεχόμενος αὐτὸς ἐκ νυμφῶν καὶ μανίας, *homo à* Nymph*is & furore detentus*, cuius plurima recitantur θεοπρόπια in historiis, Tiresias vates, Phæmonoë, quæ prima hexametro versu cecinisse oracula traditur, Phaenis cuiusdam regis Chaoniæ filiæ Peliades, quibus ascribitur hic versus.

> Ζεὺς ἦν, Ζεὺς ἐστὶν, Ζεὺς ἔσσεται, ὦ μεγάλε Ζεῦ: id est,
> I*uppiter est, fuit, atque erit, ô bone* I*uppiter alme.*

Sybillæ pleræque & similes.

Amphionem & Orpheum magicis artibus vsos esse, Pausanias annotauit. Musæo tribuuntur carmina vocitata ἀπρόληπτα.

Fuerunt ex hoc numero aliqui, qui naturas adepti vatidicas, excoluerunt eas multiplici doctrina: scrutati sunt in natura, efformata & consignata futurorum indicia, & à veteribus notata ac prodita monumentis prædicta euoluerunt atque exposuerunt.

Recitatur à Platone vaticinium quoddam Orphei, ἕκτῃ ἐν γενεῇ καταπαύσεται κόσμος ἀοιδῆς, *Aetate in sexta cessabit machina mundi.* Hoc, etsi Plato aliò detorquet, tamen ad dictum Heliæ, de Mundi duratione, alludere, ex eóque deductum videtur. Iustinus Martyr aliquot Orphei versus citat ex quodam eius poemate, quod inscripsit Διαθήκας, T*estamenta*, ad Musæum discipulum, qui, quia hoc ipsum exprimunt, quod Sacræ literæ de vno Deo, creatore cœli ac terræ; authore bonorum omnium, ac vindice scelerum docent, præcipiunt verò de audienda ac cognoscenda doctrina diuinitus patefacta, non aliunde desumti videntur, quàm ex ea doctrina, quam à vicino populo Israelitico, ad Ægyptios communicatione deriuatam, apud hos didicisse, & retulisse secum in Græciam, vnà cum astrorum doctrina, & disciplinis aliis, Orpheus perhibetur.

Orphei vaticinium de Mundi duratione.

μύσαις ἐξερέω γὰρ ἀληθέα. μηδέ σε τὰ πρὶν
ἐν σήθεσι φανέντα φίλης αἰῶνος ἀμέρσῃ.
εἰς δὲ λόγον θεῖον βλέψας, τούτῳ προσέδρευε
ἰθύνων κραδίης νοερὸν κύτος, εὖ δ' ἐπίβαινε
ἀτραπιτοῦ, μοῦνον δ' ἐσόρα κόσμοιο ἄνακτα,
εἷς ἐς' αὐτογενής, ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται,
ἐν δ' αὐτοῖς αὐτὸς περιγίνεται: οὐδέ τις αὐτὸν
εἰσοράᾳ θνητῶν, αὐτὸς δέ γε πάντας ὁρᾶται.
οὗτος δ' ἐξ ἀγαθοῖο κακὸν θνητοῖσι δίδωσι,
καὶ πόλεμον κρυόεντα, καὶ ἄλγεα δακρυόεντα,
οὐδέ τις ἐσθ' ἕτερος χωρὶς μεγάλοιο ἄνακτος.
αὐτὸν δ' οὐχ ὁρόω, περὶ γὰρ νέφος ἐσήρικται.
πᾶσιν γὰρ θνητοῖς θνηταὶ κόραι εἰσὶν ἐν ὄσσοις,
ἀσθενέες δ' ἰδέειν τὸν Δία πάντων μεδέοντα:
οὗτος γὰρ χάλκειον ἐπ' οὐρανὸν ἐσήρικται
χρυσέῳ εἰνὶ θρόνῳ, γαίης δ' ἐπὶ ποσσὶ βέβηκε,
χεῖρά τε δεξιτερὴν ἐπὶ τέρματος ὠκεανοῖο
πάντοθεν ἐκτέτακεν, περὶ γὰρ τρέμει οὔρεα μακρὰ,
καὶ ποταμοὶ, πολιῆς τε βάθος χαροποῖο θαλάσσης. id est,

Vera loquar, Musae audi, neu prodita quondam
Pectoribus, carae priuent te lumine vitae.
Tu verbum aspiciens diuinum, haerescere nunquam
Huic cessa, huc mentem verte, huc cor dirige: rectam
Insistensq; viam, mundi regem aspice solum.
Ex se vnus genitus, genita & sunt omnia ab vno,
Versaturq; in eis ipse: ex mortalibus vllus
Nec videt hunc, contrà sed cunctos lumine cernit.
Largitus mala deq; bono mortalibus, idem
Aerumnas tristes ciet, ac lacrymabile bellum.
Nec regum quisquam est rege illo maior in orbe.
Ipsum ego non video velatum nubis amictu.
Namque tueri acie infirma, qui cuncta gubernat,
Mortales nequeunt oculi, regemq; coruscum.
Ipse autem in magno constans & firmus Olympo est:
Aureus huic thronus est, pedibus subiectaq; terra:
Oceani ad fines illi portenditur ingens
Dextera, qua montes alti tangente tremiscunt,
Et fluuij, canumq; aequor cum sede profunda.

Recen-

Recenſet hos poſteriores paulò aliter Clemens Alexandrinus, quinto libro στρωμάτων, pluribus additis:

ἐκτέτακεν, ὀρέων δὲ τρέμει βάσις, ἔνδοθι θυμοῦ
οὐδὲ φέρειν δύναται κρατερὸν μένος, ἔστι δὲ πάντη
αὐτὸς ἐπουράνιος, καὶ ἐπὶ χθονὶ πάντα τελευτᾷ.
ἀρχὴν αὐτὸς ἔχων καὶ μέσσων ἠδὲ τελείων,
ἄλλως οὐ θεμιτόν σε λέγειν, τρομέει δέ τε γυῖα. id eſt;

Expandit dextram, montanas concutit intus
Ira baſes. motus nec poſſunt ferre valentes.
Ipſe eſt in cœlis, & terram amplectitur omnem.
Principium mediis extremisq; ipſe paratum eſt.
Non aliter fas eſt te dicere, membra tremiſcunt.

Recitantur ab eodem Clemente, & alij ex Orpheo verſus, quibus ſimilia explicantur, quæ congrua ſunt patefactis teſtimoniis, & analogia fidei: Qualis eſt hic verſus,

εἷς ἔστ' αὐτοτελής· ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται.

Vnus perfectus per ſe; ex vno omnia facta.

Et quales ſunt illi verſus quibus innuit, quòd Deum nemo viderit vnquam, præter vnum ex gente Chaldæa, intelligens Filium Dei, natum ex virgine Maria, ac plures alij.

εἰ μὴ μουνογενής τις ἀπορρὼξ φύλου ἄνωθεν
χαλδαίων, ἴδρις γὰρ ἔην ἄστροιο πορείης: id eſt;

Vnigenam præter, cui deriuator origo
Chaldæûm de gente, via huic nam cognita cœli.

An de doctrina ſanctorum Patrum aliquid cognouerit Orpheus, & à quibus eam didicerit, non plura ſcio, niſi quòd in Ægypto, cum ſacerdotibus veteris doctrinæ cuſtodibus verſatum, & ab iiſdem edoctum, tradunt de iis, quæ poſtea verſibus deſcripſit. Vndecunque autem acceperit has ſententias, & ſiue intellexerit, quæ ſcripſit, ſiue non intellecta reddiderit, ex doctrina patrum natas eas ac propagatas eſſe, valde conſentaneum eſt.

Ægyptios enim monumenta maiorum diu conſeruaſſe, & paulatim, ſuperſtitione inualeſcente, deprauaſſe, non abieciſſe ſubitò, multa teſtantur. Inde in Græciam, vel diſcentium opera & ſtudio aliquid illorum inuectum eſt, vel authoritate, & potentia principum, qui, ex Ægypto ductis exercitibus, Græciæ multas partes occuparunt.

Primorum patrum doctrina in AEgypto conſeruata aliquandiu.

Extant in fragmentis, quæ Sibyllæ nomine circumferuntur, similia multa, quorum etsi expressiora sunt pleraq; euidentioráque, quàm vt ab antiquis possint videri conscripta, & putantur ab erudito aliquo ex euentu composita, sparsimque repertis oraculis intexta, vt illa cohærerent: tamen non pauca vetustatem referunt, quæ ex reliquis adhuc voluminibus sacris deprompta, numerísque innexa eo videntur consilio, vt & recitari in publicis cœtibus, & edisci facilius, conseruaríque possent.

Sed accessit in omnibus, ex Diaboli afflatu, alia vis maior, qua nec descripta antea, nec vllis naturæ argumentis vel adumbrata, vel expressa, ac præfigurata edicebant, & ex ea, velut mente capti, aut errabant aliquantulum, aut prorsus furebant. Sæpe, in hoc ἐνθουσιώντων, *afflatorum*, genere, rudes prorsus atque imperiti literarũ; immò fatui natura, feliciter de futuris diuinant: nec solùm euentuum genera exprimunt, sed & momenta designant, & eos, in quos hi sunt redundaturi, notant: habuit huius generis plurimos omnis ætas.

Talium præscita non ex corporum nascuntur temperie, etsi omnes illi Melancholici sunt, & φανταστικοί, *phantastici*, natura; sed aliunde ipsis aspirantur.

Authorum prædictiones, euentusque, & fines, in quos eduntur, produnt.

Pleraque à Dæmonibus proueniunt, eáque vel maximè, quæ ab ignaris Dei, extra Ecclesiam, funduntur eo fine, vt religionem nouam contrariam diuinæ introducant aut sanciant, quæque manifestam deposcunt impietatem, siue mente constent, rationisque sint compotes vates, siue furant: quanquam alieni à ratione, & mente permoti sunt plerique, minímeque suo aliquo, liberóque, & soluto motu, sed furore incitantur Diabolico.

Nam & ob connatam cerebri temperiem, conformationémque, & collocationem, atque humoris melancholici redundantiam ætate cerebrum occupantem, in amentiam natura propensi sunt, aut nascuntur fatui, de peculiari positu cœli, & Diabolus, cùm his naturæ vitiis auctis, tum modis aliis ratione mota ac turbata, infatuat eos, ne intelligant ea ipsa, quæ renunciant, simúlque mentes concitat

visis, aut falsis, mendacibúsque, aut inanibus, aut tortuosis, & obscuris, quandóque etiam veris.

Sibyllæ nomen generale est, quod multæ vsurparunt mulieres vatidicæ. Suidas, vt Romanam vocem celebrat, sed ex qua deriuetur origine, non annotat.

Plerique Græcam faciunt, & compositam volunt ex nominibus σιὸς καὶ βȣλὴ, *Iouis & consilium*, vt significet Sibylla tantundem, ac σιὸς βȣλὴ, seu βȣλαῖα, id est, consilium, vel consiliaria Iouis, Laconum more σιὸς pro διὸς posito. *Sibyllæ etymologia.*

Sunt, qui ab Hebræa deducunt origine, & ex voce Rabala ortam, quarundam literarum mutatione, asserunt, quæ vox à verbo Kibel formata, doctrinam significat, non natura insitam animis, aut, cum seminibus, à parentibus propagatam, neq; vsu vel experientia animaduersam, neque ex natura erutam & expressam, neque ex libris humana sapientia conditis depromtam: sed promulgatam diuinitus animisq; sanctorum Prophetarum à Deo ipso velut infusam & voce ac testimoniis cœlestibus commendatam ac comprobatam. Significat enim verbum Kibel recepit, accepit: inde Kabala, id est, doctrina, ex immissione aut patefactione cœlesti, accepta. Si est vox Hebræa, (vt potius reor) omnino in antiquissimis sanctorum Patrum scholis natam, &, pio sapientique consilio, huic doctrinæ attributam existimo, in qua se Deus aperuit, & suam declarauit voluntatem humano generi, vt ea secerneretur à commenticiis religionibus reliquarum gentium, & admonerentur animi, de sanctissimæ doctrinæ origine, & authoritate cogitarentque, in hac sola sese Deum expressisse, in hac velle se quæri & cognosci, nec humana quicquam authoritate vel assuere, vel detrahere, vel mutare in ea licere, neque extra hanc alia excogitare aut fingere numina fas esse.

Eius rei argumentum est, quòd vno consensu omnes antiquissimam & primam Sibyllarum omnium, Sambethen vocatam, & ex Nohe ortam, tradunt.

Vox Sambethe absq; dubio nihil sonat aliud, quàm Sem Iaphet. Hac voce notata est doctrina de Deo, de lapsu, de restitutione, redemtione, & gratuita receptione generis humani, de Messia, & ceteris, continua serie à Mundi initio vsque, quasi per manus tradita Nohe, cuius deinde explicationem, *Sambethe prima Sibyllarum ex Nohe orta.*

curã, custodiam, & conseruationem, ipse duobus præcipuè filijs Sem & Iaphet commendauit. Eos enim gubernatores Ecclesiæ, in sua posteritate, & sacrorum Antistites constituerat.

Et fuisse his curæ propagationem doctrinæ, atque vt integra atque incorrupta transmitteretur posteris, monumenta eos præcipua columnis lapideis insculpi curasse, Iosephus author est.

Miscuerunt doctrinæ vaticinia de secuturis in genere humano mutationibus. Nam & sancta sapientia, excrescentibus hominum peccatis, metiebantur magnitudinem pœnarum secuturarum, & ductu Spiritus sancti, quæ euentura essent posteris, præuidebant.

Vox Sambethe ex Sem & Iaphet composita.

Hæc omnia coniuncta, posteri, vt primorum authorum memoriam grati retinerent ac celebrarent, composita voce Sambethen, id est, doctrinam à Sem & Iaphet progatam vocarunt.

Non ita multò pòst, cùm posteritas horum distracta esset atque dispersa, & plurimi discessissent à vestigiis maiorum, receptis atque approbatis corruptelis, quæ in doctrinam irrepserant, interciderunt monumenta Patrum, & nuda nomina retenta, Diabolique præstigiis, quas struxerat πρὸς τὸ διαστρέφειν τὰς ὁδοὺς τοῦ κυρίου τὰς εὐθείας, *ad interuertendas vias* Domini *rectas*, præfixa sunt, vt à sanctis Patribus manasse, & non temerè cogitata esse crederentur, de indicio titulorum, quibus venditabantur.

Singulæ gentes suas habuerunt Sibyllas.

Gens quælibet religionem ad suos affectus inflexit.

Inde factum, vt singulæ pænè gentes singulas habuisse Sibyllas legantur, id est, suam sapientiam suasque religiones, quas ex vnica prima & vera religione deprauata, pro naturis suis atq; affectionibus, Diaboli adiumento & consilio, extruxerunt, & eo insignierunt nomine, quod sacra antiquitas cœlesti doctrinæ accommodarat.

Celebrantur Chaldaica, Persica, Libyca, Italica, Græciæ plures: His singularum religiones notatæ sunt.

Chaldæi religionem in philosophiam conuerterunt.

Chaldæi religionem conuerterunt in sapientiam philosophicam. Neglecta enim doctrina cœlesti, totos sese in cõsideratione, inquisitione, & explicatione naturæ collocarũt: Condiderunt artes, peruestigarunt cœlestium corporum motus atque effectiones, &, ad quos singula essent vsus comparata,

parata, edocuerunt, captiq́; pulchritudine operum naturæ, atq; artificio, soli illi contemplationi inhæserunt.

Ista occasione, doctrinæ cœlestis vox & memoria paulatim labefactata atq; attenuata initiò, mox prorsus conticuit, tributumq́; est Sibyllæ nomen illi sapientiæ humanæ. Tandem eò res deuenit, vt animi destituti verbo monstrante verum Deum, & perfectionis corporum cœlestium viriumque, & effectionum capti admiratione, ex his ipsis corporibus numina arbitrio priuato fingerent ac deligerent.

Aegyptij religionem in superstitiones transformarunt.

Ægyptij natura *δεισιδαίμονες*, *μυστηριακοὶ*, *religiosi*, *mysteriorum curiosi*, & superstitiosi, semel dimoti à Patrum sanctorum per manus traditis sententiis, & exclusi ab intellectu atque vsu vero patefactionum diuinarum, religionem quandam consuerunt, ex commentis anilium terriculamentorum, somniis sacerdotum, ritibus vulgi superstitione effictis & coaceruatis, quibus mox magicæ artes, & præstigiarum multiplicia ludibria, accesserunt.

Nec fuit vlla gens amentior & stolidior, nulla in Deum contumeliosior, tetrioris idololatriæ superstitione, quàm Ægyptia: quæ eò dementiæ progressa est, vt non tantùm Diaboli terriculamentis caperetur, & imposturis, sed & de terra nascentibus rebus numina assumeret, cæco furore, alliaq; & cæpas veneraretur, & fœdissimas bestias, vt simias, in honore haberet ac precio, tanquam peculiaria numina, & formidaret has, atque extimesceret, concepta ex occasionibus leuissimis inanissima trepidatione, cultuq́; prosequeretur diuino, & offendi vetaret, siq; offenderentur, placaret delinitas solennibus sacrificiorum ritibus.

Tandem, cùm, Apostolorum prædicatione, explicata ex his furoribus, liberataque fascino Diaboli, & ad veritatis conspectum cognitionemque esset perducta, non ita multò pòst, eadem, qua antea, leuitate, Christianæ fidei professione abiectas, in pristinos, sese furores reiecit, reuersa velut canis ad vomitum: His huc vsq; hæsit intricata.

Græci religionem disputationibus, & allegoriis turbarunt.

Græci arguti natura, *νοήμονες*, *εὑρετικοὶ*, *καὶ φιλόνεικοι*, *intelligentes, inueniendi facultate præditi, & contentiosi*, & facundi, atq; amantes, ac perquam cupidi, & studiosi nouarum & argutarum inuentionum, religionem turbarunt acumine & subtilitate disputationum, & doctrinam obruerunt ænigma-

rum, allegoriarum ſcitè accommodatarum, venuſtarum imaginum ac picturarum, ingenioſè excogitatis commentis, quibus velut prætenſis nebulis, lux doctrinæ circumfuſa ac hebetata, ſenſim emarcuit initiò, auidè arripientibus imperitis, quæ velut oculis cerni videbantur: paulò pòſt extincta prorſus euanuit, relicto inanium fabellarum fumo, quem ſolùm gens Græca, ante Apoſtolorum prædicationem, pro veræ doctrinæ luce amplexa eſt, ac ſectata.

Poſt Apoſtolos, rurſum conſtitutum ab his doctrinæ corpus Græci diſputationum controuerſiis referſerunt, & diſcerpſerunt.

Fuit enim in prima Eccleſia, perpetuus quaſi conflictus diſputationum; cùm petulantia ingenia, non contenta dogmatibus propagatis inde vſq; ab Apoſtolis, alia certamina ex aliis ſubinde commouerent, & ex aliis quæſtionibus detexerent alias, quibus Eccleſia, ceu procellis quibuſdam impulſa & agitata, ruinam fecit tantam, vt plurimis gentibus tandem Mahometico furore correptis, & infectis, auulſiſq; à Chriſtiana profeſſione, reliquiæ ægrè in vera certaq; ſententia, Dei adminiculo & ductu, ſeſe confirmarint.

Romani religionem in Monarchiam conuerterunt.

Romani natura dominationis cupidi atq; eminentiæ, & ante Apoſtolorum tempora, & poſt illa, religiones ſuas Imperio politico conformarunt.

Et quidem, qualis fuerit διάταξις ἱερατική, *conſtitutio ſacerdotum*, ante Chriſtum in vrbe Roma, notum eſt ex hiſtoriis. Huic ſublatæ cum Chriſtiana ſucceſſiſſet religio, Epiſcopi incitati ruentium in Aſia atq; Aphrica Eccleſiarum interitu, & fiducia elati potentiæ acquiſitæ, ſpeque huius confirmandæ & amplificandæ, de transferendo ad ſeſe dominio in omnes orbis Chriſtiani Eccleſias, & hoc in vſus ſuos conuertendo, exemplo prioris formæ, cogitare, idq; vt conſequerentur, conari omnia & experiri cœperunt. Adeptum tandem dominium, & cum hoc raptam poteſtatem imperandi reliquis, & quæuis pro arbitrio ſtatuendi ſanciendiq; non tantùm in vſu rituum externorum, ſed & dogmatibus; eò contulerunt, vt miniſterium Euangelij in Monarchiam politicam diſtinctam ab Imperatoris potentia commutarent, & ſapienter ac piè conſtitutum, diſtributumq; conuenienter, & ad conſeruationem puritatis doctrinæ, ac gubernatio-

nationem disciplinæ seuerioris directum, pulcerrimum ordinem primitiuæ Ecclesiæ, huic suæ Monarchiæ stabiliendæ tuendæq; accommodarent.

Constituerunt ergo, quasi Monarcham orbis Christiani, Romanum Episcopum quem *οἰκουμενικὸν œcumenicum*, vocarunt; frustra refragantibus & reclamantibus ceteris Episcopis, &, Romanum Episcopum iniustè hanc sibi atrogare potentiam contendentibus.

Hierarchia in Ecclesia Romana.

Subiecerunt autem huic Ecclesias aliarum gentium orbis Christiani, distributas velut in *ἐπαρχίας* seu prouincias, & religione iurisiurandi eidem obligarunt ad fidem & obedientiam.

Proximi fuerunt Pontifici vocati Patriarchæ, qui, vt hodie apud Turcos Bellerbij absentis Pontificis vices, extrà Europam in reliquis orbis terrarum partibus, Asia atq; Europa, gesserunt.

Aphricanus Alexandriæ Libycas Ecclesias & Ægyptias procurauit. vocatus *οἰκουμενικὸς κριτής, generalis iudex*: Antiochenus Asiaticas: Byzantinus Ionicas, & reliquas Asiæ littoralis. Hierosolymitanus Phœnicias & Palæstineas; eodem modo, quo Europæas is, qui se supremum Pontificem constituerat.

In harum partium prouincias collocarunt *μητροπολίτας* quos Archiepiscopos vocant, vt Romani olim Proconsules, aut prouinciarum Duces; Persæ, Satrapas; Turci hodie Bassas. Quorum si plures requireret prouinciæ amplitudo, vnum eorum *ἔξαρχον, principem*, esse & Primatem: alium quempiam Legati munere fungi voluerunt, qui ceu Quæstor adesset Proconsuli in prouincia.

Metropolitis suberant Episcopi, vt hodie, in regno Turcico, Bassis parent Sansachi. Horum *διοίκησις, administratio*, ad certas prouinciarum regiones astricta, & definita particularium tractuum limitibus, comprehendebat impositos his *χωρεπισκόπους, inspectores regionum, vel vicarios episcopos*, Presbyteros, Diaconos, Hypodiaconos, *ἀναγνώστας, ψάλτας, ἐπορκιστὰς, θυρωροὺς, ὑπηρέτας, lectores, cantores, adiuratores, ianitores, ministros*, & totam reliquam *ἱερατικὴν τάξιν, sacerdotum ordinem*, constitutam ad hoc, vt administraret *τὰς παροικίας viciniias Ecclesias*.

Sed has, ex primitiuæ Ecclesiæ constitutionibus, appellationes solas retinuerunt, officiis ipsis & ministeriis in abusum conuersis.

Omnibus his addiderunt tandem numerosa agmina Monachorum, & Sacrificulorum, quasi exercitus quosdam, comparatos custodiendis, inque officio retinendis prouinciis, & iis legibus in singulos exequendis, quæ autoritate Pontificia latæ erant.

Summo Pontifici, Senatum Cardinalium, certa officiorum distinctione. Episcopis, collegia Canonicorum adiunxerunt, ex quibus legerentur successores.

Et summi Pontificis autoritatem tum armarunt fulmine *ἀναθήματος, anathematis*, tum eò vsque auxerunt, vt asseuerare non sint veriti, diuina constitutione, Pontificis Imperium complecti regna Mundi, & potestatem habere abrogandi Imperia Monarchis, ac conferendi eadem aliis, pro arbitrio.

Hæc talis Monarchiæ constitutio, qua occuparunt Christianum orbem, distinctioque velut præfectorum & gubernatorum, & legum descriptio ac ceremoniarum, quæ in singulis Ecclesiis obseruandæ, & à singulis rei sacræ dedicatis ministris administrandæ essent. Hæc ergo Pontificum Romanorum religio est, de hoc statu dimicant, & de abusuum illorum, errorumque conseruatione, quibus huius regni Maiestas ita incumbit & innititur, vt, his sublatis, collabi eam necesse sit, & ruere.

Huic regno Pontificio longè dissimilis est Ecclesia Filij Dei, quæ est cœtus non armatus potentia, non regum opibus instructus, non circumscriptus limitibus Romanæ sedis, neq; alligatus ad illam διαδοχὴν, *successionem*, successorum in Regno Pontificio, sed dispersus per orbem terrarum & tamen non Idea Platonica: sed visibilis cœtus hominum amplectentium Euangelium, & rectè vtentium Sacramentis institutis à Filio Dei: in quo cœtu caput est *καὶ ἀρχηγὸς καὶ ἀρχιερεὺς μόνος, ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, dux & summus sacerdos solus, sanctus, innocens, impollutus*, ipse Filius Dei, & per ministerium Euangelij verè efficax est, & multos regenerat, voce Euangelij, & Spiritu sancto, & facit heredes vitæ æternæ: & dat Prophetas, Apostolos, Euangelistas, Pastores, Doctores,

ctores: Suntque in eo cœtu multi electi, & aliqui non sancti, de vera doctrina tamen consentientes: Et hic ipse cœtus aliàs maior est, illustrior, & purior, aliàs obscurior, & minus potens, dispersus, lacer, egens, neglectus, oppressus Tyrannorum potentia.

Huius cœtus Doctoribus dicit Filius Dei: Reges gentium dominentur vobis: vos autem non sic.

Hæ itaque singularum gentium religiones, fuerunt singularum Sibyllæ, quibus semper aliquid prædictionum & vaticiniorum, de futuris mutationibus, aut euentibus secundis vel aduersis, fuit admixtum.

Etsi autem meas, de vocabuli origine & significato, coniecturas recito, non tamen refragor historiarum annotatis de mulieribus vatidicis.

Non inficior, fuisse mulieres aliquas eiusmodi, vt proditum est: &, qua vi, pleraq; fuderint oracula, cùm ex furibundis gestibus plenis fœdissimarum deformitatum, quos vsurpasse memorantur, tum ex ipsis miraculis, quibus annexuerunt semper aliqua pertinentia ad confirmationem idololatriæ Ethnicæ, cuiuis iudicare promtum est. Insibilante ea & instillante Diabolo pepererunt, qui odio Dei, vt creationem rerum fucatis imitari præstigiis, sic prophetiarum & doctrinæ sanctæ publicationem *κακοζηλίᾳ, praua imitatione*, obscurare studuit. *Sibyllæ mulieres vatidicæ.*

Suos sibi Dei exemplo delegit Prophetas, & potissimum ex muliebri genere, quòd sexus iste imbecillior est natura, simpliciorque, & minus vel cauere insidias, vel intelligere astuta consilia, vel reniti impulsui, vel commissa celare potest, quodq;, ad permouendos ac persuadendos alios, accommodatiora, pluraq; adiumenta habet.

Ex his cultus & religiones contrarias diuinis sparsit, easq; coniunctas plerunq; cum denunciatione aliqua futurorum euentuum, vt eò auidius susciperentur.

Creuit inde autoritas talium hominum apud imperitos, vt tentare aliquid, vel auspicari, nisi illis salutatis ac consultis, nefas duceretur: & à Deo regi donarique, prænotione tali futurorum, censebantur.

Tales, hoc Enthusiastarum Catalogo, comprehendimus, cui omnes Diaboli vatidicos ministros includimus, quos

æmulatione veri Dei, qui per Prophetas sanctos locutus est cum Patribus, Diabolus finxit, ne cedere Deo videretur.

Sibyllarum catalogus. *Sambethe.*

Recensentur autem ferè hoc ordine Sibyllæ. Antiquissimam faciunt Sambethen, quam Noha patre procreatam quidam, alij Beroso patre, & Erimante matre natam fingunt. Ei tribuunt vaticinia de Christo, de regnorum mutationibus, & aliis, quorum fragmenta extant in Lactantio & Theophilo.

Sibylla Libyca seu Elissa.

Secundo loco numerant Libycam, cognomento Elissam, quam, de Græcorum commentis, ex Ioue & Lamia Neptuni filia, procreatam, & à Libycis gentibus Sibyllam cognominatam, Pausanias prodidit.

Vtut fabulentur & ludant Græci, omnino non vatidicas mulieres, sed vnam atq; eandem patrum religionem vtraq; voce designatam iudico. Excogitam autem ac celebratam vocem vtranq; ideò, vt illa de præcipuis huius sanctissimæ & vetustissimæ doctrinæ custodibus ac propagatoribus moneret, hoc quale esset doctrinæ genus, quid profiteretur, quò animos hominum dirigeret ac deduceret, quem Deum agnoscendum colendumq; proponeret, edoceret.

Etymologia Elissæ.

Composita est enim dictio Elissa, ex vocibus El & iascha, id est, Deus est Elissa, id est, doctrina de vero, viuo, & existente Deo, qui non est fictitium numen, non sculptile, aut imago picta, sed est, & viuit ab æterno, conditor & conseruator omnium creaturarum.

Postea Ethnici, cùm reperissent has voces in veterum monumentis, quia cum doctrina originem & significata earum amiserant, ex suis furiosis vatibus, *μαύτεις*, *vates*, vel Prophetissas his notatas finxerunt. De ceteris Sibyllis, etsi nihil affirmo, tamen vatidicas fuisse mulieres, & tales quidem, quales in hoc secundo genere θεομαντῶν, *vatidicarum*, sub Enthusiastarum nomine descripsi assentior, nimirum Diaboli ministras, ab ipso velut conductas, ad conseruationem ac confirmationem illius regni, quod in genere humano instaurarat.

Sibylla Erophile.

Vna est & eadem Sibylla, quam Delphicam, Erythræam Siculam, Samiam, Rhodiam, & Clariam nominant inde, quòd in his frequenter locis sit versata. Proprio nomine Erophilen dictam referunt: Ipsa sibi quoque ἀρτέμιδος,

Diana,

Dianæ, nomen in suis carminibus imposuit: quandoque sororem se Apollinis, quandoque filiam iactauit; quibusdam versibus natam se matre immortali, nimirum vna Nympharum, quæ Idam montem possidere credebantur, & patre mortali cecinit, inter quos extant hi:

εἰμὶ δ' ἐγὼ γεγαυῖα μέσον θνητοῦ τε θεᾶς τε,
νύμφης δ' ἀθανάτης, πατρὸς δ' αὖ κητοφάγοιο.
μητρόθεν ἰδογενής, πατρὶς δέ μοι ἐστὶν ἐρυθρή,
μάρπησσος μητρὸς ἱερὴ, ποταμὸς δ' ἀϊδωνεύς: id est,
Partim ego Cetiuoro mortali patre creata,
Partim immortali Nympha: me fontibus Ida
Eduxit vitreis, tenuis glebaq; ruente:
Marpessus matri patria est, fluuiusq; Aidoneus.

Erythræi cum Græcis de patria eius contenderunt, vtrisque sibi eam vendicantibus: Græcis Delphis natam ante Troiana tempora quadringentis annis, vt quibusdam placet, ex Apolline & Lamia; vt aliis, ex Aristocrate & Hydole: Erythræi contrà de carminum, quæ reliquit sententia, in Coryco monte, ab Idæa Nympha editam, patre Theodoro quodam pastore, affirmarunt.

Adolescentula *νεωκόρον*, *adituum*, egit in templo Apollinis *τοῦ σμινθέως* *Sminthei*, & somnia, quæ in templo Hecabes excubantibus obiiciebantur, explanauit.

Maximam vitæ partem consumsit in Samo, inde sæpe in Clarum Colophoniorum, Delum, & Delphos, expatiata est, vbi vaticinia sua illis hominibus decantauit.

Delphis saxum quoddam conscendisse, indeque *μαινομένην καὶ ἐκ τοῦ θεοῦ κάτοχον*, *furentem ac correptam à Deo*, proclamasse oracula, notatum est. Lapidi illi inde inhæsit appellatio saxi Erophilei.

In Troade tandem, non procul ab Ida monte, cùm finiisset vitam, sepultam in nemore *τοῦ σμινθέως*, *Sminthei*, & hoc Epitaphio columnæ lapideæ inciso celebratam, Pausanias scribit:

ἁ ἐγὼ ἁ Φοίβοιο σαφηγορίς εἰμι σίβυλλα,
τᾷδ' ὑπὸ λαϊνέῳ σάματι πυθομένα.
παρθένος αὐδάεσσα τὸ πρὶν, νῦν δ' αἰὲν ἄναυδος
μοίρᾳ ὑπὸ στιβαρῇ τὴν δὲ λαχοῦσα πέδην.

ἀλλὰ πέλας νύμφαισι καὶ ἑρμῇ τῷδ᾽ ὑπόκειμαι,
μοῖραν ἔχουσ᾽ ἐκείτω τῆς τότ᾽ ἀνακτορίης.

Illa ego sum Phœbi interpres non vana Sibylla,
Hic quæ marmoreo clausa tegor tumulo:
Vocalis quondam, æternùm nunc muta puella,
Heu nimis, heu fati compede pressa graui.
Mercurio tamen & Nymphis sociata quiesco,
Quod fuerim Phœbo grata, ferens precium.

Sicut autem verus Deus inde vsque ab initio, condita sua voce Ecclesiæ suæ *γεώργιον καὶ οἰκοδομὴν*, *agricolationem & ædificium*, rexit ministris, *καὶ συνέργοις*, *adiutoribus*, delectis, atq; illi muneri dedicatis suo consilio: ante natum quidem ex Maria virgine Iesum Filium Prophetis; post eundem subuectum in cœlum, Apostolis & Doctoribus, ea prouidentia, vt, vno extincto, mox alium velut in illud vestigium, collocarit, ne series continua sanctorum ministrorum vspiam interrumperetur, neue vox doctrinæ vnquam consilesceret: sic odio & *κακοζηλίᾳ*, *peruersa imitatione*, Dei Diabolus, prorsus eodem modo semel inchoatum à se ministeriorum continua vatum successione, surrogatis mox aliis in priorum loca, si decessissent, fouit ac conseruauit, sine intermissione vlla, quò enatæ superstitionum stirpes, sacris ceremoniisque cumulatæ & fultæ, succrescerent vberius, horum opera prorogatæ.

Sibylla Thessalica. Successit Erythrææ Sibyllæ Thessalica, cognomento, *μαντὼ, ἀπόγονος*, *Manto*, *neptis*, Tiresiæ vatis Thebani, & antecessit eam Amphion, mox secutus Orpheus, cui Musæum & ceteros antea enumeratos, substituit Diabolus.

Phrygia Tiburtia. Colophonia. Thessalicam exceperunt Phrygia, Tiburtia, & quæ *σαρ-βις*, *Sarbis*, à quibusdam, ab aliis *κασσάνδρα*, *Cassandra*, à nonnullis *ταραξάνδρα*, *Taraxandra*, nominata est. Has secuta Colophonia, cognomento *λάμπουσα ἀπόγονος*, *Lampusa*, *neptis*, Calchantis vatis, qui comes fuit expeditionis Græcæ, susceptæ contra Priamum, ob raptam à Paride Helenam.

Samia. Non procul ab his Samia abfuit cognomento *φυτὼ*, *Phyto*, in cuius vestigia constiterunt Hellespontia, & Cumæa.

Hellespontia. Hellespontia nata in Marmesso Hellesponti, ad oppidum Gergethium, claruit Cyri & Solonis ætate.

Cumæa. Cumæam ex Cuma Opicorum, nomine proprio Amaltheam,

theam, & Erophilen, & δημώ, *Demo*, appellatam fuiſſe tradunt. Hæc nouem volumina oraculorum dicitur obtuliſſe certo precio Tarquinio Priſco Romanorum regi: hunc cùm precium re maius videretur, recuſaſſe emtionem: illam tribus crematis, reliquos retuliſſe ad regem, eodem æſtimatos precio. Miratum Tarquinium, quid, quòd tanti faceret, continerent, libris apertis atq; inſpectis, oracula inueniſſe, ſolutaq;, quam exigebat, mercede, libros retinuiſſe, & arcæ lapideæ incluſos, ſepoſitosque in templo Iouis Capitolini, loco ſubterraneo, magna cura cuſtodiri iuſſiſſe, vbi & aſſeruatos aiunt ad Cornelium Syllam vſque, quo tempore, cùm incendio Capitolium conflagraſſet, ſimul perierunt.

Tarquinius libros oraculorum à Sibylla Cumæa emit.

Suetonius, ad Auguſtum vſq; manſiſſe incolumes, & ſub Baſi Palatini Apollinis, cum Martiorum vatum & Bagoes Nymphæ carminibus, conditos ſtetiſſe, author eſt.

Præter his ſcriptis celebratas, plures aliæ fuerunt vatidicæ mulieres, penè apud ſingulas gentes, & ne quidem à populo Dei abfuerunt: Saulem enim Pythoniſſam conſuluiſſe legimus: fuitque præcipua earum authoritas & obſeruantia, vſque ad Chriſtum: quo exhibito, cùm Dæmones victi oppreſſique Chriſti victoris potentia, & pulſi fugatiq; vi & efficacia miniſterij Euangelici, ſubducerent ſeſe, atque euaneſcerent, mox vates illæ, à ſuo derelictæ rectore, obmutuerunt, ſilueruntq; eò vſque, donec poſt Apoſtolorum tempora, deprauatione & obſcuratione lucis doctrinæ, quę fulgebat in toto terrarum orbe, nouis occaſionibus datis, noua ratione miſerum genus hominum aggredi, occupareque, & exercere cœperunt.

Ε'κϛατικοὶ, *mente alienati*, vocantur, qui velut rapti extra ſeſe, ſenſuque omni & motu priuati, iacent exanimis ſimiles, exactisque aliquot diebus, ceu ex profundiſſimo expergefacti ſomno, aut à morte reuocati in vitam, redeunt ad ſeſe, & miras fabulas, mira commenta, recitant.

Ε'κϛατικοὶ.

Antiquitas reuera animas eximi corporibus diuinitus, circumducique, vt beatorum & condemnatorum ſedes, & cœleſtis machinæ fabricam, aliaq; his ſimilia ex hominum conſpectu abdita perluſtrarent, renunciarentq;, quæ vidiſſent, ceteris talium rerum ignaris: moneri etiam, doceriq; diuinitus, de multis ad ſalutem & incolumitatem generis

humani pertinentibus, de præmiis iustorum, de pœnis impiorum, & pœnarum differentiis: deinde, confecto curriculo, quod dij concessissent, reponi in suos carceres, stulto errore, de relationibus & confirmationibus eorum, quibus tale aliquid acciderat, persuasum habuit.

Poetarum figmenta de campo Elysio vnde nata.

Ex horum fabulosis narrationibus, nata puto figmenta Poetarum, de campo Elysio, de distinctis animarum sedibus, de cruciatibus & torturis impiorum, de præstantium virorum læta & suaui conuersatione.

De Ecstasi variæ opiniones.

Nonnulli physica quadam disputandi subtilitate, ad naturam deorum *ἔκστασιν, animi secessionem à corpore*, referunt, & ex his alij aliter. Aliqui enim, cùm extrinsecus tractos esse haustosq; humanos animos, & ex diuinitate acceptos, aut ea delibutos, & nulla corporibus necessitate obstrictos, libero hæc minimeq; impedito imperio regere ac gubernare crederent, eosdem, si ardore aliquo inflammarentur atq; incitarentur, spretis corporibus, sua sponte euolare atq; excurrere foras, tumq; ea cernere, quæ intra corporis carceres non conspicarentur, putant. Aliquorum ab hac diuersa fuit opinio, qui senserunt, non recedere à corporibus animos, sed certa cum his lege coniunctos manere atque colligatos, vt ea parte, quæ sensum, quæ motum, quæ appetitum habet, nunquam ab actione sint corporis seiugati: altera, quę rationis atque intelligentiæ particeps est, tum vigeant maximè, cùm plurimum abiunt à corpore, liberi sensibus ab omni impeditione curarum.

Hanc igitur partem, cùm sit completa ac conferta æterno sensu & mente diuina, oportere cognatione animorum diuinorum commoueri nonnunquam: Sed intentam in res præsentes, plurimum curis & cogitationibus indulgere, quæ vitæ necessitatibus seruiant, seq; societate diuina disiungere.

Rarum quoddam genus esse eorum animorum, qui se à corpore auocant, quique, ad diuinarum rerum cognitionem, cura omni, studioque rapiantur, concitato liberoque animi non permisti cum corpore motu.

In hoc secessu animi in sese, & seiunctione à corpore velut obstupefacto, & attonito, ac pænè mortuo, cùm ita solutus est & vacuus, vt ei planè nihil sit cum corpore, exercere sese

sese vim diuinam præcipuè, ac vigere, atq; hac tum cernere animum verisimiles causas rerum futurarum, in tota natura, sed acutius & liquidius multò, quàm si corporis organis inhæreret, atque his ipsis præsagire consequentia & futura, tum retexere sese, repetendo, quæ ab omni æternitate, versatus cum innumerabilibus animis, viderit & cognouerit.

Falsum est hoc omne & commenticium. Quanquam enim, ex Sanctis aliquos, Spiritus sancti impulsu, hoc modo affectos fuisse legimus: non tamen, aut sua vi, aut suopte instinctu secedit mens in sese, ceu subducens se à corpore, & in eas incumbit cogitationes, quas enititur: sed in carentibus luce diuina, quiq; sunt domicilia non Spiritus sancti, sed incesti & mendacis Spiritus, occupantur & fascinantur, infusis ab hoc ipso phantasmatibus, à quo & mentes ipsæ perturbantur erroribus, & corda furoribus percelluntur, præsertim si adsit occasio, ex habitudine naturæ.

Nec informat mens ex se, illa portenta impiarum & obscœnarum opinionum, sed velut illinitur atq; informatur à Diabolo. Quanquam enim rectè inorganica dicitur, tamen dum in hoc hæret carcere corporis, sine ope & ministerio cerebri & spirituum animalium, nullas gignit vel expedit cogitationes per sese, & sua vi. Quòd si quas concipit, sine motu sensuque antegresso, & sine suo quasi annixu, illæ non ex ipsa oriuntur mente, sed forinsecus accedunt,

Medici *ἔκστασιν, excessum siue emotionem mentis*, Melancholiæ speciebus connumerant, dicuntq;, ex copia & vehementia humoris Melancholici, cùm inundantis, tum imbuentis, atq; immutantis crasin cerebri & spirituum, fieri quendam velut secessum animæ in sese, demersumq;, aut intentionem atque applicationem acriorem in aliquam imaginationem, adeò vt & cesset ipsa, seque amoueat, quasi à corporis administratione vacatura instituto cogitationum operi, & corpus derelictum à gubernatore exanimetur, suasque etiam obire & exercere functiones desinat, solo cerebro excepto, quod à Melancholico humore obsitum stimulatumque, phantasias fingat ac formet.

Ἔκστασις inter Melancholiæ species refertur à Medicis.

Cogitationes verò, in quas defigitur atq; inuoluitur, respondere naturæ humoris Melancholici. Si enim ea atra bilis, quæ in cerebrum penetrat, ex sanguine sit adusto,

Cogitationes in Ecstaticis humoribus in cerebro respondere.

aut diluatur sanguine puriore, nasci inde phantasias, de rebus lætioribus, conuiuiis, coniunctione, & consuetudine cum diis, & præstantibus viris, obuersarique animo loca amœna, culta, & variè exornata, & perfundi mentem læticia, atque opinionem accedere, vt adesse & perfrui rebus cogitatis videatur.

Si ex adusta sit bile, aut cum ea confusa, hanc tetras parere θεωρίας, *contemplationes, seu mentis agitationes*, de cædibus, suppliciis, torturis, vstulationibus, volitatione in aere, aut transitu per flagrantia loca & ignes, atq; aliis huiusmodi.

Si ipsa sola atra bilis in cerebrum irrepat, eam ciere imaginationes de occurrentibus, aut insequentibus, & vitæ periculum intentantibus spectris, aliisve inusitatis & abominandis speciebus, variatique has, & misceri multipliciter, pro commixtione temperationéque atræ bilis, cum ceteris humoribus.

Ἔκστασις non è sola melancholia nascitur.

Vera hæc sunt, & rectè cogitata: Ratò enim fiunt ἐκστάσεις, *emotiones mentis*, eiusmodi absq; melancholia. Sed nō sola eas efficit atra bilis, quantumuis sit mira vi ac penè inexplicabili prædita, quantumuis præstantia ingenia pariat.

Non enim noticias, de rebus prorsus incognitis, præteritis, aut futuris, gignere, non phantasias fallas, tam concinna veritatis specie, tot obscuritatis latebris conformare, ac si, à summis ingeniis, magno exquisita atq; effecta essent studio, potest; quales ἐκστατικοὺς, *quorum animus à corpore secessit*, reduces adferre ac prodere experimur: Nec mens, solo adiuta humore melancholico, citra opem alterius naturæ intelligentis, condit & comminiscitur eas.

Nec ipsis ἐκστατικοῖς vita tanto tempore absque spiratione sufficeret, sed strangularentur suffocato corde, nisi id foueretur, afflatis halitibus frigidiusculis molliter, per aliud aliquod ventilabrum, præter pectus & pulmonem, quæ membra talibus ferè quiescunt: Siquidem interclusa modicè atque impedita respiratione, mox angi & laborare: deficiente prorsus, subitò extingui cor cernimus.

Maniaci affectus quibusdam gentibus familiares.

Authores sunt, qui affirmant gentes aliquas, certis temporum periodis, præsagis furoribus, ceu morbis Epidemiis, corripi solitas esse. Et mulieribus Peloponnesiis, Chiis, Bœotiis, maniacos affectus cum diuinatrice præsensione

familiares

familiares fuiſſe aliqui ſcribunt, tanquam *ἔνδημα νοσήματα*, *morbos populares.*

Nota eſt hiſtoria, de furore percitis filiabus Prœti regis Argiuorum.

Sed dubium non eſt, vaticinantium furores futurorum præſcios, quales Ethnicorum fuerunt, à Diabolo eſſe, ſiue ſit à natura principium illorum, ſiue, nulla tali habitudine præcedente, omne oriatur à Diabolo. Sed ad *ἐκστατικοὺς*, *ecſtaticos*, redeo.

Plato in decimo *πολιτειῶν de Republ.* Phæreum quendam Pamphilium decem dies integros iacuiſſe refert, inter exanima cæſorum cadauera, biduoque, poſtquam inde ſublatus eſſet, cùm rogo imponeretur, reuixiſſe; & quæ interea peragrarit loca, quæve conſpexerit in cœlo, terraq; & locis ſubterraneis, magna cum admiratione commemoraſſe. *Phæreus Pamphilius Ecſtaticus.*

Similia de Atheo quodam Philoſopho in Proconneſo Herodotus, de Harmone Clazomenio Plinius, de Soleo Plutarchus integram texens hiſtoriam annotauit.

Non exit anima è corporibus *ἐκστατικῶν*, & circumuolitat hinc inde, Mundi angulos perreptans atque inſpiciens, diuino ductu, vt cenſuit antiquitas: neq; ſolus Melancholicus humor, in cerebri ſeſe corpus ingerens, animam à corporis auocatam gubernatione talibus phantaſmatis implicat: nec, relicta gubernatione corporis, redit in ſeſe: Sed texit ſeriem illarum cogitationum Diabolus, & hanc variat mira arte & ſcitè, repetitis præteritis, hiſq; annexis præſentibus, & aſperſis etiam quibuſdam admonitionibus de futuris, ne in ſuſpicionem fabularum anilium, aut temerè cogitatarum ineptiarum veniant: atque vtens occaſionibus, quas *τὰ μελαγχολικὰ πάθη*, *melancholicæ affectiones*, præbent, eas ipſas animabus abductis à ſocietate corporis, & occupatis inſinuat aut obiicit, inducta ſimul perſuaſione, vt ſe reuera reliquiſſe corpora, & coram ſpectaſſe, quæ Diabolus effinxit & indidit, imaginentur. *Anima non exit è corporibus Ecſtaticorum.* *Ecſtaticorum imaginationes à Diabolo.*

Corpora verò exanimis ſimilia ſeu reuera, ſeu de circumdata ab ipſo ſpecie, fouet interea, cordique aerem refrigerationi neceſſarium afflat.

Struit enim mirifica in naturis, quibus venenata & virulenta dominatur Melancholia, occaſione illius humoris, &

& ab iis, quæ ex atræ bilis in cerebrum delatione atque impressione incidunt in amentiam, nunquam procul abest.

Facit hæc autem, vt pleraque, falsa & insolenti imitatione τῶν ὀπτασιῶν καὶ ἀποκαλύψεων, *visionum & reuelationum*, quibus vsum ad Prophetas sanctos, & Apostolos, Spiritum sanctum sacræ literæ demonstrant, & vsurum ad electa Ecclesiæ membra Ioel Propheta vaticinatur, inquiens, Filij vestri visiones videbunt.

Diabolus cum Deo certat.

Certat enim, ex superbia & ambitione, cum vero Deo, insidiatur gloriæ Dei, nec, vlla in parte, eo videri vult inferior.

Sed secernere ὁράματα, *visa*, diuina, à Diabolo inspiratis aut offusis, planum est, & facile Ecclesiæ.

Discrimen ἐκστάσεων diuinarum & Diabolicarum.

Illa vel clarè perspicueque menti illucescunt, vel, si figuris adumbrantur, ab ipso Spiritu sancto, qui confert dona interpretationis, explanantur, & congruunt perpetuò traditis antea, ac diuina authoritate constitutis doctrinæ metis ac regulis, de vero Deo, & vero Dei cultu, veraque sunt, non commenticia: iis etiam, quibus exhibentur, semper euidentia adiunguntur cœlitus testimonia, quæ certò confirmant, non ex ipsis nasci, aut à natura commoueri ea, sed iniici aut proponi diuinitus.

Ita κατ' ἔκστασιν, *mentis à corpore excessu*, in Actis reuocatur Petrus ab opinione, de obseruandis discriminibus ciborum, quæ visio consentiebat cum Prophetiis multò antè prolatis, de tota politia Iudaica abolenda.

Hæc verò, aut inexplicabilibus sunt nodis irretita, aut, ob lubricam flexibilitatem, in omnes torqueri sensus possunt, aut falsum statuunt, vtcunque se veritatis specie ostentent & inferant, perpetuoque à cœlesti doctrina discedunt ac dissonant, & requirunt illi repugnantia, vel palàm, vel occultè, aliquo fuco: furoreq; percitis ferè, aut mente alienatis & captis obliuione sui, occurrunt.

Certo enim consilio, nimirum, ne cognoscatur & proferatur cùm dolus, qui subest, tum author ipse, dementat eos Diabolus, quos ad talia ministeria vsurpat, vt prorsus sui nec sint compotes, nec gnari, sed velut καταδουλωθέντες, *in seruitutē redacti*, ea mēte agitent, in ea intueantur, quæ Diabolus præformat: ea proloquantur atque enuncient, quæ idē ipse sup-

ſuppeditat: ex ſeſe nihil faciant, niſi quantū ipſe permittit.

Meminit & Paulus raptus cuiuſdam in tertium cœlum, id eſt, viſionis exhibitæ ex tertio cœlo: quo eum abditam ex oculis noſtris beatorum ſedem notare exiſtimo, cùm hic oculis obtenſus, & rotundo definitus ambitu Mundus, duobus notis conſtet, & diſtinctis tractibus, iiſque orbicularibus, elementari & æthereo. *Pauli raptus in tertium cœlum.*

Hoc in loco etſi fatetur ſe ignorare, vtrum excedat è corpore anima, an permanens in ſua ſede & ſtatione, cœleſti luce perfundatur: inquit enim, οἶδα ἄνθρωπον ἐν χριστῷ πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων, εἴτε ἐν σώματι οὐκ οἶδα, εἴτε ἐκτὸς τοῦ σώματος, οὐκ οἶδα, ὁ θεὸς οἶδεν: *Noui hominem in Chriſto, ante quatuordecim annos, ſiue in corpore, non noui; ſiue extra corpus, non noui, Deus nouit*: tamen non patrocinatur commentis Ethnicorum, de animarum egreſſu, vagiſque oberrationibus, neque in dubium vocat hoc, quod antea aſſeruimus, non ſeparari animas à corporibus eorum, qui Diabolica corripiuntur ἐκστάσει, *ſeceſſione animi à corpore.* *Paulus non patrocinatur ſeceſſioni animarum à corporibus.*

Vt maximè enim ſolutas euocarit Deus animas ſanctorū Prophetarum ex corporibus, traductasq; in cœlum, & diuina completas luce, repoſuerit in ſuos carceres, quod nec inficior, nec affirmo: Diabolo tamen hoc imitari, & compagem animæ cum corpore admirandam, nec cuiquam cognitam, diſſoluere, exemtis animabus, ac repoſitis iiſdem diſſolutam antè conglutinare rurſus atq; compingere, impoſſibile eſt.

E genere vel τῶν θεοπροσπλακῶν, vel τῶν ἐκστατικῶν, *cum Deo habentium commercium, vel ecſtaticorum*, ſunt, qui λυκάονες & λυκάνθρωποι, *Lycaones & lycanthropi*, nominati, credunt ſe verti in lupos, & luporum ſpecie, pererratis campis, graſſari in greges pecorum, & armenta, obuia quæuis dilaniando, vel rapere aliquid, vel vagari circum ſepulchra. *De Lycanthropis.*

Extat apud Herodotum locus, de Neurorum, apud Scythas, conuerſione in lupos, quā ſibi nullis perſuaderi potuiſſe aſſeruationib. ait: Λέγονται ὑπὸ Σκυθέων καὶ Ἑλλήνων τῶν ἐν τῇ σκυθικῇ κατοικημένων, ὡς ἔτεος ἑκάστου ἅπαξ τῶν Νευρῶν ἕκαστος λύκος γίνεται ὀλίγας ἡμέρας, καὶ αὖθις ὀπίσω εἰς ταὐτὸ κατίσταται: Ἐμὲ μὲν νυν ταῦτα λέγοντες οὐ πείθουσι: λέγουσι δὲ οὐδὲν ἧσσον, καὶ ὀμνύουσι δὲ λέγοντες, id eſt: *Perhibentur à Scythis, & ab iis qui in Scythia incolunt Græcis, ſemel quotannis ſinguli ad aliquot* *Herodotus de Lycanthropis.*

dies effici Lupi, & rursus ad pristinum habitum redire: quod tamen dicentes mihi non persuadent: nihilominus tamen illi aiunt inesse, atq; hoc dicentes deierant.

Visa sunt & nobis fabulosa esse, & ridicula, quæ de hac Metamorphosi hominum migrantium in figuram luporum, sæpe narrari audiuimus: sed non prorsus fictitia & falsa esse, de certis & exploratis indicationibus testium ἀξιοπίστων, *fide dignorum*, comperimus, qui accidere tale aliquid, proximis, a die Natali, duodecim diebus annuatim, per Liuoniam, & vicinas regiones, certò cognouerunt ex confessionibus plurimorum, qui, ex numero illo, propter scelera, comprehensi, & tormentis examinati fuerunt.

Lycanthropi in Liuonia.

Sunt autem Liuoniensium pars Neuri, in extrema ora regionis, proximè Roxolanos, vocanturque veteri vocabulo Neruij. Liuonienses Igilliones sunt Ptolemæo, his propinqui Sudini & Ganildæ, vbi hodie Curorum regio.

Lycanthroporum metamorphosis.

Rem ita geri narrat. Ineuntibus diebus, qui proximi Natalē Domini sequuntur, circumit puer altero pede claudus, qui illa Diaboli mancipia, quorum ingens est numerus, conuocat, & sequi iubet: quod si cessant aut cunctantur, mox alius vir procerus, flagello ex loris ferreis, iisque flexibilibus, connexo perpulsos, cogit, vt procedant properè. Is cædere miseros adeò grauiter dicitur, vt multo tempore vestigia ex vibicibus reliqua, cum magni doloris sensu, corpora vellicent.

Quamprimum autem accinguntur ad sequendum, mox exui priore specie, & lupina indui videntur. Conueniunt aliquot millia: præit dux cum flagello ferreo: sequitur agmen eorum, qui se luporum specie circumdatos falsa persuasione credunt. Educti in obuia pecora irruunt mordicus, & apprehensa dilacerant: rapiunt, quæ possunt: dant & alia damna. Sed homines attingere aut lædere, non illis fas est.

Ad flumina vbi accesserunt, dux flagelli ictu aquas findit, vt dehiscere & discedere videantur, relicto sicco tramite, quo transeant.

Exactis diebus duodecim, dissipatur agmen rursus, & ad se quisque, deposita lupi & recepta hominis specie, reuertitur.

Muta-

Mutationis rationem talem esse aiunt. Qui mutantur, conuersione momentanea concidunt subitò, vt, qui morbo attonito corripiuntur, & iacent exanimis similes, ac sensu carentibus, & vita.

Non abeunt autem, nec loco mouentur collapsi, neq; ita iacentes vlla vestiuntur specie luporum: sed cadaueri similes euadunt, & voluti atq; agitati reliquæ in ipsis vitæ signa euidentia nulla præbent.

Inde persuasio nata, eductas è corporibus animas, in efficta luporum forma φάσματα, *spectra*, immitti, & inde, vbi peractum hoc est, quod Diabolus instituit, remitti in corpopora, quòd cùm fit, vitam illos recuperare.

Confirmant hanc persuasionem λυκάονες ipsi, qui fatentur, non detrahi corporibus figuram humanam, neque accommodari lupinam, sed impelli animas tantùm, vt egressæ ex suis carceribus, in lupina corpora inuolent, & ab iisdem, certo ac præstituto tempore, circumferantur.

Auditi sunt, qui se ex vinculis, lupi forma, ad suos longis itineribus profectos commemorarunt. Hi interrogati, qui potuerint, clauso carcere, & cur redierint, & quomodo latissima & profundissima flumina tranarint, responderunt, & euasisse se, nihil impedientibus claustris, & rediisse coactos, & flumina volatu se traiicere, terra currere.

In collegium λυκανθρώπων, *Lycanthroporum*, pertrahi dicuntur, qui cum his versantur crebrò, & compotant. Infici enim consuetudine horum, & compotationibus creduntur. Et quanquam crebrò hoc modo afficiuntur, vt videantur fieri lupi, nunquam tamen in vnum colliguntur agmen nisi iis diebus, quibus dixi. *λυκανθρώπων consuetudo inficit.*

Talibus lusibus delectatur Diabolus, vt misera illa, & Dei ignara mancipia sua, excruciet etiam in hac vita, suppliciis, torturis, excarnificatione corporum, & modis aliis. Plurimi enim, propter ea, quæ se, luporum specie, inferre credunt damna aliis, afficiuntur pœnis publicis.

Nec miremur has Diaboli præstigias & machinationes, cùm tetriora multò, & quæ minus vero consona videntur, exerceat & perficiat in extremo Septentrione, vbi homines hactenus cultui Dæmonum dediti fuerunt.

Inter reliquas enim illius vltimæ oræ gentes, Pilappij

Pilappiorum tetræ superstitiones.

extremam Scandinauiæ peninsulæ partem, ad mare glaciale inhabitant. Hi nec agros colunt, nec vllum animal alunt præter Tarandum, quo vtuntur pro iumento, tempore hiemis, quando congelatæ aquæ constiterunt, & omnia obriguerunt frigoribus. Viuunt ex venatione & piscatione, & coluerunt hactenus pro diis ligna & lapides.

Ituri venatum aut piscatum, aut aliud aliquid incœpturi, præmissis quibusdam adiurationibus, suos deos, quos consulunt, tentant loco mouere. Hi, si facilè sequantur, annuunt instituto, & successum promittunt: si renitantur, successus negant: si omnino moueri se loco non patiantur offensos sese ostendunt.

Sacrificium Pilappiorum.

Tales ergo sacrificio placandos existimant, quod in hunc modum instituunt.

Tympanum habent æneum, in quo depicta sunt ea quadrupedum, auium, & piscium genera, quæ ipsis non est difficile consequi. Habēt & ranam æneam, ferreæ perticæ annexam, quam in medium tympani ad perpendiculum defigunt. Postea adiurationibus editis, pulsant tympanum, ad cuius sonitum desilit rana in depictorum animalium aliquod. Illud animal, cuius effigiem petiit rana, mactant diis. Caput suspendunt ab arbore, quam sacram habent: reliqua coquunt, &, amicis adhibitis, consumunt, seque illo omnes perfundunt iure, cum quo hostia decocta est. Talibus peractis sacris, succedere quæ moliuntur & parant, experimento se didicisse, aiunt.

Si quis peregrinus cupiat, de suorum conditione, certi quid cognoscere, præstant, vt, intra viginti quatuor horarum spacium, rescíscat, quid cum illis agatur, vel si trecentis miliaribus absint, hoc modo.

Pilapij quæ in remotissimis terris gerantur spacio 24. horarum resciscere possunt.

Incantator, postquam vsitatis ceremoniis euocatos deos suos compellauit, subitò collabitur & exanimatur, quasi extincto illo, reuera abscedat à corpore anima. Neq; enim aut spiritus in eo reliquus esse, aut restare cum vita sensus aliquis & motus videtur. Sed, vt adsint semper aliqui, oportet, qui proiectum & exanime corpus custodiant, quod cùm non fit, Dæmones id abripiunt.

Horis viginti quatuor elapsis, reuertente spiritu, ceu è profundo somno, cum gemitu expergiscitur exanime corpus,

pus quasi reuocetur in vitam ex morte, qui conciderat. Postea, sic restitutus, ad interrogata respondet, &, vt fidem faciat percontatori, recenset aliquid, quod agnoscat ille, & certò sciat, in ædibus suis aut cognatorum fuisse.

Ingens apud eosdem est numerus, & ingens potentia spectrorum, quæ versantur, conuiuantur, & colloquuntur cum ipsis, neque arceri aut abigi vlla ratione queunt. Cumque præcipuè terreantur & exagitentur à manibus cognatorum, post mortem, ne id fiat, prohibent, cadaueribus defossis & sepultis sub foco. Hac medicina sola, contra Dæmonum sese vexationes & terriculamenta muniunt, ac tutos præstant. Id enim si faciant, nullæ in posterum illorum vmbræ comparent amplius: si negligant, obuersantium perpetuò cognatorum vmbris turbantur & infestantur.

Pilappij abundant spectris.

Pilappij defunctos cognatos sub foco sepeliunt.

Hoc tempore, minus est ibi incantationum, quàm fuit antea, quòd Sueciæ Rex, ne iis amplius vtantur, seuerissimè prohibuit, & quantum potest, curat eos de religione nostra rectè erudiri, quamuis hoc sit difficile, cùm certas non habeant sedes, sed vagentur in syluis.

Sueciæ Rex Pilappios in religione erudiri instituit.

Regiones, quas incolunt, palustres sunt, nec nisi hyberno tempore peruiæ, quando omnia congelantur.

Pastores, ex Finlandia, Nortbotnia, Angermania, Midelpadia, Helsingia, & vicinis regionibus, hyeme ad eos accedunt, &, quos adipiscuntur, docent orare, ac mediocriter institutos baptissant.

Dicunt, quòd si profectiores ætate Baptismum suscipiant, ij communiter intra septimum aut octauum diem à Baptismo moriantur, idq; præcipuè admirabile est.

Pilappij grandiores baptisati 7 aut 8 die pòst moriuntur.

Hæc ex narrationibus hominum dignissimorum fide recitaui, vt, cùm hæc consideramus, exuscitemus nos ad ardentius & vigilantius studium cauendi insidias Diaboli, & ad precandum ardentius, vt Filius Dei, qui missus est, vt destruat opera Diaboli, regat & seruet nos, nec sinat ab ipso auulsos in Diaboli potestatem redigi.

Sed redeo ad Lycaones, quos tunc, cùm subitò euersi ac prostrati lapsu fiunt exanimes, attonitorum instar, aut animo deliquētium, constat somno opprimi arctissimo, eoq; detineri Diaboli artificio, quousq; aut libuerit ipsi, aut exegerit operis, quod interea in hominis miseri perniciem per-

Lycanthropi somno arctissimo opprimuntur.

agit, conditio. Vincit sopito sensus, inhibet motum, ac respirationem tollit, aut occultat omnia vitæ argumenta, & ne suffocetur, cordis calorem, vel afflatu aeris sufficientis, vel leni prorsus & obscuro motu ventilat, aut fascinat astantium oculos, ne, quod de respiratione reliquum est, animaduertant.

Ex Lycanthropis collapsis spectra, lupina specie, prosiliunt.

Non excedit è corpore humano anima verè, vt in lupinum commigret, Diaboli coactione, etsi ex collapsis prosilire interdum lupina specie, spectra conspiciuntur.

Nec suam corpora formam exuunt aut mutant, sed deuinctis illis somno profundissimo, vt in ἐκστάσει, *ecstasi*, animæ non impeditæ aut distractæ ministerio regendi corporis, sed ceu in sese reuocatæ, occupantur phantasmatibus ac ludibriis effictis, & immissis à Diabolo de iis rebus, quas interea perficit, cum opinione tali, vt ipsæ, de impressa δοκήσει, *opinione*, seu phantasia, videantur facere ea, quæ φαντάσματα *phantasmata seu imaginationes*, pingunt & persuadent.

Lycaonis cuiusdam historia.

Vera narratio est de quodam Lycaone rustico: qui cùm, apud præfectum suum, non procul ab vrbe Rigensi, cœnasset, tandem inebriatus, sub somni tempus, subitò è sella decidit, supinus in pauimentum, ceteris spectantibus.

Præfectus homo sapiens, quòd, Lycaonem esse, statim agnosceret, iubet familiam, hoc relicto, cubitum ire.

Postridie reperitur in agro equus per medium dissectus: coniectura Præfecti, culpa confertur in eum, qui pridie exanimatus sub noctem manè reuixerat. Ducitur is ergo in carcerem, & interrogatus mox confitetur factum: ait, se veneficam, ignei papilionis specie, circumuolitantem persecutum esse (gloriantur enim Lycanthropi, quòd ad arcendas veneficas conducantur) hanc, vt declinaret periculum, sub equo fortè ibi pascente se abscondisse: ibi se, arrepta falce, dum petit validius veneficam, intentatum ictum arcecludentem, ex improuiso & imprudenter discidisse equum.

Lycanthropi se ad arcendas veneficas conductos esse gloriantur.

Ad hunc modum ludunt inter se Diaboli, de hominum pernicie.

Medici λυκανθρωπίαν, *lycanthropiam*, vt ἔκστασιν, *secessionem animæ à corpore*, melancholicis affectionibus accensent, quibus vt non refragor: Nam ciere prauam ac maliciosam atram bilem, similia φαντάσματα, *phantasmata*, & plerunque

μαν-

μαντικαὶ, diuinatrices, naturas melancholicas esse, res docet: ita, siue accedat *διάθεσις, affectio*, melancholica, siue nulla adsit, crebrius Diaboli præstigiis talia, quàm solius exuberantis atræ bilis malicia, effici sentio. Nec dubium est phantasiis melancholicis mente errantium, sua semper Diabolos *ληρήματα, deliramenta*, & motibus horum, atq; affectibus, suas aspergere multiplici veneno infectas flammas.

Est autem ἔκστασις Diabolica aliud nihil, nisi ludibrium Diaboli, reuocatione *ἐκστατικῶν, ecstaticorum*, ad sese, ac restitutione ceu ex morte in vitam; conantis effingere opus resuscitationis mortuorum, quod solius omnipotentiæ diuinæ opus est, Diabolo inimitabile: scilicet, vt hoc præstigiarum genere fidem faciat his, quæ Ecstatici ad sese reuersi enumerant, & omnipotentiæ diuinæ gloriam ac maiestatem eleuet & obscuret. *Definitio Ecstasis Diabolicæ.*

Quid verò de tota *θεομαντείᾳ, vaticinatione*, & de his quatuor *τῶν θεομαντῶν, vatum*, differentiis, sentiendum, quid horum prædictis, responsis, aut narrationibus tribuendum sit, ipsa vox diuina decernit. Leuit. 20 dicitur, *Ἀνὴρ ἢ γυνὴ, ὃς ἂν γένηται αὐτῶν ἐγγαστρίμυθος ἢ ἐπαοιδὸς, θανάτῳ θανατούσθωσαν ἀμφότεροι, λίθοις λιθοβολήσετε αὐτοὺς, ἔνοχοί εἰσι: id est, quod si quis in eis aut ventriloquus, aut magus fuerit siue vir, siue mulier sit, capite plectitor, lapidator, pœnas dato.* Et ibidem, *οὐκ ἐπακολουθήσετε ἐγγαστριμύθοις, ventriloquis non auscultabitis.* *θεομαντεία diuina voce prohibita.*

Deuterono. 18. atrocissimis verbis abominari dicitur Deus, & odisse eos, qui sua corpora, domiciliorum instar, Diabolis accommodant, dedicántve, aut insidentes aliis Dæmones sciscitantur. *ἐγγαστρίμυθος, ventriloquum*, vel, vt Hebræus textus habet, Pythonem consulens, *βδέλυγμά ἐστι τῷ κυρίῳ τῷ θεῷ σου, res abominanda est, Domino Deo tuo.*

Vtrosque damnat vox diuina, cùm hos, qui volentes dedunt & mancipant sese Diabolo, receptisque intra sese immundis spiritibus, sponte, aut negligentia admissis, fiunt hostes Dei, & præcones blasphemiarum, quas in verum Deum illi concinnant & euomunt, quo nihil potest cogitari horribilius: tum illos, qui tales Diaboli ministros consulunt, siue futurorum præscientiam, indicationémve occultorum expetant, siue opem flagitent, atq; auxilium.

Et quanquam de obsessis tantùm loquitur textus, tamen

includit, & ceteros, qui ab obsessis eo solùm differunt, quòd aliter se in illis ostendit, aliterq́;, quæ meditatur, promit, quàm his. Vult Deus non tantùm, ne faciamus corpora nostra sponte mancipia & domicilia Diaboli, sed etiam, ne occasiones illi præbeamus nos adoriundi, aut tentandi aditus, negligentia, vel quacunq; re alia, néve vlla nobis intercedat societas cum addictis Diabolo.

Cùm verò hoc præstare nobis sit difficile, in tanta naturæ imbecillitate, tantaq; hostis astutissimi καὶ πανούργου, & *versutissimi*, astutia, petamus auxilium à Filio Dei, nosq́; ipsos verbo Dei, assidua inuocatione Filij Dei, & Spiritus sancti ope ita muniamus, & obsepiamus, aditu omni, velut vallo vndiquaq; præcluso, ne perfringere hæc septa facilè, & expugnare nos possit; feramus etiam placidè impositas nobis ærumnas diuinitus, non fremamus aduersus Deum, nec impatientia quæramus auxilia prohibita, nec curiositate, aut petulãtia, scrutemur vel ea, quæ scire nos, aut non refert, aut non licet, aut non expedit; vel ex iis, à quibus inquiri aliquid Deus seuerè vetuit.

DE MAGIA.

VIRGILII de Alecto carmen, Tibi nomina mille, mille nocendi artes, pulcrè pingit Diabolum, qui infinita varietate, infinita molitur in contumeliam Dei, & seductionem perniciemq́; generis humani.

Mira calliditate, & discrimine multiplici, inde vsque ab initio, imposturas inuexit & obtrusit suas, primò despicienter eleuata autoritate verbi Dei, mox eodem nouis erroribus sensim & occultè obscurato, tandem prorsus abolito, & animis hominum conuersis partim ad creaturas, partim ad sese, non vno modo, sed variè, nouatis rationibus oraculis instauratis, hominibus ipsis vel occupatis, vel afflatu dementatis in suos vsus, aliisque institutis horum similibus, vt nouitate & varietate captos, delinitosque in officio retineret.

Inter hæc Diaboli artificia & ludibria, non infimum sibi locum

locum μαγεία & γοητεία, *ars magorum & incantatorum*, vendicant.

Magorum appellatio, apud antiquos Persas, amplissima fuit & honestissima. Solis enim tribuebatur sacerdotibus, quorum & dignitas erat summa, & authoritas præcipua. Præerant religioni Persicæ; vt in populo Dei Leuitæ, & sacra publica soli tractabant ac peragebant, studiisque veræ Philosophiæ dediti erant, atque in his, ab ineunte ætate, magna cura, fide, & diligentia, erudiebantur, & exercebantur exemplo Chaldæorum, à quibus Philosophia ad Persas permanarat.

Magorum appellatio, apud Persas honesta.

His religionis conseruatio, sapientiæq; Persicæ explicatio & propagatio, tum antiquorum monumentorum custodia, historiarumque recentium, & rerum ad Regni summam pertinentium notatio descriptioque incumbebat, ex antiquo maiorum instituto.

Magorum Persicorum officium & potentia.

Ex eo etiam cœtu diligebantur, qui Regibus præstò erant in gubernatione, eosque tum moderabantur, monebantque, si quid opus esset, tum instruebant consiliis.

Quantum valuerint, Herodoti historia docet. Rapiunt Regnum, interfecto fratre Cambysis, quod conficere nunquam potuissent, nisi ad Regem aditus eis patuisset libertimus, qui ceteris erat interclusus. Nec quisquam Rex Persarum poterat esse, qui non antea Magorum disciplinam scientiamque percepisset.

Et fuisse etiam, in eo numero, viros naturæ, & sacrarum historiarum, & Prophetiarum peritissimos, vel inde coniici potest, quòd momentum locumque nati Filij Dei ex Prophetiis, quas in illo regno, & Babylonico Israelitæ, captiuitatis tempore, sparserant, stellæ monitu agnoscunt. Quam quidem stellam non casu illuxisse, neq; ex materia Physica, naturæ ordine inflammatã, exarsisse, sed accensam diuinitus, vt natiuitatem Filij Dei designaret, ipsosq; deduceret ad locum, in quo erat Christus, intelligunt.

Magi Persici sacrarum literarum periti.

Sed vt fit vbique, & omni tempore, cùm extincta aut attenuata luce cœlestis doctrinæ, commenticia dogmata inualescunt, & Diabolicæ euincunt, ac radices agunt præstigiæ: sic in illo Regno, cùm Magi initiò deprauassent, veramq; doctrinam, cœlestem & philosophicam, ante & post

Danielis ceterorumq; piorum tempora, commentis desumtis ex Chaldæorum libris, & ex sese genitis, instituissent nouas religiones, contaminassent Philosophiam anilibus fabulis: cum relicta naturæ vera contemplatione, sectarentur & captarent nescio quæ signa, & plura comminiscerentur, atq; inde diuinandi artem extruerent, & Diabolus, his occasionibus, tum adiungeret se illis, tum superstitiones & rationes scrutandorum futurorum cumularet, quas pij & sancti in illo populo grauiter reprehendebant ac condemnabant; factum, vt Magorum nomen, à Sacerdotibus & Philosophis sanioribus, deuenerit ad eos, qui fœdera faciunt cum Diabolis, seq; illis obligant quocunq; modo, acceptis vicissim talibus sponsionibus ab ipsis, vt vel sponte, certa aliqua specie se alligent aut includant crystallis, speculis, annulis, & aliis istiusmodi, excitiq; compareant, vel solennibus ritibus verbisq; conceptis, diris & execrationibus euocati, ascititia sese & conspicua imagine ostendant, ad quæsitaque, vel voce respondeant, vel picturis, vel alio modo.

Magorum nomen infame.

Ethnicis persuasum erat, opinione quadam contracta, ex reliquis adhuc veteris & primæ doctrinæ vestigiis, cuilibet homini, quamprimum natus esset, sorte decerni atq; adiungi duos Genios, quos δαίμονας, *damonas*, vocabant Græci, eosque adesse homini, toto vitæ cursu, omni momento, & corpore extincto, animam ad Orcum deducere, vnumque ex his, bonum esse Genium; alterum, malum, credebant: illi, quicquid prosperè euenisset, asscribebant: ab hoc tristia noxiaq; oriri & infligi censebant: Illum procurare ac promouere, quæ ex re nostra essent, ac defendere, quem in fidem, patrociniumq; suum accepisset, atque arcere pericula nocumentaq;, & aduersari alteri, quantum posset, hortatoremque esse & impulsorem, ad honesta ac salutaria consilia, studia, & actiones: vnde ἀποπομπαῖον eum, *ἀποτρόπαιον, ἀλεξίκακον, λύσιον, φύξιον, & δαίμονα λύοντα τὰς ἀράς, auersorem, depulsorem, defensorem, à malis liberatorem, fugantem mala, & Genium auerruncantem diras & imprecationes* nominabant: hunc contra interuertere & elidere res bonas ac salutares; calamitates verò & incommoda tum incutere, tum, si impenderent, maturare, atq; in capita nostra cogere, ac velut per præceps agere, omninoque ad scelera & flagitia propellere, indeq; in

Genij duo ex Ethnicorum opinione.

discrimina vitæ adducere, vel in subitum præcipitare exitium, putabant: Vnde ἀλιτήριον, προστρόπαιον, παλαμναῖον, & δαίμονα κυροῦντα τὰς ἀρὰς, *noxium, sceleratum, impurum, & genium ratas facientem diras,* nuncupabant. De his citantur versus Græci:

Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ τῷ γινομένῳ
Ἅπαντός ἐστι μυσταγωγὸς τοῦ βίου, id est,
Suus cuiq; genius est mortalium.
Vitæ initiator vniuersæ & arbiter.

Et sæpe spectra visa esse, & conspici, notum est. Brutum in bello ciuili terruit spectrum. Mario visum est, ante mortem, quendam hunc perpetuò versum auribus occinere ipsius: *Spectra sæpius visa.*

Δειναὶ γὰρ κοῖται καὶ ἀποιχομένοιο λέοντος.
Sunt etenim vel sæua abeuntis lustra leonis.

Cõstantinus Imperator Magni Cõstantini filius ipse narrauit, se speciẽ, quã antea in secundis rebus sępe lætã vidisset, tunc, cùm ægrotaret, vidisse mœstam, & lugenti similem.

Qua de re eruditi disputarunt, fuisse Genium ipsius, qui solitus fuerit ipsum comitari.

Retentam omnino hanc opinionem coniicio, ex doctrina sanctorum Patrum de discrimine inter Angelos Bonos & Malos: quorum illi, quòd perstiterunt in vera, erga Deum, & præfinita diuinitus obedientia, retinuerunt attributas ipsis in creatione dotes, & fruuntur Dei conspectu & consuetudine; suntque, sicut describuntur in Epistola ad Hebræos, λειτουργικὰ πνεύματα εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν, *administri Spiritus, qui ministerij causa mittuntur propter eos, qui hæreditatem cernent salutis.* *Geniorum opinio ex sanctorum Patrum doctrina.*

Hi, superbo ac contumaci contemtu, violarunt obedientiam conditori debitam, & defecerunt à Deo, sua voluntate; liberè, nullius impulsu aut coactione. Ideò non conseruarunt originem suam, sed exuti dotibus & ornamentis summis, ac iusto Dei iudicio condemnati, & præcipitati de cœlo, ad æterna supplicia, fieri hostes Dei, atq; immani Dei odio, cùm deformare summis viribus Dei gloriam, excitatis in Ecclesia falsis ac blasphemis dogmatibus & hæresibus hisque auctis & dilatatis, tum acerrimè oppugnare Ecclesiam cœperunt: priuatim quidem, moliendo exitium, aut

ſtruendo, atq; intentando pericula ſingulis: publicè verò, crudelitatem excitando, impulſu tyrannorum, vt dilacerent Reſpub. vt ſæuiant in innocentes, vt moueant non neceſſaria certamina, & inflammatione inquietorum ingeniorum, vt moueant ſeditiones, & turbent Reſpublicas.

Contra hos ſancti & caſti Angeli, velut in aciem collocati, & excubias agentes, perpetuò dimicant. Cumq; ament gloriam Dei, & veram doctrinam, promouent pia ſtudia; reprimunt Diabolum, & ſerentes falſa dogmata; & impediũt tyrannorum conatus, & crudelia conſilia: Priuatim verò cuſtodiunt, regunt, & tuentur pios, arcendo ac ſummouendo, quæ à Diabolo ſtruuntur & intentantur.

Non, diuina voluntate, aut diſpenſatione, mali Angeli hominibus adduntur: ſed ipſi ſeſe his adiungunt, contra Dei voluntatem, incitati Dei & hominum odio, & cupiditate cruciandi generis humani trahendique id ſecum in æterna ſupplicia.

Contra machinationes horum verò & conatus comparata ſunt ſanctorum Angelorum præſidia diuinitus.

Sed doctrina amiſſa, vt ſæpe dixi, vix tenuis famæ aura, de his tantis rebus, permanauit ad Ethnicos, vnde nouæ poſtea opiniones coniecturis conſutæ, & ex his mox Diabolicæ idolomaniæ detextæ ſunt.

Magiæ & γοητείας diſcrimen.

Ex hac ergo opinione diſtraxerunt τὴν μαγείαν ἀπὸ τῆς γοητείας, *artem magicam ab incantatione.* Vocarunt enim μαγείαν ἐπίκλησιν δαιμόνων ἀγαθοποιῶν πρὸς ἀγαθοῦ τινος σύστασιν: Γοητείαν contrà, ſeu μαγγανείαν ἐπίκλησιν δαιμόνων κακοποιῶν: *Magiam inuocationem beneficorum dæmonum, ad boni alicuius effectionem: Incantationem verò ſeu veneficium, inuocationem maleficorum dæmonum*, ad lædendos alios, ſeu intentatis illatiſq; nocumentis, ſeu iis, quibus fruerentur commodis, quæve exhiberentur, ereptis aut ſuppreſſis.

Denominatam γοητείαν, exiſtimant, ἀπὸ τῶν γόων, καὶ θρήνων περὶ τοὺς τάφους, *à lamentatione & ploratu circa ſepulchra.* Circa ſepulchra enim illi hærebant & volutabantur, noctuque gemitu lamentabili ac triſti, noxios ſe Dæmones permouere, & excire in ſubſidium opinabantur.

Magiæ definitio.

Eſt igitur μαγεία, artificium à Diabolo traditum, quo Dæmones moniti, aut euocati à confœderatis ſuis ex pacto (quibus

(quibus aut deditione ſui, aut alio promiſſo ſuſceptis, certis ſeſe ſponſionibus viciſſim obſtrinxerunt) iiſdem, de pactis illis conuentisq́;, vel aliqua ſpecie circumdati, vel non apparentes, præſtant, quæ requiruntur reſponſis aut effectis: eò vſq;, quò vſque vel condixerunt operam confœderatis, vel placet ſtare promiſſis, vel Deum indulſurum præuident.

Plerunq; verò, ante conſtitutum tempus, violato ac finito ſocietatis iure, ſocios illos vel ancipitibus falſiſve præſtigiis deceptos perdunt, cùm per edita mẽdacia produnt & iudicib. vinciendos necandosq́; tradunt: vel ipſi tragico aliquo triſtiq; ſupplicio interemtos abripiũt in æternos cruciatus.

Exitus Magorum tragicus.

Hoc poſtremum præmiorum genus ferè reddunt illis, in quorum animas & corpora plenum ius habent, ac poteſtatem integram, ex deditione: Illo cetero remunerantur, quibus vtuntur ex promiſſo ſolius operæ, non animarum & corporum.

Cùm enim animas, Deo prohibente, lædere non poſſint, corpora cruciant.

Talis τῆς λυκοφιλίας, *lupinæ amicitiæ*, illius ſemper eſt exitus, tali miniſtros ſuos mercede donant.

Sed, vt antè dixi, nec vna ſe omnibus forma fœderis deuincunt, neq; vno modo requiſita præſtant, ſed aliis aliter.

Hinc illa ſpecierum Magiæ varietas & diuerſitas. Quæ etſi in duas ſpecies ſummas cogi poſſunt, μαντικὴν καὶ πρακτικὴν, *vaticinatricem & in actione poſitam*, quarum illa de quæſitis reſpondet; hæc poſtulata exequitur: Semper tamen μαντικὴ, *vaticinatrix*, prior eſt: nec πρακτικὴ, *quæ in actione poſita eſt*, audet aut aggreditur aliquid, niſi de conatu & euentu illa prius annuerit, ſiue liquidò diſerteq; id fiat, ſiue per inuolucra ambigua. Meminerunt multarum ſpecierum hiſtoriæ, hæ non rectius diſtinguũtur, quàm varietate ſpecierũ quib. ſe Diabolus oſtendit aut miniſteriis certis ex pacto addicit.

Magiarum ſpecies variæ.

Magorum enim aliqui, familiares ſpiritus perpetuò ſecum circumferunt, aliàs aliis ergaſtulis vinctos & concluſos, vt ipſi iactitant: aliqui annulis, aut thecis: nonnulli ſpeculis, aut Cryſtallis. A ſpeculis eſt, quod vocant ſpeculum philoſophorum: hos Spiritus vetuſtas παρέδρους, *aſſeſſores ſeu conſiliarios*, vocauit: Aliqui, cùm opus eſt, accerſunt & alliciunt ex pacto & conuento.

Præ omnibus maximæ deteſtabile eſt illorum ſcelus, qui ſe ex pacto ſuccubis & incubis Dæmonibus commiſcent. Non ab Ethnicis tantum vſurpatum: ſed adhuc multis gentibus (quod relatu turpe & abominabile eſt) vbi cœtus eſt Eccleſiæ Chriſti & ſonat vox doctrinæ cœleſtis notum ac familiare: Succubis Dæmonibus ſe muliebri ſpecie viris ſubiicientibus; Incubis mulieres viri facie ineuntibus. Nec imaginatione & phantaſia id fieri, ſed opere & ſenſu conuincunt illorum qui peregerunt talia confeſſiones & aſſeuerationes.

Νεκυομαντεία.

Νεκυομαντεία, necyomantia, à manibus ex Orco accitis extractisq; futura ſciſcitatur. *Νεκυομάντεις, vates maniũ elices*, erant vates ipſi, qui, ſacrificiis ſolenni ritu inſtitutis & peractis, diris atq; execrationibus, ab inferis manes educebant, cumq; exiiſſent ac comparuiſſent, percontabantur. Vnde *ψυχαγωγοὶ* & *ψυχοπομπαῖοι, animarum ſeu manium euocatores*, hi nominabantur: & opus ipſum *ἐπίκλησις τῶν ἀνθρωπίνων ψυχῶν, euocatio humanarum animarum*.

Redire enim ritibus illis concitatas allectasque credebant animas tum, cùm euanidis & vmbratilibus earum imaginibus Dæmones induti proſilirent. Loca verò, ex quibus erumpebant, *νεκυομαντεῖα* & *ψυχοπομπαῖα*, quòd tranſitum animabus præberent, vocabantur.

Ethnicorum opiniones de animabus defunctorum.

De animabus defunctorum, etſi tota antiquitas Ethnica opiniones miras habuit ac diuerſas: tamen ſaniores pleriq; in eo conſentiunt, non interire animas cum corporibus: ſed ſolutas vinculis corporum, & carcere, manere ſuperſtites, oculisque purioribus, non impeditas amplius hoc corporum cœno, contueri omnia ac perſpicere, & exactius, quæ per obtenſas veluti nebulas, ac ſordes corporum, pernoſcere & aſſequi non potuerunt, tunc intelligere ac complecti, certo tamen diſcrimine.

Imperitiores etiam redire vocatas animas, reſponſaque dare interrogatas, & multa, quæ euentura eſſent, monere, ſenſerunt.

Vtramq; opinionem Diabolus confirmauit, cùm oraculis, tum mortuorum ſpecie in domibus oberrans, ad ſepulchra, in iis locis, in quibus emergere, ac ſeſe ſiſtere animas prouocatas, opinio erat, quò hãc conſuetudinem conſulendi manes ratam faceret.

Plutarchus Coraci Naxio, & pluribus aliis, ab oraculo Delphico, περὶ τῆς ἀφθαρσίας, *de immortalitate*, animæ, hoc renunciatum memorat, οὐχ ὅσιόν ἐστι ψυχῆς καταγνῶναι θάνατον, *Non homini sanctum est, animæ cognoscere mortem.* Et Lacedæmoniis placaturis ex iussu oraculi manes Pausaniæ, quem in templo Palladis fame necarant, εἴδωλον, *simulachrum*, eius per ψυχαγωγὸν, *manium euocatorem*, allectum, conspiciendum se exhibuit. Similia multa & veteres historiæ recitant, & patrum memoria accidisse, nouimus.

Sed quæ sit animarum separatarum ac superstitum conditio, quò ferantur, quid agant, quo differant animæ eorum qui grauiter, constanterque, & cum virtute vixerunt, ab illorum animabus, qui se omni obstrinxerunt ac polluerunt scelere, aut in turpissimo libidinum cœno volutarunt fœdissimè: de his opinionum magna fuit dissensio atque discrepantia,

Platonis opinio de animabus defunctorum.

Plato animas præstantium virorum, qui vel Philosophiam excoluissent, vel seriis virtutum studiis, atque exercitiis vitam traduxissent, & subiissent pericula, sustinuissentque certamina, pro defensione iusticiæ, & pro Rebuspublicis: Eas (inquam) Plato disputat laxatas atque explicatas corporum vinculis, rectà subuehi in cœlum, doctrina & rectè factis, velut alis: Reliquorum, qui turpitudini dediti fuissent, ac luxuriæ, omninoque vitam à virtute alienam egissent, seque multis variorum vitiorum sordibus aggrauassent, onere sordium, etiam cùm enitantur sursum, reprimi, terræque affigi, & vagari circa sepulchra, suasque deplorare miserias tantisper, donec & meritas luant pœnas, & contractas expient, atque expurgent sordes.

Has apparere quandoque, ac conspici, nonnunquam gemitus exaudiri earundem, atque eiulatus.

Plutarchi opinio de animabus.

Plutarchus, ex narratione Solei cuiusdam, qui ex lapsu, colludente Diabolo, mortuus post triduum reuixerat, dissimilia Platonicis recitat: Nimirum animas omnes promiscuè cùm emigrarunt è corporibus, bullarum instar, humana specie efferri sursum, densumque & confertum agmen animarum volitare in aere, sed dissimiliter.

Impollutas enim rapidissimo motu, discusso ac superato aere, in summam cœli arcem, quieti beatorum destinatam,

perferri: reliquas pro sordium, quas, criminibus, ac vita scelerata, sibimetipsis aspersissent ac cumulassent, discrimine, variè huc atq; illuc agitari, nũc sursum contendere, sed retrahi ac deiici pondere sordium incumbentium, mox in gyros conuolui, rotarum instar, & complicari inter sese mutuoq; complexu cohærescere aliquandiu, & rursus diuelli.

His Ἀδράστειαν, *Adrastiam*, Iouis & Necessitatis filiam, iudicem & vindicem constitutam esse: hanc consistere in summo loco, prouidereque, ne elabatur aliqua, aut pœnas declinet, & decernere de modo pœnarum, partirique discrimina trifariam, vt eas, quæ vel parum culpæ & vitiorum cõflassent, aut maximam earum partem huius vitæ calamitatibus, exhausissent atque eluissent, breui leuíque supplicio afficiendos daret τῇ ποινῇ, *pœnæ*: his proximas, quibus, ob maiores & impressas altius scelerum sordes, acerbiore medicina opus esset, & expurgatione fortiore, traderet purgandas τῇ δίκῃ, *iudicio*: reliquas, quæ ita vitiis scaterent, vt elui perpolirique difficilimè possent, τῇ ἐριννύι, *Erinnydi*, crudelissimè torquendas & excarnificandas commendaret: continuaríque cruciatus illos & supplicia, eò vsque donec labes sit extersa omnis, atque extirpata.

Communi persuasione & errore, existimatum est inter Ethnicos, animas, cùm ex hoc euolassent corpore, rectà in Orcum deferri, ibique, pro ratione actæ vitæ, in certas sedes tranquillas, aut suppliciis deputatas collocari, & vel frui læticia, vel exerceri pœnis, ac fatigari suppliciis, pro admissorum criminum ratione, nec semel deductis patere reditum, nisi consentientibus id fieret Plutone ac Proserpina, à quibus idcirco conuenturi animas prius sacrificiis missionem impetrabant.

Purgatorij commentum. Horum similia sunt anilia commenta de purgatorio, quæ decantari in Ecclesia audiuerunt maiores nostri: &, de oberrantibus defunctorum manibus peruulgatæ, omniumque tritæ sermonibus, & nulli non antè formidatæ fabellæ: quarum fidem auxit Diabolus, vt receptum funebrium ceremoniarum vsum, & idololatricam celebrandarum pro defunctis Missarum consuetudinem, stabiliret.

Nos vox diuina docet, non extingui animas cum corporibus, sed separari ac manere superstites, & electas transferri

ferri in Paradisum, id est, locum beatis comparatum, vt fruantur lætitia æterna: impias relegari, & detrudi in infernum, id est, condemnatorum sedem, vt experiantur & subeant statuta ipsis supplicia & cruciatus: etsi, vbi illæ sint sedes, non demonstrat. Verùm, si sunt aliquid, vt sunt, alicubi vt sint, necesse est.

Animarum conditio post mortem.

Nec disiunctæ semel à corporibus, & collocatæ in definitas sedes, redeunt, si reuocentur, Magorum obtestationibus aut adiurationibus, vt persuasum erat Ethnicis: sed asciticia se illarum imagine ostentant Dæmones. Non Samuelis reuertitur anima, à Pythonissa, iussu Saulis excitata: Iustorum enim animæ in manu Domini sunt.

Quare retrahere & producere eas, cùm vult, Diabolus nequit: sed illius specie ipse comparet, & prædicta à Samuele antea repetit.

Animæ semel à corporibus morte separatæ non redeunt.

Ergo νεκυομάντεις, *vates qui per manes euocatos responsa edunt*, non à mortuis ipsis, sed Dæmonibus, illorum habitu vestitis, responsa accipiebant, quæ si illi integris & expressis mortuorum corporibus conspicerentur, νεκυομαντεῖαι, *mortuorum vaticinia*: si tenues, obscuras, & euanidas sibi circumfunderent vmbras, σκιομαντεῖαι, *vmbrarum vaticinia*, nominabantur.

Ritibus his vtebantur; Aras, quæ plerunque geminæ erant & pares, nigris ornabant vittis aut cæruleis, & cupresso: cumq; pecudes confodissent, spirantem adhuc cruorem, in effusam spargebant terram, vinumque, lac, & mel miscebant, postea cæsæ victimæ viscera ter circum aras gestabant, igne accenso.

Ritus in euocandis Manibus obseruati.

Hoc ritu commoueri ex imo animas, produciq; arbitrabantur: cúmq; manes placarent, pocula libabant, rogúmq; & sepulchrum vino, sed inuersa manu conspergebant, & nigras immolabant victimas, quarum viscera oleo rigata cõiiciebant in ignem, incensis lignis sterilibus, quæ è sepulcris eruta esse oportebat. Sacra verò noctu peragebant, vel in meridie, vel die decrescente. Fugere enim manè aduentantem Solem credebantur manes. Inualuerat autem hæc consuetudo apud Ethnicos adeò, vt Romani annuatim ter, postridie Vulcanalia & antè sexto Idus Nouembris, & antè tertio Nonas Octobris, Diti & Proserpinæ, in campo Martio,

vbi aram Diis Manibus, in loco abdito, subter terram effosso, statuerant, victimis, epulis, thure, & mero sacrificarent, & decreta facerent, de rituum illorum conseruatione, & atro die manibus parentare, ne infesti redderentur prohiberent; denique, si non ritè administrata, vel ex leuibus causis intermissa essent, secundo tertio instaurari ea ac refici vellent. Instituisse hæc sacra Sibyllam Cumæam ferunt.

Romani ante oppugnationes vrbiũ deos tutelares euocabant.

Verrius Flaccus, vt Plinius scribit, authores posuit, quibus credat in oppugnationibus vrbium solitos Romanos ante omnia euocare per sacerdotes Deum, in cuius tutela oppidum esset, eiq; viso eundem apud ipsos locum cultumque, aut etiam ampliorem, deferre ac promittere. Ideoque occultatum magna industria tutelarem Deum vrbis Romæ, ne quid simile, si in obsidionis pericula vrbs adduceretur, tentarent hostes.

Νεκυομαντεῖα in historiis celebrata.

Fueruntq; *νεκυομαντεῖα loca, vbi manes euocati responsa ederent*, non multò pauciora oraculis, Homerus Cimmericum, ad Auernum Campaniæ lacum celebrat, quod Vlysses adiit, vt Tiresiam vatem de reliquo consuleret itinere. Homerum imitatus Vergilius, idem in suo Ænea repetit. Simile, posterioribus seculis, Roma habuit, ad locum cognominatum Tarentum, iuxta ripas Tiberis. Thesprotium ad Aorrhum Orpheus notum fecit In eo enim cantu, flexis ac permulsis diis manibus, Eurydicæ coniugi reditum ad superos impetrasse, creditum fuit: sed retractam fabulantur, quòd continere sese, ne ad insequentem respiceret, vt fuerat iussus, non potuisset, præ amoris impatientia & desiderio.

Heracleum ex historia Pausaniæ Spartiatæ innotuit, cui eo in loco, cùm sacra perageret, deprecaturus & placaturus manes Cleonicæ virginis Byzantiæ, (quam vi à patre abductam, & noctu ingressam in conclaue, ignorans interfecerat, cùm subitò expergefactus strui sibi insidias suspicaretur) huic ergo *εἴδωλον, simulachrum*, virginis obiectum respondit, fore, vt breui Spartam reuersus, à malis omnibus liberaretur.

Dormienti enim, totas noctes imago puellæ obuersari, & hunc occinere versum visa est, *στεῖχε δίκης ἆσσον, μάλα τοι κακὸν ἀνδράσιν ὕβρις. Ius cole, perniciosa viris iniuria res est.* Huic præmonitioni respondit euentus: mox enim, vbi rediisset in

patriam,

patriam, cùm conuictum eum de conſpirationibus initis in patriæ perniciem cum Barbaris, ciues comprehendere & mulctare ſtatuiſſent, atq; ipſe vitaturus periculum, in templum Palladis Chalcedoniæ ſeſe proripuiſſet, concluſus in eo ac circumſeſſus, fame contabuit.

Eundem verſum Antonino Baſſiano Caracallæ ψυχαγωγοῦντι, *manes euocanti*, repetiuit ſpectrum obiectum ſpecie Commodi Imperatoris.

Apud Lucanum, Erichthone venefica Theſſala mortuũ euocat, qui Sexto Pompeio exitum Pharſalicæ pugnæ denunciat. Habuit & Phygalia Arcadiæ ciuitas ψυχαγωγοὺς, *euocatores maniũ*, à quibus ſciſcitari occulta & futura vſitatũ fuit. *Erichthone venefica.*

Ariſtoteles narrat inter Æolias iuxta Italiam inſulas, Liparam tumulum habuiſſe, ampla ac profunda voragine hiantem, ad quem tutò noctu non accederetur, & ex quo cymbalorum ſonitus boatuſq; crotalorum, cum inſolitis atq; inconditis cachinnis, exaudirentur. Eò aliquando acceſſiſſe iuuenem ebrium, & ad ſpecum obdormiuiſſe, ibiq; tertio pòſt die à quæritantibus repertum, ac pro mortuo ſublatum eſſe: Cumq; paratis exequiis, funus efferendum eſſet, ſubitò experrectum, quæ vidiſſet, quæq; perpeſſus eſſet, magna cum admiratione commemoraſſe. *Liparæ tumulus.*

Eſt & in Islandia mons Hecla, qui immanis barathri, vel inferni potius profunditate terribilis, eiulantium miſerabili & lamentabili ploratu perſonat, vt voces plorantium circumquaque, ad interuallum magni miliaris, exaudiantur. Circumuolitant hunc coruorum & vulturum nigerrima agmina, quæ nidulari ibidem, ab incolis exiſtimantur. *Hecla mons Islandiæ.*

Erumpunt & ex eodem monte fontes duo, quorum alter aquarum frigiditate, alter feruore intolerabilis excedit omnem elementarem vim. *Heclæ fontes miraculoſi.*

Vulgus incolarum deſcenſum eſſe per voraginem illam ad inferos perſuaſum habet inde, quòd ferè, cùm prælia committuntur alibi, in quacunq; parte orbis terrarum, aut cædes fiunt cruentæ, commoueri horrendos circumcirca tumultus & excitari clamores atq; eiulatus ingentes, longa experientia didicerunt.

Nec verò ſoli Ethnici Dæmones inuolutos mortuorum vmbris conſuluerunt, quos, cùm neſcirent Deum, minus mi *Mos interrogandi Manes*

rum eſt, varios exquirendæ voluntatis diuinæ, placandorumque numinum, & explorandorum futurorum modos excogitaſſe. Sed & in populum Dei furor ille peruaſit, vt de Saule legimus, &, vſque ad hæc noſtra tempora, in eo perdurauit cœtu, qui nomen ſibi & titulum ſanctæ Eccleſiæ vendicauit.

Vſitatiſſimam fuiſſe, ſuperioribus annis, conſuetudinem accerſendorum & interrogandorum manium, maiores norunt, &, de illa re, peculiaria & magna volumina conſcripta, eademque in quibuſdam ſcholis publicè propoſita, multi meminerunt.

Hunc furorem procul fugiamus & execremur, omnemque conſociationem cum Diabolis ipſis, vel miniſtris eorum quibuſcunq; abominemur, ne vel polluamur conſuetudine eorum, vel decepti iiſdem fœderibus implicemur. Nec, vel oſcitantia & ſecuritate, vel ſpontanea malicia, nos in Diaboli retia coniiciamus, ex quibus nos Filius Dei, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, triſtiſſimis & longè maioribus, quàm quos vlla hominũ cogitatio æſtimare poteſt, cruciatibus ſemel eripuit, illumq; ἀρχηγὸν καὶ σωτῆρα, *ducem & ſeruatorem*, noſtrum petamus, vt regat & cuſtodiat corda noſtra. Agamus etiam ardentes Deo gratias, quòd, reſtituta luce purioris doctrinæ, inuectas à Diabolo in Eccleſiam præſtigias, hoc poſtremo Mundi ſeculo, diſcuſſit ac depulit, & corda accendit noſtra, vt has agnitas procul fugere poſſimus: ac precemur, ne hanc lucem obrui ſinat ac deleri impoſturis.

Mortui non conſulendi.

Diſertè prohibet vox diuina, quærere veritatem à mortuis. Deuteronomij 18 dicitur: Non inueniatur in te conſulens mortuos, qui hoc facit, eſt βδέλυγμα Deo ſuo, id eſt, talis res, quam odit & abominatur Deus, & propter quam abiicit hominem in æternam damnationem.

Etiam non vult nos Deus expectare patefactiones aliquas à mortuis, ſed niti & inſiſtere illi verbo, in quo & ſeſe, & ſuam voluntatem expreſſit atq; expoſuit nobis.

Abolet Moſes 18 Deut. apparitiones, viſiones, & ſomnia, cùm ad Chriſtum exhibitum nos deducit inquiens, Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: Ipſum audies, vt petiuiſti à Domino Deo tuo. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo,

ne meo, audire noluerit, ego vltor ego. Christus clarè abducit animos à patefactionum expectatione, & ad vocem Euangelij sonantem in ministerio conuertit, cùm inquit: Habent Mosen & Prophetas. Eos consuli, cùm conscientiis anxiis & perturbatis consolatione, dubiis informatione & explicatione opus est, & in hoc animos acquiescere vult, non scrutari vlterius abstrusa ab oculis nostris & recondita, aut non ad nos pertinentia. Item Esa. 8. Nunquid non populus à Deo suo requiret visionem, pro viuis à mortuis? Ad legem magis & ad testimonium. Quod si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis lux matutina.

Annumerantur Magiæ speciebus, & hæ diuinationes, *Magiæ species.* λεκανομαντεία, γαστρομαντεία, κατοπτρομαντεία, κρυσταλλομαντεία, δακτυλιομαντεία, ὀνυχομαντεία, ὑδρομαντεία, ἀερομαντεία: *id est, diuinatio ex inspecta pelui, diuinatio ventriloquorum, è vitro, diuinatio ex speculo diuinatio per Crystallum, diuinatio ex annulo, diuinatio ex vngue, diuinatio per aquam, diuinatio ex iis, quæ in aere apparent*, & similes. Petuntur enim ex iis notis figurísve, quas Dæmones in certis subiectis, vel conspicua specie inclusi illis, vel nusquam apparentes, efformant ac velut pingunt, alióve modo exprimunt tum, cùm ea Magi considerant & obseruant, accepturi inde responsa ad interrogata. Nec cernuntur aut intelliguntur artificiosè conformatæ notæ illæ, nisi ab his solis, à quibus conspici eas vult: ceterorum sensus effascinat, vt nihil eorum, quæ fiunt, animaduertant. Quandoq; ne quidem à Magis ipsis, quibus à Diabolo donum intellectus & interpretationis illarum præstigiarum tributum est, deprehenduntur.

Λεκανομαντεία, *diuinatio ex inspecta pelui*, Assyriis, Chaldæis, *Lecanomantia.* & Ægyptiis in vsu fuit. In peluim aqua repletam imponebantur aureæ & argenteæ laminæ, lapidésq; preciosi characteribus certis signati: &, postquam consueta essent verba pronunciata, quibus Dæmon aduocabatur, proferebatur quæstio: his peractis, tenuis atq; exilis vox, instar sibili, ex aquis emergebat, referebatq́;, quæ exposcebat quæstio.

Γαστρομαντεία, *ventriloquorũ diuinatio*, hoc differebat à priore, quod non voce, sed picturis responsa expediebat. Statuebantur vasa vitrea, rotunda, aquis conferta limpidissimis, & circũ collocabantur accẽsi cerei: cumq; euocatio Dęmonis *Gastromantia.*

occulto murmure absoluta, & quæstio recitata esset, adhibebatur puer impollutus, aut mulier prægnans, quæ vitra accuratè diligenterque intueretur ac circumspiceret, rogaretque, imperaret & flagitaret responsa: Ea tandem imaginibus, quæ, per tersam politamq; speculorum superficiem ex aquis, quadam διακλάσει, *refractione*, refulgebant, Diabolus exprimebat.

Pueri impolluti cur à Diabolo ad res magicas requirantur.

Fuit autem, & est nunc quoque alicubi apud profanos vsitata valde ἡ τῶν ἀδιαφθόρων παίδων ἐπόπτευσις, *puerorum impollutorum inspectio*. hanc requisiuisse Diabolum, certum est, non quòd delectetur castitate, sed vt castos & innocentes animos natura, pollutos ac profanatos in suos vsus, ac ministeria sua præparet atq; expediat, quorum simplex ætas & improuida, prius in laqueos cadit & irretitur, quàm cauere discat.

Catoptromantia.

Κατοπτρομαντεία, *diuinatio ex speculo*, ex nitidis tersisq; diuinat speculis, in quibus quæsitarum rerum imagines effictæ redditæve à Diabolo renitere videntur. Vsus ea Didius Iulianus Imperator, & pleraque Diaboli monitu præuidisse, quæ acciderunt, scribitur.

Pausanias meminit fontis cuiusdam, qui fuit Patris Achaicis, ante Cereris templum. In eum quando, qui ex morbis, de vita periclitabantur, speculum tenui alligatum funiculo immittebant, seq; contemplabantur, si effigiem cadaueris conspexissent, extinguebantur; si hominis viui & valentis, conualescebant, & sanitatem recuperabant.

Crystallomantia.

Κρυσταλλομαντεία, *diuinatio ex crystallo*, ex Crystallis fabrefactis atq; expolitis, vel etiam obsessis à Diabolo, (in plerisq; enim minuta specie aliàs rei alterius conditus delitescit) depictas notas atque figuras euentuum, ac rerum inquisitarum, quasi diuinans renunciat.

Dactyliomantia.

Ex annulis, vel ad certos cœli positus conflatis, vel fascinis Diabolicis consecratis, vel ab ipsis Dæmonibus occupatis, δακτυλιομαντεία, *diuinatio ex annulo*, vaticinatur. Talem fuisse credo annulum Gygis Lydorum Regis, cuius palàm quotiescunque in palmam conuertisset, à nullo videbatur, ipse videbat omnia, &, eiusdem beneficio, reginæ stuprum intulit, ac, Candaule Rege sublato, regnum rapuit.

Onychomantia.

Ὀνυχομαντεία, *diuinatio ex vngue*, fiebat oleo & fuligine, in vnguem

vnguem pueri alicuius impolluti illitis, Soliq; obuersis: con fici enim ex mixtione olei, fuliginis, & radiorum solarium imagines rerum expetitarum, opinio erat, quas tamen formabat impostor Diabolus, versabatq; ante oculos, vt, ex hac mixtura, in vngue reddi ac refulgere viderentur.

ὑδρομαντεία, diuinatio per aquam, variis exercebatur modis. Implebatur cyathus aqua, annulusque filo suspensus ex digito librabatur in aquam, atq; ita, conceptis verbis, poscebatur declaratio, vel confirmatio rei quæsitæ: si, quod proponebatur, verum erat, annulus suo nutu, non impulsus feriebat cyathum constitutis ictibus. Hac vsum Numam Pompilium & euocatos in aquam Deos consuluisse, ferunt. Vel coniiciebantur in aquam quietem lapilli tres, & obseruabantur gyri, ad ambitum corporis continentis diffusi, trifariamque mixti inter se, atque impliciti. Ex his, vt Geomantia, erui veritatem posse, persuasio vulgi obtinuerat. *Hydromantia.*

Fiebant & Hydromanticæ diuinationes, ex impressionibus aqueis, aquarumque fluxibus, & refluxibus, exundationibus, defluxibus, & diminutionibus, tempestatibus, coloribus, & imaginibus, quæ in aquis refulgebant. Varro annotauit, puerum quondam in aqua effigiem conspexisse, quæ, quinquaginta versibus, omnem Mithridatici belli euentum expresserit.

Huius generis sunt illa Ethnicorum oracula, quæ ex aquis petebantur. Non procul ab Epidamno Laconum oppido, fuit Iunonis vocata palus, in quam placentæ frumentaceæ iniectæ, signa dabant secundorum vel aduersorum euentuum. Si enim acceptas mersasq; placentas palus retinuisset, prospera; Si innatantes non admisisset, sed velut indignata reiecisset, tristia portendi, experientia docuerat. *Oracula ex aquis petita. Iunonis palus.*

Aliud fuit oraculum Apollinis Thyrxei, proxime Cyaneas ad Lycum. In fontem enim, qui templo vicinus erat, si quis, præfatis precibus, intuebatur, quæcunque requirebat, cognoscebat.

Mirum quiddam & de fonte Paliscorum, in Sicilia, commemorat Aristoteles, ad quem iuraturi si accessissent, eaque quę Iureiurãdo affirmare voluissent, inscripta tabulis, & obsignata, in fontem deiecissent, fluitabãt tabulæ, nec mergebantur, quando vera continebant: si falsa haberent, dolore *Fons Paliscorum.*

malo ſtructa, mox ſubſidebant delatæ ad fundum flammâque exiliens, periurum correptum exurebat.

Aeromantia. *Αεϱομαντεία, diuinatio ex aere*, vel ſpectrorum, quæ in aere apparebãt, monitu futura edicebat, vel aliter augurabatur. Conuoluta mappa imponebatur capiti, in hanc cyathus aqua plenus ſtatuebatur, leuiq; ſuſurro, quod exigebatur, recenſebatur. Ad ea verba ſi aqua cyathi efferbuiſſet, approbari confirmariq;, quæ inquiſita erant, cenſebantur.

Ex Magorum numero ſunt & quas Lamias, Striges, Sagas, Veneficas: Græci *φαρμακευτρίας*, & *φαρμακίδας*, *ἐμπούσας*, *μορμολυκείας*, *veneficas*, *empuſas*, *quaſi vno incedentes pede*, *laruas* vocant, quæ vt illi, ex fœdere cum Diabolo, pactoq;, vel vt mancipia ei ſeſe dedunt, vel ad connubia etiam, aut concubitus obligant, quibuſcunq; faſcinorum, aut carminum præſtigiis, arte, operaq; Diaboli illa perficiunt, quæ audent profitentur, ſpondent. Quorum & Plato meminit libro II De legibus, vbi duo genera *φαρμακειῶν*, ſeu noxiorum pharmacorum cõſtituit; vnum, quod ſua natura, *καὶ κατὰ φύσιν*, ceu venenum, antipathia naturali, nocet, aut interimit: Alterum, quod *μαγγανείαις* quibuſdam, *ἢ ἐπαγωγαῖς*, *ἢ ἐπῳδαῖς*, *ἢ καταδέσεσιν*, *præſtigiis*, *aut illiciis*, *aut carminibus ſuperſtitioſis*, *aut ligationibus*, nulla mediorum, ex incantatione, virtute, ſed Diaboli opera ſola, præſtat idem, ac perficit. Exhibent & commiſcent ſeſe Dæmones ſuis illis mancipiis, hominis effigie plerunq; ornata, & bella, & nomine aliquo hominibus vſitato, ſed ſenſu frigiditatis ſemper. Talem fuiſſe ſpeciem, ratiocinor, & Satyrorum, quorum Ethnici poëtæ meminerunt.

Sed enumerationem artium Diabolicarum permitto illis, qui eas & norunt, & artificis ac Magiſtri ſui opera, ductu & conſilio exercent, perpetua ſua, plurimorumque aliorum cum pernicie, quos in ſocietatem immanium ſuorum ſcelerum adducunt. Harum memini, cùm quòd in hiſtoriis annotatas reperi, tum vt ab antiquis etiam vſurpatas fuiſſe, non recens excogitatas conſtaret: etſi præter has, nimis multæ in totum irrepſerunt Chriſtianum orbem, autore Diabolo, miniſtris in his, qui vocati ſunt *νεκυομάντεις*, *mortuorum euocatores*, introductæ.

Quando exerceri primùm cœperit, portentoſum hoc

Dia-

Diaboli artificium atq; exitiosum generi humano, vt pleraq; Diabolica, non constat. Viguisse ante diluuium, &, quanquam cum ipso genere humano obrutum fuerit, strangulatumq; aquis diluuij, tamen paulò pòst, viuo adhuc Noha, repullulasse, moxq; eo sublato, in maximam partem generis humani sese dilatasse, atq; extendisse, antiqua testantur historiarum annotata.

Græci prodiderunt in Perside natum autore Zoroastre, atq; inde in Græciam importatum ab Osthane quodam, qui comitatus Xerxem semina eius obiter sparserit, infecto, quacunq; commeauerit, mundo: illustratum tandem atque absolutum à Democrito, qui integris id voluminibus, ex disciplina Apollinicæ, Captidenis, & Dardani Phœnicum, explicauit. *Primi autores Magiæ.*

Quicunq; id genuerint & factitârint primùm apud Assyrios, Chaldæos, Persas, & Ægyptios, plus cultum fuisse, atque celebratum, quàm vllas gentes alias, & patre Diabolo natum, certum est; cui nihil maiori fuit studio vnquam, nihil prius aut posterius, quàm vt, quibuscunq; posset rationibus, à Deo, & vera naturæ contemplatione, homines deiectos atque abstractos, suis irretiret imposturis. Et processerat eò vsq; vanitas Magiæ, vt eam sapientiores Ethnici etiam odissent, atq; execrarentur. *Gentes Magiæ peculiariter dedicatæ.*

Damnatur autem, & interdicitur, seuerissimo Dei edicto, inter diuinationes huius generis ceteras: Non inueniatur in te ducens filium aut filiam in ignem, diuinans diuinationem, obseruans dies, non diuinans ex sortibus, non incantans, aut exercens præstigias Diabolicas, non consulens Pythonem, non interrogans mortuos: quia abominatio est Domino omnis faciens hæc.

Vox Mecaseph, & Magos, & incantatores denotat: cognatæ enim sunt artes Magia, & incantationes. Vocantur etiam vtriq; Melahesim alibi, in literis sacris, quæ vox est à verbo lahas, id est, susurrauit, quòd occulto murmure, & recitatione certarum adiurationum, velut per susurrum vel cum obuersantibus sibi aliqua specie colloquebantur Dęmonibus, vel executionem flagitabant, consummationemque operum, quæ intendebant. *Appellatio Magiæ Hebræa.*

Duobus artificiorum generibus, omni tempore, Diabolus cùm petiuit atque oppugnauit Dei gloriam, tum per- *Diaboli duobus artificiis gloriam Dei oppugnant.*

ficere studuit in genere humano, vt huic eriperetur conspectus & vsura patefactæ veritatis, ac veri Dei agnitio, excuterentur diuina mandata, de veris cultibus Dei, & de rite administrandis ceremoniis diuinis, & adimeretur vsus legitimus rerum creatarum.

Vnum est *κακοζηλία, praua imitatio*, seu falsa, & fuco instructa ac præstigiis, imitatio actionum effectionumq; diuinarum: alterum est, vel doctrinæ diuinitus patefactæ; atq; additorum huic Sacramentorum; vel artium, ex naturæ contemplatione, ac destinato vsu, extructarum; vel rerum conditarum diuinitus, calumniosa ac diuinæ voluntati contraria deprauatio, aut, in abusum prohibitum à Deo conuersio. Estq; sui similis semper, & sui ipsius *τοῖς μὲν ἀδικήμασι καινά, τοῖς δὲ σοφίσμασι ἀρχαῖα, iniuriæ quidem nouæ, captiones autem veteres*, sicut de Lacedæmoniis dictum est.

Actionum diuinarum discrimen.

Actionum diuinarum seu ἐνεργημάτων aliæ vniuersim ad totam rerum naturam pertinent, & in genere humano, promiscuè ad vtrosq;, tam impios, & extra Ecclesiam positos, quàm electos & renatos, quas vsitatè vniuersales vocant: Aliæ ad solam Ecclesiam pertinent, quibus in solis electis, & fide, seu fiducia Filij Dei Iesu Christi conuersis ad Deum, efficax Deus confert & distribuit credentibus, *χαρίσματα, διακονίας καὶ ἐνεργήματα, dona gratiæ; administrationes & effectiones*, Spiritus sancti, effuso per Filium Spiritu sancto in corda credentium.

Vtriusq; generis varietas admiranda & imperscrutabilis humano ingenio. Prioris generis sunt, creatio rerum, & harum conseruatio, destructio item, & instauratio, fœcunditas terræ fundentis vbertatem frugum, fructuumq;, salubres tempestates, constitutiones Imperiorum, & horum euersiorum translationes, quæq; sunt istiusmodi. Alterius generis sunt, primùm tota hominis, in vera conuersione ad Deum, viuificatio, & renouatio ad vitam æternam, qua non tantùm conseruatur hominis substantia in hac vita, sed etiam, per Filium Dei Iesum Christum, & Spiritum sanctum, inchoatur in eo noua & æterna lux, & iusticia.

Charismatum diuinorum differentia. 1. Cor. 12.

Secundò illæ χαρισμάτων differentiæ, de quibus Paulus ad Corinthios concionatur, λόγος σοφίας λόγος γνώσεως, πίστις, χαρίσματα ἰαμάτων, ἐνεργήματα δυνάμεων, προφητεία διακρίσεις

ἰάσεις *πνευμάτων*, *γένη γλωσσῶν*, *ἑρμηνεία γλωσσῶν*, id eſt: *ſermo ſapientiæ, ſermo cognitionis, fides, dona ſanationum, facultates edendarum virtutum, prophetia, diſcretiones ſpirituum, genera linguarum, interpretatio linguarum*, & plura alia: Vbi tres gradus conſtituit Paulus harum actionum Dei in credentibus efficacium, cùm inquit: Διαιρέσεις χαρισμάτων εἰσὶ, τὸ δὲ αὐτὸ πνεῦμα: διαιρέσεις διακονιῶν εἰσὶ, καὶ ὁ αὐτὸς κύριος: διαιρέσεις ἐνεργημάτων εἰσὶ, ὁ δὲ αὐτὸς ἐστι θεὸς, ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα, ἐν πᾶσιν: *Diſcrimina donorum ſunt, ſed idem ſpiritus: diſcrimina miniſteriorum ſunt, ſed idem dominus: diſcrimina facultatum ſunt, ſed idem eſt Deus, efficiens eas omnes in omnibus.* Et addit Paulus, ἑκάστῳ δὲ δίδοται ἡ φανέρωσις τοῦ πνεύματος, πρὸς τὸ συμφέρον: *Vnicuique verò datur declaratio ſpiritus ad vtilitatem.* Item, πάντα ταῦτα ἐνεργεῖ τὸ ἓν, καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα, διαιροῦν ἰδίᾳ ἑκάστῳ, καθὼς βούλεται: *hæc omnia efficit vnus ille & idem ſpiritus, diſtribuens priuatim ſingulis, ſicut vult.*

Sunt autem χαρίσματα *Dona*, vt ſcientia interpretationis ſcripturarum, cognitio linguarum, donum medicationis, id eſt, induſtria & felicitas in medicando.

Διακονίαι, *adminiſtrationes*, ſunt munerum & officiorum gradus ac diſtinctiones, vt Apoſtolici muneris alia eſt dignitas, alia Prophetici, alia Euangeliſtæ, alia Paſtoris, alia Doctoris.

Ἐνεργήματα, *Effectiones*, ſunt δυνάμεων, *facultatum*, efficaciæ, de quibus ſuprà dictum eſt, vt poteſtas & vis reuocandi mortuos ad vitam, eiiciendi Dæmones, reſtituendi claudos, cæcos, ſurdos, ſolo verbo. De iiſdem ad Epheſios inquit, Ἑνὶ ἑκάστῳ ἡμῶν ἐδόθη ἡ χάρις, κατὰ τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ χριστοῦ, *Vnicuique noſtrum data eſt gratia, pro menſura Doni Chriſti.*

Huc pertinent etiam illæ peculiares φανερώσεις, καὶ ἐπιφάνειαι, *manifeſtationes & apparitiones*, quibus oſtendiſſe ſe Deum Patribus ſanctis, & cum his conuerſatum eſſe, atque collocutum, ſacræ literæ docent.

Harum actionum inſidioſa, & præſtigiis ad falſam ſpeciem compoſita imitatione, Diabolus mirificè impoſuit humano generi. Χρησμοὶ enim, & θεομαντεῖαι, *oracula & vaticinationes diuinæ*, quid ſunt aliud, quàm falſa imitatio huius admirandi operis Dei, quo ſeſe communicat & exhibet

V

credentibus & electis, in hac vita, & gubernat hos, instructos magna admirandorum donorum varietate, vt præsciētia futurorum, intelligentia doctrinæ sacræ, potestate atque efficacia edendi miracula, & aliis istiusmodi? Sic *ἐπῳδοὶ, carmina superstitiosa*, & incantationes, quibus aut mutari cursus naturæ, aut vis noua rebus creatis imprimi falsò creditur, quid sunt aliud, quàm imitatio falsa creationis, vel irrisio potius, qua tribuitur verbis aut voce hominis prolatis, aut sculptis, scriptisve, *δύναμις ἐνεργητική, vis seu facultas effectrix*, & ea quidem omnipotens ac diuina?

Doctrina diuinitus tradita, præceptionibus Legis diuinæ, & Euangelio, comprehenditur.

Duo doctrinarum genera in Ecclesia. Lex.

Lex est æterna & immota sapientia, & regula iusticiæ in Deo, discernens recta, & non recta, & horribiliter irascens contumacibus, seu denuncians horrendam iram, aduersus contumaciam, repugnantem huic ordini in Deo: & patefacta est hominibus, in creatione, &, vt ita dicam, digito Dei inscripta, ac velut consignata in mentes hominum, & postea sæpe repetita ac declarata voce diuina: vt sciamus, quod sit Deus, & qualis sit, obligans omnes creaturas rationales, & postulans, vt omnes sint conformes Deo, ac damnans, & destruens omnes non conformes Deo, nisi fiat remissio, & reconciliatio, propter Filium Mediatorem.

De hac dicit Paulus, loquens de Ethnicis: Τὸ *γνωστὸν τοῦ θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς· ὁ γὰρ θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε*: id est, *Quod de Deo cognosci potest, manifestum est in ipsis; Deus enim eis manifestum fecit*: Item, *οἵτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου, γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως*: id est, *qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, vnà testimonium reddente ipsorum conscientia*. Nascitur enim nobiscum aliqua

Noticia legis reliqua in homine.

noticia legis diuinæ, ex insita prima luce reliqua, quanquam obscura & languida, noticia tamen ostendens *τὸ δικαίωμα θεοῦ, ius* Dei, sicut Paulus nominat. Quare & Plato in hanc sententiam præclarè dixit, *θεὸν ἑαυτὸν παράδειγμα τεθεικέναι, καὶ τὴν ἀνθρωπίνην ἀρετὴν ἐξομοίωσίν τινα εἶναι*: id est, *Deum semetipsum proposuisse exemplum, ac virtutem humanam aßimilationem quandam esse.*

Euangelium.

Euangelium est explicatio ac declaratio illius arcani & admirandi decreti, de generis humani instauratione, & ad

vitam

vitam æternam renouatione, quæ homini sauciato lapsu primorum parentum, ac polluto peccatis, atq; à norma iusticiæ diuinæ in lege expressa, aberrante, & propterea abiecto à Deo, &, voce legis, condemnato ad æterna supplicia, offert & promittit opem, liberationem, & defensionem à Filio Dei, gratuitam remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, & acceptationem ad iusticiam, & vitam æternam, donationem gratuitam obedientiæ, & meriti, seu iusticiæ Filij Dei, imputandæ ipsi ad iusticiam, auxilium Spiritus sancti, gratis ex mera misericordia, propter solum meritum Filij Dei, tantùm vt credat sibi hæc bona verè contingere, propter Iesum Christum gratis.

Huius decreti cognitionem non, ex insitis natura notionibus, assumimus, neq; intelligentiæ nostræ virib. prehendimus & percipimus: sed ex ea doctrina, quam sua voce Filius Dei, ex arcano sinu æterni Patris depromtam, protulit, ac communicauit Ecclesiæ, ductu Spiritus sancti haurimus, & intellectam, atq; acceptam, fide nobis applicamus. *Euangelij noticia non est naturalis.*

Hæc doctrina, quanquam pronunciat homines recipi in gratiam, propter Filium Dei, sine suo aliquo merito: tamen non abolet, sed stabilit Legem, sicut Christus inquit: Non veni soluere, sed implere Legem: & Paulus sæpe idem repetit. Ideo promittit Spiritum sanctum, vt is hominem conuersum ad Deum, vera fiducia Filij Dei Mediatoris, quam accendit in cordibus nostris, per verbum, & ereptum ex morte viuificet, & medeatur vulneribus nostris, & opituletur imbecillitati, restitutis paulatim ac roboratis viribus, quæ ex peccati vulnere languent, atque inchoet eam, cum Lege Dei, virium & actionum omnium congruentiam, & conformitatem, quæ consumabitur in illa æternitate, cùm erit Deus omnia in omnibus.

Vtramque doctrinam, quot modis, & quibus artificiis, inde vsq; ab initio oppugnarit Diabolus, vel contemtu eius excitato, vel tota extincta, aut saltem præstigiis obscurata, aut deprauata sophismatibus, aut translata ad abusum, vel contrariis decretis editis, vel impulsis hominibus contra normam præscriptam, aut à vero Deo, & vero vsu præscriptorum rituum, qui commonefactionis, & excitandæ atque exercendæ fidei, & inuocationis causa, instituti erant,

conuersis ad ficticia numina, & vmbratilem sine verbo administrationem ceremoniarum, longum esset enumerare.

Denique religiones Ethnicæ omnes, & postea in Ecclesiam inuectæ deprauationes, atque abusus multiplices, quid sunt aliud, quàm aut deprauationes, aut abusus, cumque his impiæ & falsæ imitationes veræ & diuinitus traditæ religionis? Solo verbo, condidit Deus mundum, ex nihilo: Solo verbo, Christus & Apostoli reddunt vitam mortuis, integritatem mutilis, claudis, paralyticis, visum cæcis, auditum surdis: Solo verbo, vel mutant, vel adaugent res nascentes Christus, Prophetæ, & Apostoli. Hæc Diabolus, arte præstigiatrice, imitaturus, persuasit credulis & miseris hominibus, dementatis prius imposturarum fascino, vt verbis ipsis *δύναμιν ἐνεργητικὴν, vim efficacem*, inesse, & *φυσικὴν, naturalem*, & ex his, arte & lege conueniente recitatis, nouam vim exilire in eas res, ad quas pronunciarentur, crederent.

Diaboli κακοζηλία.

Hinc incantationum ludibria extructa, atq; artificia, quæ horribilibus & verbi diuini, & rerum conditarum constant abusibus. Inde natæ, & in Ecclesiam introductæ consecrationes impiæ, & prorsus Magicæ, aquæ, ignis, salis olei, & aliarum rerum. Inde profecta persuasio, quæ idolomaniæ Pontificiæ caput, & neruus est potentiæ, de conuersione panis, ad pronunciationem verborum, in substantiam corporis Christi, quam *κατὰ μεταποίησιν* alij, seu *μεταβολὴν*, id est, simplicem conuersionem physicam, alij *κατὰ μετουσίαν, μεταστοιχείωσιν, per transubstantiationem seu transformationem*, succedente scilicet in locum euanescentis substantiæ panis, substantia corporis Christi, induentis accidentia panis, quæ remanent, fieri contenderunt, horribili furore & cæcitate. Omitto abusus creaturarum, & artium, ac disciplinarum Physicarum ac Mathematicarum, quibus efficctas atque adornatas, ad operum diuinorum quandam repræsentationem, imposturas pinxit, & in admirationem, apud fascinatos superstitione, adduxit: de singulis enim tunc disseremus, cùm quas toti, de rerum natura, doctrinæ Astronomicæ, Physicæ, Medicæ, & similium, Diabolus intexuerit corruptelas alienas prorsus à veritate, commemorauerimus.

Consecrationum pontificiarum origo.

Transubstantiationis origo.

Magica-

Magicarum artium vſum inde cœpiſſe inter homines, exiſtimo, quòd Diabolus ſecutus exemplum conſuetudinis & colloquiorum Dei, cum ſanctis Patribus, eodem modo, aliàs alia ſpecie ſeſe exhibuit hominibus, vt huius imitationis & colloquiorum occaſione ſeſe facilius inſinuaret, & à Verbo Dei auerſos animos, ad petendas à ſeſe, & expectandas declarationes, admonitiones, patefactiones, & alia huius generis, aſſuefaceret.

Magia quà imitatione à Diabolo inuenta.

Initiò itaque, cùm vigeret adhuc in animis hominum memoria apparitionum Dei, atque conuerſationum, & collocutionum cum ſanctis Patribus, ſimilibus vſus erga rudem & imperitam multitudinem, facilè perfecit crebra, vel cultuum præſtandorum, vel faciendorum ſacrificiorum, vel peccatorum expiandorum præceptione, aut denunciatione futurorum euentuum, aut rerum dubiarum explicatione, quibus præcipuè capiuntur hominum animi incerti, perpetuo metu, & dubitationum fluctibus inſtabiles, vt Deus eſſe crederetur, & deſideraretur, atque aduocaretur; ſi quid aduerſi impenderet, conſuleretur, ſi res dubiæ eſſent & perplexæ, & interrogaretur, ſi rebus perturbatis & afflictis medicina eſſet adhibenda.

Ita, cùm obnoxia Diabolo promiſcua multitudo, tota penderet ex occultis illis reuelationibus, quas aliàs alia ſpecie circũdatus promebat: mox ſecutum eſt, vt excogitarentur, ipſo Magiſtro & monſtratore, formulæ obteſtationum, ſacrorumq́;, quibus, ſi non compareret ſpontè, vel perſuaderetur, vel cogeretur prodire, & de quæſitis reſpondere.

Acceſſerunt pacta deinde, & conuenta, quibus, ſub conditionibus certis, & ſeſe obſtrinxit miniſtris ſuis, & illos ſibi deuinxit viciſſim. Cúmq; ad dolos augendos, & facilius ac vehementius commouendos animos, accommodata videretur ſpecies defunctorum, quorum animas ſupereſſe, & memores perpeſſarum calamitatum affici ærumnis noſtris, quæq; in nos euentura eſſent, intelligere ac prænoſſe multò antè, opinio erat, illorum ſeſe ferè effigiebus veſtiuit.

Diabolus ſpecies defunctorum quare aſſumat.

Inde profecta opinio, de circumuagantium, poſt mortem, animarum erroribus, cruciatibus, ſuppliciis, & de reuocatarum reditu, poſtea tantùm inualuit, vt cum applauſu excepta, & falſo credita de purgatorio commenta Eccleſiæ

Animarum circumuagantium opinio vnde nata.

pepererit, quæ, Gregorij spectris tandem confirmata, occasionem dederunt, vt introduceretur impia consuetudo experiendi liberationem animarum, & venales fierent preces, & instituerentur venalia sacrificia, quib. animas exemtas suppliciis traduci in quietas sedes beatorum, credebatur, & talibus occuparentur omnia templa sacrificiis.

Theodori Gazæ Villicus spectro vexatur propter effossam vrnam.

Theodorus Gaza Villicum in Apulia habuit, qui curabat fundum pertinentem ad sacerdotium, quod Gazæ Nicolaus V, Pontifex dederat. Is dum terram aratro proscindit, casu effodit vrnam, quam in agro reliquit. Reuersus domum noctu spectrum videt, à quo iubetur se sepelire; quod nisi faceret, fore, vt ipsi filius sepeliendus esset. Id cùm negligeret Villicus, filium, insequente luce, amittit. Admonetur per somnium denuò, vt suum in agro sepulchrum aratro violatum tegeret, aut altero filio priuaretur: qui cùm in morbum subitò incidisset, Villicus ad Theodorum, tum ibi fortè rusticantem, rem territus defert: qui, cum eo in agrum profectus, vrnam inuenit, & terra mandauit condere: Villici filio pristina valetudo redditur, nec ipse à spectro amplius vexatur. Hoc factum, cùm eruditis amicis Romæ Theodorus recitasset, sermonem illo Propertij versu conclusit:

Sunt aliquid Manes, lethum non omnia finit.

Philosophi Græci spectro admoniti.

Recitat & Agathius historiam de Philosophis quibusdam, ex Græcia in Persiam profectis, visendi Chosrois Regis gratia.

Hi cùm pertæsi luxus Persici redirent in Græciam, quodam die incidunt casu in cadauer recens, quod iacebat penè viam inhumatum. Viso eo consternati, & moti misericordia, statim id inde sublatum sepeliunt. Quiescentibus noctu visum astare spectrum, & mandare, vt quod inuenissent insepultum cadauer, relinquerent inhumatum. Terram matrem omnium, nō admittere intra gremium, talem, qui suam cōstuprasset matrem. Postridie reuersi illi ad sepulchrum, cadauer à terra reiectum & nudatum reperiunt.

Omnino machinari multa, & conari, atque etiam perficere Diabolum, vel Manium, vel spectrorum qualiumcunque asciticia specie non est dubium. Contra quæ nos defendi petamus, custodia & excubiis sanctorum Angelorum

rum

rum, & ipsi, vniuersa talia Diaboli artificia detestemur ac fugiamus, & teneamus, de animabus defunctorum, doctrinam traditam in Propheticis & Apostolicis scriptis, quæ affirmat, conuersos ad Deum, & credentes certò esse heredes æternæ salutis; & non conuersos ad Deum affirmat certò, in æternas pœnas abiici, sicut hæc expressissimè docentur in concione Christi. Matthæi 25. De loco animarum, post mortem, præcidantur quæstiones his dictis, Domine Iesu suscipe spiritum meum: Item, Hodie mecum eris in Paradiso: Item, Iustorum animæ in manu DEI sunt.

DE INCANTATIONIBVS.

SVNT, inter Diaboli artes & præstigias, non infimæ incantationes seu ἐπῳδαὶ, quas, qua occasione, natas atque obtrusas hominum generi existimem, recitabo.

Deus, cùm, re ab æterno deliberata, arcano mirandoq; consilio, cum coæterno Filio, λόγῳ, *verbo*, & imagine sua, Spirituq; sancto statuisset condere naturas intelligentes, conformatas ad imaginem suam, à quibus agnosceretur & coleretur, eo, quo ipse vellet & præscriberet, modo, & quibus suam vicissim bonitatem, in omni æternitate, communicaret: quasdam absq; corporibus, essentia spirituali, suæq; essentiæ conformi, sed finita, creauit: quasdam ex spirituali & corporea composuit, corpore ex luto terræ exquisitissimè & elegantissimè effìcto atque conformato sapientia pænè inexplicabili, & inclusa illi, colligataq; & consociata, mirabili fœdere, alia natura spirituali finita: has homines, Angelos illas vocauit. *Incantationum origo.*

Vtrisque tum intelligentiam indidit præstantem, & eximiam perspicacitatem, noticiis expolitam & illustratam euidentissimis, quas ceu radios, de æterna suæ sapiêtiæ luce, accendit in mentibus hominum, vt Archetypi expressam nobis ideam demonstrarent, versarentq; velut ante oculos, & normæ essent rectrices actionum exercendarum, erga Deum, & homines: tum facultatem adiunxit liberè agendi,

perficiendique, quę, ceu ex præscripto diuinæ sapientiæ, hoc insitum noticiarum lumen dictaret atque exigeret.

Homini verò domicilium fabrefecit pulcherrimum, & amplissimum, & maxima diuersissimarum rerum varietate refertum atq; exornatum: in quo, admiranda sapientia, suo quæuis loco atq; ordine collocauit, & certis ac distinctis instruxit viribus, & homini subiecta esse, ac parere, & prodesse voluit, præstareq; ac conficere, quæ ex vsu illius essent, quæque, ad sui sustentationem & conseruationem, requireret. In hoc domicilio hominem versari ac viuere voluit, donec eo, quod definiisset, tempore exacto, transferret ad sese, donatum vita, & læticia æterna, & præstita ei consuetudine sui æterna, in qua homo coram ipsum contemplaretur & celebraret. Angelos autem sibi præstò esse, seque intueri coram, & colere vera obedientia ac celebrare, quæque innueret, expedire voluit, atque exequi.

Angelorum lapsus. Sed cùm Angelorum aliqui, his, quibus ornati erant ac condecorati, præstantissimis dotibus efferrentur atque insolescerent, seque & Deo compararent atque adæquarent & Filio Dei, qui se vera reuerentia æterno Patri submittebat, præponerent: iratus Deus exclusit eos ministrorum suorum numero, & repulit atque abiecit à sese: ceteros confirmauit, vt perseuerarent in donata iusticia, & suo fruerentur conspectu, atq; attributi ipsis ministerij obirent ac præstarent munera.

Diaboli odiū erga Deum vnde. Ex hac verò sui exclusione & repulsu, illi ingens & horribile odium erga Deum conceperunt, moxque contraria omnia præscripto diuino, quæque vel offendere Deum, vel gloriam eius labe notare aliqua, & obfuscare, vel hoc, quod magna sapientia construxerat atque absoluerat, Mundi opificium deformare aut corrumpere viderentur: studio vigilantissimo atque acerrimo exquirere, & omnibus efficere atque vrgere viribus cœperunt.

Hominis lapsus. Cúmq; homo adhuc in iis consisteret vestigiis, in quæ erat positus diuinitus, non plus se posse officere gloriæ Dei rati, quàm si hunc ab ipso auulsum in suam pertraherent societatē: mox igitur adorti eum, fraudulenter elusis & abiectis præceptionibus, quas huic imposuerat Deus, vt exploraret probarétq; obedientiam, quā esset in ceteris præstiturus;

rus: inductoq; ipso, & erecto falsis pollicitationibus, in spem longè maiorum ornamentorum, maiorisq; potentiæ, perfecerunt, vt desciscerer à Dei mandato, sequereturq; consilia, quæ in ipsius perniciem, contra Deum, structa atq; adornata erant.

Violata itaque obedientia, incidit homo in pœnas diuinitus violationi constitutas, nimirum æternam mortem, & condemnationem, & Diaboli tyrannidem; factus est hostis Dei, excidit honoribus illis, dignitate, & dominatu, cui erat solenni & magna autoritate a Deo ipso præfectus, amissis præcipuis ornamentis omnibus.

Sed Filius Dei misertus hominis, qui, etsi sua voluntate, non tamen ambitione, & superbia, non contemtu autoritatis diuinæ, non suo aliquo petulanti impulsu, non sua culpa, sed deceptus Diaboli fraudulenter apparatis imposturis peccarat: abiecit se supplex ante Patrem, & deprecatus pro genere humano impetrauit; ne condemnaretur ad æterna supplicia: Et tamen vt satisfieret iusticiæ Dei, quam mutari erat impossibile, ipse & iram Patris in se deriuauit, & sese obtulit ad totam obedientiam, quam ab homine Deus rigidissimè exigebat explendam, sustinendas pœnas, & Diaboli tyrannidem contundendam, & obtinuit à placato Patre, vt faceret decretum, de sese mittendo generi humano in subsidium, contra Diaboli tyrannidem. *Homo in gratiam receptus.*

Ita constitutus est Filius Dei Dux, defensor & custos generis humani, & factum est decretum, de recipiendo & restituendo eodem, deq; sanandis vulneribus, quæ ex lapsu contraxerat, de tempore, quo esset mittendus, & quo, expiato peccato, deuicta morte, fracta Diaboli potentia, satisfaceret iusticiæ Dei.

Hoc decretum promulgatum est: Hoc ipso, primus homo qui mersus iam erat in æternos cruciatus ac perditus, reuocatus ex morte reuixit: etsi dotes amissas non recuperauit, quarum aliquas, auxilio Spiritus sancti, in hac vita velut inchoat, sed consumaturus est in æterna vita, integrè restitutus, & omni expurgatus labe. Simul autem repetita sunt priora & his addita noua mandata, de veris Dei cultibus, de ritibus sacrificiorum & institutæ ceremoniæ, quæ signa essent, ac velut σφραγῖδες, *sigilla*, promissæ gratiæ, & quæ, velut

typi, memoriam futuræ victimæ conseruarent

Cùm itaq; receptus esset in gratiam homo, & editum esset decretum, de integra eius restitutione: ibi demum furere, & atrocius insidiari generi humano, moliriq; summa vi & astutia, quæ ad huius promissionis abolitionem, deprauationem, aut abusum, ad contumeliam Dei, & hominum internecionem facerent: Deniq; hoc vnum agere cœperunt, quo fructus harum promissionum rediret ad paucissimos, & maxima pars vnà cum ipsis periret in perpetuum: raptos ad se imbecilles inuoluerunt superstitionibus, instituerunt cultus, & oracula diuinis contraria, ad eaque inuitarunt & pellexerunt animos detortos à diuinis ita vt maxima Mundi pars, religione, & tota ratione viuendi, repugnat et Legi diuinæ, plena idololatriarum, contumaciæ, & contemtus eorum, quibus parere debebat, cædium, libidinum, furtorum, & rapinarũ, mendaciorũ, calumniarum ac sophistices.

Atq; vt hæc confirmarent Dei exemplo miraculis, cùm ipsi falsis præstigiis imitati Deum, in creatione naturæ, & operibus reliquis, multa ediderũt: tum varios effingendarũ præstigiarum modos, singulari acumine excogitarunt: ad quos abusi sunt sceleratissimè sanctissimo veri Dei nomine, & Verbo Dei voce prolato; effectuumque, quos opera Dei in natura ordinata pariunt, falsa representatione, duabus de causis: cùm vt contumelia Deum afficerent, atque illuderent operibus Dei: tum vt dolum subtus latentem occultarent, persuasis hac specie hominibus, vt crederent efficacia verborum talia effici, quorum oporteat esse vim miram, cùm ad solam Dei dicentis vocem, totus hic Mundus prouenerit & extiterit. Atque vt ea, quæ hactenus enumerauimus, arte composita videmus, ad abolendam prorsus gloriam Dei, in genere humano, & extinguendos veros Dei cultus: sic his videntur voluisse representare & extenuare creationem, vt, si verbis æquè efficere se illa posse homines experirentur, quæ Deus ipse præstitisset, despicerent, aut certè minus mirarentur opus naturæ, & autorem curarent leuius: denique ne vterentur amplius his in natura me[...]s propositis.

Hinc extiterunt incantationes, quæ hoc orsæ initio postea nouis præstigiis amplificatæ, & confirmatæ creuerunt

in im-

In immensum, & doctrinam vtramq;, sacram, & Physicam obscurarunt. Estq; eò vsq; progressus hic Diabolico fascino introductus furor, vt existimatum sit, non solum mentione nominis diuini, & recitatione sacrorum verborum, confici, quæ expeterentur, aut naturis rerum, vel nouas indui vires, vel priores eximi, infirmari, aut vegetari, aut naturæ cursum mutari, astra cœlo detrahi, fulmina elici, serpentes feritate exui, venenoque, bestias mulceri, ferrum rumpi, aliaque huiusmodi; verumetiam noua corpora, aut subitò creari vt nubes, pluuias, ventus: aut ad certos cœli positus, sed aut his verbis adhibitis, aut certis characteribus insculptis, quorum sit vis, & efficacia maior pænè, quàm creaturarum ipsarum, fabricari posse: adeoq; characteres solos, incisos alicui materiæ, illitósve & gestatos multum pollere.

Quorundam hominum tota corpora serpentibus aduersari & terrori esse, tactuq; ipso leuare percussos, suctúve modico, creditum fuit. Quorum è genere celebrantur Psylli, Marsiq;, & qui Ophiogenes vocati sunt, in insula Cypro: ex qua familia, legatus Exagon nomine, à Consulibus Romæ, in dolium serpentum coniectus, experimenti causa, circum mulcentibus lingua serpentibus ipsum, miraculũ præbuit. *Ophiogenes. Exagon in dolio serpentum illæsus.*

Regibus Francicis aiunt familiare esse, strumis mederi, aut sputi illitione, aut, absque hac, solo contactu, cum pronunciatione paucorum & solennium verborum: quam medicationem vt fieri, sine Diabolicis incantationibus manifestis, facilè assentior: sic, vel ingenita vi aliqua, constare, quæ à maioribus propagetur cum seminum natura, vt morbi propagantur, & similitudines corporum ac morum, vel singulari munere diuino, quod consecratione regno ceu dedicatis contingat in certo communicatum loco, & abesse superstitionis omnis inanem persuasionem, quæque hanc sanciunt mirifica euentuum ludibria, non facilè crediderim: etsi, de re non satis explorata, nihil temerè affirmo. Certè eos, qui in prehendendis & cicurandis Viperis, harumque venenatis ictibus contemnendis, donum Sancti Pauli nunc falsò iactitant: Eos, inquam, adiurationibus sese munire, minimè dubium est. *Reges Francici sputi illitione strumis medentur.*

De Veneficiis autem, testimonia Poetarum nota sunt. Veneficia Circes Homerus descripsit. Virgilius inquit: *Circes Veneficia.*

Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam,
Carminibus Circe socios mutauit Vlyßis. &
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis. &
Atq; satas aliò vidi traducere messes.

Veneficarum promissa.

In 4. Æneid. Dido inquit ad sororem Annam:
Hinc mihi Massylæ gentis monstrata Sacerdos,
Hæc se carminibus promittit soluere mentes,
Sistere aquam fluuijs, & flumina vertere retro,
Nocturnosq; ciet manes, mugire videbis
Sub pedibus terram, & descendere montibus ornos.

Gloriatur de talibus & Venefica apud Ouidium:
Cùm volui, ripis ipsis mirantibus, amnes
In fontes rediêre suos, concussaq; sisto,
Stantia concutio cantu freta, nubila pello,
Nubilaq; induco, ventos abigoq;, vocoq;,
Vipereas rumpo verbis & carmine fauces,
Viuaq; saxa suâ conuulsaq; robora terrâ,
Et syluas moueo, iubeoq; tremiscere montes,
Et mugire solum, manesq; exire sepulcris,
Te quoq; Luna traho, &c.

Apud Homerum, carmine, Autolyci filius sistit sauciato Vlyssi sanguinem.
ὠτειλὴν δ' Ὀδυσῆος ἀμύμονος ἀντιθέοιο
Δῆσαν ἐπισταμένως, ἐπαοιδῇ δ' αἷμα κελαινὸν
ἔσχεθον.
Aequandi superis generosi vulnus Vlyßis
Fouerunt, nigram sistentes sanguinis vndam
Carminibus.

Et huius generis sunt Virgilij, Theocriti, & Catulli φαρμακεύτριαι, *veneficæ.*

Tutia virgo aquam cribro haurit.

Tutiam virginem Vestalem incestam, Romæ, cum precatione certa, aquam cribro hausisse, anno Vrbis 609 Plinius autor est. Idem ex L. Pisonis annalibus, Tullium Hostilium Regem, ex Numæ libris eodem, quo ille, sacrificio deos euocare conatum, quoniam parum ritè quædam fecisset, fulmine ictum refert.

Complector autem ἐπῳδῶν, *carminum superstitiosorum siue incantationum*, nomine, quidquid conceptis ac prolatis verbis, non soni tamen, sed ipsorum verborum vi, impetrari aut effici

effici falsò creditur. Nulla enim facultate verborum: nulla illius, à quo eduntur aut consecrantur, sed fascino ac præstigiis Diabolicis effectu fit ratum, quod agitur, seu reipsa & verè, seu ludibrio: Alterutro vtrorumq; modorum geri perficiq; res putetur, seu ipso enunciatu immediatè, seu per vim nouam in res medias adactam, quorum vtrumq; cùm fiat, aut ex fœdere & societate cum familiaribus spiritibus, palam præsentibus effigie quacunq; iis scilicet, quibus sese dediderunt: Aut vel ex obligatione sola cum his mutua, absq; commercio manifesto, vel sine expressa obligatione pariter, & consuetudine familiari, ex persuasu tantùm impio ac falso, qui est ab occulta & interna societate atque efficacia Diaboli, & collusione in operis effectu. Illud prius quod domesticos Spiritus cõspicuos oculis, aut ex quocunq; consortio alio familiares, siue vt vates consulit, siue vt architectos adhibet operi, quod meditatur quis, aut parat, Magorum est proprium, è quocumque sint sexu: hoc incantatorum proprium est. In illo Dæmones ipsi vt cientur aut eliciuntur, sic & comparent; in hunc finem, vt voce vel nota, aut, quocumque modo alio, quæsita vel postulata expediant. In hoc vis omnis proficisci & exilire è carmine vulgò putatur, aut solo, sed cum peculiari aliquo solennique ritu recitato, vel sine hoc etiam: aut cum superstitiosa atq; impia obseruatione circumstantiarum temporis, locorum, personarum, & similium vsurpato, vt cùm Magi crystallos aut specula ab impollutis pueris inspici volunt; aut cùm plantas, certis anni temporibus, decerpunt, aut ad certos cœli positus fingunt imagunculas. Qui rebus creatis hoc modo abutuntur, eos autor libri de morbo sacro apud Hipp. *ἀγύρτας, μάγυς, καὶ ἀλαζόνας, circumforaneos, magos & arrogantes*: Plato 2. de Repub. *Ἀγύρτας καὶ μάντεις, circulatores & vates*, vocat. Sapientiores Ethnicos nunquam sensisse, quòd vis talis aliqua verbis insit, ex Platone patet, qui præstigiatores illos ait persuadere imperitis, à diis quòd facultatem eam habeant, quos illecebris quibusdam & alligationibus, & vt alibi carminibus ac deprecationibus obsequentes sibi reddant. Galenus etiam quemadmodum dictum est suprà, quicquid est talium *μαγγανειῶν, imposturarum*, vt falsas, *καὶ οὐδένα λόγον ἰατρικὸν ἐχούσας, & nullam rationem artis medicæ habentes*, repudiat, omnesque *τῶν*

περιάπτων seu Amuletorum *ληρώδεις μεταμορφώσεις, nugatorias transformationes*. Nazianzenus de vtrisque quæ sit Ecclesiæ sententia, paucis explicat, *οὐδὲν δεῖ σοὶ περιαμμάτων καὶ ἐπασμάτων, οἷς ὁ πονηρὸς συνεισέρχεται, nihil tibi opus est amuletis & incantationibus, per quas Diabolus vna surrepit.* Plus viderunt Ethnici, quàm excæcati penitus à Diabolo Pontificij, quos, in luce repurgati Euangelij tam fulgida ne nunc quidem pudet, fascinatæ Diabolicis præstigiis multitudini persuadere, nihil à magicis differentes mutationes salis, olei, aquæ, panis diuinas esse, quæ nullæ fiunt, sed ab ipsis falsò finguntur, virtute verbi & sacerdotis rasi in Dei contumeliam, cum abusu nominis verbi, & inuocationis diuinæ.

Incantationum varij modi.

Fuit, omnibus temporibus, magna incantationum varietas, quas alij aliis modis exercuerunt, vel simulacris, imagunculis, characteribus, corporibus ritu solenni effictis aut fabrefactis: vel rebus creatis, plantis, animalibus, horumq; partibus, metallis, certo decerptis aut collectis tempore: vtrisque carmine consecratis, id est, execratione Diabolica destinatis vsui nefando & impio: sed vt plurimum ad illorum organorum constructionem, apparatum, aut vsum, vel sacris Dei oraculis, vel blasphemis Diaboli vocibus deblateratis, à quibus vim omnem proficisci ac pendere, arbitrantur, Diabolo interea consentiente, colludente, & vel reuera expediente, quæ incantator molitur, vel fascino ac præstigiis quædam illis similia adornante. Verba sunt alia impetrantis, alia depulsoris, alia commentationis.

De Æmilia virgine Vestali annotatum est, quòd, cùm ignis sacer extinctus esset, negligentia vnius sociarum virginum, cui curam illius, custodiámque demandarat, ipsa suam demonstratura innocentiam, præfatis precibus, impetrauit, vt lacinia, quam de veste abscissam coniiciebat in aram Vestæ, sua sponte exardesceret.

Incantationis species.

De genere incantationum, sunt illæ nominibus notatæ imposturæ, *φαρμακεία, κοσκινομαντεία, ἀξινομαντεία, κεφαλαιονομαντεία, ἀλεκτρυονομαντεία: id est, ars venefica, diuinatio per cribrum, diuinatio ex securi, diuinatio per caput asini, prædictio diuinatrix ex galli indicio.*

Pharmacia.

Φαρμακεία, ars venefica, est, qua ex creaturis, & præcipuè corporibus mixtis, noua vi imbutis falsa opinione, ac velut con-

consecratis, *φαρμακεύται*, *venefici*, præparant pharmaca noxia & salutaria, mira ac Diabolica vi ac varietate: de quibus noxia, vel epota, aut quouis modo assumta intra corpus, cient periculosas ægritudines, amentiam, cæcitatem, furiosos amores, apostemata, & alia, vel contactu inficiunt: vel si condantur alicubi, ex interuallo, transcensa aut prætérita, nocumentum infligunt: vel ex disiunctissimo etiam spacio, ceu neruo emissa, excussaq, violenter, feruntur in eos, quos petunt: Salutaria verò malis incussis medentur. Non enim Diabolo difficile est fascino illata mala, eodem soluere ac tollere. Huius generis pharmaca, vt suprà dixi, Plato 11 de legib. discernit à naturalibus. Hæc enim vi natiua & insita, quæ est *κατὰ φύσιν*, *secundum naturam*, id, quo nocent, inferunt: illa nec sua nec ascititia facultate, sed aliena *τῶν μαγγανειῶν, καὶ ἐπῳδῶν, καὶ καταδέσεων*, &c. *præstigiarum, & incantationum & vinculorum, quibus deuinciri aliqui putantur, carminibus*, quibus exciri Dæmones fingunt, aut sua illa commentitia numina, quæ nihil sunt, ad peragenda, quæ instituunt effecta.

Vsitata nimis est hæc ratio veneficis, quæ certis anni temporibus, herbas ad certarum vocum pronunciationem, euellunt colliguntque, aut alia suis accommodata artibus conquirunt, ea opinione, quòd ex istis verbis eam, qua ipsis opus est, virtutem contrahant. Iis deinde, aut ad remedia vtuntur, aut, si noxium aliquid parant cibo potúve hominum iniectis, aut in pecorum pabula sparsis, aut saltem collocatis eò, cum fascino, qua transeundum est, vel aliò, mirificè lædunt, & perimunt etiam animantia, quæ ferè talibus degustatis, vel solo halitu attractis, vel transitu perstrictis aut superatis, è vestigio inficiuntur, & aut statim concidunt ac moriuntur, aut lenta consumuntur tabe. *Φαρμακεύτων maleficia.*

Vidimus *φαρμακεύτας*, *veneficos*, qui tormentis examinati, in confessione magnum recensebant eorum numerum, quos læsissent, quorum aliquos excæcarant, aliquos mutilarant, aliquos *ὑβοὺς καὶ κυφοὺς*, *incuruos & gibbosos*, reddiderant.

Nouimus & pagos, in quibus multos annos illa, quæ ingressa fuerant, vel egressa armenta, perierunt, & non fuisse infecta pabula, vel illud certò indicabat, quòd vicinorum pecora, eodem vsa pastu, noxij nihil concepissent, sed

fascinum fuisse defossum, sub via publica; qua armenta pastum agi consueuerant, euentus postea ostendit, cùm, eruto & sublato fascino actus mutaretur.

Pythagoras φαρμακεία vsus.

Herba Magica.

Pythagoram hac multùm vsum Magorum imitatione, & Democritum, Plinius annotauit. Indiderunt peculiaria illis herbis nomina, quibus incantationes peregerunt. Pythagoras Coracesiam, Calliciam, Menaidem, Corinthadem, Aproxin celebrauit, pænè ipso sono metuenda nomina; nunc verò, & ex omni memoria, magno cum emolumento, extrita atque abolita penitus. Primis duabus aquam glaciari; Corinthadis decocto in aqua succo, protinus sanari ictus serpentum, si eo fouerentur: eundem effusum in herba, si quis vestigio contingeret, aut si eo fortè respergeretur, insanabilem perire, monstrifica prorsus natura veneni, proditum eis libris constat.

A Democrito vsurpata memorant Chirocineta, Agladphotin, Marmaritin, Achemenidon, Hippophouada, Adamantida, aliasque pænè innumeras: Marmaritide vsos magos, cùm vellent euocare deos: Achemenidis radices in pastillos digestas, si sontes interdiu, cùm vino potarent, per cruciatus nocte confiteri omnia, quadam numinum imaginatione, memorant. Horum noticiam, cum vsu ipso sublatam, meritò Deo gratias agimus.

Consecratio Papistica similis incantationi.

Similes prorsus sunt huius generis incantationibus illæ, de quibus suprà dixi, consecrationes olei, salis, aquæ, panis, herbarum, Pontificiis vsitatæ, quas nunc etiam ludibriis sophismatum tueri multi conantur, hoc nitentes futili argumento:

Dicenda est precatio ad mensam.

Ergo fiant consecrationes olei, aquæ, & similium, Papistis vsitatæ.

Consecrationis Papisticæ refutatio.

Nequaqnam hæc similia sunt. Precatio ad mensam gratias agit Deo Conditori, de communicatis rebus necessariis ad alimoniam, & sustentationem corporis, & petit felicem harum vsum, ac fruitionem conuenientem ordini instituto diuinitus. Consecratio Pontificia, res illas addictas vsui corporis transfert ad vsum alium, contrarium ordini diuino, & excogitatum atq; institutum humana autoritate, contra Dei expressa mandata, & fingitur, conferre vim illis

rebus,

rebus, ad eleuandas sordes, & inquinamenta peccatorũ, solidanda vulnera corruptæ naturæ, depellendos Dæmones, præparandos animos ad receptionem gratiæ infundendæ: Additur & hoc, res consecratas Sacramenta esse, per quæ Deus sit efficax, vt per Baptismum, ab ipso ordinatum.

Has & alias huius generis portentosas, & verè Magicas superstitiones execremur. Etiam ipsum execremur, in his consecrationibus, abusum verbi diuini; quòd impia & Diabolica persuasione adhibetur, ad eas res efficiẽdas, Verbum Dei, quas nec Physica aliqua vi & natiua gignit, sicut res conditæ in natura, nec peculiari constitutione Dei. Nusquam enim, aut præcipiunt vsum verbi diuini talem Sacræ literæ, aut tribuunt Verbo patefacto, vel creaturis hoc consecratis, hanc vim, quam falsò vtrisque affingunt.

Et certissimum est, Sacramenta gratiæ Dei, per quæ Deus sit efficax, nullam creaturam, non homines, non Angelos, instituere posse. *Sacramenta à nulla creaturarum possunt institui.*

Κοσκινομαντεία & ἀξινομαντεία, *diuinatione ex cribro & securi*, ad peruestigandos atque aperiendos occultos scelerum authores, & res alias obscuras explorandas ac proferendas, incantatores vtuntur. Κοσκινομαντεία & ἀξινομαντεία.

Hanc securi expediunt, rotundo palo infixa, aptataq; ad normam ac perpendiculum, & cum præfatione, ordine enumeratis nominibus eorum, qui in suspicione hærent: ad cuius se mentionem securis, vel leui impulsu circumagit aut nutat, eum culpæ reum peragunt.

Illam administrant cribro forcipi imposito, & forcipe binis tantùm apprehenso atque eleuato digitis, itidemque præfatis precibus, & recitatis nominibus suspectorum, quocunque appellato cribrum vel tremit, vel nutat, vel conuertitur, eum arguunt reum sceleris, de cuius authore quæstio instituitur.

Κεφαλαιονομαντεία, *diuinatio per caput asini*, asini capite super prunas assato, nescio quibus ritibus absoluitur. Κεφαλαιονομαντεία.

Incantatoribus etiam accensentur, tum ἐξορκισταὶ, *adiuratores*, qui deierant Dæmones, quorum diris aut deierationibus illi quandoq; volentes & colludentes cedunt: tum ἀπομάκται, vel ἀπομάκτορες, vel καθαρταὶ, *quasi abstersores & purgatores*, appellati, qui arcere fugareque Dæmones, & de

obsessis exigere, infectosque expurgare, ac restituere in integrum, credebantur.

Natum vtrumq; est, ex *κακοζηλίᾳ, praua imitatione*, singularis illius doni, quo, ex concessu diuino, & gratia, aliqui in prima Ecclesia liberabant obsessos à Dæmonibus. Et fiebant adiurationes illæ ad Baptismum, publicè in magna frequẽtia. Donum cùm cessasset, ritus memoria mansit, quem Baptismo per concepta verba, Pontificij tanquam partem necessariam, ad Baptismi formam præmiserunt, abusu multiplici & impio. Exemplum autem, in eiectione Dæmonum ab obsessis, qui imitarentur, semper fuerunt aliqui, & sunt adhuc, qui hoc profitentur ac tentant, sed sæpe infeliciter, vt in Act. Apost. Quod enim ab Exorcistis nunc fit, magica est collusio cum Diabolo.

Ἀλεκτρυομαντεία.

Ἀλεκτρυομαντεία, diuinatio per gallum, erat, qua opera & indicio galli gallinacei, cognoscebantur occulta & futura.

Peragebatur autem, vt proditum est, hoc modo. Literæ viginti quatuor in puluerem inscribebantur, quarum cuique granum hordei & tritici imponebatur. In hæc emittebatur gallus gallinaceus carminum adiurationibus, prius in hunc vsum expeditus. De quibuscunque enim ille literis grana abripuisset, illæ coniunctæ, rem quæsitam declarare, putabantur.

Iamblichus Alectryomantia vsus.

Hac Iamblichum Procli Magistrum scrutatum memorant, quis, post Valentem Cæsarem, esset imperaturus. Cum autem gallus grana de solis quatuor literis, θ. ε. ο. δ. sustulisset, incertum fuit, Theodosius ne, an Theodotus, vel Theodorus, vel Theodectes designaretur. Ita, vaticinio cognito, Valens plurimos his nominibus notos, metuens insidias, interfecit, quæsitis etiam vatibus ipsis. Iamblichus ergo sæuitiam Imperatoris metuens, hausto veneno, mortem sibi consciuisse dicitur.

Attingani seu Zigeuni.

Vagatur hinc inde, & genus quoddam impostorum, squalida, tetraque, & deformi specie, & habitu peregrino, quos recentes Græci Attinganos, nos Zigeunos nominamus. Creduntur ex Ægypto primùm, & vicinis Aphricæ partibus prodiisse, vbi incantationum, atque vniuersim omnis generis prestigiarum, & diuinationum tantus est vsus, vt nihil nisi consultis vatibus suscipiatur, & magnus vatum nume-

Magia & incantationum maximus &

numerus, singulis diebus, in foro publico, in compitis & per gulis, præstoletur consulturos: quod qui Alexandriæ, Alcairi, quæ Memphis est, & in locis vicinis fuerunt, pro certo compertoque affirmant.

frequentissimus vsus in Aegypto.

Ex incantationum genere sunt illa quoq;, ex nostris Ecclesiis, Dei beneficio, & restitutæ doctrinæ luce profligata & exterminata, ἀνώνυμα, *nominis expertia*, artificia conciliandorum per philtra amorū effœminandorum virorum, exquirendorum thesaurorum, surripiendarum furto rerum alienarum, ciendarum tempestatum, & similium, quorum adhuc alibi viget vsus, & est in honore atque admiratione vsurpatio. Sed ignorari præstat vel sola horum nomina: Moneri tamen, præmuniriq; imperitos vtile est, ne ascititio illo ex verbo Dei, & creaturis, rerum ornatu habituque, quo venditantur, decipiantur ac seducantur.

Incantationes plurimæ post restitutam Ecclesiæ doctrinam profligatæ.

Præcipuum in hoc artificio scelus est, horribilis profanatio sanctissimi nominis Dei, & abusus pænè deformis Verbi Dei, quibus excusantur & ornantur pleraque.

Incantationis quanta impietas.

Non est aliud tetrius, & maius mendacium, & magis contumeliosum in Deum, quàm fingere, ex recitato nomine aut verbo Dei, protinus corripi ea, quæ vsurpantur, media, noua vi effectrice, aut rerum seuerissimè prohibitarum à Deo vt cædium, furtorum, læsionum multiplicium, aliarumque huiusmodi, aut operum, quæ solus omnipotētia sua Deus efficit: quale est commentum Cabalistarum, qui decem Dei veri nominibus, & Angelorum, quorum meminerunt sacræ literæ, ea, quæ magnifica specie pollicentur &, Diabolo iuuante, Deo permittente, quandoque conficiunt, peragere se affirmant.

Cabalistarū impium commentum.

Non est scelus maius, quàm deposita omni cogitatione de salute propria, abuti Verbo Dei, ad præstigias Diaboli, in Dei contumeliam, tegendas, aut etiam pingendas, quod ex arcano sinu Patris Filius Dei, immenso victus amore generis humani, deprompsit ac promulgauit, miserorum ac perditorum hominum causa: vt hi, cùm essent lapsu primorum parentum prorsus auulsi à Deo, omnique gratia excussi, ex hoc se in gratiam repositos discerent, haberentq; certa & expressa testimonia voluntatis diuinæ erga sese.

quibus se in veris animorum consternationibus, & ancipitibus distractorum sensuum animi fluctibus erigerent, & erudirent.

Verbi diuini verus vsus.

De vero vsu Paulus concionatur Timotheo: Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ θεοῦ ἄνθρωπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος. Item, τὸ εὐαγγέλιον δύναμις ἐστὶ τοῦ θεοῦ, εἰς σωτηρίαν παντὶ τῷ πιστεύοντι. id est, *Tota scriptura diuinitus est inspirata, & vtilis ad doctrinam, ad reprehensionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iusticia, vt perfectus & absolutus sit homo* Dei, *ad omne opus bonum instructus*. item, *Euangelium est vis & efficacitas diuina, salutis efficiens in credentibus.*

Insita est mentibus humanis, & sæpe repetita diuinitus, noticia Legis, vt & qualis sit Deus, & quales nos esse postulet, ostendat, & à præscripta norma discrepantes condemnet.

Euangelij doctrina diuinitus patefacta.

Non insita mentibus, sed, voce Filij Dei promulgata est doctrina Euangelij generi humano, post lapsum, vt cùm propter peccatum, quod est *ἀνομία, legis transgreßio*, totum genus humanum sit factum reum æternæ iræ Dei, & æternæ damnationis, nec possit suis viribus præstare, quod immutabilis norma iusticiæ diuinæ exigit, promittat generi humano vtrumque, cùm reconciliationem cum Deo, & acceptationem ad vitam, & iusticiam æternam gratuitam, propter meritum Filij Dei, ac defensionem à Filio Dei, aduersus insidias, & sæuitiam Diaboli: tum auxilium Spiritus sancti, quem mittit Filius à Patre, vt huius impulsu, ductu, gubernatione, & efficaci auxilio, conuerti ad Deum, per ministerium Euangelij, & assentiri ac credere verbo, & veram Deo obedientiam, ad præscriptum legis diuinæ, præstare incipiamus.

Ad hanc doctrinam ita sese alligauit Deus, vt hac doceri nos, de sese, & sua voluntate, in hac quæri & cognosci, per hanc efficax esse velit in cordibus nostris.

Sacramenta promißionis σφραγῖδες.

Addidit doctrinæ Sacramenta, velut Symbola gratiæ, incurrentia in oculos, & *σφραγῖδας, sigilla*, promissionis, quam doctrina offert & exhibet, per quæ vult nos confirmari, tanquam illustribus & conspicuis testimoniis, de sua erga nos voluntate.

Non

Non enim vult vagari animos, sine certa norma fidei rectrice, nec quærere aut expectare peculiares alias, extra verbum, patefactiones: sed astrictos nos esse vult ad Verbum, & Sacramenta.

Arguit Deus verbo suo peccata, &, cùm in veris doloribus promissionem audimus, &, apud Deum, consolationem iuxta promissionem, quærimus, certò accipimus à Deo propter Filium, gratis, sola Fide, remissionem peccatorum, & imputationem iusticiæ, & Spiritum sanctum, qua agnitio veri Dei, & inuocatio, & læticia in corde, accenduntur.

Hoc modo, & nullo alio, nimirum propter filium, gratis, sola fide, quæ, audita voce Euangelij, à Spiritu sancto accenditur, vult dare Deus, & dat iusticiam, & vitam æternam.

Neque hæc efficiuntur virtute aut verbi per se, aut Symbolorum in Sacramentis: sed efficacia Spiritus sancti, qui ex sententia arcani decreti diuinitatis, & ex pacto promissoque, quod Filius protulit, per hæc, ceu organa, in instituto vsu, docet & illustrat mentes, & ferit, excitat, accendit, & viuificat corda assentientium Euangelio, & vtentium Sacramentis.

Sic de Euangelio dicitur; Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti, id est, est illa res, qua Deus est efficax in cordibus credentium, & regenerat ea ad vitam æternam.

Doctrinæ cœlestis & Philosophicæ discrimen.

Dissimilis enim ratio est doctrinæ cœlestis & Philosophicæ. Philosophica doctrina erudit mentes iis de rebus, quas ipsæ, sua vi, & insitæ atque connatæ lucis, ceu prælucentis luminis adminiculo & ductu, percipiunt & intelligunt. Harum cogitatio (vt est mirificus inter se consensus præcipuarum virium in homine) mox afficit δυνάμεις ὀρεκτικὰς, *facultates appetitionum*, præcipuas in voluntate, & corde, & in vtraque parte ciet ἐνεργήματα, *effecta*, noticiæ congruentia, quæ quidem ipsa φυσικὴ δύναμις, *naturalis facultas*, partis vtriusq;, ceu impulsa à præcedente noticia, sua vi gignit. Ordine enim, & lege naturæ præcedit cognitio, sequuntur motus & impetus voluntatis & cordis, cognitioni respondentes, quos alia ac diuersa commouet diuersos.

Doctrina cœlestis de iis rebus concionatur, quæ neque intelliguntur, neq; apprehenduntur assensu, nisi mentibus, à Spiritu sancto, noua ac cœlesti luce perfusis: nec perceptæ spirituales, viuificos ac Deo placentes motus excitant, nisi simul corda afflet & inflammet idem Spiritus sanctus, qui quidem hæc efficit per Verbum, & Sacramenta.

Et differunt in infinitum, hi a Spiritu sancto accensi motus ardentes & viuifici, ab illis, Lege & ordine naturæ, doctrina Philosophica, excitatis impulsionibus.

Spiritus sancti effectiones in natura rationali.

Sunt ergo illuminatio mentis, viuificatio καὶ ἁγιασμὸς, *sanctificatio*, cordis & voluntatis, effectiones Spiritus sancti, quas hoc modo, id est, per Verbum, & Sacramenta, exuscitat in cordibus audientium Verbum Dei, & assentientium, miscens afflatus suos Spiritibus nostris, in his, qui sunt templa Dei, & organa Spiritus sancti: Non in naturis aliis brutis quibuscunque, vt aqua, oleo, plantis, scilicet vt aspersione, illitione, annexu, deglutione, cum iisdem propagentur in homines, & adhærescant.

His vsibus dedicatum, ad hos traditum est Verbum Dei generi humano, & commendatum voce de cœlo sonante; quæ præcipit, vt audiamus Filium: nimirum, vt, per hoc, Spiritus sanctus conuertat hominem ad Deum, qui, horrenda peccati labe, & tristi deformique naturæ suæ ruina, est à Deo auersus: Non vt illis abusibus seruiat, quos comminiscuntur incantatores, & Pontificiarum consecrationum authores, vt à ministris recitatum, vel gignat nouas creaturas, vel creatis antea imprimat nouas vires. Cúmq; pronunciet Lex Dei: Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: Non enim insontem habebit Dominus eum, qui assumserit nomen Domini Dei sui in vanum: certissimum est, & immutabiliter verum, quòd omnes illos, qui vtuntur talibus incantationum ritibus ac modis, tristissimæ maneant pœnæ.

Deus singulis rebus in creatione vires inditas liberrimè conseruat.

Porrò indidit Deus, in prima creatione, creaturis singulis, certas vires, & certos agendi modos, accõmodatos vsibus certis, quos instituto à sese tenore procedentes conseruat, & adiuuat, vim conferens, & rursus, cùm vult, vel intendit, vel remittit, vel inhibet, vt sæpe dixi: Est enim naturæ Dominus. Hoc Dei opus imitari nulla creatura potest,

Quan-

Quanquam enim ars interdum, tum expolit atq; absoluit hoc, quod à natura, velut primis lineis ductis inchoatũ est, ac præparatum, tum ex dissoluta mixtione corporum singulas partes, non simplices tamen, sed compositas educit ac separat, tum ex mixtis inter se, varia proportione, diuersis rebus, dilutisq; ac maceratis liquore aliquo, exprimit, ceu nouas qualitates beneficio ignis: tamen non gignit nouas substantias, non qualitates rebus nouas afformat, sed absolutas antea ac temperatas à natura, noua proportione miscet, quæ sua se vi mutuò subigentes ac macerantes, tandem coeunt in vnam & nouam massam.

Ars naturæ imitatrix non gignit nouas substantias.

Si ergo ars deficit in hoc, multò id minus præstigiæ Diabolicæ *ἀναιτιολόγητοι, causarum expertes*, prorsus, & solis fucatæ verborum imposturis, præstabunt.

Quare si quid tale, sub prætextu verborum ac creaturarum, seu reuera fit, seu fascino effingitur, id Diabolus conficit: Nihil accedit rebus, nihil decedit, ex sonitu verborum qualicunque, aut quantocunque.

Oportet etiam accuratè discerni veros Physicos, & necessitati corporum destinatos vsus creaturarum, à spiritualibus vsibus quarundam, quos, singulari & expresso mandato, Deus Ecclesiæ præcepit: Et ab vtrisque procul remoueri oportet abusus, quos iidem comparari & adiungi vi precum falsò fingunt incantatores.

Creaturarũ vsus Physici discernendi à spiritualibus.

Creaturas corporeas condidit Deus, ad certos fines, & vsus seruientes corpori humano, discrimine multiplici, alias vt sint cibi, alias, vt sint potus, alias, vt medicamenta sint, alias, vt res nascentes gignant, foueant, & attemperent humanis vsibus, sicut Deus, mirabili sapientia, singula distribuit & distinxit.

Ad hos ordinatos vsus legitimè vtendum est creaturis, cum precatione, & gratiarum actione de quibus & Paulus inquit: Sanctificatur cibus per Verbũ Dei, & precationem. Vbi sanctificare non significat, virtute verborum substantias rerum, aut mutare, aut nouis viribus instruere, quasi sit vis in verbis *ἐνεργητικὴ, effectrix*, mutans naturas rerum: sed significat, talem vsum Physicum, coniunctum cum precatione, & gratiarum actione, placere Deo, & non esse contrarium ordini, & constitutioni diuinæ.

Sanctificare quid apud Paulum significet.

Ab his vsibus Physicis, directis ad corporum conseruationem, multùm differunt spirituales vsus victimarum, in sacrificiis sanctorum Patrum, quas Deus typos esse voluit futuræ victimæ Christi: itemq; Symbolorum externorum, in Sacramentis, vt sectionis certæ partis in Circumcisione, aquæ in Baptismo, panis & vini in Cœna Domini: quas res Deus expresse præcepit vsurpari, non ad Physicum, sed aliũ finem spiritualem; vt, in vsu ordinato, sint externa Symbola docentia oculos, sicut auribus accipitur promissio, quæ testificentur de promissione, & velut σφραγῖδες, *sigilla*, obsignent eam, in cordibus credentium: scilicet vt mens intués in hæc oculis obuia signa commonefiat, de Dei voluntate, & certò statuat, sine vlla dubitatione, se, cum mandato vsu harum rerum, participem fieri eorum bonorum, quæ promissio profitetur & offert, & non aliorũ: & cum his signis Deum velle se nobis cõmunicare, & efficacẽ esse: &, eo modo, ibi efficacem esse in nobis, quem ipse instituit, & non aliter.

Sacramenta ad quid instituta.

Nec, ipsa per sese Symbola, Sacramenta sunt: sed in vero & diuinitus sancito vsu, cùm fide fit applicatio beneficiorum, quæ promissio offert.

Vt autem nullius est creaturæ condere Sacramenta aut alligare Deum ad alias creaturas, ad quas sese non sponte, expresso verbo, alligauit: sic nullius est creaturæ instituere vsus spirituales vllius rerum, tales videlicet, qui deleant peccatum, & renouent ac reparent corruptam naturam, ad iusticiam, & vitam æternam, ἐνεργείᾳ, *efficacitate*, spirituali & omnipotente, quæ Dei solius est.

Et fingere sine verbo, quòd Deus ad hanc rem magis sit efficax, quàm ad aliam, simpliciter est fabricare Idolum.

Altè tamen insedit, ac potenter regnat in animis adhuc multitudinis promiscuæ persuasio falsa ex erroribus Pontificiis reliqua de aqua lustrali & hostiis consecratis. Ac memini exempla pugilum & militum, qui ex insuta vestibus hostia ab ictibus & vulneribus lethalibus frustra se crediderunt tutos fore.

Nihil habet rationem Sacramenti extra vsum institutum.

Extra suum itaq; vsum, Symbola Sacramentorum prorsus nullam habent Sacramenti rationem: cumq; mutatur ritus, aut transfertur extra institutum ordinem, ad alios vsus, non est Sacramentum, sed actio superstitiosa, aut idolum.

Sic,

Sic nec Iudaica, nec Mahometica Circumcisio, hoc tempore, vllo modo, rationem Sacramenti habent: nec panis, qui circumgestatur à Pontificiis, vllo modo rationem habet Sacramenti: & adoratio panis prorsus est idoli adoratio, conficta extra institutionem, qualis fuit adoratio ignis Chaldaici aut Persici, quem fingebant esse Deum.

Nec recitatio verborum institutionis Cœnæ, cum gratiarum actione, & precatione, quam consecrationem vocant, mutat substantiam panis, sed hæc simul sunt ritus, qui discernit hanc Cœnam à profana cœna, qua corpus pascitur, & ostendit, non ad Physicum vsum, sed alium spiritualem, institutam esse.

Manifestum est itaq;, quòd his, & Physicis, atq; in natura ordinatis, & spiritualibus, atq; Ecclesiæ soli traditis vsibus creaturarum, prorsus aduersentur & repugnent commenticij abusus incantatorum; qui, dum fingunt, ad murmuratutam precum virtute, vel inseri, atq; infigi creaturis nouas vires, vel vim adferri Deo, vt cogatur præstare ac perficere, quod parant ipsi & moliuntur, & contumelia Deum afficiunt summa, & horribiliter polluunt ac profanant Dei opera & instituta: Vt cùm aqua Baptismi vtuntur, ad fugandos Dæmones, aut tollendos morbos: aut oleo consecrato, ad reliquias peccati extirpandas. *Incantatorum impietas detestanda.*

Quantus furor est, sine certo & euidenti testimonio scripturæ, aut fingere, aut credere, quòd ex sono pronunciatorum verborum adhibita subiecta inuadat atq; obsideat vis noua, quæ sese extendat in immensum, & ex longissimis interuallis afficiat eos tantùm, ad quos, consilio & opera incantatoris, dirigitur?

Quantum scelus est, facere Deum ministrum vesanarum cupiditatum, quas explere ipsis & aliis, & executorem scelerum aut flagitiorum, vt cædium, furtorum, rapinarum, quæ perpetrare, & adiutorem impurissimæ ac fœdissimæ libidinis, quam exercere, incantationum adiumento, sæpe conantur? Hos furores detestemur.

Multò magis commenticium est, quòd incantatores, de characteribus, hac illáve figura delineatis sculptísve, tum simulacris aliqua specie expolitis, tum corporibus ad certos cœli positus, elaboratis, & imaginibus insignitis, deq; nu- *Characterum & simulacrorum vanitas.*

meris formisque elementorum, oracula sese excudere iactitant. Id enim communi sensui repugnat. Primùm de characteribus certum est, perpetua sibiq; consentiente experientia, quantitates nullas, nullasq; figuras substantiis ab ipsa natura circumdatas, efficaces esse: neq; inde accedere rebus aliud quicquam, quàm quòd hæ attributam singulis, à natura, molem constituunt ac definiunt; illæ eādem conformant, specie singulis conueniente, ex prima ordinatione & propria, non eò tantùm, vt hæc species externa distinguat naturas cognatas, sed ob certos & rebus ipsis commodos vsus. Neq; enim casu, aut ex fortuito confluxu, cohæsione q;, & coalitu atomorum, in suas singula corpora coierunt formas: sed magna sapientia, formata membra δημιουργὸς, *opifex*, naturæ eo collocauit & coniunxit ordine, vt aptam & congruentem singulis figuram constituerent. Si igitur illarum figurarum nulla vis est, neq; ἐνέργεια, *efficacia*, quas natura molitur, & rebus affingit: multò minus manu fabrefacti characteres agent aliquid: &, vt ostendi antea, impium est & falsum, quòd sacra verba ea vi pollere comminiscuntur, vt in chartas membranásve consignata literis, solis literarum figuris, aut voce prolata, sono ipso tanquam opere operato, propter hoc, quod sunt verba Dei, ea præstent, quibus opus est, aut perficiant, quæ instituuntur.

Quantitatũ per se nulla efficacia.

Abusus his omnibus inest verbi diuini manifestè impius & magicus. Etsi enim quandoque votis euentus respondet, id tamen à colludente Diabolo proficiscitur, vt fascino & præstigiis concilietur fides, comparetur autoritas, ac stabiliatur regnum tenebrarum: & à Deo, ab inuocatione Dei, à fiducia & spe auxilij diuini auersæ mentes vt adducantur ad hæc prohibita, verbo Dei refugia & præsidia. Non enim ad hunc vsum & finem verbum traditum est. Sed Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti, homini scilicet. Verba Euangelij audita, lecta, cogitata, accepta ac retenta firma fide, multumque versata animo, virtute Spiritus sanctus efficacia sunt, & afflictas mentes consolantur, muniuntque aduersus Diaboli insultus, & accendunt ardentem inuocationem, quæ fiducia promissionum per & propter Filium Mediatorem impetrat, quæcunque

Verbum Dei quomodo efficax.

cunque petit. Sicut dicit scriptura: Marc. 9. *πάντα δυνατὰ τῷ πιστεύοντι*, *omnia possibilia sunt credenti*, & Marc. 5. *μὴ φοβοῦ, μόνον πίστευε*, *ne time*, *crede solum*. Marc. 11. Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quicunque dixerit monti huic, tollere & proiiciare in mare: nec hæsitauerit in corde suo, sed crediderit futura, quæ dicit, erit ei, quicquid dixerit. Propterea dico vobis, quæcunque precantes petitis, credite vos accepturos, & erunt vobis. Item omne quod non fide fit, peccatum est, Rom. 14. Hebr. 4. *οὐκ ὠφέλησεν ὁ λόγος τῆς ἀκοῆς μὴ συγκεκραμένος τῇ πίστει*, *non prodest auditus sermo qui fidei mixtus non est*. In vsu ergo verbi ordinato Dei mandato, & in concursu causarum omnium verbo ordinatarum ad finem ab eodem præscriptum scilicet, Spiritus sanctus, verbi, & hominis dirigentis actionem fide in virtute Spiritus secundum præscriptum, verbum tantum efficax est, quod propter hominem solum patefactum, & huic soli commendatum est. Nihil tale agunt verba chartis illita, & vel de collo suspensa, vel superliminio imposita, vel subtus limen in terram defossa, vel infarcta vestibus, vel deuorata, vt in more est militibus superstitiosis ante prælia verba capitis primi Iohannis in membranula tenera exarata conuolutaque pillulæ instar deglutire aduersus sclopetorũ & bombardarũ globos. Nihil etiam ore pronunciata & in ventum effusa, quod vsitatum est exorcistis Pontificiis & horum æmulis, quando obsessis hominibus exercitatione abigunt Dæmones: domibus inquietis exigunt spectra. Nec plus efficiunt adumbratæ gesticulationibus digitorum cruces, aut pictæ cælatæ ve crucis effigies. Non enim terretur, profligatur, aut vincitur Diabolus conspectu scriptarum, cæsarum, aut sculptarum sententiarum, aut imaginum, quacunque sint expressa forma, eleganti vel deformi: Nec rudi inanique, aut prophano & superstitioso sono, addo etiam impio ac blasphemo, qui est in perisque: Nec aliter in huius generis incantatoribus, exorcistis, quàm in Lamiis & Veneficis profitentibus, se virtute verborum, quæ proferunt ex sacra scriptura, perficere opera sua: sed fide ex vera sinceraque ac sibi per omnia constante & consentiente agnitione Dei secundum verbum

patefactum doctore ductoreq; Spiritu S. proficiscente, & verbo Dei acriter & assidue præliante: deniq; in vnius misericordiæ diuinæ præsidio certissimo acquiescente. Nisi accedat enim ἐκτενὴς καὶ ἀδιάλειπτος προσευχὴ ἐν πληροφορίᾳ πίστεως, *assidua & indesinens oratio cum plena fidei persuasione*, quæ tamen in aliis maior est, languidior in aliis, miracula talia frustra tentantur, quæ etsi non subito, vt in prima Ecclesia, tandem tamen fiunt, & pluribus quidem piis plura in hac vita miraculosè accidunt, quàm in hac securitate hominum quis considerat. Et nouit atque obseruat vera fides, quo discrimine æterna, quo præsentia peti debeant: illa sine: hæc cum conditione, qua permittuntur omnia ac committuntur diuinæ voluntati liberrimæ. Hoc genus Dæmoniorum non eiicitur inquit Christus, nisi ieiunio & oratione. Et expulsio fit digito Dei, id est, virtute diuina in nomine Christi, id est, in vera agnitione seriaq; ardenti & assidua inuocatione Christi. Et de communibus precibus inquit Iac. 5. oratio fidei seruabit laborantem, erigetq; eum Dominus. Item, orate alij pro aliis vt sanemini. Multum enim valet deprecatio iusti efficax.

Simulacra, quæ vel ex cera parant, vel alia quauis materia, nihil illorum agere, quæ ipsi requirunt, vel inde conspicuum est, quòd condere corpora, certis & necessariis prædita viribus, Diabolo impossibile est, cùm creatio solius sit Dei opus. Nec verbis, vim aliquam illis infundi corpusculis, ex antedictis patet. Neq; vllius est humani ingenij perspicacia tanta, aut potentia, vt fictitiis possit imagunculis viuas indere aut intexere vires.

Construit ars αὐτόματα, *organa quæ per se mouentur*, quibus effingit Mundi circumactus & conuersiones, rotulis ferreis & dentatis, certò dispositis & coagmentatis ordine, appensoq; pondere, quo illæ impulsæ tractæque circumaguntur, & hoc, cui inclusę sunt, corpus promouent, vt sua vi progredi aut circumagi in gyrum videatur, eò vsque, donec vel ea, quæ trahit moles, sistatur, vel, qui alligant eam, funes decurrerint.

Stratonis Lampsaceni inuentum.

De Stratone Lampsaceno, eo, qui Theophrasto successit, tertiusq; ab Aristotele Peripatheticas scholas princeps habuit, proditum legimus, quòd cum Epicurei, cum asperis

suis

suis & insectilibus, ac leuibus hamatisq; corpusculis, in derisiones incurrissent, vt redargueret etiam iam antè explosa illorum commenta, docuerit omnia vt natura, id est, sponte sua, effecta essent, ita etiã illius moderatione ferri & agitari; neq; vllarum rerum causas in ea non inueniri, & eas singillatim persequens subtiliter perscrutatus traditur, sic, vt face ret naturalia pondera, ac motus; quibus perpensa librataq; constarent vniuersa.

Sed tale quiddam, quale ἐπῳδοὶ, *incantatores*, falsò iactitant ac pollicentur, de suis εἰδώλοις, *simulacris*, nulla ars humana perficiet vnquam.

Ludit ergo, sub illa simulacrorum specie, Diabolus, & hoc exequitur, quod ἐπῳδοὶ, *incantatores*, captant & persequuntur, vt ab imagunculis vis omnis proficisci videatur.

Commenticius est, & tertius ille fucus, quòd certo, cœli positu, formatos characteres, vel simulacra, illo tempore loco, momento, vi maiore & valentiore, de cœlo commoueri, fabulantur.

Agunt astra in naturam elementarem, in eaq; cient & miscent primas qualitates: quæ rursus mixta ex elementis corpora, suisque absoluta & confirmata specificis formis, siue in hoc circumfuso dudum sint versata aere, siue in eum recens exponantur, afficiunt multoque magis recentia, adeò vt temperiem, ex seminibus propagatam, non parum immutent.

Astrorum vis in naturã elementarem.

Et respondent affectus, tum qualitatibus ipsis, tum mixturæ qualitatum, quam vocant κρᾶσιν, *temperamentum*, corporum. Immò cum natura ipsa, id est, vi natiua seminum, astra moderantur & gubernant formationem corporum.

In ea opera, quæ fabricantur, astrorum nulla vis est. Non enim noua instituitur ibi mixtio qualitatum: non materię, motibus variis præparatæ & conuenienti qualitatum temperie indutæ noua & οὐσιώδης, *essentialis*, conficitur & applicatur forma: sed corpori sua iam antea confirmato materia & forma, quibus existit & conseruatur: suaq; instructo crasi, arte accommodatur noua & accidentaria species, ad quam nihil astra, nihil qualitates in aere, quæ tunc sunt, conferunt: immò tota illa ficticia species ociosa est, & inefficax.

Aut, si omnino talis aliqua vis cœlo excussa desilit, (quod

tamen falsissimum est) cur illa non potius viuis & vegetis corporibus animantium, aut illorum ipsorum, qui tum simulacra formant, quàm sculptili semiputri, aut conflatili, vel cereæ, aut lapideæ imagunculæ inhærescit.

Absurdissimum est somniare talia, nisi fortasse astra volunt, cum delectu quodam, suas distribuere vires, vt certo iudicio vim suam tunc dirigant, ad præscriptum incantatoris, in hæc potius, ad ipsorum imaginem composita & expolita corpuscula, quàm cetera.

Sed relinquemus has incantatorum & ariolorum præstigias, quæ excogitatæ sunt, non vt tales sint, quales esse apparent; sed vt obscurent gloriam Dei, & veritatem doctrinæ vtriusque sacræ & Physicæ, atque occultent: & vestiant veneficas artes Diaboli.

Incantationes sunt æmulationes Sacramentorũ.

Et videntur esse incantationes prorsus falsæ æmulationes Ministerij verbi & Sacramentorum, quæ inde vsq; ab initio Deus in Ecclesia doctrinæ addidit, adhibitis externis Symbolis, cum quibus se efficacem fore professus est in credentibus. Hanc efficaciam Diabolus, abusu Sacramentorum, & incantationibus imitari voluit.

Cumque certissimum sit, plenas esse incantationes horribilium blasphemiarum, mendaciorum, præstigiarum Diabolicarum, aliarumque rerum, seuerissimè vetitarum diuinitus, sequamur vocem diuinam, præcipientem, ne abutamur sancto nomine Dei, néve incantationibus vel studeamus vel vtamur: & cogitemus de iudicio Dei, aduersus incantatores, quod declarauit, cùm inquit, Incantator βδέλυγμα, *res abominanda* est Domino Deo suo. Atque eam ob causam execremur & fugiamus omnia illa artificia, quacunque proponantur specie, siue verbi Dei prætextu deferantur, siue cum precationibus palàm ad Diabolum directis sint exercendæ, quas cognoscere prõptus est: Etsi ne illæ quidem, quæ fuco virium, effectionumque naturalium & ordinatarum celantur, facilè fallunt aliquem, nisi quis spontè, & sua voluntate decipi velit.

DE

DE DIVINATIONE EXTISPICUM.

GRAECI *ἱεροσκοπίαν*, & *θυτικὴν*, *diuinationem per ſacrificia, & victimas quæ mactabantur*, vocarunt conſiderationem hoſtiarum immolandarum, ante & poſt mactationem; atque vniuerſim, cùm accuratam contemplationem eorum, quæ offerebantur fictitiis numinibus, tum notationem obſeruationemq́; aliorum, quæ intercidebant fortè, dum ſacra fierent, & diuinationem ex his, coniectationemq́; de numinum erga eos, à quibus ſacrificia inſtituebantur, affectione & voluntate, déve ſecuturis euentibus proſperis vel aduerſis. Ἱερεῖα enim & *θυσίας* ſacrificia nominabant, & *θύτας καὶ ἱεροσκόπους τοὺς δι' ἐντόμων μαντευομένους*, *ſacrificos & ſacerdotes & aruſpices, qui de extorum inſpectione futura prædicerent*, quos Extiſpices, ſpeciei nomine, Latini vocarunt.

Origo ſacrificiorum Ethnicorum, & totius *ἱεροσκοπίας*, *aruſpicinæ*, ex illis eſt ritibus, quos à principio ſancti Patres, Adam, Seth, Nohe, & filij, Sem, Iaphet, & ceteri, vſurparunt, & piè religioſeq́; coluerunt, conſeruarunt, atq́; exercuerunt non autoritate arbitrióve priuato, ſed iuſſu mandatoq́; Dei. *Sacrificiorum Ethnicorum origo à ſanctis Patribus.*

Nam, vt ante, ita poſt lapſum primorum parentum, cùm Deus recepiſſet genus humanum, victus interceſſione Filij & voluntaria ſponſione obedientiæ integræ exoluendæ, pro genere humano, eorumq́; perpetiendorum atq́; exhauriendorum, quæ illi perferenda fuiſſent in æternum: Tunc ergo, non voluit genus humanum, vel pecudum more vagari temerè, abſq́; lege & noticia Dei Conditoris, vel petulanter fingere, ex arbitrio, numina & cultus: ſed tradidit promiſſionem, de Meſſia naſcituro ex muliere, conculcaturo caput Serpentis, & inſtauraturo genus humanum, vt fieret rurſus *ναὸς ἅγιος, καὶ εἰκὼν τοῦ θεοῦ ἐνεργής*, *templum ſanctum & imago* Dei *expreſſa*: in ea, ſe & ſuam ille voluntatem cùm perſpicuè demonſtrauit, tum illuſtriſſimis, & euidentiſſimis confirmauit teſtimoniis.

Ad hanc promissionem, & hunc in ea patefactum Deum, alligauit animos hominum, huic intentos eos atque affixos esse voluit, exclusis & prohibitis omnibus commentis aliis quibuscunque, & vndecunq; ortis.

Atq; vt ante lapsum, quanquam clarissimam sapientiæ & iusticiæ lucem accensam, de æterna sua luce, primorum parentum animis inseuerat, quæ, quid requireret, quæque præstari vellet, immutabiliter ostendebat: tamen peculiarem, expresso mandato, constituebat legem in oculos incurrentem, quæ iubebat eos abstinere à fructibus arboris boni & mali, & in hac obseruanda, suam illos sibi declarare probareque obedientiam volebat: Sic post lapsum, etsi & residuæ, de prima luce scintillulæ; & paulò pòst subinde repetitæ ac renouatæ noticiæ legis diuinæ, satis monebant, quæ postularet Deus, quæ ipsi displicerent: tamen cùm nouo modo, & aliter, quàm initiò se hominum generi patefecisset, edita noua promissione, nouum etiam ei & singularem cultum adiunxit, nimirum certos ritus sacrificiorum certorum, quos retineri in sua Ecclesia, & reuerenter coli, tractari, ac peragi, vera fide, intuente promissionem his præfixam, fiducia venturi Messiæ voluit?

Sacrificia in quem vsum instituta diuinitus.

Non temerè, nec, quòd delectaretur pecudum euisceratione & combustione, ritus tales instituit: sed, cùm vellet semper in Ecclesia extare beneficia Filij, euidentibus & sensui subiectis ceremoniis velut consignata, singulari consilio & sapientia, impresserat illis conspicuam promulgatæ promissionis imaginem, vt, inter administrationem rituum, mactationem, immolationem, & recitationem præceptarum precum, hac oculis exposita & sensibus subiecta specie, admonerentur de Messia, qui ex promisso diuino nasciturus, & vera victima futurus esset, pro peccatis generis humani: & exuscitaretur hoc spectaculo, ad cogitationem lapsus, tristissimarum pœnarum, restitutionis sui per Messiam, immensi amoris & misericordiæ Dei.

Quem promissio pollicebatur, eum, velut picturis adumbratum, sacrificia oculis contuendum proponebant.

Deinde, occasione horum rituum, cùm repeti memoriam promissionis assiduè, &, vera gratitudine, celebrari tantum beneficium: tum fidem, coniunctam cum firma spe

& ex-

& expectatione Messiæ, atq; inuocationem exerceri voluit. Eam ob causam, tum vt certò statuerent, verè adesse Deum, spectareq;, & discernere inter ea, quæ ex vera fide proficiscerentur, & ficticia, & idcirco, maiore cura & reuerentia, ea administrarent, & diligentius, vsq; ad natum Messiam, tuerentur & custodirent, frequẽtissimè sanctis Patribus ostendit sese, accensis igne cœlesti victimis.

Tandem verò, cùm in eo populo, in quo, à ceteris gentibus omnibus separato, Ecclesiam sibi collegerat, politiam etiam certis legibus constitueret, eo fine, vt constaret certò, quæ gens Messiam Mundo paritura esset: certa mandata, de sacrificiorum ritibus, legibus, & tempore dedit, eósq; obseruari, & peragi ad præscriptum voluit accuratissimè, adeò, vt si intermissa ab aliquo, aut polluta, aut secus, atque institutum erat, perfecta essent, is crimen subiret læsæ maiestatis diuinæ, & reus fieret æterni iudicij Dei: Sique ii, qui præerant populo, profanationem non vindicassent, hoc expurgato sublatóve, in idem crimen, & pœnas easdem totus incideret populus.

Hos ritus, cum ipsis differentiis sacrificiorum, repetam paulò altius, vt quos, vel ex primorum parentum ritibus, retinuerint, vel à populo Dei mutuati sint Ethnici, quave illos occasione tum deprauarint, tum ad nescio quæ significata detorserint clarius conspiciatur.

Describuntur autem in Leuitico, sex genera sacrificiorum, diuina voce repetita, & ex ore Dei, per Mosen, excepta & constituta, quorum tria *ἱλαστικά, propiciatoria*, erant, non quòd mererẽtur veniam aut condonationem culpæ, & pœnæ æternæ, vel expiarent perpetrata scelera, & placarent iram Dei, aduersus peccata generis humani: Sed vocabantur propiciatoria, & fine, & vsu, quòd typi erant illius victimæ, quæ Deo satisfactura erat, pro genere humano: &, quãdo fiducia eiusdem offerebantur, placebant Deo, & impetrabant, quæ petebantur. Ceterum, in illo populo, ad hoc proderant, vt, si ab illis exhiberentur, qui in se crimen aliquod admiserant, testarentur verè, eos pœnitere de commisso crimine: Propterea hoc consequebantur illi, ne excluderentur à societate populi Dei.

Sacrificiorum diuinorum sex genera. ἱλαστικὰ seu propiciatoria sacrificia.

Differebant autem finibus.

Holocaustum ἱλαστικὸν, *placatorium*, erat & fiebat ad placandum Deum: Reliqua duo ἀπολυτρωτικὰ: *redemptionis sacrificia*, redimebant enim pœnas certorum delictorum.

Holocaustū. Holocaustum, ὁλόκαυστον & ὁλοκαύτωμα, *quasi totum combustum*, interpretes septuaginta, Lutherus *Brandopffer*, Hebræi Olah nominant. Idem in Psalmo 51 Calil vocatur, quasi totum combustum, à Celil, quod significat consumatum est. Tota enim victima, quam oportebat ex masculis vitulis, agnis, aut hœdis, turturibus, vel περιστεροῖς, *pullis columbinis*, eligi, καὶ ἄμωμον εἶναι, *& integram esse*, cremabatur, & velut in fumum versa efferebatur in sublime, atque euanescebat, quo significabatur oportere hanc corruptam, & fœda peccatorum illuuie contaminatam naturam destrui & renouari. Ad imitationem huius fiebat Græcorum τελετὴ, *perfecta sacrorum operatio*.

Sacrificium pro peccato. Sacrificium pro peccato, θυσίαν περὶ ἁμαρτίας interpretes, Lutherus *Sundopffer*, Sacræ literæ Hatath nominarunt, à verbo Hitteh quod est, oblationem fecit pro peccato, vel expurgauit à peccato. Expiabantur hoc sacrificij genere peccata, ἀκουσίως, *inuoluntariè*, & ex errore, aut ignorantia commissa.

Victimæ, quæ cædebantur, differebant ratione personarum, delictorum, & ritu mactationis. Sacerdos, si hoc modo deliquisset, aut vniuersa multitudo, offerebat vitulum, cuius sanguine Sacerdos conspergebat septies, tum velum prætensum sanctuario, tum altare Domini, quod ante adytum, seu sanctum sanctorum, collocatum erat: reliquum, vt fiebat in holocaustis, totum comburebatur: Non enim licebat vesci cuiquam, ne quidem Sacerdoti, earum victimarum carnibus, quarum sanguine altare Domini conspergebatur.

Si Dux populi peccasset, caprum: Si de plebe quispiam, caprum, vel ouem Sacerdoti mactandam deferebat. Earum sanguine Sacerdos cornua altaris, in quo holocausta cremabantur, perfundebat, reliquum omne proiiciebat ad basin altaris. De cæsa victima, pinguedinem, quæ renibus adhæret περιτοναίῳ, & ἐπιπλόῳ, *abdomini & omento*, cum renibus ipsis incendebat: de reliquiis, rata portio ipsi cedebat. Non enim vel pinguedine, vel sanguine licebat vesci illi populo.

Delicti

Delicti etiam qualitas variabat rem offerendam, vt ex 5 Leuitici constat.

Sacrificium pro delicto, θυσίαν περὶ πλημμελείας καὶ πλημμελήματος, Septuaginta verterunt. Est enim πλημμελεῖν, inique quippiam & per iniuriam agere, hoc est, ἐξυβρίζειν. Demosthenes πλημμελεῖν εἰς τὸν θεὸν, καὶ εἰς τὸ ἱερὸν τοῦ θεοῦ dixit, pro piaculum facere. Hebræi Asam nominarunt, quæ vox significat delictum, peccatum, rem ream, à verbo Asam, id est, deliquit. Vsus est ea voce Esaias cap. 53. Ponet animam suam Asam, pro peccato. Et sequitur Esaiam Paulus, Eum, qui non nouit peccatum, fecit peccatum, id est, rem ream. Lutherus vertit *Schuldopffer*. Fiebat autem, ad expianda delicta ἑκούσια, quæ libera voluntate, re deliberata, sine coactione, & metu, committebantur; & mactabatur aries, cuius precium æstimabatur, ex delicti magnitudine. *Sacrificium pro delicto.*

Reliqua tria sacrificiorum genera, εὐχαριστικά, *gratiarum actoria*, dici possunt. Eorum vnum oblatio erat, duo ἀποπληρωτικά, siue τῆς τελειώσεως, *quæ nonnulli exposuerunt initiatoria, item conseruationis Sacerdotum.* *Εὐχαριστικὰ sacrificia.*

Oblationem, seu immolationem, seu libationem, Septuaginta *δῶρον, θυσίαν*, Lutherus *Speisopffer*, Hebræi Minha nominant. Erat genus εὐχαριστικόν, quo offerebantur & adolebantur, vel pugillus similæ oleo perspersus, rectusque thure: vel panes ἄζυμοι, *infermentati*: vel Lagana ἄζυμα, *infermentata*, cocta in clibano, & oleo oblita, quæ panes κλιβανῖται vocabantur: vel τηγανιστά, id est, frixa in sartagine: vel ἐσχάριται, id est, in craticula tosta, oleoque perfusa: aut χίδρα, id est, aristæ, ex primis & virentibus adhuc decerptæ frugibus, leniterque ad ignem vstulatæ, & in farris morem confractæ, & comminutæ, oleoque madefactæ, & thure desuper copertæ. Partem harum rerum capiebat sacerdos, reliquum, vniuerso cum thure, incensum adolebat. Fermenti verò, mellisque non licebat miscere quicquã. *Oblatio.*

Oblatio velut honorarium munus, de terra natis Deo exhibebat, eoque testabatur, à Deo esse vitam, fortunas, res vitæ necessarias, terræ fœcunditatem, salubritatem aeris, pacem, & gratias, de tantis beneficiis, deberi Deo: pertinebant etiam, ad ministerij conseruationem, & sustentationem Sacerdotum.

Hostia pacificorum.

Hostiam pacificorum, θυσίαν σωτηρίου Septuaginta, *Danckopffer* Lutherus, Hebræi Zeba Salomim nominant, id est, sacrificium pacis, à Salom, quæ vox pacem significat. Celebrabantur enim ab iis, qui Deo, pro acceptis beneficiis, gratias agebant, aut gratitudinem, hac obedientia, declarabant: Beneficia enim, pacis nomine, Hebræi efferunt: Et fiebat, cæsis vel bobus masculis, aut fœmellis, sine discrimine, vel ouibus, vel agnis, vel capris, quas ἀμώμους, *integras, inculpatas*, esse oportebat.

Incendebatur autem sola pinguedo, πιμελῇ τῇ ἐπὶ τῆς κοιλίας, ἐπίπλόῳ *abdomini, omento*, renibus, & ceteris detracta, cum ipsis renibus: reliquum auferebant ij, quorum erat victima: idque, si debitæ gratiæ testificandæ causa, sacrificium instituissent vt ratum fieret & prodesset, eodem eos die vniuersum absumere oportebat: si ex voto, vel sponte mactassent, ante tertium: Tertiò, si quid reliquissent, id irritam reddebat mactationem, & ipsos præuaricationis reos peragebat.

Sacrificium laudis.

Sacrificium laudis θυσίαν αἰνέσεως Septuaginta; Hebræi Thoda, à Iada, id est, confessus est, nominant; Lutherus vertit *Lobopffer*.

Differebat ab hostia pacificorum, quòd simul fiebat, in hoc sacrificio, & pecudum mactatio, & oblatio seu immolatio libamentorum, confessionis causa: qua, qui offerebant, testabantur, se agnoscere & profiteri, illum Deum esse æternum, verum, & viuum Deum, distinctum ab omnibus commenticiis numinibus Ethnicorum, conditorem rerum, & generis humani, Dominum & huius populi, & Ecclesiæ, ex hoc populo, propter Messiam, collectæ, authorem illorum beneficiorum, quæ hic populus accepisset, & debere se ei obedientiam, gratitudinem, & celebrationem beneficiorum perpetuam. Oportebat autem omnia sacrificia conditi sale consecrato qui sal fœderis vocabatur, eoque accendi igne, qui in tabernaculo Domini, asseruabatur & fouebatur, quem, ex igne cœlitus immisso, sacrificiis Mose & Aaronis, susceptum fuisse coniicio, etsi nihil affirmo.

Sal fœderis.

Tradidit & commendauit initiò hos ritus Deus ipse Patribus primis, ex quorum posteris aliqui, vt Nohe, Sem, Abraham, Isaac, Iacob &c. retinuerunt eos, cum doctrina ipsa, constanter & sanctè, quibus tum fœdus iniit, data pro-

promiſſione, quòd amplificare familias poſterorum, tuerique, ac propagare vellet, &, ex his ipſis, naſciturum eſſe Meſſiam, generis humani Redemtorem.

Tandem, cùm poſteritatem eorum, iugo ſolutam Ægyptio, & deductam in terram, quam multò antè Patribus promiſerat, legibus obligaret, atque imperio, ne, ſine ordine politico, diſſolutè viueret, de integro etiam leges ſacrificiorum, ſed illi politiæ, quam meditabatur & extruebat, accommodatas, repetiit inter ceteras, diſtinxitque, & deſcribi atque imponi populo, per Moſen, curauit: tum, vt ſcirent, non humana conditas authoritate, ſed diuinitus conſtitutas eſſe, atque ſancitas, ad eaſque obſeruandas & exequendas ſe aſtringi: nec licere cuiquam, aut negligere, vel violare has temerè, aut diuerſas ab his excogitare, & eaſdem, inde vſque à Mundi exordio, Patribus in vſu fuiſſe: tum, vt inde ſacerdotes victitarent ac ſuſtentarentur, qui, cùm Deus occupatos eos vellet eſſe cura miniſterij, id eſt, doctrinæ & ceremoniarum, non poterant vacare quærendis parandiſque rebus ad vitam neceſſariis: &, iuſtum fuit, ali miniſtros Dei ſumtibus illorum, quorum gratia, diuinis rebus operam dabant & ſeruiebant.

A diluuio igitur, cùm Nohe, & filij ipſius inſtauraſſent genus humanum erudierunt id de his tantis rebus, procul dubiò, accuratiſſimè. Multi, ex familia Sem, & ceterorum, hanc à maioribus communicatam hereditatem ſanctam, & ſalutarem, viciſſim ea, qua decuit, religione, reuerentia fide, & pietate, ex ſe natis nepotibus tradiderunt, ita, vt continua ſit ſerie propagata, vſque ad conſtitutionem politiæ Iſraëliticæ. Plurimi verò, petulantia, & Epicureo contemtu, aut negligentia, quòd leuius afficerentur tantis reb. quantas hæc doctrina complectebatur, aut ſtudio nouitatis, & Diaboli impulſu ac perſuaſu, corruptam maiorum hereditatem abiecerunt & aboleuerunt.

Abolitionem doctrinæ mox conſecuta eſt veri Dei obliuio. Ex hac nata prodigioſa commenticiorum numinum multitudo. Quanquam enim, & proprio animorum iudicio & naturæ totius præſtantia conuicti, fateri cogerentur, non ex bruta materia, hoc Mundi corpus proſiliiſſe, nec temerè, ſuóve nutu, in hunc confluxiſſe ordinem nec caſu regi

sustinerique, sed oportere esse Architectum, qui id, & initio velut tornauerit in æquabilem illam rotunditatem, & gubernet ac sustentet, & eundem oportere esse omnipotentem, sapientem, iustum, bonum, vindicem scelerum: tamen tantùm inualuerat nata, ex peruersitate deprauatæ naturæ, ad superstitionem, propensio, vt, contra illa argumenta, sensa, statutaq; animorum suorum & euidentia totius naturæ testimonia, authorem ipsum aspernarentur & creaturis in Dei locum, vel suo ductu, vel Diaboli, ex occasionibus aliquibus, persuasu, assumtis adhærescerent: καὶ γνόντες τὸν θεὸν (vt Paulus inquit) οὐχ ὡς θεὸν ἐδόξασαν, ἢ εὐχαρίστησαν, ἀλλ' ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία, φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν, καὶ ἤλλαξαν τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου θεοῦ, ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου, καὶ πετεινῶν, καὶ τετραπόδων, καὶ ἑρπετῶν. id est, *Et cùm cognouissent Deum, non glorificauerunt vt Deum, neque gratias ei egerunt, sed vani facti sunt in ratiocinationibus suis, & obtenebratum est desipiens cor eorum: quum se sapientes esse profiterentur, stulti facti sunt: ac mutarunt gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem mortalis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & reptilium.*

Dæmonum cultus.

Nec satis eis fuit creata corpora in deos conuertisse: sed ipsos etiam Dæmones coluerunt: & quocunque in loco, vel insolitum quid accidisset, vel inusitata specie, apparuissent Dæmones, illi peculiaria adesse numina, eaque ipsa ne irascerentur, neglecta, sacrificiis demulcenda, retinendaque in officio, & concepta beneuolentia, censuerunt: quandoque, quos cultus, quæve sacrificia exposcerent ipsi Dæmones, ex ascititiis, quibus comparebant figuris, edicebant.

Græcorum commenticia numina.

Hinc Græcorum, quorum, post Ægyptios, vanitas præcipua celebratur, ac superstitio, commenta nata, qui cœlo Iouem, mari Neptunum, intimis terræ cauernis & recessibus Plutonem, incluserunt & præfecerunt: Singulis rursus alios, infinito numero, adiunxerunt: Saturnum & Cybelen Ioui, item Mercurium, Apollinem, Martem, Iunonem, Mineruam, Venerem, Dianam: Neptuno Nereum, quem ἀλκιμαίχ & πόρκον nominarunt, Latini Portumnum: & cohortes Nympharum, qualium aliæ νηρεΐδες & ναϊάδες, ποταμίδες aliæ, aliæ κρηνηΐδες vocatæ sunt; quòd, vel mari, vel fluminibus, vel

vel fontibus insidere ac praeesse putarentur. Coluerunt & *ἀλσηΐδας, nemorum praesides*, dictas Nymphas, & *ὀρειάδας, δρυάδας, ἁμαδρυάδας, montanas, quernas, & cum quercubus natas,* Napeas, Agapeas; quòd singulis, in natura, corporibus, adesse peculiare numē existimarent, & eam opinionem Diabolus, numinum illorum sese specie ostentans, auxit & confirmauit.

Nec pauciores deos Romani habuerunt, inter quos recensentur Dij maiorum gentium; Iuno, Vesta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Iupiter, Mars, Mercurius, Neptunus, Vulcanus, Apollo, Penates: Dij communes; Mars, Bellona, & Victoria: Dij geniales; Terra, Aqua, Aër, Ignis, Sol, & Luna, quibus, natali suo die, quisque sacrum faciebat, quòd rerum gignendarum & producendarum vim habere crederentur: Genij duo, Lares, quos priuatarum rerum, triuiorum viarumque & vrbis curam agere, opinio erat, vnde & Praestites nuncupabantur. Et inferiores, ac minorum gentium Dij: Dij indigetes, qui ex hominibus, propter eximias belli & pacis artes, ac benemerita, inter Deus erant relati: Dij patrij & tutelares, & reliquum genus Faunorum, Syluanorum, Satyrorum, Lemurum. Varro, qui Ethnica numina praecipua conquisiuit diligentia, supra triginta millia commenticiorum numinum reperisse se annotauit. *Romanorum ficticia numina.*

Extincta igitur doctrina, & deleta ex animi memoria veri Dei, etsi retinuerunt Ethnici vmbras sacrificiorum: tamen, cùm non regerentur amplius norma verbi diuini, ideoque nescirent, quo essent consilio instituta, & quò spectarent, quídve monerent, tum mutarunt veteres ritus, vel abrogatos prorsus, vel nouis ac subditiciis confusos, pro conditione numinum, quibus decernebantur: tum excogitarunt rationem, ex victimis, aestimandi occultos numinum sensus alienos aduersosque, aut propicios & addictos, quaeve secutura essent, secunda ne an contraria, vsurpatis, signorum loco, fortuitis, aut sine ratione, temerè constitutis indiciis, errore stultissimo: quod eos necesse fuit facere: alioquin enim, in ista Dei ignoratione, dubitassent perpetuò, quae expectanda essent, quaeve sibi de numinibus pollicerentur ac persuaderent.

Rationem & interpretationem signorum, mox confirmauit Diabolus.

Iudicia in Ethnicorum sacrificiis vnde nata.

Existimo autem, his comminiscendis, post amissum verbum, præbuisse occasionem Ethnicis obscuram memoriam miraculorum, quæ, ad sacrificia sanctorum Patrum, exhibuerat Deus sæpissimè, inflammatis cœlitus victimis, approbatisve, ac susceptis, quæ placerent, vel contrà repudiatis, quæ displicerent, certis atque euidentibus testimoniis.

Talis itaque Sacrificiorum Ethnicorum origo est. Collegit Ecclesiam Deus, ex genere humano, voce promissionis, inde vsque ab initio, mox post editam promissionem, qua recepti sunt Adam & Eua; & eodem modo, id est, ministerio Euangelij, & non aliter, semper colligit Ecclesiam. Ac semper addidit promissioni externa signa, quibus ceu spectaculis quibusdam, per oculos etiam confirmaretur, in mentibus, certitudo promissionis, & assensio.

Signa promissioni addita ante diluuium.

Etsi autem, de signis, ante diluuium, non multa extant scripta: victimarum tamen de cœlo inflammationem in sacrificiis, certum fuisse signum, non est dubium. Immò fuerũt ipsæ, quæ offerebantur, victimæ signa testificantia, de promisso Mediatore, qui esset futurus victima vera, pro peccatis generis humani. Et consentaneum est, plura alia, ad ritus sacrificiorum, quos Deus Patribus tradiderat obseruandos, testimonia illustria & admiranda edita fuisse.

Deinde, cùm promissio renouata est, & restricta ad posteritatem Abrahæ, additus est promissioni, signi, & sacramenti loco, ritus Circumcisionis.

Cùm enim promissio faciat mentionem seminis, ideo in ea parte corporis signum μνημονευτικὸν & δεικτικὸν, *in memoriam reuocans & ostensiuum*, victimæ, ex posteritate Abrahæ nasciturae, institutum est. Ceremoniæ verò Leuiticæ, & sacrificiorum ritus, multa habuerunt euidentia signa, inter quæ fuit mactatio agni Paschalis.

Tandem natus, de Maria virgine, Messias, Sacramenta Baptismi, & Cœnæ Dominicæ ipse instituit, & Ecclesiæ tradidit, tanquam pignora seu sigilla completæ promissionis, & exhibiti Messiæ.

Ita Ecclesia semper voce promissionis & Sacramentis constituta, & à ceteris est distincta gentibus. Et sancti Pa-

tres

tres; Prophetæ, horumq; pij & eruditi auditores, intellexerunt differentiam, inter Promissionem Gratiæ, ac Fidem nitentem promisso Mediatore, & verum vsum signorum. Sed magna multitudo, omnibus ætatibus, cum abolita doctrina, de promissione Mediatoris, & de iusticia Fidei, vel sua negligentia, ac securitate; vel Diaboli impulsu aut seductione, tum hac amissa, verum signorum vsum multis modis deprauauit. Ea est enim humanorum ingeniorum fragilitas, vt, si non rectè & assiduè doceantur de Deo, & vero signorum in oculos incurrentium vsu, mox solis inhæreant signis, eaq; & numero, & superstitione cumulent. *Sacramentorum vsus multipliciter deprauatus.*

Alij signa verterunt in numina: vt, Chaldæi & Persæ ignem finxerunt esse ipsum Deum, quia audierant, igne delapso cœlitus, incensas & victimas.

Alij finxerunt, ritus esse opera, quæ peccata expiarent, & placarent offensa numina: &, hac opinione, cumularunt ritus tales, nec tantum ceremonias nouas, sed & noua numina, & nouos Deos excogitarunt,

Alij petulantes natura & ἄθεοι, *impij in Deum*, quod de his reliquum fuit, inuoluerunt fabellis, & anilibus somniis.

Alij arguti natura, & ritus ipsos, & assutas his opiniones impias, alio concinniore prætextu oblitas, ita venditarunt imperitis, vt cum quadam sapientiæ specie, maiore cum applausu exciperentur, amarentur, ac retinerentur. Vsitatum est enim profanis ingeniis, prætextu sapientiæ, struere insidias, & offundere bellas persuasiones, stabiliendæ impietati accommodatas.

Ita factum, vt, doctrina amissa, Ethnici retinuerint de Deo, de doctrina cœlesti, de Sacramentis additis doctrinæ, de veris Dei cultibus, mera somnia: de externis ceremoniis, vmbratiles ritus sacrificiorum, atq; eos ipsos multipliciter deprauatos, & nouorum excogitatione variatos, atq; amplificatos in immensum. Et quidem, ex Patrum religione, Ethnicas superstitiones, illius obliuione, & natas esse, vel solæ numinum Ethnicorum appellationes, profectæ à Patribus, argumento esse poterunt. Coluerunt ignem Chaldæi & Persæ, tanquam Deum, quem Orimasda vocarunt, quasi ignem sanctum, vel lucem diuinam, ex Orim hesed: Græci & Romani ἑστίαν seu Vestam, quæ appellatio signifi- *Appellationes numinum Ethnicorum à Patribus profecta. Orimasda idolum Persicum. Vesta Romanorum.*

cat ignem Domini, ex Eschia. Vtrisque, vt ratiocinor, huic cultui vsurpando ac celebrando causam præbuit, memoria inflammatarum cœlitus victimarum. Saniores etiam hoc existimo significare voluisse, quòd sit Deus æterna lux: vel hæc ipsa, quæ in totum fusa Mundi Systema, suprà constituit discrimina corporum τῶν ἐνεργείᾳ διαφανῶν, *quæ reipsa sunt perspicua*, infrà & τὰ δυνάμει διαφανῆ. *quæ facultate sunt transparentia*, traiicit ac complet, & τὰ ἀδιόπτα seu obscura subiens aliquo splendore imbuit: vel alia quæpiam abdita atque inaccessa Lux.

Α᾽θηνᾶς Etymologia. Græci, & præcipuè Athenienses, ἀθηνᾶν, *Mineruam*, coluerunt, quam & παλλάδα, *Pallada*, vocarunt. Eadem Romanis culta est, Mineruæ nomine. Ridiculas admodum his nominibus Græci affinxerunt Etymologias, cùm disputant dictam ἀθηνᾶν, vel quasi ἀθρήνᾶν τινὰ οὖσαν, παρὰ τὸ τὸν νοῦν ἀθρεῖν, quod mentem ad certum fixumq;, & euidentem contuitum rerum dirigat: vel παρὰ τὸ θῶ, quod est θηλάζω, vnde ὄνομα ῥηματικὸν ἡ θηλάζουσα, & si præponatur τὸ στερητικὸν α, ἀθηνᾶ, quòd sine matre ex cerebro Iouis sit nata. Sic Palladis

Palladis Etymologia. nomen deriuant, vel παρὰ τὸ ἀναπεπλάχθαι ἐκ τῆς κεφαλῆς τοῦ διὸς, quòd ex cerebro Iouis prognata sit & formata, vel παρὰ τὸ ἀεὶ πάλλειν καὶ κραδαίνειν τὸ δόρυ, à vibranda continenter hasta. Ridiculæ sunt omnino deriuationes istę. Nam dubium non est, appellationes peregrinas esse, & ex Patrum religione acceptas ac conseruatas. Appellatio Α᾽θηνᾶς valde cognata est vocabulo Adonai, quod nomen est veri Dei: ita vt pænè non dubitem, originem inde esse, vocabulo, post rem, id est, agnitionem veri Dei, amissam translato in aliud numen commenticium. Vel est à Thanim, quæ vox Draconem significat, vt alludat ad historiam seductorum à serpente primorum parentum, cuius memoria, vt propagaretur ad posteros, consentaneum est, certa sacrificia à Patribus instituta fuisse, quibus agerentur gratiæ Deo de promisso Mediatore, qui sit conculcaturus caput serpentis. Constat autem Athenienses coluisse idolum, effigie Draconis, de quibus celebratum est, quod exhiberent cultus diuinos, atque obsequia præstarent tribus pessimis rebus, Draconi, Noctuæ, & Populo.

Palladis appellatio est à Pale, quæ vox Hebræis signifi-

cat

erat admirabile quiddam, seu miraculosum. Et Διὸς apud Græcos, Iouis, apud Latinos, nomen, idem est cum Hebræorum Iehoua. Cùm autem in fabulis Græcorum sit, Mineruam progenitam esse ex cerebro Iouis, moueor & appellationibus & fabuloso ænigmate, vt existimem, huic occasionem dedisse obscuram memoriam doctrinæ sanctorum Patrum, de Dei essentia, & tribus personis diuinitatis sed non intellectæ ab Ethnicis. Videtur omnino alludere, ad æternam, & verè cum stupore admirandam generationem Filij, patefactam Patribus diuinitus, qua Pater æternus, qui est mens, æterna ἄναρχος καὶ ἀγένητος, *expers principij & infinita*, gignit ab æterno Filium, coæternam & ὁμοούσιον, *consubstantialem*, imaginem sui, καὶ λόγον θεὸν, *& sermonem Deum*. Est enim cerebrum sedes mentis, & fons cogitationum, quibus formantur imagines rerum, sed euanidæ. At Pater æternus, æterna mens, gignit Filium λόγον καὶ εἰκόνα συναΐδιον, *verbum, & imaginem coæternam*, non euanidam, sed οὐσιώδη, *substantialem*.

Ita præcipua pars doctrinæ Patrum, de Dei essentia, & de discrimine personarum Patris, & Filij, in fabellam commutata, excidit animis hominum, atq; ex omni memoria euanuit apud Ethnicos: ipsum verò fabulosum ænigma resedit in iisdem, & perdurauit.

Isidem Ægyptij eodem sunt prosecuti cultu, quo, beatam virginem Dei genetricē, Pontificij. Institutum hunc cultum ratiocinor ex tenui, vt ita dicam, aura famæ, quæ fuit reliqua, de muliere paritura filium generis humani Redemtorem. Significat enim Isis seu Ischa virginem aut fœminam. *Isidis cultus, & Etymologia.*

Iouem pænè omnes gentes inter numina habuerunt, & præcipuis affecerunt honoribus, tanquam ceterorum principem. Conseruata est enim memoria vocis Iehoua, cum obscuro, de vno vero Deo, somnio, & post abolitam doctrinam, huic vno vero Deo addita sunt magna agmina commenticiorum numinum.

Nomen ἥρας, *Iunonis*, apud Græcos, haud scio, an non sit idem, cum vsitata Latinis voce Hera, id est, domina, quæ vtraq; Hebræam sapit originem, vnde & Er dicitur Hebræis, qui Latinis Magister ac dominus.

Iani nomen est à Iauan, qui pater fuit gentis I-

triusq; Græcæ & Latinæ. Et quæ suprà, de oraculis Iouis Hãmonis, ac Dodonæo, commemoraui, deq; Sibyllis, planè Hebræam originem referunt, & conuincunt, Ethnicas religiones, ex prima & antiquissima Patrum religione, sed ea deprauata, ortas esse.

Gigantum fabulæ origo.

Fabulam de Gigantibus, aggestione, & accumulatione montium, extructuris aditum ad cœlos, & Iouem inde deturbaturis, videtur peperisse mentio Gigantum, in Genesi, & historia, de impedita diuinitus ex ædificatione turris Babylonicæ. Et idem significat vox Titanes, quod Gigantes seu γηγενεῖς, *Terrigenæ*, T it enim terra est, seu humus.

Ita peruenerunt, ad Ethnicos, pauca quædam & nuda nomina, ex doctrina & historiis Patrum, eaq; & mutilata, & fabellis obscurata, & corrupta figmentis peregrinarum opinionum, & prorsus obruta superstitione: inde tamen manasse agnosci ac iudicari potest.

Ethnicorum nomina aucta gentium commixtionibus & regnorum mutationibus.

Auxerunt autem & commenticiorum idolorum numerum, & religionum deprauationem, regnorum mutationes, gentiumq; translatarum commixtiones, aut spontè nouas sedes, & noua regna quærentium migrationes.

Omni tempore enim, mutationes receptarum & vsitatarum religionum commouerunt Imperia, & Respublicas, & causas præbuerunt mutationibus. Cuius rei exempla sunt Regna Sarracenica, Persica, Turcica, occasione dissidiorum in religione, auulsa ab Imperio Romano, & ex his conflata atque constituta: aut vicissim, cum mutatis Imperiis, vel deductis coloniis, religionum innouationes inuectæ ex commixtionibus gentium inter sese, ac confusionibus, religionum perturbationes, ac confusiones natæ sunt mirificæ & tetræ, quas, veritatis ac lucis cœlestis obscurationem & abolitionem sequi, necesse fuit.

Ex religione populi Dei aliquid in suas religiones, iam antè vitiatas multipliciter, assumserunt circumsiti vndiq;, & proximi huic ἀπόγονοι, *posteri*, Ægyptij, Phœnices, Syri, Assyrij. Ab Ægyptiis & Phœnicibus plurima acceperunt Græci. A Græcis Romani: quæ nouorum colonorum aduentu importata, plantataq;, & propagata esse, non est dubium.

Quantum Græcæ superstitioni accessisse putamus, ex ea religione, quam, ex Ægypto allatam, vsurpauit Inachi posteri;

ſteritas, Danaorum, à Danao initiò, mox Perſidarum à Perſeo, tandem Heraclidarum ab Hercule celebrata appellationibus? Quantum ex ea, quam à Phœnicibus adduxit Cadmus?

Inachi filiam perhibent fuiſſe Ino, quæ appellatio Hebræis, ſeu fatum ſignificat, ſeu fortunam. Inachi nomen, ex Ino, & Achim compoſitum, fratres fortunæ, vel fortunam fratrum denotat. Ex Achim, natum eſt Achæorum nomen Achæi, id eſt, fratres: quod nomen vſurparunt, qui, ex Ægypto, coniuncto confertoq; agmine, profecti, ſicut Argonautæ, inuaſerunt Peloponneſum, dederuntque nomen parti, quæ vocata aſt *ἄργος*, *Argos*, ab Argo, quæ vox nauem ſignificat Hebræis, vnde Argiui dicti, quaſi nautæ, aut nauigiis aduecti.

Danai nomen iudicem ſignificat à Dan. Pelaſgos dictos volunt Græci, quaſi *πελάργυς*, *ciconias*, quòd vagati ſint Ciconiarum ritu & more. Sed, cùm vetuſtiſſima ſit appellatio, Hebræa origine, ex Palah deriuatã puto, vt ſignificet gentẽ, coloniarum deductionibus auulſam à reliquis, & diſperſam hinc inde; ac riuulorũ inſtar diſtributã: vt prorſus idẽ ſignificet Pelaſgus, quod ἄποικος, ſeu colonus, vel ἀπὸ τῦ πέλας ἄγεσθαι.

Eſt autem antiquitus Peloponneſus vocata Pelaſgia, & multò antè Apia, etiam, vt exiſtimo, ab Hebræa voce Abim quaſi futura ſedes patria poſteritatis propagandæ, ex ea gente, quæ aliunde aduecta terram occupauit. Et referunt Græci originem vetuſtiſſimorum colonorum ſuæ terræ in Ionas & Pelaſgos.

Athenienſes ſe Ionas eſſe iactitarunt καὶ αὐτόχθονας, *indigenas*. Reliquæ Græciæ incolas vetuſtos pleroſq; appellarunt Pelaſgos, quaſi ἀποίκυς, & colonos Ionum. Et ex Pelaſgis Arcades appellarunt, qui montana incoluerunt, quaſi inhabitatores montium ſeu montanos, appellatione facta ex Har & Kinen, vnde Ken nidum ſignificat.

Cadmum ex Phœnicia, in Græciam, multò pòſt appulſum Thebas condidiſſe, omnium conſtat conſenſu: Ibidem & poſteritas eius diu regnauit, vſq; ad Telemachum ſeptimum ab Oedipo, qui, collectis ex Thebana terra copiis, in Siciliam transfretauit. Quartus ab hoc Telemacho fuit in Sicilia Theron, cuius meminit, in ſecunda Oda Olympicorum Pindarus.

Filias Cadmi fuisse, narrant, Ino & Semelen. Ino, & supra dixi, fatum significat: Semele imaginem seu sculptile: Cadmus Orientalem seu aduenam ex oriente: Theba arcam, seu nauim, forma arcæ: Vnde Thebani dicti, quasi nautæ, aut nauigiis adducti.

Phœnicum colonia fuit & Carthago: Carthaginensium Byzantium. Carthago sic dicitur, quasi Cariatia, hoc est, ciuitas Dei. Byzantium, quasi emporium, à Bethzona, quod est domus Cauponæ. Infusæ sunt, in Græciam, & aliæ gentes Asiaticæ, ducibus Tantalo & Pelopida, à quo, Pelopidarum posteritas deriuata tenuit Argos vsque ad Heraclidarum reditum in Peloponnesum.

Latini à Græcis propagati.

A Græcis propagata traditur gens Latina. Horum enim coloniis, primò impletam esse scribunt terram, quam à situ Hesperiam vocarunt. Vetustissimi, in hac gente, celebrantur Oenotri, orti ex Arcadibus & Pelasgis, & Tyrrheni Ionum coloni. Ab Oenotris descenderunt Aborigines, peruetusti Italiæ cultores. Accesserunt ad hos, noui subinde coloni, vt qui, duce Euandro, ex Arcadia transierunt in Italiam, & post reditum Heraclidarum ex Heliaca: Itemq; ex Asia educti ab Ænea Dardani, ab Antenore Heneti.

Religionum varietas vnde nata.

Vt autem gentis, ita & religionis Latinæ origo fuit, ex Græca partim, partim ex peregrinis religionibus. Nam cum infusis nouis colonis, semper noui aliquid vsitatis ritibus, & vetustate roboratis accessit opinionibus. Idem omnibus gentibus accidit, extra populum Dei, quæ, de confluxu aut complicatione diuersarum gentium, aut translatione harum facta, aut irruptionibus bellicis, aut connubiorum contractione, tandem coierunt, ac velut coaluerunt in vnam gentem. Inde tanta religionum varietas, ac dissimilitudo: tantum opinionum, superstitionum, numinum, & cultuum Chaos extitit: quas, sine Dei verbo, & contra hoc, ex multiplicibus veteribus & nouis ritibus temerè consutas atque consarcinatas, non obscurum est, omnes à Deo vero, & illa Fidei Regula, quam doctrina cœlestis constituit, aberrasse.

Has comitata est obstinata animorum cæcitas. Hæc nouis subinde furoribus Diaboli accumulata, eò vsque inualuit, vt homines noua numina, & cultus nouos, eosq; portento-

tentosos prorsus, & abominandos, cumq; immanitate coniunctos condentem Dæmonem, ac turpissimarum ac fœdissimarum libidinum, aut demonstrantem occasiones, aut præcipientem commixtiones, cupidissimè ac religiosissimè audirent & sequerentur.

Neque dubium est, multa numina, de indicio Diaboli, suscepta, & rituum plurimorum leges, hoc dictante, exceptas esse, ac descriptas.

Pan qua occasione cultus Athenis.

Pausanias autor est, Pani apud Athenienses locum, inter numina Attica, & honores decretos fuisse diuinos, tali occasione, quòd, cùm nuncium Philippidem, ad Lacedæmonios, misissent, de Persarum in Atticam irruptione, his reuersus retulisset, Lacedæmonios minus maturè copias educturos esse, quòd religione impedirentur cum exercitu exire, antequam Luna orbem complesset: Sibi verò, ad Parthenium saltum, Pana obuiam factum, qui, se Atheniensibus, in pugna, ad Marathonem præstò futurum, sit pollicitus.

Sacrorum ratio à Numa Pompilio instituta.

Sic Romana monumenta Numam Pompilium referũt, de consilio & monitu Ægeriæ Nymphæ, totam διάταξιν τῶν ἱερουργιῶν, *rationem sacrorum*, distribuisse in classes octo, & totidem constituisse συμμορίας, *decurias seu classes*, sacerdotum, qui his rectè tractandis atq; administrandis præessent.

Prima classis sacra complectebatur κοινὰ, *communia*, seu πολιτικὰ, *politica*, pertinentia ad Curias singulas, quæ exercebant Curiones, φρατρίαρχοι ἢ λοχαγοὶ, *præfecti tribuum & quasi tribuni*, Græcis dicti. Secunda pertinebat ad Flamines seu στεφανηφόρους, *coronam ferentes*. Tertia, ad Tribunos Celerum. Quarta, ad Augures. Quinta, ad virgines Vestales. Sexta ad Salios. Septima, ad Feciales seu εἰρηνοδίκας. Octaua, ad Pontificem maximum.

Rhodiis conflictantibus, cum difficultatibus quibusdam, inexplicabilibus humanæ sapientiæ, & petentibus remedia à Dæmone Delphico, renunciatum est, tunc desituram calamitatem, si, Phrygum exemplo, placarent sacrificiis impurissimis Adonin, qui semetipsum, præ furiosi amoris impatientia euiscerarat. Oraculi verba sunt:

Ἄττιν ἱλάσκεσθε μέγαν θεὸν, ἁγνὸν Ἄδωνιν, Ὄλβιον.

Magnum Attin placate Deum, cum numine sancto,

Numine, Adoni, tuo, sancto simul atq; beato.

De Alexandro, in Asiam ituro, contra Persas sciscitantibus Amphyctionibus responsum est:

> Ζῆνα θεῶν ὕπατον καὶ ἀθλὴν ἂν τριτογένειαν,
> Τιμᾶτε βροτόεντ' ἐν σώματι κρυπτὸν ἄνακτα:
> ὃν γενέεσσιν ἀρίστοις Ζεὺς μὲν ἔσπειρεν ἀγαυὸν,
> Εὐνομίης θνητοῖσιν Ἀλέξανδρον βασιλῆα, *id est:*
> *Supremumq; Iouem, diuûm simul, atq; Mineruam,*
> *Corpore mortali velatum extollite regem;*
> *Quem, pater ille Deûm, præstantum stirpe parentum*
> *Seuit, Alexandrum, custodem iuris in orbe.*

Talia prodidit, cùm vt idololatricos cultus augeret Diabolus, tum vt adularetur Regibus.

Quid verò turpius fuit iis sacris, quæ Græci θεοφορήσεις, κορυβαντιασμοὺς, βακχείας, διαπαννυχισμοὺς, *numinis afflationes, Corybantum furores, bacchanalia, peruigilia,* in templis virorum cum mulieribus; Bacchanalia, & Lupercalia festa Romani, vocarunt?

Idololatriam libidines & alia scelera comitari.

Semper enim idololatriam, libidinum portentosæ confusiones, & omnis generis enormia scelera alia secuta sunt, sicut & Paulus testatur: Et, cum oppressa doctrina Euangelij, semper legis etiam diuinæ noticia & autoritas, vel obscurata elanguit, vel fracta proiectaq; concidit: vt sola semper Ecclesia Dei, legis noticiam illustrem habuerit, & explicatam, solaque vsum legis, rectè intellexerit atq; exercuerit.

Deniq; ita semper accidit, vt ab vna & perpetua doctrinæ norma, quam proponunt Lex Dei, & Euangelium, quicunq; discederent, ij protinus, & ab illo itinere, quo rectà ad Deum ducimur, depulsi deuiarent, & id, quo niteretur animus, amitterent, cumq; perpetuis conflictarentur dubitationibus, ne regerentur amplius voce legis diuinæ, sed incitati, à Diabolo ruerent, quò, excæcatæ mentis erroribus, & cupiditatum flammis, impellerentur.

Et sicut dicitur, ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος, συμβαίνει τὰ ἄλλα, *Dato vno inconuenienti, sequuntur plura*: sic mox, velut cum tempestate, omni tempore, horribilis caligo impiarum opinionum, ac superstitionis, & licentiæ, lucem veritatis obruit, cùm vel leuiter mutatæ religiones, à præscripto canone, semel degenerarunt.

Ethni-

Ethnicas autem religiones hoc modo, ex primorum Patrum, quam à Deo acceperunt, religione, initia sumsisse, & degenerasse paulatim, magis magisq; augescente superstitione, & longius à norma diuina recedentibus opinionibus hominum, minus mirum videbitur, si, eodem modo, ex Iudaica Sarracenicam, ex Apostolica Pontificiam, natas deriuatasque considerauerimus.

Pontificia religio quemodo irrepserit.

Nam, vt de sola Pontificia dicamus, si, ad doctrinam, ab Apostolis, & horum successoribus traditam, si, ad introductos ab his & vsurpatos ritus, si ad constitutam, ac canonibus descriptam, piarum Synodorum decretis, disciplinam primæ Ecclesiæ ab Apostolorum ætate, & sanctorum exercitiorum, quæ tunc viguerunt, consuetudinem, contulerimus initia, progressiones, & incrementa religionis Pontificiæ, dissimile nihil reperiemus.

Cœpit mutatio religionis Apostolicæ, à doctrinæ deprauatione, & quidem partis eius præcipuè de Filio Dei, quæ fidei nostræ fundamentum est, quo labefactato, labascere ac nutare; conuulso & euerso, ruere necesse est cetera omnia: mox contagio serpente, corruptio paulatim progressa, reliquas etiam corripuit & infecit partes eò vsq; donec, nouis & commenticiis opinionibus, totum compleretur & contaminaretur doctrinæ corpus.

Doctrinæ corruptionem comitata est rituum, ceremoniarum, ac totius *ἱερατικῆς τάξεως, καὶ εὐνομίας, ordinis sacerdotum & legum constitutionis*, & disciplinæ, ad abusum ac superstitionem, inclinatio, quæ, cùm semel inuecta, cœpisset agere radices, ac confirmari, non ita multò pòst deuentum est eò, vt, de traditionibus Apostolicis & Synodorum, sola ociosa rituum spectacula retinerentur: collaberetur verò & intercideret vsus, ad quem instituti erant, & iis quæ retinebantur, affingeretur noua superstitio, & admiscerentur autoritate, & arbitrio priuato, sine Dei mandato, noui alij atq; ineptiores ritus, aliqui etiam blasphemi in Deum, & impij.

Tandem, cæcitate aucta, processum est vlterius. Nam & noui atque idololatrici cultus, inuocationes Sanctorum, adorationes panis & statuarum, Missarum celebrationes, abusus creaturarum & verbi diuini, in consecrationibus, & plurima alia, prorsus Ethnico more, producta ac rece-

pta sunt, & addita est libidinum impunita licentia, idolomaniæ asſecla, & acceſſit atq; inualuit vſus artium Diabolicarum: Denique regnauit in profundiſſima caligine, ſuperſtitio, eodem pænè, quo apud Ethnicos ſepta inſtructaq; ſatellitio abuſuum, idololatriæ, flagitiorum, libidinum, pręſtigiarum Diabolicarum multiplicium.

Eccleſiæ ritus in recipiendis lapſis.

Fuerunt in Eccleſia olim ſpectacula, quibus recipiebantur lapſi. Stabant hi aliquot diebus extra locum Cœnæ, vt expoſiti oculis totius Eccleſiæ, ceteris exemplo eſſent, quo commonefacti, fierent diligentiores in precando, & regendis moribus. Hæc ſpectacula nominabantur ἐπιτίμια, & ſatisfactiones; & erant ritus ab hominibus, exempli cauſa, inſtituti, nihil pertinentes ad remiſſionem culpæ, & pœnæ æternæ, aut vllarum pœnarum, quibus Deus peccata hominum punit. Conſuetudo autem ſumta fuit à vetuſtis Patribus, cuius vmbram & Ethnici retinuerunt, qui homicidas in exilium eiectos volebant gerere ſigna reatus, vt gerit Oreſtes, item Adraſtus, quibus admonerentur homines, vitandum eſſe eorum conuictum.

Hos antiquos ritus, finxerunt Monachi, merita eſſe coram Deo: Et longa tela eſt mendaciorum: Dicunt culpam ita remitti, vt pœna æterna mutetur in pœnas Purgatorij ac pœnas Purgatorij compenſari his ritibus, quos nominant ſatisfactiones, & has redimi ſinunt pecunia, emtis, vt vocant, indulgentiis.

Ac, vt quæſtus eſſet maior ex ſacrificiis funebribus, dixerunt; oblationem Miſſarum longè præſtantiorem eſſe omnibus ſatisfactionibus. Hæc deliramenta horrenda ſunt cogitatu.

Lauandi conſuetudo, apud Ethnicos & Turcas vnde nata ſit.

Fuit conſuetudo vetuſtis Patribus, ante tractationem ſacrorum, abluere corpora; quam conſuetudinem conſeruarunt Iudæi, qui multum vtuntur lotionibus. Imitati Patres Ethnici vſurparunt eaſdem creberrimè, non tantùm ad eluendas corporum ſordes, ſed etiam, ad expiationes ſcelerum, & expurgationem inquinamentorum, ſi quæ corpori contaminato libidinibus, cædibus, rapinis, aut aliis ſimilibus, adhæſiſſent. Quibuſdam etiam ſola aſperſio aquæ inter Februa fuit.

Ritus expia-

Romæ olim ad portam Capenam, poſtea Appiam vocatam,

catam, aqua, quæ Mercurio sacra fuit, alij alios aspergebant vt, hac conspersione, abstergerentur & delerentur, ceu inustæ corporibus notæ deformitate flagitiorum, ac præcipuè periuriorum. Tali persuasione seu ablutione Peleus Patroclum absoluisse, & Acastus, expiasse Peleum à cæde fratris Phoci, & Ægeus Medeam, à cæde liberorum, traditur. Hoc ritu Orestem expiatum esse à cæde matris Clytæmnestræ, Pausanias refert in Corinthiacis. *tionum Ethnicarum.*

Denique piaculum & nefas esse ducebatur, aliquid sacri attrectare, nisi vel corpore lustrato, vel aquæ, ad vsus sacros comparatæ, effusione ceu consecrato. Sic Æneas apud Virgilium,

Ter socios pura circumluit vnda
Spargens rore leui.

Eridem, ceu multa cæde pollutus, ad patrem Anchisen inquit,

Tu genitor cape sacra manu, patriosq; Penates,
Me bello è tanto digressum & cæde madentem
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.

Idem mos lustrandorum corporum, Turcis in vsu est: hoc enim extergi luem peccatorum, & tolli labem omnem, persuasum habent, de propagata à maioribus & inueterata opinione. Ideo & lauationibus vtuntur creberrimis, & templa ingressuri sua, priusquam pedem inferant, aqua sese, quæ, in aditu amplo, vase ad hos vsus asseruatur, perluunt.

Ab hac Ethnica superstitione, quid differt vsus aquæ lustralis in templis Pontificiorum: qui eò magis vituperandus est, & condemnandus, quòd ab eo probatur atq; vsurpatur populo, qui Ecclesiæ titulum sibi vendicat: & vsurpatur non tantùm cum Ethnica & falsa persuasione, quasi à sordibus, & labe peccatorum corpora repurgata, præparet ad sacras & Deo placentes actiones: sed cum ritu etiam incantationum simili, tanquam virtus talis & efficacia, cum aqua ipsa, iniiciatur conspersis. *Aqua lustralis Pontificiorum*

Sed desino recitare profanationes, & abusus, qui in Pontificiis Ecclesiis dominantur. Hæc eò tantùm commemoraui, vt eodem modo semper, ex doctrinæ mutatione de

prauationes rituum, ex hac superstitiones multiplices, & abusus, ex superstitionum occasionibus noua idola, & nouos ritus contrarios Verbo Dei, ex omnibus his tandem *ἀδόκιμον νοῦν εἰς τὸ ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα, reprobam mentem ad faciendum ea, quæ non decet,* secutum esse, ostenderem. Doctrinæ verò mutationem, ingeniorum malorum ac distortorum peperit aut ambitio, aut petulantia, & Diaboli impulsus.

Sed redeo ad Sacrificia Ethnicorum, quæ de ritibus quibusdam, continua propagatione, ex sanctorum Patrum con suetudine, transsumtis, & aliquibus commenticiis, conflata fuisse, collatio ostendit.

Cúmq; his vterentur illi, sine Dei & promissionum noticia, immò, sine noticia numinum, ad quæ dirigebantur, neque intelligerent finem, cuius gratia ritus instituti erant: meminissent tamen, ex tenui & incerta fama, solitũ Deum, euidentibus testimoniis, aut probatis sacrificiis, annuere cœptis, aut auersatis illis, ac repudiatis, negare successus: necesse fuit, eos qualescunque ex hostiarum visceribus, aut aliorum fortuitorum euentuum subitis inuersionibus, coniecturas comminisci, ex quibus affectiones numinum erga sese æstimarent.

His coniecturis Diabolus blanditus est, & assensit, insolitarum apparitionum & *φασμάτων, spectrorum*, mirabiliter variatis ludis, ac præstigiis: Quales recensentur in Homerico carmine:

> Τοῖσιν δ' αὐτίκ' ἔπειτα θεοὶ τέρατα προὔφαινον,
> εἷρπον μὲν ῥινοὶ, κρέα δ' ἀμφ' ὀβελοῖς ἐμεμύκει
> Ὀπταλέα τε καὶ ὠμά: βοῶν δ' ὡς γίνετο φωνή: *id est,*
> *Protinus his superi portenta ostendere, pelles*
> *Serpere humi, verubus carnes mugire cruenta,*
> *Assatæq; boum qualis vox prata fatigat.*

Sacrificiorum Ethnicorum genera.

Ægyptiis sexcenta sexaginta sex genera sacrificiorum in vsu fuerunt. Romanis & Græcis non multò pauciora. Agonalia, Dapsa, Farreationes, *ἑκατόμβαι, hecatombæ,* hostiæ, Hyacinthia, Armilustra, Ianualia, Lucalia, Lupercalia, Nouendinalia, Nyctiluca, Palatialia, Pastillaria, Popularia, Broteruia, Solitaurilia, Stata, Rubigalia, Fontanalia, Ormia, Parentalia, Inferiæ, Consualia, Lampteria, Amburbia, Ambarualia, Vinalia, Orgia, Latialia, Dianæ, Taurica,

ea, Bacchanalia, Trieterica, Liberalia, Cocytia, Forticidia, Ordicalia, Lemuralia, Saturnalia, Cerealia, Adonia, Theonia, Laurentalia, Opalia, Palilia, Quirinalia, Vertumnalia, Quinquatria Diapalia, Diasia, Hormea, Nemea, Mytriaca, Palogygia, & plura alia: quibus ferè aut sola anima diis consecrabatur, quæ hostia animalis dicebatur, aut offerebatur victima, eo fine, vt inde, de illius numinis voluntate, coniecturæ fierent, cuius opera, ad rem aliquam perficiendam, opus erat.

Mactabant autem vt plurimùm oues, sues, capras, boues, gallinaceos, & anseres. Maiores victimas, inauratis cornibus producebant, minores coronatas.

Ex hœdis & agnis rectius deos consuli, futuraq; prænosci censebant, quòd mitiores essent, ideo diuinaturi ex ouium genere, aliquid cædebant, & mactationi semper adiungebant immolationes.

Romani mola salsa libabant, quæ, ex farre tosto, confractoq;, sale & aqua parabatur: sine his nulla fieri sacrificia rata, & vim sali peculiarem, ad placanda commouendaq; numina, inesse sentiebant. Idcirco peculiares, his conficiendis, dies festos destinarant, quos Fornicalia festa nuncupabant inde, quòd far in fornacibus torrerent. *Fornicalia.*

Illis diebus, si quis non sacra patrio ritu peregisset, is hāc intermissionem, Quirinalibus festis, peculiari sacrificio, luere & expiare cogebatur: hinc Quirinalia stultorum ferias cognominabant.

Græci hordei primitias, & placentas ex hordeo, sale conspersas libabant: eos, qui hordeum colligebant, κριθολόγυς appellabant.

Sacrificiorum ritus apud Romanos.

In sacrificiis diuinatoriis, Romani seruabant ritus. Cùm sacerdos victimam ad aram adduxisset, stans manu aram prehendebat, & preces fundebat. Principium precationis, à Iano, & Vesta fieri oportebat, quæ, in omnibus sacris, præcipua numina erant, &, in votis nuncupandis, compellationem primam meruerant inde, quòd, per eos aditus, ad ceteros patere opinio erat: & obseruabatur in ea precatione, vt Iupiter pater Opt. Max. omnesque dij ceteri, patres aduocarentur. Ne quid verò verborum præteriretur, aut præposterè recitaretur de scripto præire aliquem, rur-

ſusque alium cuſtodem dari, qui attenderet ſedulò alium, qui fauere linguis iuberet, & tibicinem canere, ne quid infauſtum exaudiretur, oportebat: quòd cùm Diræ obſtrepentes nocuiſſent, aut precatio erraſſet, repente extis capita adimi, vel corda, geminaríve, ſtante adhuc victima, compertum eſſet.

His peractis, ſacrum, ab immolatione, Sacerdos inchoabat.

Fruges, aut molam ſalſam, in caput victimæ deponebat, addito thure maſculo; vocabatur ritus ille immolatio, quaſi molæ in caput victimæ collocatio.

Deinde vinum aſpergebat: ſed, priuſquam id affunderet, ſcipulo, aut ſimpuuio ligneo vel fictili, admodum paruo, (quod, inter ſacra vaſa, cyatho non erat admodum abſimile) & ipſe leuiter delibabat, & aſtantibus guſtandum deferebat, vt pariter libarent. Vocabatur hic ritus libatio.

Quo facto, ſetas inter cornua victimæ, manu euulſas, tanquam prima libamina proiiciebat in ignem, conuerſusq; ad ortum, obliquum cultrum, à fronte victimæ, ad caudam ducebat; tandem victimam diis exhibitam & dedicatam iubebat iugulare miniſtros, qui, quòd mactarent eas, cultrarij & victimarij, à nonnullis popæ & agones vocabantur: reliqui partim, admotis vaſculis, emanantem cruorem excipiebant, partim victimam excoriabant & abluebant, partim ignem accendebant.

Vbi purgata erat, mox aruſpex, flamen, aut ſacerdos, cultro ferreo, viſcera rimabatur, attenteque explorabat, an perlitatum foret.

Erat is culter ferreus & oblongus, manubrio eburneo, clauis, æneis, ære Cyprio, & capulo argenteo ornatus: non enim manu licebat contrectare viſcera, ne qua offenſa pollutis ſacris intercideret.

Inſpectis tandem & exquiſitis ſingulis ex omni viſcere, & membro, miniſtri partes certas deciſas farina farris inuoluebant, & in calathis ſacrificanti offerebant. Sacerdos aris impoſitas, foculo incenſo comburebat, quod reddere erat, & litare.

Eum ignem ex olea, lauro, aut quercu corticis craſſioris, aut cuius caudex cauus fungoſusque eſſet, accendere, vel numi-

numinibus adolere, nefas erat: ſuſpecta enim erant ligna illa, tanquam diri & mali ominis.

Vbi, quod diis tributum erat, conflagraſſet, ad epulas ipſi & conuiuia conuertebantur. Inter veſcendum, diis laudes canebant, pedibusq; circum aras complodentes ad numeros pſallebant, & pulſatis cymbalis, choreas agebant.

Decantabant autem aliis diis alios hymnos. Dianæ Hypingos, Apollini Pæana, Dionyſio Dithyrambos, Cereri Iulos, Veneri ἐρωτικὰς, *amatorios*, hymnos. Græci præter hæc προσῴδια, *has cantilenas, quæ diis accinebantur*, accinebant *&* ὑπορχήματα, *carmina quæ ſaltantibus accinebantur*, & στάσιμα, *carmina ſtantis chori.* Veteres etiam tibias inflarunt, antiquo, vt opinor, maiorum more: ſed poſtea, ne tibiæ adhiberentur, legibus cautum fuit.

Græci de cæſa victima, capite & ventre retentis, cetera dabant diis, linguas præconibus.

Ritus ſacrificiorum apud Græcos & Aegyptios.

Ægyptij caput abſciſſum diris execrabantur, &, cum precatione ſolenni, deiiciebant in flumen, vt, ſi quid aduerſi eueniret, in illud caput redundaret.

Singulis diis ſuæ victimæ deputatæ apud Ethnicos.

Porrò ſuæ ſingulis diis victimæ etiam deputatæ erant: Superis albæ & impares, Inferis nigræ & pares mactabantur: Ioui prodigiali, thure, & mola ſalſa; Ioui Flamini, boue candido, litabatur: Neptuno, Apollini, & Marti, tauro, verre, & ariete: Heroibus tauro, capro, & ariete. Cereri primùm lacte, vino, & fauis, poſtea porca: Cybeli itidem Porca: Æſculapio capris & gallinis: Laribus gallo: Soli & Marti equo: Lunæ tauro: Iunoni agna: Veneri columba: Pani & Mineruæ capra: Dianæ cerua: Libero patri melle, vino, & lacte, interdum capro & hirco: Syluano porco: Fauno agna vel hœdo, &c.

Græci Romanos, & deorum numero, & ſacrificiorum ritibus, vicerunt quæ enumerare omnia longum eſſet, & ſuperuacuum. Præterea fuerunt vtriſq; communia multa. Nam, vt alia plura, ita & ritus Romani certorum ſacrorum, à Græcis ſunt mutuati, & vtriq; tandem redacti ſunt eò, vt, ad Diaboli iuſſa, humano litarint ſanguine.

Ex hac ſacrificiorum, in populo Dei, & Ethnicorum collatione patet, quæ Ethnici, vel ex Patrum prima religione retinuerint, vel à Iudæis acceperint, quæ aſſuerint aut intexuerint ipſi ex ſeſe genita.

Habuerunt vmbras veterum sacrificiorum obscuras, mutilas, confusas, & multipliciter deprauatas: hisq; (vt necesse fuit fieri, cùm non firma certaq; Dei cognitione niterentur, sed ex fictitiis penderent numinibus) significata affinxerunt, testificantia de affectu numinum erga sese, & euentibus consecuturis: eorum notationem, interpretationemq;, quæ solis incumbebat Sacerdotibus, *ἱεροσκοπίαν* & *ἱεροσκοπικὴν, οἰώνισμα, extispicinam*, nominarunt.

Differentiæ diuinationũ Ethnicarum ex sacrificijs.

Differentiæ eius tot erant, quot discrimina rerum, quæ adhibebantur sacrificiis. Nam aut hostias ipsas, priusquam iugularentur, considerabant: aut earum, postquam mactatæ essent atque dissectæ, exta: aut flammam, quæ ex incensis & ardentibus euolabat victimis: aut farinas, vel farinæ materiam, ex quibus liba pinsebantur, & molæ, aut thus, quod adolebatur: aut vina & aquas.

Ἱεροσκοπίαν, θυοσκοπικὴν, & θυτικὴν, *augurium extispicum, & diuinationem ex victimarum inspectione*, vocarunt nomine generis, quæ, in viuis adhuc victimis, dum producerentur, aut consisterent ad aras, & tractarentur sacrificantium manibus, obseruabat indicia & notas futurorum.

Omina in sacrificijs obseruata.

Mali ominis erat, si victima ductorem non sponte sequeretur, sed vi trahenda esset: vel si, ex ducentium manibus, sese proripuisset & profugisset: vel elapso ictum fefellisset: vel percussa, aut exiliisset altius, aut horridius exclamasset: aut non statim, & quidem placidè concidisset, vel, si semianimis prouoluta in terram, eandem pedibus calcitrasset importunius: vel difficulter expirasset: vel iugulata non copioso diffluxisset sanguine: vel si, inter iugulandum, triste aliquid infaustúmve oculis auribúsve occurrisset. Signa hęc offensi & alienati numinis, pœnasque minitantis, esse putabantur.

Contrà, læti ominis indicia, & fauentis Dei testimonia adferebat, cùm emissa ad aram spontè accelerarer, &, sine tumultu, ictum perferret, collapsaq; placidè, sineq; deformi strepitu, aut pedum complosione, animam exhalaret, & confossa tandem copiosum, spirantemque, & cum impetu stridoreque prorumpentem effunderet cruorem. Talem læti & cum gratulatione, acclamationéque excipiebant: ad alterius conspectum expauescebant, & animis consterna-

bantur: moxque, & trepidè suspectas aras adibant, ritusque absoluebant ceteros, & solicitè, qua ratione, offensum numen reconciliarent, deliberabant.

Diuersa erat ab hac, quam ἡπατοσκοπίαν Græci, Latini Extispicinam nominarunt, quod nomen & generi tribuerunt. In dissectis enim iam victimis, ex signis salubribus noxiisve, ex habitu coloreque extorum & fibrarum, defectu aliquarum particularum, in præcipuis organis, aut præter naturam, adnatis, collectisve, ex humorum affluxu, abscessibus, sumebat coniecturas, de euentuum conditione, &, in quam partem, numen, cui adornabatur sacrificium, inclinatum esset, ac propenderet.

Græci ἡπατοσκοπίαν, *diuinationem ex inspectione epatis*, ideo nominarunt, quòd, quanquam explorarent ea omnia, quæ viscerum nomine continentur, vt epar, lien, cor, renes, & cetera: iecur tamen vaticinij huius sedem & fontem esse, eoq; rectè constituto, & optimè temperato pro victimæ natura, læta promitti: vitiato aut mutilato, aduersa portendi opinarentur, siue refragarentur cetera, siue consentirent: & quòd inde initium considerationis fieri oportebat. *Victimis explorandis cur epar primò consideratū.*

Cuius causam, vel ex natura desumtam, vel ex Patrum historiis profectam, ratiocinor. Etenim, inter viscera, primò omnium formatur epar, ex sanguine menstruo, qui, ex prægnantium corpore, in matricem attrahitur, & fons est sanguinis: cumque valet vigetque, sanguinem gignit purum, naturæque conuenientem: de bono sanguine, bona fit, in ceteris partibus, nutritio, nec facilè temperies spirituum, in corde, & cerebro, ipsorumque membrorum inficitur aut læditur, si instauratur & fouetur benigno, exacteque temperato, & elaborato sanguine.

Ergo, si in fonte sanguinis nihil reperissent vitij, ratiocinabantur, reliquas partes omnes, integritate & puritate, epati congruere, vtpote quæ, nutrimento inde transmisso, reficerentur & alerentur, notisque ceteris certius & tutius fidebant.

Eligebant enim, Patrum exemplo, victimas integras & illibatas: contrà pollutis, morbidis, aut quacunque affectis labe, offendi & commoueri ad iram deos, constanter credebant.

Idcirco, priusquam adhiberent eas sacrificiis, diligenter contemplabantur, & pertentabant forinsecus, numquid, quod immundiciem argueret aliquam, vel labem interiorum, aduerterent.

Græci tauros farina, capros ciceribus, capras aqua frigida, explorabant.

Inchoata ergo extorum contemplatione à iecinore, si illud grata & natiua purpura ruberet, nullaque esset contaminatum labe: vel, si caput iecinoris auctum duplicatúmve, aut geminum iecur reperiretur: vel, si extremæ fibræ, versus interiora, replicatæ ac conuolutæ viserentur: hæc eximiæ felicitatis argumenta certissima dare, & magnas accessiones, potentiæ amplificationem, prolationem finium, triumphos, summa dignitatum fastigia, designare augurabantur.

Constitutis etiam, in epate, geminis capitibus, vnum hosti, alterum illi, in cuius gratiam instituebatur diuinatio, destinabant: alterutrum eorum, si, vel corrugatum emarcuisset, vel colorem habitumque suum, quouis modo, mutasset, ruinam aut inclinationem, aduersaque omnia minitari: si velut inflatum atque distentum intumuisset, & florido enituisset colore, motuque alacri & continuo micasset, victoriam certam spondere, & successus felicissimos illi putabatur, cuius nomine cædebatur. Lucanus, exta Cæsarem victorem renunciasse, contra Pompeium, annotauit:

Quodq; nefas nullis impune apparuit extis,
Ecce videt capiti fibrarum increscere molem,
Alterius capitis pars ægra & marcida pendet,
Pars micat, & celeri venas mouet improba pulsu.

Si verò, aut obsitum vlceribus pustulísve, aut liuore deforme, aut duritie contractum corrugatúmve abscessibus, aut humoribus vitiosis imbutum esse, atque obstructum: vel, si in sua non conspiceretur sede, sed aut à præcordiis auulsum subsedisset, aut, permutatis sedibus, lienis locum occupasset, illo in dextram regionem translato, aut procidisset in anteriora: vel, si contabuisset, aut alioquin gracilius iusto aridiusq; appareret: vel, si totum defuisset, aut solo caruisset capite: deniq; si, inter coquēdum, purulenta inquinaretur sanie, aut ad eum exaresceret modum, vt inter exta

non

non emineret, aut colliquatum dissolueretur in pultem: hæc piacularia esse funestaq; adeò persuasum erat, vt secus accidere, atq; ab his demonstratũ erat, nihil posse affirmaretur.

Anno vrbis 636, Catoni Consuli immolanti exta emarcuerunt, & caput iecinoris euanuit. Caio principi, & M. Marcello iecur subitò extabuisse, annotatum est. Lucilio Lupo inter exta caput iecinoris non inuentum est. Quare prælio periisse existimatus est.

A iecinore Cor inspiciebant: id si palpitaret, aut exiliret, aut flaccesceret, aut minus iusto appareret, aut omni destitueretur pinguedine, aut coiuisset in rugas, aut, inter exta, omnino non viseretur, exitij, diræque, atq; infestæ fortunæ omina præbebat. Nam & Iulio Cæsari, quo die, purpurea veste, processit, & à coniuratis interfectus est, cor bis in opimis bobus defecit, & Caio Mario Vticæ immolanti. *Cordis consideratio in Extispicina.*

Pertinaci Cæsari vtriusque visceris, epatis & cordis defectus, in ea, quam ante mortem mactari iussit, victima, interitum portendit.

In ara Veneris Paphiæ, vbi, puro igne & precibus altaria adolebantur, certissima semper fibris hœdorum fides est habita. Adiisse hanc & consuluisse Titum Vespasianum Filium prodidit Cornelius Tacitus, qui & templi & scientiæ artisque haruspicum eo in loco originem refert.

Si verò, aut solito grandius, aut spissum, glabrumque, & humectum, nec flaccidum, nec, ex ariditate, in plicas rugasque contractum cor inueniretur, aut si in summa basi, largiore pinguedine, vestitum foret, aut abriperetur ab aquila, propicios hæc deos & cœptis annuentes, flatusq; secundos aspiraturos, confirmabant.

Corde explorato, ad fellis, lienis, pulmonum, & membranarum viscera ambientium considerationem se vertebant. *Viscerum minus principalium consideratio.*

Si κύστιν χοληδόχον, *vesiculam fellis*, geminam, qualem Augusto exhibitam ferunt, eo die, quo Antonium profligauit ad Actium, aut copiosa bile turgentem atque effluentem notassent, acria & felicia prælia expectabant.

Si suo loco positum lienem, sine pustulis, duritie, corrugatione, sineque alieno colore, conspexissent, felicia propositæ rei ominabantur.

Si contrà in dextrum lien vergeret, aut antrorsum propenderet,

penderet, aut reperet deorsum, aut notas alienas, à natura sua, haberet: Si exta, ex sacrificantium manibus, decidissent: Si viscera, aut cruore fœdius aspersa, aut liuido fœdata colore, aut macula variata forent: Si peritonæum ruptum alicubi hiaret, aut sanguine suffusum esset: Si phlyctænis & ampullis, pure aut salsilagine refertis scaterent intestina, aut lacerata essent intus, vel rupta ac diuulsa: Si dracones inter exta serperent: Si fœterent viscera, aut putrilaginem redolerent: fatalium hæc & iam imminentium maiorum indicia erant, quæ, pro conditione earum rerum, de quibus victimæ consulebantur, vates interpretabantur.

Pulmones bifidi incisique moras adferebant rebus, & cunctationes: simplices & solidi, mora rupta continuabant rerum curricula, & executionem maturabant.

Sacrificia ἄσημα, quibus nulla inerant signa, Muta: quæ conspicuas & illustres notas exhibebant, Arguta: quæ multum fortunæ & felicitatis pollicebantur, Regalia Romani vocabant. Et tanti faciebant has diuinationes, vt & libris describi rationem consulendi, eosque, instar oraculorum, custodiri publicè, & in ea disciplina, suos exerceri à teneris curarint liberos, nihilque mouerint aut cœperint, nisi sacrificiis diligenter perlustratis & examinatis. Affici enim victimas, notisque monitricibus euentorum subitò ceu consignari ab iis numinibus, quæ adessent coràm vocata, & ritus spectarent, persuasissimum habebant.

Πυρομαντεία.

Πυροσκοπία & πυρομαντεία, ex incensarum & iam ardentium victimarum flammis, de euentibus coniecturas capiebat.

Ignis cultus idololatricus apud Ethnicos.

Præcipua autem fuit, apud omnes gentes, ratio & reuerentia ignis. Insederat enim, in animis hominum, illa, quæ, inde vsque à Patribus, manarat opinio, de inflammatis cœlitus victimis: quod ita intelligebant, vt Deum ipsum, flammea specie, ex alto delapsum, victimas deuorasse crederent.

Inde, & numen flammis illis condi tegique, & cum rapidissimo motu in sublime tenderet, abripi eo ab aris victimas, transferrique in cœlum, neque, in vlla sacrificiorum parte, clariora certioraque, de numinis affectu, testimonia conspici, statuebant firmiter. Quare, nec quouis igne adoleturi

leturi sacrificia vtebantur, sed eo tantùm, quem ex fomite, à radiis solaribus incenso propagatum, lignis appositis, perpetuò, in peculiaribus templis, magna religione, fouebant & conseruabant, ita vt neque extingui eum sinerent, neque vsurpari aliò, nisi ad solas victimas, & vt pollutum expiarent.

Romani custodiebant eum ignem, tanquam arcanum & cœleste depositum, per virgines Vestales seu ἑστιάδας, conditum in penetralibus sacris, & velut sanctiore recessu templi Vestæ, cum Palladio, & Diis Penatibus, Troia aduectis: quò nulli hominum, nisi Vestalibus & Pontifici, vt ἱεροφάντῃ καὶ ἱεροφύλακι, *sacrorum antistiti & custodi*, adire fas erat.

Templum ipsum hodie adhuc forma circulari rotundum, in valle, quæ Palatino & Capitolino interiacet, visitur, notum nomine S. Mariæ de Gratia. Id interdiu ingredi vetabatur nemo: sub noctem eò accedere, masculo non licebat, fœmellæ fas erat: Neque effigiem in eo aliquam, nec simulacrum collocabant vllum. Vestam enim, diuinum ignem credebant esse, vt, velut per somnium, à maioribus acceperant, qualem, in tabernaculo Domini, sacerdotes Israelitici nutriebant. *Templum Vestæ Romanum.*

Et Vestæ nomen Latinis, τῆς ἑστίας Græcis, quorum vna est origo, & forma eadem, nihil significant, Latinorum vel Græcorum lingua. Hebræa est vtraque vox, & quidem ex Eschia composita, quod ignem Dei significat. Ex quo satis apparet, à Patribus, hanc consuetudinem defluxisse, & remansisse inter Ethnicos, cum tenui vmbra deprauatorum rituum. Videtur & Ascanij nomen aliud significare nihil quàm sacri ignis custodem & Sacerdotem, ab Esch Kohen. *Vestæ Etymologia.* *Ascanij Etymologia.*

Collegium Vestalium, à Numa Pompilio, institutum principiò, & quatuor tantùm virgines solenniter initiatas, quarum nomina feruntur fuisse, Gegamia, Beremia, Camilia, & Torpeia: lapsis inde temporibus, cùm in sex partes populus diuisus esset, quò ciuium partibus Vestalium numerus responderet, duas additas, Dionysius author est: Ἑστιάδες παρθένοι ὑπὸ Νουμᾶ καθιερωθεῖσαι δ' τὸν ἀριθμὸν, αἷς ὕστερον δύο προσετέθησαν καὶ γενόμεναι διέμειναν. id est, *Virgines Vestales numero quatuor, à Numa sacris initiatæ: quibus deinceps duæ adiecerunt, quæ factæ permanserunt.* *Vestalium virginum collegium.*

Aucto

Aucto tandem & propagato imperio, creuit numerus ad vicenarium, quarum, quæ præsidebat, dicebatur Maxima.

Vestalium virginum electio & disciplina.

Cooptabantur in hunc ordinem, arbitrio decretoque Pontificis Max. delectæ ex ingenuis & libero patre genitis, quarum integritas erat summa, pudor incorruptus, virtus perspectissima: inuitæ verò ac detrectantes etiam cogebantur. Si qua mortem oppetierat, in eius locum surrogabatur alia, quam nec minorem sex, nec maiorem decem annis, nec patrimam aut matrimam esse, nec oris aut sensuum vitio aliquo laborare, nec patre, qui tres pluresve suscepisset filios, nec matre, quæ diuortium fecisset, procreatam esse oportebat.

Admissæ ad sacerdotium, sacrum ignem fictilibus vasculis inclusum, repositumque in abditissimis penetralibus Vestæ, subdito, cum opus esset, alimento, tuebantur & asseruabant, eamque curam & custodiam per vices agebant.

Si quando extinctus foret, id inter maxima prodigia habitum, & anxia solicitudine, expiatum fuit: nec minus negotia omnia cessabant, & intermittebantur, illo non procurato, aut diis non propiciatis, quàm si dira aut tetra prodigia nunciata essent.

Ea verò virgo, cuius incuria defecisset ignis, à Pontifice Maximo in conclaui abdito, locoque penitus abstruso, lineo velo obtento, flagris cædebatur.

Extinctus reparabatur, vase æneo pellucido, trium angulorum, ad Solis iubar exposito detentoque eò vsque, donec radiorum repercussu, vibratuque, & collectione, calore aucto, aridus fomes, ex aduerso collocatus, ignem inde conciperet.

Initiatas triginta annorum castitatem spondere & præstare oportebat: quos ita partiebantur, vt primo decennio, quæ, de cultu, & ceremoniis, ritibusque sacrorum libris descripta erant, ediscerent: altero, quæ didicissent, opere complerent: tertiò alias, eadem disciplina, cui ipsæ assuerant, instituerent & exercerent.

Conuictæ & dãnatæ incestus, stata die, sub effossa humo, ad portã Collatinam, in loco, cui scelerato nomen erat, viuæ defodiebantur: Stuprator in comitio cædebatur ad necem.

In imo foueæ subterraneæ, quo scalis descensus patebat, reposita erant, lectulus, lucerna ardens, panis, lac, aqua, & olei modicum. Virginem damnatam, cum demtis vittis è vertice, cultu miserabili, maximo omnium horrore, eò Pontifex feretro perduxisset, solutam vinculis, solenne præfatus carmen, ad ostium foueæ constituebat, cumq; descendisset, illo auerso, mox, scalis sublatis, ceteri, aggesta desuper humo, viuam obruebant. Illa die tanquam lugubri & ominosa, iusticio indicto, nihil publicè geri licebat.

Si quando Vestales sacra diis libarent, aut Vestæ rem diuinam facerent, vittis incedebant redimitæ albis, prætextu oblongo & quadrangulo desuper imposito, fibulaq; subnexo, & albo indutæ vestimento, cui suffibulum nomen erat: & mola saleque tuso in fictilem ollam missis, aqua mox iniecta, sacra faciebant.

Desectum capillitium perire atterive non sinebant: sed in Lotum arborem conspicuæ magnitudinis, quæ in Lucinæ ara colebatur, tanquam sacro sanctum deponebant, quæ inde capillata dicta est.

Tantus est habitus huic ordini honos, vt & aduersus eas, aut iussa & decreta earum, nulli Magistratui intercedere liceret: &, si qua dissidia incidissent, vel offensæ, aut seditiones exortæ fuissent, Vestalibus intercedentibus & deprecantibus componerentur, & pacis fœdera inirentur: idque ideo, quòd æterni & sacri ignis custodes essent, & conseruatrices.

Persæ etiam, Assyrij, Chaldæi, & Medi, ignem perennem ac peruigilem aluerunt, cui, ceu Deorum maximo, hostias mactare, & solennia festa, statis diebus, regio apparatu, & sumtibus magnificis celebrare, atque, ex illo euenta rerum ediscere atque interpretari, assuerant. *Persarum & aliarum gentium, in colendo igne superstitio.*

Persæ suum ignem, quem vel patria, vel, vt potius reor, Hebræa, sed deprauata voce, Orimasda vocabant, annuatim certis diebus festis, candido impositum equo, tanquam numen, circumducebant. Cum pompa maxima, sequebatur equum Rex Persicus: hunc regni proceres, & maxima populi multitudo comitabatur, vt Xenophon annotauit.

Græci in Delphico templo, perpetuum fouebant ignem: cuius custodia mulieribus matrimonio solutis demandabatur.

Attici in templo Mineruæ Poliadis, vnà cum Palladio, lychnum inextincti luminis, virginibus custodiebant.

Seraphim Aegyptiorum numen.

Neque Ægyptiorum numen, quod appellatione Seraphim celebrabatur, aliud quicquam significabat, quàm eundem ignem, quem perennem esse volebant, instituto maiorum. Seraphim enim, flammeum quiddam est, vel ignitum, vel lucidum, à Saraph verbo: Etsi quidam, sed falsò, deducunt à Saraphaim, id est, facies bouis, quod Apis Ægyptiorum, bouis specie, describatur.

Ignis significata in sacrificiis.

In sacrificiis igitur, si admota flamma victimas statim corriperet, & diffusa repente totas occuparet, ac consumeret: Si tranquilla, pura, perspicua, & nitida, nullis infecta coloribus alienis, vt nigro rutilóve, aut pallido; nec permixta, vel sordibus, vel caligine, fumisve; sineque strepitu, & sine egestione atque eiaculatione fauillarum turbulenta, & crepitante, recto ductu, turbinatæ pyramidis instar, attolleretur & insurgeret: sique, non nisi tota victima depasta atque exusta moreretur: placidè numen hostiam acceptare ac complecti, annuereq;, quæ requirebantur, coniiciebant.

Si contrà, multo vix excitari flatu posset, &, cùm exarsisset, non coiret, sed finderetur, atque in hiatum dehisceret, nec in totam subitò spargeretur ac penetraret victimam, sed viciniora sensim, velut serpens, lamberet atque vstularet: nec, recto ductu, niteretur sursum, sed in vertigines gyrosque conuoluta, atram secum & densam eueheret caliginé, aut reperet deorsum, aut dilaberetur ad latera, aut aliena nasceretur specie: sique aut ventis disploderetur, aut restingueretur pluuiis, aut insolitum crepitaret, & circumquaq; multum eructaret ardentium fauillarum: aut si palleret plus nimio, vel nigricaret, aut euanesceret sponte, priusquam tota conflagrasset victima, aut si intactæ aliquæ partes remanerent, & integræ: læsi infestique numinis, & sacrificium respuentis, omen esse suspicabantur.

Cognata huic erat *καπνομαντεία, diuinatio è fumo victimarum*, quæ notabat & scrutabatur fumos, quas vertigines facerent, quantumque se attollerent, & quo motu, recto ne an

an obliquo, vel in orbes contorto, aut complicato, agglomeratione quadam in tortiles ſpiras, & quo redolerent nidore, alienóne, an eo, qui ex carnibus vſtis effumarat.

Meminit τῆς πυροσκοπίας, *diuinationis ex flammis victimarum*, Statius:

Vincatur pietas, pone eia altaria virgo,
Quæramus ſuperos: facit illa, acieq́; ſagaci
Sanguineos flammarum apices, genitumq́; per auras
Ignem, & clara tamen mediæ faſtigia lucis
Orta docet, tunc in ſpeciem ſerpentis inanem
Ancipiti gyro volui, frangiq́; rubore.

Sed vtramq; variè exercuerunt, non tantùm ſacrificiorũ ignibus obſeruatis, ſed alias aliter, &, ex alia materia, ſtructis flammis. Non paucis vtraq; adhuc hodie in vſu eſt.

Πυρομαντείαν, *diuinationem ex flamma*, factitant, pice, quæ ex tædis colligitur, comminuta in puluerem, & hoc in ignẽ coniecto. Quod ſi exardeſcens inde flamma coit, nec diſpergitur, fauſta: ſi diuiditur, aut diſſilit, infauſta deſignare creditur. Sic pugnantem, diductum in diuerſa, procumbentem in focum, crepitantem, ægris malum: euaneſcentem iiſdem mortem minitari: immò & ſimulacra formari, eruptione agitationeq; lucentis flammæ, ſed non conſpici, niſi ab impollutis, falsò perſuadet credulis Pyromantũ genus.

Καπνομαντείαν, *vaticinationem ex fumo*, inſtituunt granulis papaueris, aut ſeſami, proiectis in cãdentes prunas, & fumo, qui inde naſcitur, obſeruato. Sed has præſtigias omitto.

Λιβανομαντεία, *ex thure diuinatio*, ex incenſo thure, diuinabat. Si ignis mox illud arreptum diſſolutúmque verteret in fumum, & ſuffitum cieret gratum, læta: Si refugeret, aut odorem exprimeret inde fœdum, & à natura thuris diuerſum, abominanda oſtendi putabantur.

Meminit loci cuiuſdam Dion, in hiſtoria Romana, quem Nymphæum appellat, in quo, hoc modo, ex ſuffito thure, præſcita de omnibus rebus petita fuerunt, prǽterquàm de morte & coniugio.

Οἰνομαντεία, *ex vino diuinatio*, ex vini conſecrati ad libationes; ὑδρομαντεία, *ex aqua diuinatio*, ex ſacræ aquæ, qua abluebantur & decoquebantur victimæ, coloribus, ſapore, motu, ſtrepitu, ſubitis mutationibus, argumenta euen-

tuum colligebat. Vtriusque meminit Virgilius in historia Didonis:

Vidit thuricremis cùm dona imponeret aris,
(Horrendum dictu) latices nigrescere sacros,
Fusaq; in obscœnum se vertere vina cruorem.

Κριθομαντεία & ἀλευρομαντεία, *ex hordeo & ex farina diuinatio*, molas & libamenta, & præcipuè materiam eorum, vt hordeum, far, & inde confectas farinas, quibus victimæ conspergebantur, scrutabantur, & expendebant.

Est, inter hæc genera, & quoddam ᾠοθυτικὸν seu ᾠοσκοπικὸν, *ex ouorum inspectione diuinans*, dictum, à contemplatione & interpretatione signorum in ouis apparentium, de quo Orpheum commentatum Suidas refert.

Ἰχθυομαντεία, *ex piscibus diuinatio*, ex dissectorum piscium extis vaticinabatur. Hac Tiresiam vatem Thebanum, & Polydamantem vsos ferunt.

Fontes Lyciæ miraculosi.

Inter Myram, & Phellum, Lyciæ oppida, iuxta vicum Syrrhum, fons fuit plenus piscium: ex quorum forma, natura, motu, ciboque, oracula promere incolis, in more fuit.

Diuinatio ex piscibus in fossa Lycia.

Apud eosdem Lycios, in Apollinis luco, non procul à mari, arida memoratur fossa, Dina nomine: in eam consulturus pisces, vtraq; manu, decem frusta assatarum carnium verubus affixa demittebat, addebatque preces: quibus absolutis, fossa, quæ alioquin arida erat, mox aquis ab imo affatim scaturientibus, & piscibus omnis generis, variarumque formarum, maximè autem orphis & glaucis, implebatur: hi sacerdotibus indicia futurorum suppeditabant.

Nec procul ab hac fossa, ad Myras Lyciæ, in fonte Apollinis, quem Curium appellant, pisces ter fistula euocati conueniebant, qui si diripiebant obiectas escas, lætum erat consultantibus: si caudis abigebant, dirum.

Hierapoli Lyciæ, in lacu Veneris, pisces æditorum parebant vocibus, prodibant, ac velut sese sistebant vocati, exornabantur auro, scalpebantur adulantium manibus, & in ora hiantia, admittebant insertas manus.

Mactationes hominum.

Mactationes hominum peruetustæ sunt. Nam & ante Troiana tempora, & non à solis Ethnicis, sed & populo Dei, humano sanguine litatum constat, in quo, qui filios filiasq; exurerent, in valle Gehennon, in gratiam & cultum Idoli Moloch, fuerunt plurimi.

Agame-

Agamemnon Iphigeniam filiam mactauit in Aulide: Et exempla similia leguntur passim in historiis. Teucer Ioui hostiam humanam immolauit, apud Salaminem Cypri, & hunc sacrificandi morem posteris tradidit, quem Hadrianus Imperator tandem sustulit. In Latio Saturnus, eodem sacrificij genere cultus est, non quidem, vt homo ad aram immolaretur, sed vt in Tyberim, de ponte Miluio, mitteretur. Quod, ex responso quodam, factitatum esse Varro author est, cuius postremus versus talis est:

Καὶ κεφαλὰς κρονίδῃ καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα. id est,
Et capita Saturnio, & patri mittite lumina.

Quod quia videretur ambiguum, & fax illi & homo iaci solitus est. Verum hoc sacrificij genus, ab Hercule, ex Hispania reuerso, dicitur esse abrogatum, ritu permanente, vt pro veris hominibus, iacerentur imagines ex scirpo. Carthaginenses, victi ab Agathocle Rege Siculo, cùm iratum sibi Deum putarent, vt diligentius piaculum soluerent, ducentos nobilium filios ad aras ceciderunt.

Sed *ἀνθρωπομαντείαν*, id est, captationem, præsensionemque, & coniectionem futurorum, ex mactatorũ hominum visceribus, primùm exercuisse accepimus Heliogabalum, portentum generis humani sceleratissimum & inquinatissimum, qui paulò pòst huius abominandæ impietatis pœnas dedit, quando crudeliter interfectus, & in latrinam coniectus, inter excrementa fœdè computruit. *Heliogabalus author Anthropomantiæ.*

Heliogabalum imitatus est Iulianus Apostata, qui cùm priuatus Christianismum profiteretur, postquam imperium adeptus esset, religione mutata cum conditione, totum sese Ethnicis sacris, & Dæmonum detestandis inuocationibus addixit ac deuouit, sacro Baptismate abluto cæsarum victimarum sanguine, & hoc ritu semetipso resecto, à societate Ecclesiæ Filij Dei. Omnem hic, ex inspectione extorum diuinandi rationem, ab Ethnicis vsurpatam & tractatam, renouauit, assumtis, ad eam considerationem, victimis humanis. Multa, post interitum ipsius, cadauera iugulatorum, ad inspectionem hominum, reperta sunt, in cistis, puteis, & locis secretioribus aulæ Antiochenæ. *Iuliani apostata impietas abominanda.*

Carris in peculiari templo, quod, aditu omni præcluso, foribusq;, obicum appositu, obseratis, accuratè munierat,

celebrari, solenni ritu, sectiones ad rimatorum viscerum contemplationem, fuit solitus, in quo & recens dissectæ mulieris corpus, capillis ex alto suspensum, mox ab interitu repertum fuit, quod, de euentu susceptæ expeditionis, scrutatus erat.

Reuixerant Diaboli præstigiæ passim, in orbe Christiano, huius opera & authoritate restitutæ: & magna confluxerat colluuies Pseudophilosophorum, ad disciplinæ vatidicæ professionem, tractationemque, & vsum, cùm in alias vrbes, tum verò Athenas maximè, & Alexandriam, qui masculos & fœmellas, impuberes atque incorruptos, ad aras Idolorum Ethnicorum mactarunt, & carnes etiam horum degustarunt.

Sed has Deus blasphemiæ vindex, cum instauratore ipso mox, priusquam denuò, vel noticia illarum aliqua inoleuisset, vel peruulgatus esset vsus, compressas prorsus, ex hominum memoria, sustulit, ita, vt post Iulianum non repullularint vnquam.

Videtur flagitasse mactationes hominum Diabolus, cùm quia delectatur cædibus, tum, vt illuderet Filio Dei, qui indutus humana natura, sese litaturus erat Deo Patri, de arcano decreto diuinitatis, pro peccatis generis humani.

Atq; vt concludam hunc locum, totum hoc diuinationis genus, quod *θυοσκοπικὸν, extispicium*, vocari dixi, cùm sit cōmentum hominum, ignorantium verum & verbo patefactum Deum, & abducentium animos ad cultus Idololatricos, & indagationem voluntatis diuinæ impiam, falsam, & toto cœlo aberrantem, ex signis, vel à Diabolo præfixis, vel sine mandato, priuata authoritate, confictis: prohibetur, primo Decalogi præcepto: Non habebis Deos alienos coram me, & ad Diabolica pertinet vaticinia.

Etsi enim ad ea, quæ sua voce mandauit, sacrificia; quæque fide ad ipsum directa fiebant, miracula Deus, de doctrina testificantia, primis Patribus exhibuit: tamen Idolorum in Ethnicis sacrificiis cultus, & sanctorum rituum blasphemam ac horrendam profanationem, detestatum eum ardentissimo odio, & seuerissimè vltum esse, certum est, cùm ex immota regula, Non Deus volens iniquitatem tu es; tū ex omnium seculorum historiis. Quare, quicquid ibi nouum

uum insolitumque apparuit, vt si quæ abfuerunt partes, vel redundarunt, vel permutatis sedibus locatæ, aut labe affectæ fuerunt: id omne à Diabolo perfectum, ipso immolationis tempore, seu verè amotis, quæ interierant, seu impostura fascinatis oculis, minimè dubitemus.

Vnde enim tam subita extorum mutatio euenit, in ipsa immolatione, vt aut abesset aliquid, aut superesset? Vnde decessio capitis aut recessio? Vnde, si caput fuit in iecore, cor in extis, mox euanuit, simul ac molam & vinum vates insperserat? Denique, qua se vi exta, ad immolantis fortunã accommodarunt, vt in alium se mox habitum coloremq; conuerterent, pecudis iecur nitidum & plenum, horridum mox, marcidum & exile fieret? Etenim viuis victimis defuisse aliquid, cor præsertim, affirmari nequit: non enim vixisset illa, fonte vitæ destituta. Nec labes insignes occuluissent interiorũ viscerum, si à morbo contacta aliquo, exilia, exigua, & vieta habuisset. Affectas autem victimas immolationi non adhibuissent, cùm, magno studio, integerrimas exquirerent ac diligerent. Aut, si caruisse largiamur viuas victimas visceribus, cur excordes potius, aut iecinora habentes *ἀκέφαλα, capite carentia*, alius, (quibus nihil fuit magis dirum,) alius mox impollutas & integras, ex eodem delegit numero? nisi etiam peculiaris inerat hostiis diligendis vis: siquidem non raro primam infausto, proximam pulcerrimè litatam fuisse constat.

Ergo aut aliquis id abripuit, quòd subitò interiit ex oculis, iniecitve, quod nusquam visum antea mox apparuit: aut naturæ vis aliqua illud confecit atque exedit, hoc progenuit. Si naturæ hoc tribuimus, erit aliquid, quod aut ex nihilo oriatur, aut in nihilum subitò occidat, contra perpetuum naturæ cursum. Id verò, cùm experientiæ refragetur, & alienum sit à ratione, vt amouerit, quod euanuit, subiecerit, quod accessit, aut superfuit, necesse est, non natura, sed alia quæpiam causa liberè agens, & occulta. Talis est causa, Deus ipse, Deíve ministri Angeli sancti, aut Dæmones. Auersatus est & condemnauit sacrificia Ethnica Deus, totumque illum idololatricum cultum. Solius ergo Diaboli ludibria statuamus fuisse, quæcunque acciderunt ad litationes Ethnicas.

Tages author Extispicinæ & Aruspicinæ.

Huius disciplinæ & Aruspicinæ authorem Hetrusci, proscissione terræ exaratum, celebrarunt puerum, nomine Tagen, qui, vt ex Hetruscorum libris Cicero commemorat, cùm terra araretur, & sulcus altius impressus esset, repentè extitit, puerili specie, sed senili prudentia, & eum affatus est, qui arabat. Ad huius conspectum, cùm obstupuisset bubulcus, clamoremq́ue maiorem, cum admiratione, edidisset, concursus est factus, totaq́; breui tempore in eum locum Hetruria conuenit. Tum plura ille est locutus, multis audientibus, qui omnia eius verba exceperunt, literisq́ue mandarunt. Omnis autem oratio fuit ea, qua aruspicinæ doctrina continetur. Talibus authoribus editæ & promulgatæ sunt religiones Ethnicorum: talibus clam inoleuerunt occasionibus, vt, quando cœperint, non constet. Nec dubium est, (si vera est fabula) hunc ipsum Tagen Dæmonem fuisse, tali habitu corporis circumdatum. Meminit huius & Lucanus:

Et fibris sit nulla fides, sed conditor artis
Finxerit ista Tages.

DE AVGVRIIS ET ARVSPICINA.

GRAECI ὄρνιν, & οἰωνὸν, & οἰωνισμὸν, vt Latini augurium, generatim vocarunt quódvis omen, ἢ πᾶν σύμβολον ἐφεκτικὸν ἢ προτρεπτικὸν, *aut quod vis signum cohibens nos, aut incitans ad faciendum aliquid*, quòd vel subitò & ex improuiso, aut in corporibus nostris perciperetur, aut intra ædes, vel extra domos, in itineribus obiiceretur, cuiuscunque esset generis: vel, ritu aliquo solenni ratoq́ue prænotatum, cœli regionibus circumspectis, ex auibus peteretur, moneretq́ue de ignotis & futuris, quæ ars & disciplina coniectorum atque interpretum signis pensitatis explanabat. Aristophanes in Auibus:

οὐδεὶς οἶδε τὸν θησαυρὸν τὸν ἐμὸν, πλὴν εἴ τις ἄρ᾽ ὄρνις.

Nemo vidit meum thesaurum, nisi forsan siqua auis aquam.

Citat ex eodem simile Suidas; Οὐδεὶς

Οὐδείς με θεωρεῖ πλὴν ὁ παραπτάμενος ὄρνις
Nemo me contuetur nisi præteruolans auis.

Et παροιμιακὸν est ἐπὶ τῶν ἀγνώστων, οὐδεὶς οἶδέ τι ὡμίλησα πλήν γε εἴ τις ὄρνις. *Et prouerbiale est de ignotis: nemo nouit, quis mecum versatus (collocatus) sit, nisi auis quæpiam.*

Appellationes Aruspicinæ.

Existimant autem τοὺς οἰωνοὺς dictos, quasi δι' ὧν οἰόμεθα τὰ μέλλοντα. Hinc ὀρνιθείαν, οἰωνιστικὴν, οἰωνομαντείαν, ὀρνιθοσκοπικὴν, ὀρνιθομαντείαν, Græci nominarunt obseruationes rerum futura portendentiū, interpretationesq; & diuinationes, ac responsiones aruspicum: Latini Aruspicinam, & Augurium.

Plato omne artificiosum diuinationis genus, quod partim ex coniectura, partim ex diuturna obseruatione constaret, quodq; signis & ominibus vteretur, nominauit οἰωνιστικὴν, siue causas afferrent signa & omina euentis, siue enunciarent saltem futura. Inquit enim, τὴν τῶν ἐμφρόνων ζήτησιν τοῦ μέλλοντος διά τε ὀρνίθων ποιουμένων καὶ τῶν ἄλλων σημείων, ἅτε ἐκ διανοίας πορίζομένων ἀνθρωπίνῃ νοήσει, νοῦν τε καὶ ἱστορίαν οἰωνοϊστικὴν ἐπωνόμασαν, ἣν νῦν οἰωνιστικὴν τῷ ω σεμνύνοντες οἱ νέοι καλοῦσιν, id est, *prudentium hominum de rebus futuris per aues, & alia ostenta, inuestigationem, quæ nimirum certa ratiocinationis coniectatione, & auspicio intelligentiæ humanæ præberetur, mentem historiamq; auguralem nominarunt, id est, antiqua voce οἰωνοϊστικὴν (quasi dicerent τὴν ἐκ διανοίας νοϊστικὴν) quam videlicet recentiores, parua vocabuli declinatione, rotundiore vocabulo οἰωνιστικὴν nuncuparunt.*

Romanos etiam author est Dionysius, vocare solitos Aruspices ἀπάσης τῆς μαντικῆς παρ' αὐτοῖς ἐπιστήμονας ὄντας, τῆς τε περὶ τὰ οὐράνια καὶ τὰ μετάρσια καὶ τὰ ἐπίγεια. *Qui omnis generis diuinationum apud ipsos essent periti, cùm ex rebus cœlestibus, tum iis quæ in aere fiunt, & terra futura prædicendi.* Et Aruspicum nomen ἱεροσκόπων appellationi adeò cognatum est, vt ex eadem ambo origine tracta videantur. Omina signaq; vt ὄρνεις, καὶ οἰωνοὺς, ita ὀρνεοσκοπικὰ οἰωνίσματα, & αἴσιμα, οἷον αἶσαν τινὰ δηλοῦντα, *tanquam fatum aliquod siue sortem significantia*, Græci; Latini auspicia, auguria, & omina: ὀρνιθευομένους verò seu μαντευομένους δι' ὀρνίθων, id est, eos, qui augurabantur, & obseruata notataque omina & auguria interpretabantur, ac declarabant: Græci ὀρνεοσκόπους, ὀρνιθομάντεις, οἰωνιστὰς, οἰωνοθέτας, οἰωνοπόλους, ὀρνιθοσκόπους; Latini Aruspices & Augures nominarunt.

Postea ſpeciatim etiam appellationes hæ vſurpatæ ſunt, de eo genere diuinationum, quod ex cantu volatuque auium, & tripudiis pullorum, futura augurâretur ac præſagiret: Sed vtroque ſignificato accommodatas reperio, ad interpretationes ſignorum, quæ non condidit natura, ſed effinxit ſuperſtitio, perſuaſione falſa, & Diaboli faſcino, non ratione fulta.

Quinq; auguriorum genera.

Receptum fuit autem obſeruari, aut, ſi præter opinionem eueniſſent, ex inſperato atque improuiſo, notari tamen quinque auguriorum genera, ex quibus auſpicandis rebus, continuandiſve, aut abrumpendis, accommodata præſenſio prænotioque futurorum euentuum peti putabatur. Eorum primum è cœlo naſcebatur: alterum præbebant aues: tertium bipedes; quartum quadrupedes: quintum Diræ mouebant.

Superſtitio veterum.

His adeo deditos fuiſſe conſtat priſcos Græcos pariter & Romanos, vt, falſa ſuperſtitioſæ religionis opinione ducti, nihil bello vel pace, domi militiæve, ſuſciperent gererêntve niſi auſpicatò: nec honores conferrent, & dignitates, nec de more atque inſtituto veteri, & ſecundum leges, vel ſorte, vel manuũ prehenſione, vel ſuffragiis peractas magiſtratuum deſignationes ratas haberent atque admitterent, niſi auguriorum accederet conſenſus atque comprobatio: Et auguribus, vt authoribus & moderatoribus omnium rerum, in quibus rectè aut ſecus adminiſtratis diſcrimen verſaretur, vterentur, eosque ad præcipua momenta, & conſultationes de ſumma rerum, adhiberent: denique, vt magno gaudio, & quaſi certa confirmataque ſpe non fruſtraturæ felicitatis læta omina exciperent ac proſequerentur; piacularia contrà ſolicitudine acerba procurarent, atque expiarent.

Apud Romanos, ſi quid inſueti accidiſſet, nunciatúmve eſſet, ad Aruſpices mox, veteri more, inſtitutoque referebatur, qui docerent, quid dij præmonſtrarent, quidve poſcerent: Et de illorum reſponſis ſacra, aut nouata, ac redintegrata, aut reparata: & turbata, vel ſoluta, vel prorogata comitia: tum tractationes, quæ inchoatæ erant, finitas ac ſuſpenſas, & reſciſſa decreta, legimus.

Hetruſci Aruſpicinæ ſtudioſi.

Veteri lege ſancitum erat, vt, priuſquam augurandi ſcientia Romanis innotuiſſet, hæc ad Hetruſcos deferrentur.

Verba

Verba Legis sunt: Prodigia & portenta ad Hetruscos Aruspices, si Senatus iusserit, deferunto: Hetruriæq; principes disciplinam discunto: quibus Diuis decreuerint procuranto: iisdem fulgura & ostenta pianto: auspicia seruanto: auguri parento. Ex hac lege, decreto Senatus sex optimatum filios Hetruscis in disciplinam tradi solitos, vt augurandi artem ediscerent, proditum est: Qua quidem arte Fesulæ claruerunt, vbi & domicilium & collegium Augurum fuit.

Et initiò ita à Romulo constitutum fuisse legimus, vt in tribus centuriis, Ramnensi, Titiensi, & Luceri, singuli essent augures, qui sacris ceremoniis prædictionibusq;: & explanationibus eorum, quæ dij monuissent, præessent: postea, duobus adiectis, collegij numerus in quinarium excreuit (imparem enim esse decere numerum arbitrati sunt:) donec tandem, ne vltra nouem augurarentur, Senatusconsulto cautum fuit. *Aruspicum collegium.*

Sylla demum collegium, quindecim adiectis, ad viginti quatuor vsque, propagauit. In mortuorum loca legebantur alij comitiis Curiatis, quæ Pontificis Maximi dicebantur, non à populo vniuerso, sed minore parte, & iis, quibus sacerdotia conferre & demandare curæ erat: nonnunquam à duobus vnus nominari, & à toto inde collegio acciri & cooptari poterat.

Semel collatus auguratus, viuenti non adimebatur, etiam grauissimis intercedentibus causis. Fabius Maximus duobus & sexaginta annis auguratum gessisse, vsq; ad senectam vltimam, magna cum laude memoratur. *Fabius Max. Augur.*

Munus erat Augurum præcipuum, auspicia captare & contemplari, id est, signa rerum futurarum, deorumq; monita: & lætáne essent illa, an piacularia, quidve apportarent, prosperáne, an verò minacia & calamitosa, expiandaque sacrificiis, &, luctu publico, scrutari ac præmonere. Augurаturi, id est, auguria concepta vel relata interpretaturi, congregebantur in fano, commentandi causa, & inter sese colloquendi. *Augurum munus.*

Dignitas eorum tanta fuit, vt velut internuncios & interpretes deorum in Senatum asscribi, & inter Patres legi, fas esse duceretur, & à primo Vrbis ortu iidem & Reges & Augures fuerint. Quippe & Romulum aruspicinam fecisse, &, *Augurum dignitas.*

&, ne quid, quod decretum esset, haberetur ratum, sine auguriorum assensu & suffragatione, constituisse annotatum est.

Augurum discrimina.

Auguriorum illa, quæ ex Augurum disciplina annuere ac suffragari deliberatis, spondereq; successus rebus motis, aut de consilio Senatus incipiendis, vel sancire decreta, de Magistratibus aut honoribus distribuendis censebantur, prospera erant, καὶ αἴσιοι οἰωνοὶ, ἢ ἐπινευζόντες, *& aues faustæ aut confirmantes*: Contrà, quæ proposito aduersari, vel abrogare, aut improbare latas sententias, & facta decreta de rebus quibuscunq;, vel detrectare successus putabantur, ἐναντιούμενοι καὶ κωλύοντες οἰωνοὶ, *aduersæ & vetantes aues*, erant, & aduersa, infausta, ac piacularia auguria.

Vtrorumq; alia Oblatiua dicebantur, quæ non poscebantur: alia Impetratiua, quæ optata veniebant. Illa nihil adferre, & temere emissa esse, aut sine ratione, sua quadam concitatione prorupisse, censebantur: nisi commotos & velut perculsos animos ita afficerent, vt ad se pertinere assentirentur: si hoc negarent, nihil sese percipere aut experiri eorum, quę illa prænunciarent, ex Augurum disciplina, persuasum habebant: & in potestate nostra, positum affirmabant, auspicia non petita amplecti aut recusare. Hæc verò suscitari diuinitus, & rarò fallere, ex multorum euentuum notatione & collatione, ac sese ipsa asserere atque explicare obseruatione, constantia, & æqualitate sua putabant.

Augurum ritus in auguriis captandis

Talia capturi Augures ex arce, cœlo non turbido, nec procelloso, sed silenti, placido, sereno, & puro aere, lituum sine nodo, hoc est, baculum à summo inflexum, in parte, qua robustior est, manu tenebant. Erat is insigne augurale, quo cœli regiones describebant, & designabant metas, intra quas, se obseruaturos signa constituerant, vt quod dextrum esset, quódve sinistrum, oculis animoque metiri possent. Manu enim hæc spacia, quæ templa vocabantur, definire, & notare saluis auspiciis non licebat.

Captato ergo prospectu in agros atq; vrbem & conuersa facie in Ortum, regiones ab Oriente in Occasum terminabant, limite decumano, & cardine ex transuerso signo metato, quo oculi ferrent quàm longissimè. Ex distinctis regionibus antica in Ortum vergebat, postica à tergo Occasum, dextra Meridiem, Boream sinistra respiciebat.

His

His peractis, cæsa victima, longum præfati carmen, preces effundebant, quibus signa illarum rerum, quas Senatus populusque Rom. meditabatur, poscebant: &, ne inter precandum fortè titubarent, aut hallucinarentur, vel aliquid omitterent, aliquo præeunte, repetebant.

A precibus considebant, velato capite, &, duplici amicti toga augurali, quæ læna dicta est, vel trabea, ex purpura & cocco, vt Græcus Augur, vel toga candida, defixisq; in cœlum oculis, & attentè soliciteque circumspectis ac perlustratis cardinibus omnibus, expectabant, nunquid alicunde ostenderet sese, & vnde nasceretur ac prodiret: &, si obiiceretur auis aliqua, huc ne an illuc volaret, an prono, obliquo, supinóve motu corporis ferretur, quò flecteret, contorqueret, porrigeret, contraheret membra: an hac vel in illa se parte occultaret: à dextráne vel sinistra parte canerent oscines. *Habitus Augurum.*

Hetrusci in duodecim spacia, cœlum diremerunt, &, facie Occidenti obuersa, auguria petiuerunt, quòd eò cœli motus inclinaret.

Nec vbiq; & passim, sed in præscriptis destinatisque locis, quibus Tesqua nomen erat, hæ obseruationes instituebantur. *Tesqua locus auguriorum.*

Ab auguribus in arce, vel ad veteres Curias, à Pontifice in postmurio, & certis diebus, atq; à media nocte, ad mediam diem vsque, peragebantur. Septima aut sexta diei hora non decebat: incipiente enim die, aut crescente, non deficiente, iusta auspicia fieri existimatum est: Nec, post Sextilē mensem, auspicari licuit, quòd aues, aut imbecilles tunc, aut morbidæ essent, & pulli imperfecti. Homerus Orientem dextrum, Occidentem fecit sinistrum. *Auguriorum captandorum tempus.*

Ex cœlo tonitrua & fulmina, auguria dabant in hunc modum. Si aut læuum, aut impari numero intonuisset: aut si ex Ortu emissa fulmina, cœli circumactu, in eandem partem rediissent, quasi Syllæ Dictatori oblatum memorant: aut si in exortiuas recurrissent partes: vel si excussa nubibus à terra resiliissent, & crebris in sublimi ignibus fulsissent: aut si fulgura, à sinistra, in dextram emicuissent: prosperos euentus, & summam felicitatem, nunciare hæc à diis putabantur. *Auguria ex tonitruis & fulminibus.*

Non enim tam aduentus ſpectabatur fulminum, quàm reditus, ſiue ab ictu reſiliret ignis, ſiue, opere confecto, aut igne conſumto, ſpiritus remearet. Serena tempeſtate tonuiſſe, hominesque, aut ædes ſacras de cœlo tactas eſſe, infauſti auſpicij fuiſſe, ſæpe notatum eſt. Homerus contra tonitru, quod, poſt effuſas preces, de cœlo ſereno, inſonuit, felix omen, & ratum auſpicium adferre, cecinit.

Tonitrua ominoſa.

Si ab Occaſu tonitrua increpitaſſent: aut per Septentrionem, in Occaſum, tranſcurriſſent: aut multiplici ictus pari deſiiſſent numero, diros euentus, & calamitates portendebant.

Marco Craſſo caſtra, quæ trans Euphratem metatus fuerat, bis icta fulmine, cladem quam paulò pòſt perpeſſus eſt, deſignauere.

Paulo Æmylio, ad Amphipolin ſacrificanti, fulmen cœlo eliſum, cùm ſacra combuſſiſſet, Regni amiſſionem denunciauit.

Fulminum genera & differentiæ.

Diſtinguebantur fulmina, & autoribus, & vſu, ac finibus. Romani diuturna Ioui, Nocturna Sumano (quem Plutonem dicebant) attribuebant: & ea, quæ ſolus Iupiter eiacularetur, læta promittere: quæ habito deorum concilio, aduerſa minitari putabantur. Cumque, quando vel ſolus, vel communicato conſilio, Iupiter intonaret, in dubio eſſet: fulgetra adorare, & poppyſmatibus obſtrepere, conſenſum gentium fuiſſe, Plinius notauit.

Antiquiores Romani, lucos etiam, aráſque, & ſacra, pro euocandis habuerunt fulminibus, & inter deos Statores, Tonantes, Feretrios, Elicium quoque Iouem, quem vocatum ciere fulmina credebant, coluerunt.

Porrò fulminum alia Bruta erant, vanaque, quæ nulla ratione naturæ, alia Fatidica, quæ ex alto, ſtatiſque de cauſis, & ex ſuis venere ſideribus, cenſebantur. Horum alia cõſiliaria vocabantur, quæ negotiis cogitatis: alia autoritatis, quæ decretis ac ſuſceptis iiſdem ſuperueniſſent: alia ſtatus, quæ nec opinantibus coruſcaſſent. Alia item publica, alia priuata notabantur: publica non ſuprà triceſimum, niſi in deductione oppidorum: priuata nõ vltra decimum annum, niſi in ſponſalibus, aut natali die, auſpicata portendebant.

Ex iiſdem rurſus, quædam poſtularia, ſacrorum emendationem

tionem exigebāt: quædam pestifera, mortem intendebant: quædam monitoria, latentia aperiebant fata: quædam auxiliaria erant: quædam hospitalia vel regalia: quædam peremtalia, quæ, fata præcedentibus designata fulgetris perimere credebantur: familiaria prima fiebant, familiam suam cuique adepto, & in totam vitam vatidica habebantur. Cumque in lucos pollutos crebriora, & quati, ac vibrari, & traiici fulmina, aruspices notassent: ea vt auerterent, reliquias fulminis cum sacrificio sepelire, dispersosque ignes in vnum cogere, & tacita prece, terra condere solebant, in loco, quem Bidental vocabant. *Bidental.*

Thusci in sedecim cœlum partes diuisere: prima erat à Septentrionibus, ad æquinoctialem exortum: secunda, ad Meridiem: tertia ad æquinoctialem Occasum: quarta obtinebat, quod reliquum est, ab Occasu, ad Septentriones. Has iterum, in quaternas diuiserunt partes, ex quibus octo, ab exortu sinistras, totidem è contrario appellauere dextras. Ex his maxime dira, quæ, in Septentrionem, ab Occasu, porrigebantur: omninoque multùm referebat, vnde venirent fulmina, & quò ferrentur atque excurrerent.

Ex auibus oscines cantu augurium, quod κληδόνα Græci & κληδονισμὸν vocarunt: præpetes seu τανυπτέρυγες volatu auspicium faciebant; pulli tripudio omina dabant: Funebres auerso omine aliquid fieri vetabant: Superuaganeæ, ex summo acumine, vocem emittebant. Ex prępetibus erant aquilæ, vultures, buteones, sanqualis, immusculus, & aliæ. *Auguria ex auibus sumta* *Præpetum genera.*

Aquilæ, si dextra parte aduolarent, sique patulis & porrectis perstreperent alis, omen futuri boni certissimum præbebant, Homero teste. *Aquilarum auguria.*

Aristander, augurio aquilæ traiicientis in hostes, Alexandrum victorem portendit, ante conflictum. Cùm Tarquinio Prisco, aquila pileum detractum capiti euexisset in sublime, moxque reposuisset: regnum ei ominatam ferunt. Fœtus aquilarum implumes, à vulturibus, rostro pedibusque à pastu abacti, & raptati, concerptique; cum ipsis nidis, Tarquinio Superbo exilia portenderunt, ac regni amissionem. Iaculum, de satellitum manibus, rostro extortum, & deiectum in profundum, ab aquila, Dionysio Syracusano regnum abrogauit, & diras incussit calamitates.

Vulturum auguria. Duodecim vulturum numerus, Romulum condentem vrbem, de tempore durationis monuit. Sæpe tamen vulturem, in ædem Iouis, aut deorum volasse, prodigij loco habitum est.

Accipitrum omina. Vultures, corui, & aquilæ, si coiissent, conflictus & cædes indubias denunciabant. Ciconiæ concordiam ferebant. Ex accipitrum genere Circi nuptias & rem pecuariam fortunabant. Buteones, quos τριόρχεις vocant, à numero testium, & Falcones, futuri maximi boni spem certam, si apparuissent, faciebant.

Dario conspectus accipitrum, duo paria vulturum vellicantium, spem, de regno Persico, iniecit, quo, coniuratis supplicio affectis, esset potiturus.

Miluorum auguria. Milui, diri semper inauspicatiq; fuere ominis, sicut & incendiaria auis: ea, quæ sit, nec inuenitur, nec traditur. Quidam ita interpretantur, incendiariam esse, quæcunq; appareret, carbonem ferens ex aris vel altaribus, alij Spiturnicem eam vocant, sed & hæc ipsa, quæ sit, nescitur.

Picorum Martiorum auguria. Picus Martius & Luscinia, atque inter ardeolas illa, quam λευκὸν πέλλον, *albam ardeolam siue pellam*, vocant, si ad Austrum volatu contenderet, aut Septentrionem, prospera feliciaque decernere, & omni periculorum metu soluere existimatum est. Pici Martij præcipuè Latio fuerunt in auguriis, à Rege, qui nomen huic aui dedit.

Cùm in capite Prætoris Vrbani L. Tuberonis, in foro, iura pro tribunali reddentis, picus sedisset ita placidè, vt manu prehenderetur, responderunt vates, exitium imperio portendi, si dimitteretur: si exanimaretur, Prætori: ille autem protinus concerpsit, nec multò pòst prodigium impleuit.

Hirundinum auguria. Hirundinum circumuolutationes decubitúsve, aut insessus, infausti habiti. Earum conspectus Dario in Scythas, cum exercitu proficiscenti, interitum: consessus verò, in Pyrrhi tabernaculo, & naue Antonij, funestas vtriq; clades attulisse, creditum fuit.

Columbæ augurium. Columbam, augurium designare felix, Homero placuit.

Gallorum cantus auguria. Præposteros aut vespertinos gallorum cantus, optimi euentus signa, aliqui notauere.

Themistocli pridie, quàm in Persas mouit, galli ἐπινί-

νίον, *carmen triumphale*, occinuere, & cantu certam declarauere victoriam: idque ideo, quòd victus mox conſileſcit, victor inſolentius inſultat & obſtrepit.

Gallinarum cantus nunquam exauditi, niſi quando dirum aliquid immineret. *Gallinarum cantus infauſti.*

Corui inauſpicatæ garrulitatis aues, à dextra, vt cornices à ſiniſtra, ſpes non ambiguas: ſi ab Ortu occinerent, clara voce, præſentem felicitatem ſignificabant. Ab Occaſu vel læua ſi proclamarent, aut glutirent vocem, vel ſtrangulati, exitium apportabant. *Coruorum auguria.*

Corui diſcerptos deuorantes pullos, reliquiasq; deferentes in nidum, ante Ciuile bellum, inter Syllam & Marium, quo plurimo depugnatum eſt ſanguine, viſi, & crudelitatem qua in ſua illi ſæuierunt viſcera, portendiſſe iudicati ſunt.

Eædem aues, Alexandro Babylonem ingreſſuro, & Ciceroni vitaturo inſidias, ab Antonio ſtructas, gannitu ſtrepituque ingrato impendens periculum, & ærumnas extremas, minitatæ ſunt.

Bubo funebris, & maximè abominatus, publicis præcipuè auſpiciis, noctis monſtrum, nec cantu aliquo vocalis, ſed gemitu, ſi in vrbibus aut omnino in luce viſeretur, dirum oſtentum præbuit. *Bubonis augurium.*

Cum Sex. Papellio Iſtro, & L. Pedœnio Coſſ. cellam Capitolij bubo intraſſet, eo anno, Nonis Martiis, vrbs luſtrata eſt. Idem factum L. Caſſio, C. Mario Coſſ. bubone viſo.

Priuatorum ſi domibus inſediſſet: aut ſi taceret, non ſemper feralis compertus, vtpote qui Agrippæ, captiuo Iudæorum Regi, regnum promiſiſſe putabatur.

Bubonis vox audita, anno vrbis 619 & 20, exercitus Romani oppreſſionem ad Numantiam portendiſſe, credita eſt. Rurſus viſus, non auditus Bubo, felix omen attuliſſe iudicatus eſt, vt anno vrbis 629 & 32 ante Sallies, Ligures, & Allobroges deuictos: itemq; anno 650 ante ſubactos, in Macedonia, Thraces: & anno 558. ante mortuum Ptolemæum, Regem Ægypti Cyrenis, qui populum Romanum hæredem reliquit.

Noctuam, ſi volaſſet, victoriam nunciare: ſi ſereno cecini ſſet, turbare aerem, ſi tempeſtate occineret, ſerenare, obſeruatum eſt. *Noctuæ augurium.*

Hæc cùm in haſta Pyrrhi Regis, contra Argos euntis conſediſſet, fatum illi, & diſcrimen extremum, portendit & attulit.

Apum augúria.

Ante Pharſalicam pugnam, apes aræ inſidentes, & in nauibus conſpectæ, Dioni & Pompeio magno, cladem paulò pòſt ſecutam, prænotarunt. Idcirco, cùm, in Bruti exercitum, examen apum procubuiſſet, aruſpices caſtra mutare eum iuſſerunt, ne in hoc loco, damni aliquid & detrimenti acciperet. Ceterarum etiam auium & inſectorum volatus, multiplici diſcrimine, in omina *σημαντικὰ*, *quæ aliquid portendunt*, conuerſa ſunt, & de locuſta noſtra campeſtri viridi, Suidas inquit, *ἐστὶν ἀκρὶς δυσκίνητος χλωρὰ καλουμένη μάντις, ἧ τινὲς προσέχοντες τοῖς κινήσεσι μαντεύονται*: *id eſt*, *eſt locuſta quædam ad motum tarda, viridis, cui nomen Μάντις: ex cuius motibus, qui hos aduertunt, nonnulli futura prædicunt.* Calchas, apud Homerum, ex paſſerum numero, belli Troiani annos auguratur.

Pullorum augúria.

Tripudio ſigna dabant pulli, de rebus conſecuturis. Etſi enim quæuis auis tripudium facere poterat, præcipua tamen fides fuit pullis, atque, in eorum genere, Melicis & Chalcidicis, quibus tantùm religionis fabuloſa vetuſtas tribuit, vt ceu internuncios, atque interpretes Iouis, euenta rerum edocere, ſtatuerent, &, niſi his conſentientibus ac ſuffragantibus comitia non agerent, non Senatum haberent, nullos ad honores proueherent, nulla domi, aut foris negotia obirent, nulli prouincias demandarent, nihil denique auſpicarentur, quod non, vtrum approbatum ab his, velut aſſenſione & monitu deorum eſſet, magna cura prius exquirerent ac penſitarent: denique regebant magiſtratus Romanos, domos ipſis ſuas claudebant, ac reſerebant, faſces impellebant aut retinebant, iubebant acies, aut prohibebant, & maximo terrarum imperio imperabant.

Pullarius.

Pullis præerat pullarius, qui quotieſcunque, de inchoanda re quapiam, exequendaque, deorum, per pullos, ſenſa placitaque exploratum ibat (oportebat autem id fieri ſummo manè, & primo diluculo) imperato de more ſilentio, pultem illis, aut offam, cauea recluſa, obiiciebat, quòd ſi, ad oblatam eſcam, mox pulli, è cauea, non proſilirent, aut ſerius egreſſi, vel non attingerent eam, vel alarum planctu diſſi-

dissiparent, vel, relicta esca, oberrarent, aut occinerent, aut prorsus non vescerentur, vel auolarent penitus, omen præ se ferebant magni terroris & solicitudinis, euentusque tristissimos: & pullarius exitum animo præmetiens, ne quid molirentur, sed vel desisterent ab incœpto, vel differrent deliberationes, vel mutarent hoc prorsus, quod præ manibus erat, hortabatur. Quòd si mox proruerent cum impetu certatimque in escam inuolarent, & auidè depascerentur, ita vt, vescentibus illis, aliquid ex ore relaberetur, & terram pauiret, quod tripudium faceret solistimum: inde, spe hausta mirifica, pullarius, vt constanter fortiterque cœpta negotia vrgerent, iubebat, & successus optatos, ac prospera à diis omnia spondebat. Habebant ostenta, & præposteri eorum, vespertinique cantus. Totis noctibus canendo, Bœotiis nobilem illam ad Leuctra, aduersus Bœotios, præsagiuere victoriam: Ita coniecta interpretatione, quoniam victa ales illa non caneret.

Etsi autem quandoque talibus ominum interpretationibus & coniectionibus assensit euentus, vt Tiberio Graccho ea die, qua in turba cæsus occubuit, pulli non addixere: & Claudius Pulcher moturus in hostes, non pascentibus, in auspicando, pullis, per contemtum religionis, nauali prælio inito, terribili strage, cum omni classe, profligatus est: tamen vicissim non raro elusa sunt, & refutata, euentu prorsus contrario. Papyrius Cursor, cùm à pullario admoneretur, ne, cum Samnitibus, prælio decerneret, pullis non suffragantibus, contentis auspiciis, feliciter dimicauit.

Omina pullorum euentu contrario refutata.

Exempla in historiis plura extant.

Si pullarius, quæ dij diuulgata voluissent, dissimulasset, aut veteratoriè suppressisset, idem contrahi nefas, ac si quæ occulenda & tacita ferenda erant, palàm fecisset: Si verò mentitus fuisset, aut omine conficto, aut eo, quod ostensum esset, subdolè & fraudulenter deprauato, & in contrarium detorto sensum non illi, qui consulebat, fraudi esse, sed in autoris retorqueri caput censebatur.

Fuerunt & aliæ plures auspiciorum distinctiones, apud Romanos. Vocabantur enim quædam auspicia caduca, quædam cliuia: Caduca, vbi quid templo, ab auguribus metato excidisset. Cliuia quæ difficulter euenirent.

Quadrupedum omina.

Ex quadrupedibus lupos, vulpes, leones, capras, iuuencas, asinos, arietes, lepores, mustellas, mures, omina mouisse & auspicia, compertum est.

Luporum inauspicata omina.

Lupus, si ad dextram commearet, pleno ore, prosperæ & magnæ rei argumentum putabatur. Lupos castra introiisse, &, laceratis obuiis, intactos abiisse, exercitibus cladem portendisse: eosdem, si, in foro Romano, visi essent, & incolumes euasissent, oppressionem vrbis, aut alia designasse pericula, animaduersum est.

Romanis coloniam in Libyam ducturis, Caio Graccho Tribuno legem rogante, cùm Lupus metas aggeri definitas subruisset & dissipasset, fecit, vt à proposito desisterent.

Cerua à Lupo fugata, cùm inter duas acies, illæsa euasisset, Romanis victoriam addixit.

Adeo inauspicatus luporum in vrbe conspectus habitus est, vt, quotiescunq; viserentur, siue oppressi, insectantium industria, interficerentur; siue euaderent, semper, vrbs, solenni lustratione, expiaretur, qua auerti atq; depelli calamitates, quas apportassent lupi, credebantur. Idq; sæpe factum lupis in vrbe, foro, Capitolio, Quirinali colle, Exquiliis, conspectis: vt anno vrbis 577 cùm Collatina porta lupus ingressus, per Exquilinam, magno consectantium tumultu effugisset. & anno vrbis 558 cùm, per Exquilinam portam, quidam ingressus, frequentissima vrbis parte, decurrisset in forum, & Thusco vico atq; inde Melio, per Capenam portam, prope intactus abiisset.

Apum examinis infausti ominis.

Examina apum, quacunq; se demisissent, polluere & infortunare locum, credita sunt: Quare, quoties in vrbe comparuerunt, lustratam vrbem, ex Sibyllinis institutis, legimus, vt anno vrbis 636, & pòst 50, & rursus 52, ac sæpe alias.

Ita bouem, si loqueretur (quod sæpe compertum accepimus.) vrbem læsi numinis ream peragere, & lustrationem vrbis exigere, censuerunt Romani.

Agmina etiam locustarum, anxia semper, ac solicita procuratione eorum, quæ ad placanda facerent numina depulerunt.

Mulam gemellos peperisse, aut Leonem conspectum, aut ab Asino laceratum esse Leonem, aut mures derosisse aliquid, tristis diriq; fuit ominis, & magni terroris.

Sub-

Suburbana colubris plena, & equi ab illis depasti, præsagierunt Crœso Lydorum Regi, fore, vt regnum ab exteris subigeretur.

Dirarum nomine complector, tum ea, quæ in nostris fiunt corporibus, aut iisdem alioquin accidunt insolitè; tum quæ in domibus, agris, itineribus, quocunq; modo, præter rationem & morem eueniunt atq; obiiciuntur.

Hinc pro locorum, subiectorumq; in quibus obseruarentur talia, differentiis, diuersa sunt diuinationum genera constituta. *Diuersa diuinationum genera ex Diris.*

Τὸ ἐνόδιον seu itinerarium, quæ in viis occurrissent, explicabat. *Ἐνόδιον.*

Leporem iter ineundum, transuerso saltu velut diremisse, aut fœtam vulpem, vel prægnantem canem obuiasse, aut serpentem commeantium iter interrupisse, aut præcidisse, aut offendisse pedibus, aut laciniam adhæsisse, aut subito constitisse, aut expauisse, vel defecisse viribus, absq; manifesta causa, aut spectra conspexisse, vel circumfusas ac scintillantes flammas, aut risus, gemitus, compellationem sui exaudiuisse, & quicquid fuit huiusmodi, infortunata præsagire & infesta itinera, creditum est.

Mulieres per itinera ambulantes, torquere fusos, aut omnino detectos ferre, spei omnium præcipueque frugum aduersabatur. Hoc descripsisse Polin quendam, Suidas autor est.

Τὸ οἰκοσκοπικὸν, *omen domesticum*, coniectabatur ex iis, quæ in ædibus animaduersa essent, insolito more accidisse, de euenturis patrisfamilias, & illius rebus, velut: *Οἰκοσκοπικόν.*

Introiit in ædes ater alienus canis.

Anguis, per impluuium, decidit de tegulis, infaustum erat vtrumq;.

Mustella conspecta, aut serpens, poculum salinúmve euersum, dispersi cineres, oleum effusum, aut mel, si quid à muribus esset corrosum, quod, de sua Platonis politia Cicero annotauit: Si cibus prolaberetur: si incendia nominarentur, inter epulas, aut, sub mensas, aquæ profunderentur: recedente aliquo ab epulis, simul verri solum, aut bibente conuiua, mensam vel repositorium tolli: aut repente conticescere conuiuium: inauspicatissima erant. Reuocari ster-

nutamento mensas & fercula, inter Diras erat. Ita si tigna gemuissent, aut crepassent mensæ trabésve, dira portendebant.

Vinum effudisse, aut vino vestes inquinasse, bonæ fortunæ signum erat, idq; attestante Homero, qui, Vlysse discedente, & bene precante, Alcinoi vxorem facit humi vinum fundere, velut preces ratas diis habituris. Absoluit hoc Xenocrates, integro volumine.

Auguriorum obseruatio apud Romanos.

Tanta fuit auguriorum, in Romana Republica, inde vsque à primis exordiis Vrbis, fides, & respectus, obseruatioq; tanta, ac veneratio, vt quæ horum interpretes, examinatis ostentis ac pensitatis, dixissent iniusta, nefasta, vitiosa, dira, illa protinus irrita fierent atq; infecta, quiq; horum decretis & enunciatis non paruisset, reus fieret capitis.

Oportebat autem captandis auspiciis augures ipsos interesse, &, cùm notare ea, atque inspicere, referreque, & declarare, tum quibus hostiis, & quibus sacris, ac supplicationibus, & ad quæ puluinaria, tetra prodigia procurarentur aut expiarentur, monere atq; edicere. Nihil enim prætermittebatur publicè & priuatim, quod, ad amoliendas & auerruncandas calamitates, faceret, quæ imminerent auguriis designatæ. Itaque, si quid tale accidisset, mox & piacularia apparabantur sacrificia, & supplicationes suscipiebantur, & vrbs solenniter lustrabatur. Inter ea enim sacra, quæ, consuetudine veteri, plebs Romana vsurpabat, quædam solennia & stata, eodem semper modo indicebantur ac seruabantur, quorum violare ritus ac ceremonias, aut intermittere, nulli fas erat; quædam piacularia erant, quæ decreto Pontificum ad auertendos terrores, & placandas numinum offensas, expediebantur, quorum vicem quandoq; feriæ publicæ, aut lectisternia, stratis tribus lectis, Ioui, Vulcano, & Mineruæ, quos iactus vibratusq; fulminum gubernare opinio erat, aut ludorum celebritates compensabant, de Pontificum iudicio & sententia.

Discrimina sacrorum apud Romanos.

Ad hæc decurrebatur, si cœlestes minæ, terrorésve, aut dira nunciarentur prodigia, vel si phasma aliquod terribile apparuisset, aut alioquin nouum quid & insolitum conspectum esset, vt, cùm duo Soles visi essent, facésve de cœlo ardentes colluxissent, aut crinita sidera, ignitíve turbines,

quos

quos πρηστῆρας nominant, cœlo efful sissent, specie motúve, & impetu terribili atque inopinato: vel si, collisorum armorum strepitu fragoreq;, cœlum personuisset, aut tubarum clangore, aut remugientium flatuum horribili boatu: vel sanguine, lapidibúsve, aut frumento pluisset, aut impetuosus imber, cum ingentibus procellis, effusus esset, fluxissetve sanguine atratus Tyberis, aut tecta publica, ædesve deorum, de cœlo tactæ essent.

Supplicationes ad hunc modum fiebant. Senatores & patricij, cum coniugibus & liberis, coronati plerunque: quandoque verò omnes tribus simul & ordines, præeunte Pontifice Maximo, nõnunquam duumuiris, sequentibus è vestigio pueris ingenuis & libertinis, ac virginibus patrimis & matrimis coronatis, aut lauream manu præferentibus, & modulata voce pronunciantibus carmen, ac tota vrbe, ad solennem precationem conuersa, deorum pacem exposcebant, periculoso rerum statu, belli aut pestilentiæ tempore, circum omnia delubra, fanaq;, & puluinaria, quæ erãt apparatæ lecticæ deorum, in quibus numina, pro maiestate, iuxta aras, extabant sublimia: his fasciculi, ex Verbenis, (struppi appellati) pro puluinaribus substernebantur. *Supplicationum ritus apud Romanos.*

Vsurpabantur etiam, si quod iustum bellum exteris gentibus indictum esset, & si, pro aris, focisq;, ac deorum templis, & solo patrio pugnandum foret, vt ea res populo Romano sociisq;, ac nomine Latino benè & feliciter eueniret, atq; bonis auspiciis, & diis benè iuuantibus, arma sumerentur.

Sunt & victoribus, ob res benè feliciterq; gestas, deorum auxilio, tributæ supplicationes à Senatu, maximi muneris loco modò plurium dierum, modò paucorum, pro vt amplitudo meritorum, & successuum prosperitas postulabat. In his gratiæ diis agebantur publicè, mulieribus eximio cultu, viris prætexta & ornamentis amplissimis, longo ordinatoq; processu, deorum templa adeuntibus.

Ex hac supplicationum consuetudine, translati sunt in religionem Christianam, ritus publicarum processionum. Adeò enim forma, & Imperij Romani veteris, & religionis Ethnicæ, Pontificibus allubuit, vt nihil non imitari voluerint, quod, ad conformandum Ecclesiæ statum Romano Imperio facere videretur. *Processionum Papisticarum origo.*

Lustrorum differentia. Lustra alia stata erant, alia piacularia. Stata, quinto quouis anno iterabantur per Censores, qui lustrabant vrbem, sue, oue, & tauro; aut verre, tauro, & ariete, qui circumducebantur, vnde Solitaurilia festa nominata.

Lustrandæ vrbis ritus. Fiebat hoc mense Februario, & Februo, qui lustrationi præerat, primò litabatur, ac sacrum fiebat: quo peracto, Censor, in magna ordinum frequentia, deos imperij præsides solenni precatione obtestabatur, vt rem Romanam, vrbes, templa, fines, aquas, perpetuò præstarent incolumes, ac successus largirentur prosperos, dubiisq; conatibus adessent, & mala auerruncarent, votaque, in sequens lustrum, promitterent.

Ita circum vrbis pomeria, sereno cœlo, Pontifices, Flamines, & omnes augures, sacrificuli, & vates, Vestales virgines, Galli sacerdotes, Septemuiri epulonum, quindecim viri sacrorum, & Salij, sequentibus Patribus, & omni plebe, Gabino ritu, cum solenni precatione, procedebant.

Præter hanc lustrandæ vrbis consuetudinem, alij vsurpabantur ritus, in lustratione agrorum, armorum, naualium copiarum, & classium, curiarum, & populi: & adhibebantur, ad expiationes plerasq;, sulphur, aqua, ouum, ignis, verbena, & laurus.

Pollutorum expiatio. Piaculis polluti sæpius sulphure, interdum & suffitu ex verbenis & lauro, & ablutionibus ex aqua purgabantur.

Apud veteres polluti aut tæda & sulphure purgari, aut aqua ablui, aut aere ventilari solebant.

Qui deos iratos sibi perpetuò futuros metuebant, ita expiabantur, vt linteati, manuq; laurum tenentes, & genibus innixi proreperent, ac vocibus acclamarent, numinaq; infesta sibi profiterentur: his si admota igni laurus increpuisset, placatos deos: si nihil strepitus edidisset, infestos denotari iudicatum fuit.

Παλμικὸν seu vibratorium. Τὸ παλμικὸν seu vibratorium, ex insuetis, & præter voluntatem, præterq; naturæ ductum, obortis in corpore motibus coniecturas futurorum texebat: Si vibrata salitione insuetum alter oculorum, dexter vel sinister palpitaret: si concuterentur, ac velut exilirent, aut trepidarent musculi, humeri, aut femora: si prurire pedes inciperent: si inæquali vibratu, cohorresceret cutis: si tinniret alterutra auris,

aut

aut insolidum striderent dentes: si sternutationes, pari imparíve numero, crebræ vel raræ fierent: si, vagis incertísve motibus, huc illuc membra iactarentur: si membra obrigescerent subitò, velut stupore affecta: aut titubaret, vel insisteret lingua. De hoc Posidonius. Extat, de eodem, Melampodis ἱεροχαμματέως, ad Ptolemæum Philadelphum, compositus liber.

Voces etiam, vel ex occulto missæ, vel responsi instar redditæ, suspiciones sæpe de variis mouerunt euentibus, in vtramque partem. *Vocum ex occulto missarum omina.*

Sæpe veridicæ exauditæ voces, in rebus turbidis, & tanquam monita deorum acceptæ sunt, qualem ex luco Vestæ, extitisse memorant, non multò ante captam à Gallis vrbem, vt muri & portæ reficerentur: futurum enim, nisi præstitum hoc atq; effectum esset, vt vrbs caperetur.

Latratus canum eiulantium gemitus imitantes, & noctuarum vlulatus, diri semper fuere ominis.

Equos hinnitu alacriore, & ferociore fremitu, victoriam ominari prælia inituris, etiam nunc militibus persuasum est.

Cùm maximas Vrbs clades perpessa fuisset, &, ancipiti contentione, agerent Patres, an relicto solo patrio, Veios migrarent, vox Centurionis audita: Hic manebimus optimè, retinuisse in vrbe ciues, & confirmasse fertur.

Hostilio Mancinno Consuli Romano, anno vrbis 617 conscensuro nauem, & Numantiam petituro, vox obiecta de improuiso scribitur, mane Mancine: paulò pòst deuictus ipse, & Numantinis deditus est.

Crasso in Parthos ituro, qui Cauneas ficus venales clamabat, illud omen innuit, quo paulò pòst, fortunis expoliatus omnibus, fama, vita, & exercitu amissis, interiit.

Neronem paucis diebus ante mortem, vox è Mausoleo reddita appellauit.

Augustum Cæsarem, supremo digressu ab vrbe, vox temerè emissa monuit, non amplius eum Romæ futurum.

Cassio & Bruto prodituris in aciem, Æthiops obuius euentum pugnæ præsignificauit: Et similia aliquibus denunciata, meminimus etiam hisce temporibus.

Augurandi rationem peperit, initiò, procul dubio, su- *Auguriorum origo.*

perstitio hominum nata, ex Dei ignorantia, diffidentia, perturbatis motibus animorum, hærentium in ancipiti spe, quò erroribus, & fluxis atq; incertis cogitationibus suis mederentur, atq; ex his exemtos ac solutos animos, in tranquilla aliqua, certa, & firma spe, constituerent; vbi tamen non animaduerterunt ex spe spem, metu metum non tolli, sed augeri & crescere. Primi secundíq; generis auspicia, commenticia prorsus sunt & falsa. Nulla enim explicari aut ostendi causa potest, cur hæc illáve designent: nec consensu congruentiáque euentuum, excusari possunt, cùm vnum idemque auspicium, contrarios euentus sæpissimè præcurrerit, & delusa eorum religio, neglectaq;, fortunata fuerit.

Auguriorum vanitas & superstitio.

Compleuerunt ea quandoq; euentu Dæmones: Quandoq;, cùm præsciuerunt, quæ exposcebantur, aut ipsi intonuerunt de cœlo, dextrum vel læuum, pro vt opus erat, aut, assumticiis auium quadrupedúmve speciebus, vel nouis atque insolitis, vel nouis consuetisque, auspicia ipsi, cantu traiectúve recto vel obliquo dextróve aut læuo, ediderunt: siquidem visas constat ab auguribus aues, quæ pòst nunquam repertæ sunt amplius: Quandoq;, cùm vel aberrassent insc:j euentuum, vel decepissent aruspices, violatæ religionis causam prætenderunt, vt superstitionem augerent, & tuerentur constitutum regni sui statum.

Sed nihil hæc ad effectus causarum ordinatarum, in natura. Nam neque fulgetra, neque auium genera in hoc sunt condita, vt motu illa, ceterisque, hæc, cantu aut volatu porrecto, librato, interrupto, vibrato, contorto, agere iubeant aut vetent, vel, de propicia vel alienata Dei voluntate, testificentur.

Blasphemia est contumeliosa in Deum, quòd finxerunt, diuina mente, impelli & commoueri alites, ceu interpretes, internuncias, & satellites deorum, vt tum huc, tum illuc volent, tum in hac, tum in illa parte se occultent, tum, à finistra parte, vt canant oscines: inclusos verò cauea pullos, ac fame enectos, ita concitari, vt in offam pultis inuadant, si emittantur, & vt ex ore aliquid cadat, quod terram pauiendo tripudium nunciet solistimum: aut, ne egrediantur, detineri, neue egressi offam attingant, arceri.

Non igitur ex natura orta, nec à Deo tradita, sed ab homini-

minibus conficta & inchoata sunt auspicia, aliqua occasione, à Diabolo subministrata, cui, vsitatum est, errorum & superstitionum seminibus sparsis, clàm irrepere: amplificata verò & stabilita sunt ab eodem authore. Quare impia est consuetudo ea obseruandi, & captandi.

Quantum ad reliqua duo genera, Non inficior posse gigni & existere, in agro, domóve, aut itineribus, quod vel patrifamilias, atque illius rebus, vel peregrinantibus portendat futura: Nec derideo illas in plantis, iumentis, quadrupedibus, intraque tecta & parietes, multarum insolitè accidentium rerum notationes.

Frequenter tumultuantur Dæmones, &, vel inanibus terriculamentis, vexant homines, vel inusitatis tumultibus, speciebus, aut vocibus, imminentes calamitates prænunciant.

Sæpe, corporum & rerum nostrarum custodes sancti Angeli, aliquid tale edunt, quod nos cauere pericula iubeat.

Sed tamen, nec captari, nec, si eueniunt, cum superstitione, & anxia solicitudine, obseruari pensitarique volo; nec quívis euentus in omina conuerti debent. Nec locum hic habet obseruationum diuturnitas, & monumentis testata consignataque antiquitas, ac significationum, præsensionumque, cum euentis, consensio. Affert vetustas iis in rebus, quæ à natura causam habent, longinqua obseruatione, mirabilem scientiam, cùm crebra animaduersione perspectum est, quid ex quoque, & cur eueniat, & quid rem quamque significet, ac quam ob causam: etsi nec effectuum omnium causæ elici ac demonstrari, nec signorum explicari rationes, exactè queunt: Et diuinatio ipsa, denunciatioque rerum consequentium, etsi ad veritatem dirigit sæpissimè: fallit tamen nonnunquam, quòd coniectura continetur, &, hac, res futuras prosequitur.

Aruspicinæ verò, extispicinæ, & similium signa, non ex natura orta, sed superstitione suscepta interpretantium, quę potest ratio, ex natura proferri? Quid verò, ad has præstigias, immensitas temporis facit? Assentior ita à principio inchoatum esse Mundum, vt certis rebus certa signa præcurrerent: ea quibus benè percepta sunt, hi non sæpe fal- *Refutatio augurioruм.*

luntur: malè coniecta enim non aberrant, rerum vitio, sed interpretum imperitia. Et horum signorum quæ sit conditio exposui suprà. Sed quid his signis, cum offusis à Diabolo præstigiis?

Paruis momentis multa, natura aut affingit, aut mutat, aut detrahit, in iis, quæ naturæ subiecta sunt: sed hæc mutatio, quid ad commenticias præsensiones, ex variato volatu auium, & extorum commutatione, conuersioneque, aut subita decoloratione? Cœli distributio, metarumque notatio, vnde incitentur & veniant, quóve ferantur fulmina, ostendit. Sed inde, qua ratione, prospera vel infausta augurabimur?

Administrari Mundum, prouidentia diuina, & vim diuinam continere vitam hominum, ac consulere rebus humanis, & ab hac multa significari futura, portendique, quid certius est, & consensu seculorum, & vocis diuinæ testimonio? Sed quid ad hanc, illa Diaboli, in subitis extorum mutationibus, quibus, aut aberat mox aliquid, aut supererat: quid in auibus, fulguribus, ostentis, diris, furentium vocibus, ludibria Diaboli æmulantis diuina opera, imitatione falsa, vt hominem simia imitatur?

Marcus Varro hæc videns, inquit, non ociosos tantùm, sed & sordidos fuisse deos, si, in iecorum & viscerum sterquilinio, sua occuluerunt consilia, ab insanis sacerdotibus manifestanda.

Idcirco, quæ enumeratæ diuinationum species, vt τὸ ἐνόδιον, οἰκοσκοπικὸν, παλμικὸν, *augurium itinerarium*, *domesticum*, *vibratorium*, & ceteræ, profitentur, simpliciter vt superstitiosa reiicio ac damno. Inusitatæ, in corporibus nostris, motiones, vibrationes musculorum, παλμοὶ, πρίσεις τῶν ὀδόντων, *sternutationes*, *stridores dentium*, & alia, quandam παρὰ φύσιν διάθεσιν, *affectionem præter naturam*, indicant, non hoc, quòd τὸ παλμικὸν, *vibratorium*, profitetur. Sic & cetera genera, plena sunt anilium, friuolarum & nugacium superstitionum. Et quamvis ludat Diabolus mirificè, aliàs seriò, aliàs vexandi causa: tamen lusus illos persequi, &, quid apportent, scrutari, diuinitus vetitum est: & amentis est, aut niti, aut tribuere aliquid talibus præstigiis, quas quidem eò cre-

brius exercet & effundit, quò illis affici angique facilius homines experitur.

Extat Dei iudicium, de augurandi ratione, Leuit. 19. Μὴ ἐσθίετε ἐπὶ τῶν ὀρέων, καὶ οὐκ οἰωνιεῖσθε, οὐδὲ ὀρνιθοσκοπήσεσθε: *ne comeditote in montibus, neque augurio néve diuinatione vtimini.* Idem Deut. 18. repetitum est, atrocibus verbis, *μαντευόμενος μαντείαν, καὶ κληδωνιζόμενος, καὶ οἰωνιζόμενος, βδέλυγμά ἐστι κυρίῳ τῷ θεῷ σου: ἕνεκα γὰρ τῶν βδελυγμάτων τούτων κύριος ὁ θεός σου ἐξολοθρεύσει αὐτοὺς ἀπὸ προσώπου σου*: id est, *Ariolus & aruspex & augur, abominatio est* Deo tuo*: propter has enim abominationes, Dominus Deus exterminabit eos à facie tua.*

Auguria diuinitus prohibita.

Apparet etiam, Ethnicos antiquiores & saniores, stultissimam auguriorum vanitatem contemsisse.

Auguria ab Ethnicis sanioribus contemta.

Hector, apud Homerum, grauiter Polydamanti, metu augurij, pugnam detrectanti respondet, Vnum esse augurium optimum, & à Deo mandatum, fortiter defendere patriam;

Ἐξ ἄρα δή τοι ἔπειτα θεοὶ φρένας ὤλεσαν αὐτοί,
ὃς κέλεαι Ζηνὸς μὲν ἐριγδούποιο λαθέσθαι
βουλέων, ἅς τέ μοι αὐτὸς ὑπέσχετο καὶ κατένευσεν.
Τύνη δ' οἰωνοῖσι τανυπτερύγεσσι κελεύεις
Πείθεσθαι, τῶν οὔτι μεταστρέπομ', οὐδ' ἀλεγίζω,
Εἴτ' ἐπὶ δεξί' ἴωσι, πρὸς ἠῶ τ', ἠέλιόν τε,
Εἴτ' ἐπ' ἀριστερὰ, τοίγε ποτὶ ζόφον ἠερόεντα.
Ἡμεῖς δὲ μεγάλοιο Διὸς πειθώμεθα βουλῇ,
ὃς πᾶσι θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισιν ἀνάσσει,
εἷς οἰωνὸς ἄριστος, ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

At tibi Dij mentem turbarunt, spernere qui me,
Consilia ac promissa iubes Iouis altitonantis.
Tu verò me præpetibus parêre iubesque
Auguriis, quæ sperno equidem, quia vana videntur,
Seu dextra spectentur aues, Phaëtontis ad ortum,
Siue sinistra petant obituri limina solis.
Consilio magni Iouis at nos fidere oportet,
Quem penes est hominum diuûmque æterna potestas.
Optimum id auspicium est, patriam pugnando tueri.

DE

DE SORTIBVS ET DIVINATIONE EX SORTIBVS.

SORTIVM meminerunt historiæ Ethnicæ & ſacræ frequenter, & apparet, earum multum fuiſſe vſum.

Frequens vſus ſortium.

Sorte iubetur, ex duobus arietibus, eligi, qui offeratur Domino, Leuit. 16. Sorte terra diſtribuitur Iſraëlitis, de conſilio & mandato Dei: & Rex deſignatur Saul: &, in locum Iudæ, ſurrogatur Matthias Apoſtolus: Sorte, Ioſua explorat peccatum Anathematis: & Ionas depoſcitur ad pœnam.

Sorte, Athenienſes annuatim τοὺς πεντακοσίους, *Duiros*, & cùm id exigerent altercantes, arbitros, quos διαιτητὰς κατὰ κλῆρον & κληρωτὰς, *arbitros ſortitione electos, ſiue ſortito creatos*, nominabant, conſtituerunt. Erantque πεντακόσιοι, *Duiri*, qui ciuiles controuerſias, & rerum actiones, de quibus lis communiter popularibus oboriebatur, cognoſcebant ac diſceptabant. Differebant ab Areopagitis, quòd hi διηνεκεῖς, *perpetui*, eſſent, καὶ ἀδιάδοχοι, *& ſine ſucceſſione*, &, de criminalibus iudicatis, ſententias ferebant, ac ſtatuebant, de modo pœnæ: illi διάδοχοι, *ſucceſſioni obnoxij*, & annui: διαιτηταὶ κατὰ κλῆρον, *arbitri ſortitione dati*, ex iudicum decuriis, ad priuatas controuerſias audiendas ac dirimendas, adhibebantur, ſorte delecti authoritate τῶν πεντακοσίων, *Duirorum*.

Romæ Prætor, ex decuriis, præſides iudiciorum publicorum itidem ſorte aſſciſcebat.

Apud Homerum, principes ſortiuntur, ſortibus coniectis in galeam, eaque vibrata & agitata eò vſque, donec exilirent ſortes ordine, quo cuiuſque ſors prius exibat, eo ipſe antecedebat ceteros.

> Κλήρους ἐν κυνέῃ χαλκήρεϊ πάλλομεν ὦκα,
> Ἐκ δ' ἔθορε κλῆρος μεγαλήτορος Εὐρυλόχοιο.
> *Ocyus ærata miſcemus caßide ſortes.*
> *Magnanimi verò Eutylochi ſors exiit illa.*

Celo-

Celebrantur sortes Lyciæ, Deliæ, Prænestinæ, à Numerio quodam Suffio, in æde Fortunæ, Prænesti constitutæ, Antiatinæ, & aliæ, quibus occulta, ignotaque aut futura detegi, producique in lucem, opinio erat: tantaque colebantur religione, vt consulturi eas, non nisi solennibus lustrati ritibus accederent, & adesse his peculiaria numina, quæ missas sortes dispensarent, crederent. *Sortes in historiis celebratæ.*

Cùm igitur sortium diuersi sint fines, & conditiones diuersæ, cùm quarundam vsum sacræ literæ concedant, quarundam denegent & damnent, quarundam talis sit conditio, vt in exemplum trahi, nec possint, nec debeant: necesse est discerni gradus earum, & genera.

Sunt autem sortium, aliæ politicæ, aliæ diuinæ, aliæ diuinatoriæ. Vtamur sanè his vocibus, distinctionis causa. Diuinarum sortium appellatione, singularia illa complector, quorum mentio fit in sacris historiis, vt, cùm Iosua authorem Anathematis sorte exquirit & profert: cùm nautæ, naui tempestatibus concussa sæuissimis, ita vt pænè merger etur, instituunt inquisitionem de eo, cuius causa mare tantopere sæuiret, & sors Ionam demonstrat. Hæc etsi diuinitus gubernata, & patefacta fuisse, minimè dubium est: tamen nobis ea imitari, aut, simili indagationis via, scelerum authores scrutari, non licet. *Sortium genera.* *Sortes diuinæ.*

Placuit Deo, hoc modo aperire vtrumque: illum, vt, furto prodito, res sacra, quæ tabernaculo clàm erepta ac polluta erat, restitueretur, expiataque consecraretur denuo, & exemplum moneret ceteros, ne, spe occultationis, simile quid tentarent: hunc, vt nouo atque inusitato modo in ventre Ceti seruatus, fieret typus sepulturæ Domini nostri Iesu Christi.

Intuentes in hæc exempla, cogitemus de iudicio Dei vindicis scelerum, & maiore diligentia caueamus, ne offendamus Deum, aut perpetremus displicentia Deo: non blandiamur aut adulemur nobis, opinione & spe occultationis perpetuæ, nec, callidè sopita, latitura speremus in perpetuum: Exempla ista, id est, hanc occulta peruestigandi ac patefaciendi rationem, non vsurpemus.

Politicas sortes voco, quibus vel res certæ, vt hæreditates, legata, donata, & similia distribuuntur iis, ad quos per- *Sortes politicæ.*

tinent: vel, ex aliquo numero, idoneæ personæ decerpuntur, quibus certæ functiones commendentur, aut, ex ordine inferiore, aliqui cooptantur & euehuntur in superiorem & digniorem.

Instituuntur autem de rebus, arbitrio nostro subditis, legumque nituntur authoritate, & consensu sortientium, quo sese, ad parendum euentui sortis, sua sponte obligant, & coguntur pòst, authoritate legum, submissioneq;, ac assensione spontanea, decreto sortis acquiescere, & ferre atq; amplecti quæ eueniunt aut deferuntur, qualiacunque sint.

Non parum ea momenti adfert euitandis prohibendisque contentionibus, & dirimendis atque abrumpendis certaminibus, quæ sortibus sæpe componuntur ac sedantur facilius, quàm longis disputationibus, præsertim si bona fide, sineque dolo, & fraude administrentur: non, vt faciebat Temenus, qui Cresphonte & Aristodemi filiis, Heraclidis vtrisque, longas controuersias de Messeniaca sortitione finituris, communi consensu, vt vtris eam sors, decerneret, ij tenerent: glebas Cresphontis, ex luto formatas igne durabat, alteras siccabat ad Solem: Vtrisque enim immissis in vrnam aqua plenam, hæ mox liquefactæ dissoluebantur, illas extrahebat integras. Ita autem conuenerat inter eos, vt quorum glebas aqua colliquasset, ij cederent Messeniaca. Retinuit, hac Temeni fraude, Cresphontes terram, cohæredibus exclusis.

Temeni fraus in administrandis sortibus.

Sortium vsus politicus concessus.

Non aduersatur aut repugnat authoritati sacrarum literarum, vsus legitimus huius politicæ consuetudinis sortiendi. Approbant enim illæ, non abrogant constitutiones politicas, ex insitis nobis notionib. deriuatas, rationi consonas: & huic coniunctioni tuendæ accommodatas, qua inter se sociati copulatique viuunt homines: Et seriò vocatum Deum adesse, & gubernare illas, vel rerum sortito partitiones, vel designationes atque delectus personarum, aptarum certis muneribus, pro vt priuatim singulis, & publicè communi statui commodum est, ac salutare, monent exempla historiæ sacræ. Quare ad sortitiones, de Magistratibus, & muneribus publicis, à quibus incolumitas pendet, & stabilitas publici ordinis, præcipua reuerentia accedere, & precari conuenit, eas vt dirigat Deus, & quos tantis rebus ge-

rendis idoneos iudicet, ipse sorte indicet, atque eosdem instruat consilio & sapientia, & fortunet eorum industriam.

Olim fabis nigris & candidis, aut glebulis, aut calculis seu ψήφοις, quorum quidam *ἄτρητοι, non pertusi*, erant, quidam *τετρημμένοι, perforati*, tesserísve aut talis, sortiri consuetum fuit. *Sortium varia instrumenta.*

Sortituri autem calculos, in vrnam, certo numero, coniiciebant, præmisso folio oleæ, cui *ἑρμῆς, Mercurij*, nomen erat, inde, quòd, Mercurium præsidere sortibus credebant. Ex calculis, aliqui characteribus notati erant, & distincti à ceteris. Cùm ergo sors ducenda esset, primò oleæ folium eximebatur, postea auferebant singuli singulos, quos fortuitò arripuissent, & secundos tertiosq; priore ordine repetito, tollebant: tandem, eductis omnibus, prout quisq;, signatorum calculorum numero, superabat, sic, vel cùm Magistratus legerentur, præferebatur, vel, in adeunda hæreditate, percipiendísve aliis emolumentis, prærogatiuam obtinebat: Quibus par calculorum numerus contingebat, ij æquatas sortes duxerant, & iterata sortitione, dirimebantur.

Veneti hodie globulos inauratos & argenteos vsurpant. Nos literarum elementis, vt olim Syracusani, aut tessaris, aut chartis, quarum notatæ sunt quædam, quædam notis carent, vel aliis etiam rebus vtimur. *Venetorum & aliorum consuetudo, in sortiendo.*

Habent enim cognatum aliquid sortitioni, tesserarum, calculorum, taxillorum, astragalorum ludi: Etsi præter *βόλον καὶ πλῶσιν, iactum & casum*, quæ fortuita sunt, sæpe plurimùm nauat & præstat ingenium & industria ludentium: in illis ludis præsertim, quæ non sola proiectione fortuita, & procidentia tesserarum, absoluuntur, sed requirunt, præter hæc, in definitas ac distinctas lineas, dispositionem calculorum, quam ex casu consistentium tesserarum, eminentes earundem notæ demonstrant: aut, sine vsu tesserarum, expediuntur sola collocatione calculorum, ingeniosa, & secundum præscriptas leges, ad victoriam directa, quæ aut occupatis, ceu, præcipuis arcibus, aut interemtis, profligatis, interceptis, conclusis, ceu ducibus ipsis & militibus, acquiritur.

Veteribus in vsu fuerunt, *κυβεία, πεττεία, διαγραμμισμὸς, ἀστραγαλισμὸς, ludus tesserarum, siue alea, ludus* *Ludi Veteribus vsitati.*

calculorum, ludus 60 calculorum, talorum ludus. Ludus latrunculorum, qui constabat distinctis in orca, seu fritillo quadrato, areolis quadratis, quas *πόλεις* vocabant, inque his duabus contrariis aciebus distinctorum calculorum, accommodato positu instructis, ceu ad mutuas insidias & conflictus, qui *κύνες, canes,* dicebantur, & latrunculi: hi educuntur, intra definitos limites, ad congressum mutuum, atque conflictum, ad eum modum, vt, dum hi illos in se, ex aduersa acie, procedentes inuadere nituntur, vt vel se de sua repulsos summouere, vel perimere, muniantur, aut adhibitis & circumpositis custodibus, aut areæ seu areis natura, ne incidant in insidias, aut pateant illorum incursibus.

Latrunculorum ludus.

Κυβεία.

Κυβεία tesseris vtebatur, cubi specie sculptis, quæ *ἑξάπλευρος, sex laterum*, est, & sex includitur quadratis lateribus. Antiquitus trium vsu *κυβείαν* expeditam scribunt: postea numerum duplicatum excreuisse in senarium, ob numerum laterum, quorum bina quælibet, obuersa sibi inuicem, punctorum notis & numeris, septenarium numerum complent, vt *μονὰς καὶ ἑξάς*: Item, *τριὰς καὶ τετράς, δυὰς καὶ πεντάς*: id est, *vnitas & senarius numerus*: *item trinitas & quaternarius, binarius & quinarius numerus.*

Πεττεία.

Πεσσοὶ vel *πεσσά*, (vtrumque enim genus in vsu fuit) *ἀπὸ τοῦ πεσεῖν, calculi, seu scrupi lusorij à cadendo Græcè dicti,* geminato *σ*, *πεντάγραμμα, quinque linearum*, fuerunt, quod, de figura pentagona, vel *πεντάπλευρα, quinque laterum,* intelligo. Exercebatur autem *πεττεία, ludus calculorum*, ductis descriptisque lineis quinque, quarum media vocabatur *ἱερὰ*, id est, sacra, scilicet vtrinque, ab extremis lineis, ad mediam *ἱεράν, sacram,* quinque, *πεσσοῖς, scrupis,* directis. Vnde aliqui ludum ipsum *πεττείαν* dictam volunt, *οἱονεὶ πεντείαν τινὰ οὖσαν*, id est, *quasi πεντείαν quandam, à descriptis nimirum quinque lineis.*

Ἀστραγαλισμὸς.

Ἀστραγαλισμὸς, *talorum ludus*, quatuor talorum iactu, exercebatur, quibus vt quisque Venerem misisset, Cóumve, sic, vbi vel dispertiendum erat aliquid, in sortitione, ius eligendi, præ ceteris, adipiscebatur; vel tollebat id, de quo certamen erat, quódve victori propositum erat, præmium.

Ἀστράγαλοι, *tali*, aliàs Græcis *ἀστρίαι, ἄστρεις, & ἄστριχοι* dicebantur. Constant non pluribus, quàm quatuor lateribus: Summæ enim eorum & imæ partes leuiter incuruantur,

tur, quanquam non prorsus eodem modo. Nam superior replicatur in cornua quædam, iuxta quæ se submittit pronum latus: ima tale nihil habent.

Laterum nomina explicat Aristoteles, secundo historiæ animalium: τὸ μὲν πρανὲς ἔξω, τὸ δὲ ὕπτιον εἴσω, καὶ τὰ μὲν κῶα ἐντὸς ἐστραμμένα πρὸς ἄλληλα, τὰ δὲ χῖα καλούμενα ἔξω, καὶ τὰς κεραίας ἄνω: id est, Pronum in talo superius: supinum interius: Latera intus contigua, & sibi inuicem obuersa κῶα, quæ χῖα vocantur, vtrinq; ad exteriora vergunt: superiora sunt cornua, quæ Antennas vertit Gaza. Legendum est enim κῶα & χῖα, non κῶλα & ἰσχία. *Latera Astragali.*

Valebat autem κῶος senarium seu ἑξίτην: χῖος, qui & κύων dicebatur, & canis, vnitatem: cumque, & quaternionis ac ternionis notas habuerit talus, τὸ πρανὲς, *pronum*, quaternionem, τὸ ὕπτιον, *supinum*, ternionem valuisse, coniicio. Duo enim quævis aduersa latera, notis seu valoribus iunctis, efficiebant septenarium, κῶος & χῖος, id est, μονὰς καὶ ἑξάς, *vnitas & senarius*. Idemque τὸ πρανὲς καὶ ὕπτιον, τετρὰς καὶ τριάς, *pronum & supinum, hoc est, quaternio & ternio*.

Meminit ludi talorum Suetonius, recitans, ex quadam Epistola Octauij Augusti hæc verba: Inter cœnam, lusimus γεροντικῶς, *seniliter siue senum more*, heri & hodie: Talis enim iactatis, vt quisque canem aut senionem miserat, in singulos talos, singulos denarios, in medium conferebat, quos tollebat vniuersos, qui Venerem iecerat. Hæc ille.

Erat autem Veneris iactus, cum, de quatuor talis, nullus, summis notis, cum altero congrueret: & habebatur felicissimus.

Πτώσεις, *Casus*, & summarum notarum in iactu talorum variationes, triginta quinque erant vniuersæ, quas, pro valoribus, & significatis felicibus aut damnosis, suis singulas appellationibus insignierant.

Διαγραμμισμός, *lusus linearum siue 60 calculorum*, in Schemate lineis rectis descripto, exercebatur sexaginta calculorum, quorum triginta nigri erant, reliqui candidi, positu ductuque. Huic similis esse videtur is ludus, qui octodecim calculis, binis coloribus, in duos ordines distinctis, apud nos exercetur: his arte dispositis, in cardines, & mutuas intersectiones linearum rectarum quadrati diagrammatis, *Διαγραμμισμός.*

quod, trium magnitudine differentium, quadratorum tripartita *καταγραφῇ, descriptione*, & transuersarum rectarum linearum latera quadratorum æquabiliter dissecantium ductu, describitur.

Sortium vanitas. Diuinatoriæ sortes oracula excudunt, abdita atque abstrusa eruunt, ignota eliciunt, incerta confirmant, impendentia prospiciunt, susceptorum negociorum exitus prænoscunt, arguta quidem & solerti coniectatione, de numeris formisque elementorum mixtorúmve, deque indiciis casu ac fortuitò, & prorsus *ὡς ἔτυχε, vt cecidit*, acceptis: sed à veritate aliena, commenticia, atque impia, vtut sortium talium artifices & interpretes pingant sua commenta, & præstent quandoque, quæ magnificè promittunt.

Nam ne fortuitas, sineque ratione & deliberatione, constitutas notas, illos arguere euentus largiantur, quos causæ pariunt & moderantur ordinatæ: néve temerè prorsus & sine lege, cura, authore, notas quoq; ipsas euenire concedant, cùm fortuitum omne, à causa quapiam latente, procedat & dirigatur: fingunt sortitionem, seu notarum figurarumque significantium, aut constitutionem, aut collectionem, rei propositæ accommodatam, ab aliquo gubernari numine.

Alij ne hæc in numina referant, assentiuntur quidem, non à numinibus vim illam proficisci, sed astra, virtute mira, tum regere artificum manus, materiamque, quam tractant, vt dum temerè formant, iaciúntve figuratos antè characteres, illi, his non aduertentibus, euadant in figuras, quæ instituto quadrent: tum, conueniente vi, absolutos characteres imbuere comminiscuntur.

Adeò enim subdita astris atque addicta volunt esse, quæcunque extremus Mundi orbis, circumflexu suo cingit, vt illa, non tantùm, noto consuetoque ordine, progredientia, afficiant hæc elementis inclusa, &, à natura, in iisdem formata corpora: sed tum velut præsides, mente prouidentiáque, & manu adeo complexa, totam hanc molem vniuersitatis, & singulas partes, agant, prospiciant, efficiantque, & quasi fingant omnia: tum, sensu quodam diuino, præsagiant cuiuis homini euenturos casus, statim, vbi in lucem is prodiisset, præuideant atque intelligant imminentia, perspiciant abdita, contueantur interuallis disiuncta diuersissimis,

ſimis, & quadam omnipotentia mox ad nutum interpretis, quæ requirat quiſque, præſcireque deſideret, effictis, ipſorum ductu, characteribus, aut iactu talorum productis, declarent ac renuncient.

Falſum vtrumque eſt, & contumelioſum in Deum. Non iuuat Deus, aut promouet, quæ abominatur & damnat: &, in quem finem, ſint aſtra condita, quid quantúmve efficiant, cùm ſua voce Deus teſtatus eſt, tum & declaratum à me antè eſt, & repetetur idem pòſt copioſius.

Quòd verò fabulantur, aſſidere ſtellis ſingulis Angelicas naturas, quæ præuideant, ne in motu vſpiam aut titubent, aut exorbitent, effectusque earundem in terrena, ſuo iudicio & arbitrio, dirigant ac diſpenſent: id leuius eſt, quàm vt refutandum cenſeam. Ortum videtur, ex commentis Ethnicorum quorundam, qui primam cauſam, à reliquarum in natura partium adminiſtratione ſemotam, ſoli primo cœlo, nexu inſolubili, alligant, & ceteris orbibus peculiares intelligentias gubernatrices adiungunt.

Nihil ergo, quò nitantur diuinatoriæ ſortes, quóve excuſari poſſint, aut aſſeri, reſtat. Idcircò, ex qua ſint originè natæ, aut, qua vi, quæ iactitant, conficiant, quídve tribuendum illis ſit, manifeſtum eſt: etſi author horum ac diſpenſator Diabolus, ſignificatis completis, & præſtitis euentibus, authoritatem illis admirationemque comparauit, apud profanos, & aſtruxit fidem, omni tempore.

Eſt autem ratio diuinandi ex ſortibus multiplex, vt ſortium ipſarum non vna forma: *κληρομαντεία* ſeu *πηλομαντεία*, *diuinatio ex ſortibus ſiue ſortitione*, teſellis talíſve iactatis, ſortes captabat, &, ex ſummis talorum faciebus, aut iis, qui teſſeris inciſi erant, characteribus, diuinabat de euentu, aut ad quæſita reſpondebat. *Ratio diuinandi ex ſortibus.*

Ad Buram Achaiæ oppidum, oraculum Herculis fuit, ex talis & abaco conſtitutum: vbi conſulturus de re quapiam, poſt reddita Deo vota preceſque, talos quatuor iaciebat, quorum ſitum & figuram cùm inſpiceret oraculi præſes, quid euenturum eſſet, iuxta talos, in abaco, literis expreſſum inueniebat, erantque tali omnes, ex hoſtiarum oſſibus, arte fabrefacti.

Præneſtinarum ſortium, quæ claruerunt diutiſſimè, cùm *Præneſtina-*

rum sortium inuentio.

refrixissent ceteræ, talis traditur inuentio. Numerius quidam Suffius, honestus homo & nobilis, cum somniis crebris, ad extremum etiam minitantibus, iuberetur, certo in loco, silicem cedere, perterritus visis, irridentibus suis ciuibus, id agere cœpit. Perfracto saxo mox sortes eruperunt, in robore insculptæ priscarum literarum notæ. Is postea locus septus religiosè est, propter Iouis pueri, qui lactens, cum Iunone, in gremio Fortunæ sedens, mammam appetens, castissimè colitur à matribus.

Eodem tempore, illo loco, vbi postea Fortunæ ædes sita fuit, mel, ex olea, fluxisse proditum est, aruspicesque dixisse, summa nobilitate illas sortes futuras, eorumque iussu, ex olea illa, arcam esse factam, eaque conditas sortes, quæ, Fortunæ monitu, sublatæ sunt.

Disposuerat eas, in excauatam columnam, inuentor, vnde quotannis Calend. Ianuarij, magna celebritate, eximebantur, eaque, qua eductæ erant, serie iunctæ, integra responsa absoluebant, quæ oraculi vim habere putabantur.

Domitiano Cæsari mortem has prænunciasse, annotatum est. Cùm enim lætam exhibuissent antea semper, postremò tristem, nec, sine mentione sanguinis, sortem dederunt.

Antiatina sors.

Antiatina sors, Caij Caligulæ morte, insignis est, quem aliquantò antè, vt Cassium, à quo occisus est, caueret, præmonuerat.

Sortes, ad Aponum fontem Geryonis, quæ aureis talis missis, proueniebant, nobilitauit Tiberius Cæsar. Cùm enim priuatam adhuc vitam agens, tribus Octauiani nepotibus ex Iulia filia, vxore M. Agrippæ superstitibus, Caio, Lucio, & Agrippa, eas consuluisset, de Augusti successore, aurei tali proiecti cùm summum obuertissent punctum, imperium & successionem ipsi annuerunt.

Narrat Cæsar, M. Valerium Proculum, ab hostibus captum, sortium beneficio, euasisse incolumem, cùm illæ ter quæsitæ, vtrum igne comburendus statim esset, an in tempus aliud reseruandus, nunquam assensissent.

Geomantia.

Geomanticæ coniectationes fiunt, ex punctis, figurisq; sedecim, sorte constitutis. Figuras ipsas authores primi composuerunt, ex punctis digestis in certas species, nescio, an

casu

casu vel iudicio, &, ad duodecim Zodiaci signa, septemque aptarunt Planetas, vt, hoc prætextu, persuaderent imperitis, è cœlo, in figuras illas, dum ab artifice formantur, illabi atque influere vim nouam, qua, si in certa domicilia schematis, ad imaginem vsitatam thematis cœlestis, constructi disponantur, significent ea, quæ astra ipsa, hoc positu, natiua sua vi, terrenis omnibus, ac hominum generi præcipuè, inferant designéntve.

Non multum, inter has Geomanticas diuinationes & ἀποτελέσματα Astrologica περὶ ἐρωτήσεων, *prædictiones Astrologicas de quæstionibus*, interest, & ex his traxisse originem videntur.

Sedecim figurarum τεχνικὰ, *artificiosa*, nomina sunt, Acquisitio, Amissio, Læticia, Tristicia, Fortuna maior, Fortuna minor, Coniunctio, Carcer, Albus, Rubus, Puella, Puer, Populus, Via, Caput, Cauda. Ratio nominum ex significatis constat, quæ singulis attribuuntur. Punctorum series & collocatio, qua exprimuntur ordine figuræ, hæc est.

Geomanticarum figurarum nomina.



Geomanticarum figurarum distributio.

Has figuras artifices in quatuor τετράδας, *quaterniones*, dispertiuntur: Primam, cui tribuunt Rubeum, Amissionem, Fortunam minorem, Caudam, Trigono Zodiaci igneo, qualitatibus & significatis æquiparant ac conformant: Secundam, cui Acquisitionem, Læticiam, Coniunctionem, Puerum includunt, aëreo: Tertiam, quæ habet Puellam, Populum, Viam, Album, aqueo: Quartam, cui insunt Caput, Fortuna maior, Tristitia, Carcer, terreo. Rursus Acquisitionem Arieti, Læticiam & Fortunam minorem, Tauro: Rubeum & Puellam, Geminis: Album, Cancro: Viam, Leoni: Caput & Coniunctionem, Virgini: Puerum, Libræ: Tristiciam & Amissionem, Scorpio: Caudam, Sagittario: Populum, Capricorno: Fortunam maiorem, Aquario: Carcerem, Piscibus subiiciunt.

Ex Planetis Tristiciæ Saturnum retrogradum, Carceri directum: Læticiæ, Iouem προηγούμενον, *antecedentem*, Acquisitioni progredientem εἰς τὰ ἑπόμενα, *in consequentia signorum, siue directum*: Puero Martem regredientem, Rubeo in consequentia procedentem: Fortunæ maiori Solem eleuatum, Fortunæ minori depressum: Venerem cursu in antecedentia retroactam Amissioni, eandem prouolutam, secundum ordinem signorum, Puellæ: Mercurium repedantem Coniunctioni, in consequētia tendentem Albo: Lunā augescentē Populo, senescentem Viæ: Nodo euehenti Iouē & Venerem simul: Nodo deuehenti Saturnū & Martē, præponunt.

Atq; ita de figuris hisce, distributis ac collocatis in Schema, duodecim interuallis distinctum, ad modum cœlestis thematis, pronunciant, non secus, ac de stellis ipsis, quibus quadam vanitate ingeniorum, aut superstitione, Chaldæi multorum euentuum, neutiquam ab astris pendentium, immò alienissimorum & remotissimorum à stellarum effectionibus, significata falsò affinxerunt.

Geomantici thematis fabricandi modus.

Thema hoc modo fabricant. Eo momento, quo vel ipsi cogitant, de re aliqua inquirenda, vel audiunt alium, exponentem quæstionem de re, cuius rei indicationem aut declarationem postulat: sine attentione, sedecim lineas, punctis temerè prorsus & fortuitò signatis, pingunt ordine, moxque, de primis quatuor singulis, seorsim bina delent puncta toties, quoties id fieri potest: quæ remanent, coeunt

in

in vnam aliquam sedecim figurarum, ea est prima. Eodem modo, ex quatuor sequentibus lineis, secundam, ex tertio loco notatis, tertiam, quartam ex vltimis eliciunt.

Primis quatuor absolutis, & ordine dispositis, ex serie punctorum prima & transuersa, de primis quatuor figuris eo, quo sese insequuntur, ordine seorsim locatorum, quintam: ex secunda serie sextam, septimam ex tertia, & quarta octauam constituunt. Prima secundaque coniunctis, ex quatuor transuersis earundem ordinibus nonam extruunt, ita, vt si plura duobus punctis, in vna consistant serie, binis abiectis, reliqua notent eo loco nonæ figuræ, quem in suis tenuerunt primis sedibus, vt si tria sint puncta, vnum, duobus neglectis: si duo tantùm, vtrumque retinent: si quatuor, bina reiiciunt. Eodem modo tertia & quarta collatis, decimam: quinta & sexta, vndecimam: septima & octaua, duodecimam: rursus nona & decima comparatis, decimam tertiam: vndecima & duodecima, decimam quartam, hisque postremis inter sese collatis, decimam quintam: hae comparata ad primam, vltimam configurant.

Primæ *τετράδος*, *quaternionis*, figuras, Matres vocant: sequentes quatuor ex harum capitibus, humeris, iliis, ac pedibus conflatas, Filias: reliquas quatuor tertij ordinis ex primarum octo *συζυγίᾳ*, *combinatione*, eductas, Nepotes: duas primas quarti ordinis, quas quatuor proximè præcedentium *συζυγία*, *combinatio*, parit, Testes: Tertiam huius ordinis de *συζυγίᾳ*, *combinatione*, testium constitutam, Iudicem: Vltimam, ex iudicis & primæ matris *συζυγίᾳ*, *combinatione*, conformatam, Maiorem iudicem cognominant.

Quæ auctæ sunt parte suprema, id est, quæ versus superiora confertæ sunt punctis, censentur felices, præter Tristiciam: Ominosæ & infaustæ habentur, quibus, inferiore loco, maior punctorum numerus, excepta Lætitia: Communes, quibus, in vtraque parte, par notarum numerus.

His ergo collectis omnibus, schema formant simile cœlesti, idque explent, collocatis, in singula interualla, singulis figuris, exordio sumto à primo, cui, ceu horoscopo, primam imponunt figuram, reliquis ex ordine sequentes.

Si iudex imparibus constet punctis, negant, proposito congruere figuram: Si carceris adipiscatur speciem, & prima

figura sit, vel via, vel lætitia, vel tristicia, vel caput, aut cauda: fidem omnem authoritatemque significatis derogant, itidemque, vt adulterinam & alienam à proposito figuram explodunt: totiesque reiiciunt extructa Schemata, quoties iudici illarum, quæ excipiuntur, conditionum aliqua aduersatur.

Demonstratio Geomanticæ vanitatis.

Tandem, consentientibus omnibus, quid de proposita conceptáve quæstione, dici debeat, ex themate peruestigant, conditionibus ac proprietatibus figurarum pensitatis: quàm verè, viderint ipsi. Nulla enim prorsus subest ratio, nulla veri species. Qua vi enim, temeraria sortitione, accepta puncta, &, in certos characteres, cum iterata abolitione binorum, tum connexione duorum contiguorum quorumlibet, & litura superfluorum, coacta absque ratione præ se ferant, quæ ventura sint cuique, quæve nosse quis expetit, non intelligo.

Etenim fortuitum omne, aut prorsus est *αὐτόματον, fortuitum*, sineque ordine, lege, authore, principio incitante & regente, suopte nutu fertur, atque euenit: aut ab aliqua causa oritur, quæ id, *ὡς καθ' ἑαυτὸ αἴτιον, vt causa per se,* præter opinionem nostram expectationemque, obiicit, gubernat ac complet.

Si fortuita prorsus *αὐτομάτως, fortuitò*, fieri dixerimus, reuincemur & confutabimur consensu perpetuo totius naturæ rerum, nostrarumque mentium constanti atque confirmato iudicio, & sacrarum literarum authoritate. Illa mediocriter attendenti demonstrat, concinna & aptissima serie, nexas inter se copulatasque cohærere causas omnes, vt & quælibet sibi proximam impellat, incitata ab ea, quæ antecedit, atque in ordine superior est: & desinat ordo in vltimam ac primam causam, quæ non extraneo mota principio, sed, sua vi, ceteras à se dependentes, & sibi subiectas, suoque velut inclusas alueo, foueat, agitet, & afficiat: & eam causam non ita, hac causarum catena, vinctam esse, vt nequeat, ex sese, diuersum quippiam ab effectionib. illarũ promere: sed, vi libera & omnipotente, posse, cùm velut iniecto freno, cohibere ceteras, tum quæcunq; velit perficere: adeoq; nihil, quantúmvis minutum ac tenue, fieri in natura, quod non à causis certis cieatur: etsi non semper in oculos, incur-

incurrunt illæ, aut, sensu cuiusuis pernosci comprehendique queunt.

Manet immotum hoc mentibus nostris insitum *ἀξίωμα*, *pronuntiatum*, & consensu naturæ stabilitum: Nihil fieri sine causa, vtut lapsu suo Diaboli & homines vitiarint sapientissimè & absolutissimè dispositum ordinem causarum, eique labem & *ἀταξίαν, confusionem*, inflixerint deformem, ruptis confractisque violenter annulis, quibus, & ceteris causis, & primæ cohærebant.

Neq; ociari Deum, nec discedere à suo opere, nec defatigari, tædióve aut molestia affici: sed prouidere, vt residua adhuc causarum series suo ritè fungatur munere, & quomodocunq; sarti refectique annuli, quibus ipsi voluntas humana annectitur in aliquibus, durentur ætate & exercitiis piis, atq; coalescant rursus: &, hominum causa, multa mutare, multa secus efficere, quàm secundæ causæ intendunt, in salutem, aut pœnam, perniciemq; ipsorum, prout merentur, sacræ literæ toties clamant.

Si verò hanc punctorum figurarumque sortitionem fortuitam esse contenderimus: vnde maculas atramento, aliáve materia tabulis illitas, sine mente, sineq; cogitatione, &, sua natura, *ἀσημάντους, expertes significationis*, atq; inefficaces, significare dicemus ea, quæ nos imaginamur, aut quærimus?

Si ideo, quòd in hunc vsum sunt conficta. At, artificibus non aduertentibus, nec apices, quos signant, numerantibus excidunt: Et, vel si rumpantur ipsi, nunquam signa condent Physica, quæ, de effectionibus causarum non consideratarum, immò, de euentibus non procedentibus ab vllis Physicis & notis causis, & qui fortuiti esse videntur, doceant.

Si verò regi eam à causa aliqua concesserimus, erit illa remota, vel propinqua, & materialis. Materialem esse nemo dixerit facilè. Erit igitur remota, eaque, aut siderea, aut fortior potentiorq; quauis physica causa. Siderea non est, quod à me demonstratum est antea: Ergo occulta erit, & incorporea, seu spiritualis. Sub hanc cadunt Deus ipse, Angeli sancti, & Dæmones. Nec Deum illam sortitionem gubernare, nec Angelos, certum est ex antè dictis. Reliquum est ergo, vt autor gubernatórq; totius diuinationis Geomanti-

cæ sit Diabolus: hoc monente, signa excogitata sunt primùm & accommodata, ad harum illarúmve rerum designationem, prætextu virtutis astrorum: hoc colludente & iuuante, artifices, quod indagant, quandoq; figurarum ductu, monituq;, consequuntur. Nihil tale characteres Geomantici, neque ex sese habent, neque ex materia, qua constant: Nihil ex cœli influxu aut artificum manibus, tale acquirũt.

Ὀνομομαντεία & ἀριθμομαντεία.

Ὀνομομαντεία & ἀριθμομαντεία, *diuinatio ex nominibus & numeris*, exercentur. Ortam vtramque à Pythagoreis tradunt, qui literarum elementis certos diuinosq; tribuerunt numeros, numeris vim præsagam futuri occultique: quam, vt ex quodam cum stellis connexu consensuque habere viderentur, quidam vnitatem & quaternionem Soli, binarium Mercurio, senionem Veneri, octonarium Saturno, nouenarium Marti: vnitatem Leoni, binarium Aquario, ternarium Capricorno, quaternarium Sagittario, quinarium Cancro, senarium Tauro, septenarium Arieti, octonarium Libræ, nouenarium Scorpio, denarium Virgini, vndenarium Piscibus, duodenarium Geminis, accommodarunt.

Et fortasse hoc non sine ratione factum est. Soli vnitatem dedicatam existimo, vel, quòd vno simpliciq; circumferatur motu: vel, quòd dignitate, præstantia, luce, mole, reliquas stellas anteat, & lumen ceteris communicet, vt numeros ceteros vnitas & ordine naturæ præcedit & constituit: quaternionem additum, ob locum quartum, qui inter septem planetas, medius est.

Lunæ assignatum reor septenarium, quòd, septem dierum spacio, quartam semper cœli partem emetiatur, & φάσιν, *apparitionem*, atque effigiem mutet, &, quater septem diebus, curriculum absoluat integrum, circuituq; dierum septem, variè afficiat terrena cuncta immutetq;: adiunctum verò binarium quòd vt plurimùm, secundo à coitu die, proferat, se in emersum, & biduo rursus, ante congressum, subeat radios Solis, & euanescat ex oculis.

Ternarium relatum in Iouem beneficium, non dubito, ex vetusta & religiosa, de ternario, opinione, quæ ex antiquissima sanctorum Patrum doctrina, de sancta Trinitate reliqua, Ethnicos in admirationem huius numeri conuertit:

tit. Temperatior est autem ceteris Iupiter, & fausta ac salutaria plerunq; præstat ac confert. Sic de ceteris. Sed quacunq; sit ratione hoc factum, non moror.

Distribuerunt iidem Alphabetum in tres δεκάδας, *decadas*, exemplo, vt opinor, Chaldæorum, à quibus profectam ἀριθμομαντείαν, *vaticinationem ex numeris*, multa sunt quæ arguunt. Prima simplices comprehenderunt numeros, secunda denarios, tertia centenarios.

Alphabeti distributio Arithmetica.

Diuinaturi de aliqua re, nomina eorum, qui interrogationem deferebant, resoluta commutabant in numeros.

Imitati sunt hoc recentiores Iudæi, sanctissimis nominibus veri Dei, & castorum Angelorum, ac Dæmonum. Condiderunt geminam Cabalam, Vnam de Breschith, quam Cosmologiam vocant: Alteram de Mercana, de Dei, Angelorum, Dæmonumque naturis, nominibus, & signaculis. Hanc rursus in ἀριθμομαντείαν, *vaticinationem ex numeris*, distinxerunt, & θεομαντείαν, *Diuinationem, seu Dei vaticinium*. Illa, Angelicas virtutes, nomina & signacula: hac, altiora, & ad Deum pertinentia, pertractarunt, tanto scelere, profanatis & pollutis sanctissimis Dei nominibus, vt nesciam, an vllum maius cogitari possit. Piæ mentes oculis illorum mentionem, auribus, & toto pectore, abhorreant ac detestentur. Sed ad ἀριθμομάντεις, *diuinatores ex numeris* reuertor.

Cabala Iudæorum recentium.

Commenticia tota est ἀριθμομαντεία, *diuinatio ex numeris*. Vnde sit enim vis σημαντικὴ, *significatrix*, numerorum non video.

Arithmomantiæ vanitas.

Aut enim ipsis inest numeris natura, aut accedit extrinsecus. Natura non inest: Etenim numeri, per se, sunt aut quãtitates, quas mens intuens, & velut ordinans obiecta singularia sensibus subiecta, cogitando format: nec differunt ab ipso intelligendi actu, hocque cessante, abeunt atq; euanescunt: Aut characteres picti, quibus notantur & exprimuntur numeri. Illas, sensu perceptorum aut cogitatorum indiuiduorum, multitudinem significare: hos certum vnitatum numerum, nec præter hæc aliud quicquam adeò euidens est, vt demonstratione non egeat.

Si aliunde aduenire dicitur, eodem res redit, quo in Geomantia.

Credo Arithmomantiæ nomen initio toti numerorum

doctrinæ tributum, à primis & summis artificibus: qua, haud scio, an sit perfectior vlla, aut vitæ accommodatior, aut naturæ intelligenti conuenientior.

Numerorum analogia mirabilis.

Miræ enim sunt, & variæ numerorum proprietates & analogiæ inter sese: series non fortuita, sed aptissimè distributa: discrimina varia, eaq; non ἄχρηστα, *inutilia*, sed vsibus pænè infinitis accommodata, quos cùm, ingeniorum acumine, artifices eruissent & explicassent, mirati artificiosam rationem ceteri, quæ numerorum inter se commixtionibus, amplificationibus, diminutionibus, partitionibus, analogiis, ceu quadam diuinatione, deduceret ad cognitionem rerum, quibus, in artibus, & vita, opus erat, vim numeris diuinam inesse finxerunt: sicut reuera nullum expressius aut euidentius diuinæ sapientiæ exemplum, in deprauata hominum natura, reliquum est, hac ipsa numerorum noticia.

Proportiones numerorum transtulerunt argutè ad politica, atq; inde, de politiarum periodis, vt constitutionibus, duratione, fatalibus mutationibus, eruditè sunt philosophati: quæ proportiones imperia instaurent, stabiliant, muniant, ac tueantur: quibus vigeant & consistant: quæ dissoluant eadem atq; euertant rursus: denique quibus sint periodis durationes circumscriptæ.

Arithmeticum vaticinium Platonis.

Extat Arithmeticum vaticinium Platonis, de Rerumpub. periodis, octauo πολιτειῶν: ἐστὶ δὲ θείῳ μὲν γεννητῷ περίοδος, ἣν ἀριθμὸς περιλαμβάνει τέλειος· ἀνθρωπείῳ δ' ἐν ᾧ πρώτῳ αὐξήσεις δυνάμεναί τε καὶ δυναστευόμεναι τρεῖς ἀποκαταστάσεις· τέτταρας δ' ὅρους λαβοῦσαι, ὁμοιούντων τε καὶ ἀνομοιούντων, καὶ αὐξόντων καὶ φθινόντων, πάντα προσήγορα καὶ ῥητὰ πρὸς ἄλληλα ἀπέφηναν· ὧν ἐπίτριτος πυθμὴν πεμπάδι συζυγεὶς δύο ἁρμονίας παρέχεται, τρὶς αὐξηθεὶς, &c. id est: *Est quidem diuino genito, (id est, causis naturalibus, diuina quidem potentia præditis, sed tamen à* Deo *creatis) circuitus quidam, quem perfectus quidam numerus complectitur: humano verò genito, (id est, hominum generi,) in quo quidem primò sunt incrementa imperantium, & imperio subiectorum discriminibus distincta, tres sunt status, certis quibusdam quasi cancellis definiti: quatuor nimirum terminis, & eorum, qui similitudines inducunt, & contrà dissimilitudines: & eorum qui crescunt & decrescunt: ex quorum terminorum varia & multiplici efficacia, res omnes, quæ in hoc vniuersi-*

uersitatis ambitu versantur, æqua ratione & sibi inuicem respondente componuntur, ita, vt distinctè illis constet sua natura. Quorum sesquitertium fundamentum, cum quinario copulatum, ter auctum duas harmonias præbet.

Aristoteles hunc locum 5 Politicorum interpretatur & reiicit, vbi de periodis disputat φησὶ (inquit) Plato αἴτιον εἶναι τὸ μὴ μένειν μηδὲν, ἀλλ' ἐν τινὶ περιόδῳ μεταβάλλειν, ἀρχὴν δ' εἶναι τούτων, ὧν ἐπίτριτος πυθμὴν πεμπάδι συζυγεὶς δύο ἁρμονίας παρέχεται, λέγων ὅταν ὁ τοῦ διαγράμματος ἀριθμὸς τούτου γένηται στερεός, ὡς τῆς φύσεως ποτὲ φυούσης φαύλους καὶ κρείττους τῆς παιδείας. *id est: Ait id causæ esse, quòd nihil maneat, muteturque circuitu quodam temporis. Initium autem horum esse ea, quorum sesquitertium fundamentum, coniunctum cum quinario, duplicem concentum efficit, additque ille, tum id fieri, cùm diagrammatos numerus huius est solidus, tanquam natura prauos, ac meliores, quàm disciplina procreet.*

Etsi autem vtrumq; locum alij aliter intellexerunt: tamen hoc velle Platonem iudico, stabilitatem Imperiorum, vigoremque his numeris comprehensum esse, ac definitum vt ineuntibus duabus proportionibus, quas sesquitertia radix, cum quinario, constituit, erigantur atq; efflorescant imperia: auctis iisdem, atque in solidum numerum conuersis, cum natura vltra solidi numeri perfectionem, nihil intendat absolutius, labi rursum eadem in deterius ac deficere, occupantibus gubernationem hominibus non idoneis.

Platonis vaticinium Arithmeticum explicatur.

Sit ergo diagrammatis sesquitertia radix, vt 4 & 3 connexa diagono quinario. Hi tres numeri duas constituant harmonias, vsurpato ternario, pro communi termino, nimirum sesquitertiam, & superpartientem duas tertias: iidem triplicati, id est, aucti cubica multiplicatione, & coniuncti, quartum terminum producūt 216: qui στερεὸς καὶ κύβος ἀριθμὸς, *solidus & cubicus numerus*, est, & annorum, quibus imperia vertuntur, periodos continet. Sicut autem in Musicis διατεσσάρων & διαπέντε iuncta, διαπασῶν complent: ita hæ harmoniæ, sesquitertia & superpartiens tertias, additæ integrum absoluunt, quod vbi auctum τριπλασίονι λόγῳ, *tripla ratione*, excreuit in solidum, finit imperia.

Etsi autem applicationem, quæ sequitur in Platone, & numerorum, cum hac periodo, congruentiam non satis intelligo, & videtur in textu mendum esse: tamen, non alie-

nam esse à sensu Platonis, hanc interpretationem, præcedentia, *περὶ τῶν τριῶν ἀποκαταστάσεων, καὶ τεσσάρων ὅρων*, *de tribus statibus, & quatuor terminis*, indicant, & vult hæc προσήγορα esse *καὶ ῥητὰ, æqua ratione sibi inuicem respondentia, & nominata*, non ἄλογα, vel ἄρρητα, id est, irrationalia vel innominata.

Eiusmodi fortasse Pythagoreorum fuit ἀριθμομαντεία, *diuinatio ex numeris*: considerarunt & naturas, & proportiones numerorum, tum quousque hæ progrederentur, vbi, rationalium vsu resistente ac deficiente, *τοῖς ἀλόγοις καὶ ἀρρήτοις, non constantibus ratione, & innominatis*, vtendum esset: deprehenderunt, scitè apteque hæc inter se congruere: &, his ad vitam communem accommodatis, similem *ἁρμονίαν καὶ συμμετρίαν*, *harmoniam & commoderationem*, in imperiis, & publica priuataque vita cuiusque requisiuerunt: Vtque; confusio harmoniarum in numeris, & vltra debitum extensio, rumpit ac destruit analogias, & discrepantiam efficit: sic iisdem proportionibus, in communi vita, mutatis, aut ad summam perfectionem auctis, sequi conuersionem inclinationemque in deterius voluerunt. Postea, vel imperiti, vel superstitiosi assuerunt numeris aliena & falsa significata.

De quaternario, integrum condidit volumen Democritus: sed hæc procul explodo & remoueo.

λογαριθμομαντεία.

Est inter species τῆς ἀριθμομαντείας, *diuinationis ex numeris*, quam nouo nomine, à re noua, *λογαριθμομαντείαν*, *ex rationibus numerorum diuinationem*, nominamus. Hæc, per *διάταξιν*, *dispositionem*, & progressionem numerorum *τριγώνων*, *triquetrorum*, seu triangularium, ex certis & præscriptis verbis, destinata tempora elicit; &, è conuerso, ex numeris fingit & fabricat oracula, numeris in verba conuersis, & vicissim verbis resolutis in numeros.

Numerorum triangularium in literarum elementa digestorum, series talis est:

A 1	B 3	C 6	D 10	E 15
F 21	G 28	H 36	I 45	K 55
L 56	M 78	N 91	O 105	P 120
Q 136	R 153	S 171	T 190	V 210
X 231	Y 253	Z 276		

Hi numeri omnes, si coaceruentur, efficiunt numerum 2300 in Daniele octauo capite traditum de diebus Antiochi Epiphanis. Ex hoc numero, & similibus, à Daniele positis, vt sunt 1290 & 1335 aliisque in Apocalypsi tributis bestiæ, vt sunt 666 & 1260 quidam sua illa secuti commenta, & prorsus *ἀναίτια φαντάσματα, causis destituta phantasmata*, de triangularibus numeris, alludentes fortasse, ad *ἁγίαν τριάδα, sanctam Trinitatem*, mirifica, eaq; diuersa constant oracula, quæ eo loco haberi volunt, nescio, qua persuasione, quasi his illigata certò sint, & velut consignata numeris illa ipsa, prouidentia constitutioneque diuina, quæ isti noui vates inde eruunt atque expromunt.

Ex hoc numero Apocalypseos 1260 concinnant hæc verba, Væ tibi Papa, væ tibi toto scilicet numero in trigonicos resoluto, & literis, quas his adaptarunt, suo iudicio, sine autoritate diuina, & sine ratione collectis in prædictas voces. Ex aliis alia conficiunt, miranda varietate. Est enim errorum & superstitionum fœcunda.

Etsi autem ludum ingenij non magnopere improbo, si careat superstitione: tamen cum vsu coniunctam stultam & falsam persuasionem reprehendo, quæ his de numerorum characteribus compositis, & vicissim in numeros explicatis sententiis, tribuit veritatem oraculorum. *Refutatio Logarithmomantiæ.*

Quid facilius est homini arguto & ingenioso, quàm, ex iisdem numeris, eadem lege, prolicere ac contexere plura diuersa, immò ex diametro contraria iis, quæ à primis illis autoribus & fabris oraculorum produntur? Quæ ratio congruentię literarum, cum dispositis, ad certam διάταξιν, *dispositionem seu collationem*, numeris, & cur τρίγωνοι, *triangulares*, potius adhibentur, quàm aut τετράπλευροι, aut πεντάγωνοι, *quadrilateri vel quinquangulares*?

Cur verò, ad fabricationem talium oraculorum, conuenientiores censentur characteres Latini, & Latinæ voces, quàm, aut Hebraicæ, aut Græcæ, cum lingua partim Hebraica, partim Græca, primò promulgatæ sint & descriptæ voces cœlestes, aut ex Hebræo, in Græcum sermonem, prius translatæ, quàm Latinum?

Nimis ineptum & puerile, immò pæne delirium, nec refutatione dignum, quòd ideo characteres Latinos præferendos censent, quia ad vsum, rectiore & simpliciore Orthographia, sint accommodatiores, & notior sit ipsa lingua Latina, ac peruulgatior, quàm Græca: denique quòd quæ numerus bestiæ definit in Apocalypsi, illa ad Latinam pertineant Ecclesiam, non Græcam. Pulcra profectò fundamenta belli artificij.

Sed relinquo his oraculorum fabris & interpretibus sua commenta, quibus inter diuinationum genera, quem alium assignem locum, nisi hunc ipsum, in classe sortium diuinatoriarum, non reperio.

Est omnino, vt suprà dixi, numerorum varietas multiplex, proprietas admiranda, vsus infinitus, concinnitas tanta, in rationibus & analogiis, eaq; non ociosa aut superuacua, sed, cum vtilitate immensa coniuncta, vt à nullo explicari satis possit.

Classes numerorum. Sunt suæ classes numeris, secundum se, consideratis, & vt ita dicam, ἀΰλοις, *materiæ expertibus*, quorum prima genera complectuntur numeros ἀρτίους καὶ περιττούς, id est, pares & impares: Sunt suæ & Geometricis καὶ ἐνύλοις, *in materia consideratis*, numeris, qui, secundum discrimina ac differentias magnitudinum, distinguuntur in γραμμικοὺς, ἐπιπέδους καὶ στερεοὺς, *lineares, planos, & solidos*: Sunt rursus comparatorum inter se numerorum rationes, quas λόγους, *computationes*, vocant,

tant,& ipſarum inter ſe rationum habitudines admirandæ, quæ *ἀναλογίαι* vocantur.

Horum omnium exploratæ comprehenſæq́;, ab ingeniosis artificibus, proprietates, quàm pulcros, quàm neceſſarios, quàm multipliciter variatos vſus pepererint, oſtendunt ἐπιλογισμοὶ Logiſtices, Aſtronomicæ, & ψηφοφορίας, *calculationis*, Coſſicæ, vt vocant. Sed hæc, quid ad vatidica monita, & futurorum prædictiones? cur pro oraculo habenda ſunt, quæ ingenioſus aliquis & argutus, ex comparatione, vel coagmentatione concinnè digeſtorum numerorum, extruit?

Concinnius multò eſt inuentum illorum, qui, ex literis inſcriptionis Hebraicæ primi libri Moyſis, tempus nati, crucifixi, & reſuſcitati, ac triumphantis Saluatoris noſtri Ieſu Christi deducunt. Inſcribitur is liber Breſchith, cuius vocis etymon faciunt, Barſcith, hoc eſt, dabo filium. Tempus ergo dati Filij, id eſt, miſſi Meſſiæ, definiunt hoc modo. *Cabaliſticæ artis pulcrum exemplum.*

Primò aſſumunt, ex ipſa appellatione, literas, plus quàm centum ſignificantes, Hebræa numerandi conſuetudine: vt ר ducenta, ש trecenta, ת quadringenta, denotat. Poſtea rurſus, ex earundem illarum, de quibus vox Breſchith conflata eſt, integris appellationibus, eodem modo decerpunt literas, valorem centenario maiorem deſignantes: Vt in in voce בֵּית litera ת quadringenta: in voce רֵישׁ litera ר ducenta, vltima ש trecenta: in voce אָלֶף litera ף octingenta: in voce שִׁין, litera ש trecenta, litera ן ſeptingenta: in voce תָּיו litera ת quadringenta valet. Hi ſi coniungantur numeri, annos quater mille conſtituunt. Eſt autem aſſumtus Chriſtus in cœlum, & collocatus ad dextram æterni Patris, victor Diaboli, mortis, & inferni, anno, à Mundi exordio, ter milleſimo, noningenteſimo, nonageſimo ſexto, qui numerus, à perfecto quater millenario, deficit tantùm annis quatuor.

Pulcrè hæc cogitata ſunt: ſed à poſteriori, ſeu ex euentu collecta, neque autoritate aliqua ſacræ Scripturæ, neque ratione, aut firma, aut neceſſaria, ſed probabili, &, ob congruentiam, concinna: in talibus, ſi quis exerceat ingenium, vituperari minimè debet.

Illud verò λογαριθμομαντικὸν, *prædictionis diuinatricis ex ra-*

tionibus numerorum, artificium, quod futurorum profitetur præscientiam & προῤῥησιν, *prædictionem*, ex numeri alicuius, in trigonicos numeros, resolutione, horumque conuersione, in literas, prorsus sortitioni simile, & explodendum est.

Ἀναγραμματισμός. Ἀναγραμματισμὸς vel μεταγραμματισμὸς μετάθεσιν ἔχει συλλαβῶν, καὶ ἀποβολὴν, καὶ πρόσθεσιν γραμμάτων. *Literarum traiectio vel inuersio transpositionem habet syllabarum, & abiectionem & adiectionem literarum: cuius non fuit ignarus* Plato ex *Cratylo*. Fit enim vocum, quas dari certas oportet, ac præscriptas, in elementa sua, hoc est, syllabas & literas, dissolutarum nouo contextu, aut permutatarum collocatione syllabarum, in nouas, atq; à prioribus diuersas voces coagmentatione.

Huius vsu valuisse, & propterea in admirationem venisse, apud Ptolemæum Philadelphum, Ægypti Regem, scribitur Lycophron Chalcidensis, vnus septem Poetarum, quos coniunctos vocarunt πλειάδα, *Pleiadem*. Is Ptolemæum μεταγραμματιζόμενον, *per transpositionem literarum*, solitus est appellare ἀπὸ μέλιτος, *quasi dicas à melle:* Arsinoen verò ἴον ἥρας, *violam Iunonis*.

Anagrammatismi exempla Gallica. Multus huius vsus est hodie apud Gallos, quorum lingua mollior delicatiorq; elisiones, διαιρέσεις, *diuisiones*, enunciationes diuersas, & cognatione ambiguas, mutationes varias, & elegantes, atq; in transpositione concinnas, allusiones venustas, plures recipit, quàm reliquarum gentium linguæ. Concinna est nominum Francisci Valesij & Henrici filij κατ' ἀναγραμματισμὸν, *per inuersionem literarum*, commutatio; François de Valoys, Franciscus Valesius. Hoc nomen μεταγραμματιζόμενον, *si literæ transponantur*, reddit talem sententiam; De Façon Suys Royal: id est, ipso gestu sum Regius. Henry de Valoys, Henricus Valesius: κατ' ἀναγραμματισμὸν, *per inuersionem literarum*, parit hanc sententiam, Roy es de nul hay: id est, Rex es, quem nemo odit.

Catherinæ Mediceæ Reginæ Galliæ Henrici Coniugis inscriptionem hanc, Catherina de Medicis Regina Mater, per anagrammatismon conuerterunt in hoc Elogium: Dira in me regnat Circe, Medea, Thais.

Est ἀναγραμματισμὸς, *anagrammatismus*, ingenij ludus quidam, habens suas delicias, quas, si voluptatis causa, citra con-

contumeliam cuiusquam vsurpentur, &, si absit profanitas aut superstitio, non ducerem magnopere vituperandas. Si verò superstitio accedat scilicet, si ad scrutanda ignota & futura, ille transferatur: vel, si struat contumeliosa aliis, ferendus est minimè. *Γραμματομαντεία, diuinatio ex literis*, non ignota veteribus in nominibus Achillis & Hectoris Geomantiæ quid instar habet. Sed minus inerudita est. Arithmomantiæ vicinior. Effingit autem & consuit oracula non ex characteribus tantum literarum & vocabulorum, sed etiam ex sententiis, quod Stifelius Arithmeticus faciebat.

Sunt præter hæc, & alia diuinationum genera, quæ vel, sub hoc Sortium genere, collocari, vel ad incantationes referri poterunt, vt *τιφραμαντεία, βοτανομαντεία, κηρομαντεία, ex notis cineri inscriptis, ex herbis, ex cera diuinatio.*

Τιφραμαντεία, diuinatio ex cinere, fit, cùm cineri digito bacillóve res, de qua diuinandum est, velut, sulcis ductis, inscribitur, isque, sub patulum cœlum, nullo tectus operculo exponitur: Quæ enim remanent literæ, non dissipatæ ventis, aut obliteratæ, vel confusæ, & oppletæ agitato cinere: eo, quo se consequuntur, ordine, docere de re quæsita, existimantur. Τιφραμαντεία.

Βοτανομαντεία, diuinatio ex herbis, ex Saluiæ foliis, vt *συκομαντεία, diuinatio ex ficubus*, ex ficuum foliis, consignatis eorum nominibus, qui quærunt, & integra quæstione, præsagit occulta & futura hoc modo. Collocantur folia, sub apertum cœlum, cumq; ob leuitatem & mobilitatem, quædam disiecta ventis defluant aut auolent, quædam remaneant, sed suis excussa locis aut perturbata, aut conuersa in oppositum, hæc, quæ relinquuntur, diuinationi adhibentur: quod enim digestis illis in ordinem & coaptatis emergit, oraculi vice assumitur. Βοτανομαντεία.

Κηρομαντεία, diuinatio ex cera, Turcis in vsu esse dicitur, vt Geomantia. Diuinat autem ex quadrante ceræ, ad ignem conflato, liquefactis guttulis, in suppositam aquam destillantibus. Varias enim illæ sparsim, in aquæ superficie, concretæ figuras componunt, prout vel cohærescunt ac complicantur ex interuallo, vel longius disiunguntur, vel, in fibras, ac tenuia oblongaque filamenta, sparguntur, vel velut, è centro crassiore, circumquaq; radios tenues stella- Κηρομαντεία.

rum instar, sed implexos sibi inuicem, innexosq; exerunt. Tria designata cacumina, ceu metas guttulis cereis circumdant: earumq;, quæ intra has cadunt, figurarum mensuras, distantias, & qualitates contemplantur.

Nos pueri, per iocum olim, ludumq;, chartis, quibus præcipuos, eósque velut vatidicos Vergilij versus, ex integro decerptos volumine, inscripseramus, sortiebamur, de quibuscunque rebus nobis in mentem venisset, de principum fatis, de nobis euenturis, vt citius, faciliusque, & altius memoriæ eos infigeremus.

Possumus hanc rationem στιχειομαντείαν, *prædictionem diuinatricem ex versibus*, nominare: etsi non tam quid adferrent prænunciaréntve arreptæ fortuitò chartæ spectabamus, quàm profectus nostros. Nam & citius, & altius inhærebãt animis versus, hoc quasi ludo frequenter repetiti.

Sortes Vergilianæ.

His similes sunt sortes, quas Vergilianas vocarunt, cùm aperto libri codice, qui primi visui occurrissent versus, in oraculi omen assumebantur. Meminit harum Helius Spartianus, in Adriani vita. Hunc enim, cùm is, de Imperatoris, erga se, solicitus animo, sortes Vergilianas consuleret, incidisse memorat in hos versus:

Quis procul ille autem ramis insignis oliuæ,
Sacra ferens? nosco crines, incanaq; menta
Romani regis, primus qui legibus vrbem
Fundabit, curibus paruis & paupere terrâ
Missus in imperium magnum.

Fuit autem ab his Sortibus, diuersissimum illud alterum Sortium genus, quod sacerdotes confictum oraculis æquipararunt. Inscribebant enim arborum foliis tabellisve euentuum diuersorum indices, & præmonitrices sententias, & folia illa tabellásve, ad deorum disponebant puluinaria. Cùm flagitarentur ergo responsa, post præfatas à sacerdotibus preces, decidebant, aut arte à sacerdotibus ipsis impulsa, aut, Diaboli collusione, mota folia, quæ sententias continebant, alludentes ad quæsita. Meminit harum Sortium Liuius libro 22.

Sortes diuinatoriæ prohibitæ.

De sortionibus autem diuinatoriis, quæ eo fine instituuntur, vt explorentur futura, quadam diffidentia de Dei voluntate, deq; cura, & protectione nostri, aliisve de causis qui-

quibuscunque, prohibitis lege Dei, inquit vox diuina: non inueniatur in te Menahes, id est, sortilegus: Est enim βδέλυγμα, *abominatio*, Domino Deo suo.

Quare, nec ipsi tractemus eas, nec alios consulamus talium diuinationum artifices, quæ quidem partim apertè fictæ, partim temerè effutitæ, nunquam ne mediocri quidem cuiquam, non modò prudenti probatæ sunt. Sed Deo obtemperemus: pendeat mens nostra ex Deo, firma spe, & se illi commendet, ac regi se diuinitus, & defendi petat. Aderit enim vocatus Deus, sicut dicitur: Commenda Deo viam tuam, & ora eum, & ipse faciet.

DE DIVINATIONE EX SOMNIIS, QVAM ὀνειροπολίαν, ὀνειρομαντείαν καὶ ὀνειρόκρισιν vocant Græci.

SOMNIORVM neq; vnum genus est, nec causa vna. Homerus, Poetico more, ludens, duo prima facit genera, verum vnum, alterum falsum, libro 19. Odyss. *Somniorum duo genera secundum Homerum.*

Δοιαὶ γάρ τε πύλαι ἀμενηνῶν εἰσὶν ὀνείρων
αἱ μὲν γὰρ κεράεσσι τετεύχαται, αἱ δ' ἐλέφαντι,
τῶν οἱ μέν κ' ἔλθωσι διὰ πριστοῦ ἐλέφαντος,
οἱ δ' ἐλεφαίρονται ἔπε' ἀκράαντα φέροντες:
οἱ δὲ διὰ ξεστῶν κεράων ἔλθωσι θύραζε,
οἵ ῥ' ἔτυμα κραίνουσι βροτῶν ὅτε κέν τις ἴδηται.

Vertit hos versus Vergilius, & sexto inseruit Æneidos.

Sunt geminæ somni portæ, quarum altera fertur
Cornea qua veris facilis datur exitus vmbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto,
Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia Manes.

Macrobius, quinq; enumeratis differentiis imaginum, quæ dormientibus exhibentur, quarum nomina sunt, φάντασμα, ἐνύπνιον, ὄνειρος, ὅραμα, χρηματισμὸς, *visum, insomnium, somnium, visio, oraculum*: priores duas ἀσημάντους, *carentes signifi-* *Somniorum quinq; gradus secũdum Macrobium.*

catione, facit, tria posteriora significare aliquid & monere, affirmat.

χρηματισμὸν, *oraculum*, vocat, cùm assumticia specie dij circumdati, occurrere dormientibus, vel assistere, nunciareq; quæ euentura sint, videntur.

ὅραμα quod Cicero visum interpretatur, cùm oblatæ, secundum quietem, imagines expressè diserteq;, absq; figuris & inuolucris, pingunt euentus, aut modū rerū gerendarum.

ὄνειρον seu somnium, cùm figuris quibusdam aut ambagibus, vel obscuris ambiguisq;, vel expressioribus, velut adumbrantur dormientibus: quæ præ foribus sunt.

Ὀνείρου quinque species.

Hoc postremum genus rursus in alias quinq; diducit species distinctas obiectis. Aut enim nocturnæ illę, & in somnis obiectæ imagines de rebus ad nos pertinentibus, aut de alienis, aut de publicis, aut de communibus, quibus plurium aliorum & nostra salus continetur, aut generalibus, admonent. Interpretes talium figurarum ὀνειροκρίτας, ὀνειροπόλους, ὀνειροσκόπους, & τῶν ὀνειράτων ὑποκρίτας, nominant Græci.

Non incommoda est hæc discretio: sed quia obscurior, aliam ponemus illustriorem, breuiter velut in transcursu caussis efficientibus indicatis, quibus genera distinguemus.

Somniorum caussæ & genera.

Somnia (qua voce generatim vtemur) cientur, vel à caussis Physicis & materiæ inhærentibus, quæ & αἰσθητὰ sunt αἴτια, καὶ ἔνυλα, *sensibus exposita caussæ, & materiæ inhærentes*, & sine iudicio collectuq; suo agunt impetu: vel à spiritualibus, intelligentibus, liberis, omnisq; materiæ & qualitatum omnium sensus mouentium expertibus, id est, ἀπὸ αἰτίων νοητῶν καὶ ἀΰλων, *à caussis, quæ mente & intelligentia cernuntur, & materia sunt expertes*. Physicæ sunt, aut προκαταρκτικαὶ, aut προηγούμεναι, *antegressæ aut antecedentes*. Procatarcticis complector αἰσθητὰ *subiecta sensibus*, extrinseca omnia, quæ subiecto innixa sensibili, & allisa vel adacta organis sensui destinatis, continuo motu, neruis spiritibúsq; animalibus immutatis, feruntur introrsum & cerebro imprimuntur.

Προηγουμένας *antecedentes*, intrinsecas nomino, nostrisque insitas corporibus, siue à prima insint origine, siue pòst contrahantur aliunde, natiua constitutione variata.

Suntq; illæ, vel communes omnibus, vel singulares & propriæ aliquibus. Communium nomine comprehendo

tem-

temperamenta,ac διαθέσεις,*constitutiones*,seu affectiones corporis totius,aut certarum partium,& præcipuè cerebri,quę vel natiua sunt, atq; ex seminum & cœli qualitatum commixtionibus conflata, vel aduenticia extraneis & accidentariis causis, corporum aut membrorum συστάσεις, à naturali habitu,mota,atq; in eam,quę est παρὰ φύσιν,*præter naturam*, versa vel inclinata.

Propriæ aliquibus sunt, ex certo & peculiari stellarum influxu deriuatæ in cerebrum, ἐπιτηδειότητες, *habilitates*, ad somniandum,quæ vel perspicua,illustria,& vacantia ambiguitatibus,vel figurata somnia gignunt.

Spiritualium causarum vna est infinita, omnipotens, vt Deus solus:ceteræ sunt finitæ & creatæ. Harum rursus aliæ in eo perseuerant statu,in quem sunt,à Deo Conditore collocatæ,eiq; obediunt, vt Angeli sancti:aliæ, ex hoc sunt statu excussæ, atq; à Deo auulsæ, & tum Conditori aduersantur contumaciter,tum gloriæ eius insidiantur,vt Dæmones.

Ab his causis spiritualibus immittuntur χρηματισμοὶ,*oracula*. Vocemus sanè hoc nomine etiam somnia diuinitus exhibita,discriminis causa: aut, si Diabolicis illud relinquere volumus præstigiis,quibus ab Ethnicis attributum est, appellemus diuina θεῖα ἐνύπνια,*diuina insomnia*.

Procatarcticæ & intrinsecæ communes,ἐνύπνια,*insomnia naturalia* προηγούμεναι *antecedentes*;propriæ aliquibus, ὀνείρατα pariunt seu præsagientia somnia. Sic enim ἐνύπνια Græci & ὀνείρατα discernunt, vt ἐνύπνιον vocent φάντασμα ἀσήμαντον,καὶ οὐδενὸς προαγορευτικὸν, *insomnium vocant visum nihil significans,nec quicquam prænuncians*:ὄνειρον verò ἐνέργειαν τινὰ μετὰ τὸν ὕπνον ἀποτελεσματικὴν εἰς ἀγαθόν τι ἢ κακὸν, *somnium verò effectionem quandam, quæ post somni quietem, bonum aliquod vel malum afferat*. Id verò, si explicatè, planè, citraque ambiguitatem, quid moneat,ὅραμα,*visionem*, Macrobius vocat: si figuratè, ὄνειρον,*somnium*:quam vocem dictam volunt,vel παρὰ τὸ ἐγείρειν,καὶ ὀρμῶσαν τὴν ψυχὴν,vel παρὰ τὸ εἴρειν,ὅ ἐστι λέγειν,*vel quod excitet & moueat animam,vel ab* εἴρειν,*quod est dicere*. *Discrimen inter ἐνύπνια & ὀνείρατα.*

Vt ergo,& differentias præcipuas somniorum & horum causas complectar, faciam duo prima genera eorum, quæ dormientibus,secundum quietem,offeruntur. *Somniorum duo prima genera.*

Eorum vni includam φαντάσματα, *visa*, quæ ex sese na

tura, vel rectè valens, vel affecta, sua vi, sed aut interna aliquo, aut externo primùm irritata incitataq; principio, format, adhibito organorum ministerio, quæ in eum sunt vsum fabrefacta, vt neruorum, spirituum, cerebri.

Alteri subiiciam visa omnia, quæ non ex sese, & sua vi gignit fingítve natura, sed accipit præformata, immissaq;, & indita ab aliis causis.

Ὀνείρατα duplicia.

Prioris generis quædam voco ὀνείρους seu ὀνείρατα, *somnia*: quædam ἐνύπνια, *insomnia*. Ὀνείρατα, *somnia*, aut σημαντικὰ, *significantia*, sunt, & præsagientia, aut ἀσήμαντα, *significationis expertia*, prorsus, καὶ ἐνυπνιώδη, quæ ciet natura, quibuscunq; impulsa causis Physicis, sine præsensione aliqua, sineque intentione certa.

Σημαντικὰ rursus, aut θεωρηματικὰ sunt, aut ἀλληγορικὰ, *quæ significant aliquid, aut sunt cognitionis percepta, aut implicata ambagibus*. Illa, sine figuris, ita speciem euentuum exprimunt, & velut oculis demonstrant, vt in conspectum rei præsentis deducere videantur. Hæc rem picturis adumbrant, aut figurant ænigmatibus.

Reginæ Galliæ somnium.

Antonio Musæ Augusti Medico, ante pugnam ad Philippos, visa sunt in somnis diripi castra Augusti: Et Reginam Galliæ somniasse narrant, Regi Henrico marito oculum effodi, pridie, quàm in ludicro certamine equestri, hastæ fragmento oculus illi læsus est, ex quo vulnere aliquantò pòst periit.

Ἐνύπνια,

Ἐνύπνια propriè Physica sunt somnia, quæ τῶν παρόντων δηλωτικὰ ἢ τῶν ἤδη προγεγενότων μνημονευτικὰ, *id est, aut res præsentes ostendunt, aut in memoriam reuocant iam præterita*, futurorum nihil arguunt indicántve: sed, vel à corporis, vel δυνάμεων ψυχικῶν, *facultatum animalium*, vel vtrorúmq; affectione aliqua, siue intus exorta siue impressa foris, commouentur: cui affectioni & φαντάσματα, *visa*, in cerebro respondent.

Nota sunt huius generis somnia crapulosis, cibo onustis, sitientibus, iracundis, amantibus, ægrotis, febrientibus præsertim, aut ad Apoplectica πάθη, *mala*, propensis, vel Epileptica.

Ad posterius genus refero, quæ ὁράματα, ὁράσεις, ὄψεις, & χρηματισμοὶ, *visa, visiones, species & oracula*, vocantur.

Horum, quæ diuinitus à Deo ipso, aut Dei ministris sanctis

ctis Angelis, exhibita esse sanctis Patribus & Prophetis, certum est, &, de quibus, Propheta Ioel inquit, Senes vestri somnia somniabũt, θεόπεμπτα, quasi à Deo insita & immissa: quæ à Diabolo obiiciuntur, δαιμονιόπεμπτα, *à dæmone immissa*, nominabimus.

Τὰ θεόπεμπτα, *diuinitus immissa*, omnia, σημαντικά, *præsaga* sunt: &, ex his rursus, θεωρηματικά, *percepta cognitionis*, sunt, quæ explicatè, diserteque, & verè monent, de euentibus futuris, aut aliis rebus, quas præsciri prænosciq; vult Deus, vt caueantur, declinentur, & auertantur pericula, nocitura priuatim aut publicè. Somnia θεόπεμπτα.

Sic Ioseph somnio monetur, grauidam esse Mariam virginem, ex Spiritu sancto, & parituram Messiam, & Saluatorem generis humani; item, de secessu in Ægyptum, cùm, spe tollendi Christi, Herodes grassaretur cædibus horribilibus, in puerulos insontes: deque reditu inde, in Palæstinam, post Herodis mortem. Sic Magi somnio iubentur, non ad Herodem sciscitaturum de infante, qui Rex futurus putaretur, sed, alia via, domum reuerti.

Ἀλληγορικά, *allegorica seu implicata ambagibus*, figuratè idem docent, quæ intelligere & interpretari peculiare donum est, & χάρισμα, *donum gratuitum*, Spiritus sancti, quale tributum Patriarchæ Ioseph, & Danieli Prophetæ legimus.

Δαιμονιοπέμπτων, *immissorum à* Diabolo, duo genera reperiuntur. Vnum μεριμνηματικὸν seu αἰτητικὸν, *cum solicitudine & cura quæsitum ac petitum*, quò pertinent somnia, quæ, cum anxia ancipitique solicitudine, quæsita petitaque, &, votis impiis, atque idololatricis sacrificiis, tandem impetrata apud Ethnicos, à Diabolo obiiciebantur illis, qui solenniter prius lustrati, horum excipiendorum causa, ad aras, & delubra Idolorum decumbebant. Mentio horum suprà facta est, cùm de oraculis pertractauimus. Somnia δαιμονιόπεμπτα.

Alterum ἀπροσδόκητον, *inexpectatum*, ex inopinato, & præter spem & expectationem, nec quæsitum, nec captatum, Diaboli procuratione & monitu, nascebatur atque obueniebat. Ex hoc sunt genere Ethnica multa, plura, vel omnia potius Enthusiastarum, Manichæorum, & similium impura & impia somnia.

Vtro-

Vtrorumq; autem quædam σημαντικὰ, *præsagientia*, designant & præmonent aliquid: quædam ἀσήμαντα, *significationis expertia*, struuntur à Diabolo, ad ludificandos ipsi mancipatos ministros: vt, cùm veneficæ somniant, se in cœlum euehi, & ad conspectum beatorum Angelorum & hominum adduci: aut versari in ornatis atriis, ac complexu frui amatorum, aut accumbere mensis, quæ refertæ sunt exquisitè paratis epulis: aut expleri sese, atque efferri sentiunt falsa lætícia, ex fruitione rerum appetitarum.

Σημαντικὰ, *præsagientia*, huius generis, siue explicatas habeant species, καὶ ἐναργεῖς, *euidentes*, siue figuris innexas, καὶ αἰνιγματώδεις, *obscuras & implicatas ambagibus*, rarò verè, plurimùm aut ambiguè, perplexeque, & dubiè; aut si verè, cum impietate aliqua, futura designant.

Pleraque enim à Diabolo nata profectaque somnia, aut falsa sunt, aut ἀμφίβολα, καὶ ἐπίκοινα, *ambigua & perplexa*, quo, à reliquis præsagientibus, Physicis & diuinis, discrepant.

Aspasia Phocensis, quæ primùm apud Cyrum iuniorem, postea, apud Artaxerxen fratrem fuit, visa est in somnis moneri, ita demum obortam ex tuberculo oris deformitatem abituram, si detritas illi de sertis Veneris rosas aspergeret. Non fefellit somnij promissum euentus. Sed quid spectatum à Diabolo fuit aliud, nisi vt superstitio confirmaretur?

Somniorum σημαντικῶν quinque differentia.

At σημαντικὰ seu præsagientia somnia, siue ex natura orta, siue diuinitus sint inserta, aut à Diabolo: & siue θεωρηματικὰ sint, *perceptæ cognitionis*, siue ἀλληγορικὰ, *ambagibus implicata*: pro rerum conditione, ac varietate, quas respiciunt, quibúsve portendunt aliquid, differunt modis quinq;. Alia enim ἴδια, *propria*, ad ipsum ἐνυπνιαστὴν, *somniatorem*, pertinent: Alia ἀλλότρια, *aliena*, non nobis, sed aliis, tantùm: Alia κοινὰ, *communia*, nobis & cum pluribus aliis communia: Alia δημόσια, *publica*, publicis rebus, & publico statui: Alia κοσμικὰ, *ad mundum pertinentia*, Mundo, & huius partibus elementaribus aut cœlestibus, significant.

Vespasiani somnium.

Vespasianus somniauit, se Principem Romanum fore tunc, cùm Cæsar Nero dentem perdidisset: idque postridie, quàm somniauit, accidit.

Antonino Caracallæ, cùm is postremam adornaret, ex Antiochia, profectionem, pater Seuerus astare dormienti visus est, & gladio ictum intentare, his verbis: Vt tu fratrem interfecisti, sic te interimam: Hæc ἴδια θεωρηματικὰ, *propria percepta cognitionis*, sunt. *Antonini Caracallæ somnium.*

Ἴδια ἀλληγορικὰ, *propria ambagibus implicata*, sunt somnia Patriarchæ Ioseph, de manipulis fratrum adorantibus manipulum ipsius, deque Sole, Luna, & vndecim stellis ipsum venerantibus.

Iulius Cæsar, antequam in citeriorem Galliam mouisset, & infesta in vrbem inferret arma, in somnio visus est inferre stuprum matri, sicut & Hippias Pisistrati filius, ante occupatam Athenis tyrannidem: quo somnio, ad spes amplissimas, eum coniectores excitarunt, dominium orbis ipsi dari, interpretati. *Iulij Cæsaris somnium.*

Idem pridie, quàm periit, in somnis sibi visus est, iuxta solium Iouis consistere, atque è cœlo præcipitari deorsum.

Lucullus pridie, quàm occupata vrbe Sinopi, interemit octo millia præsidiariorum Mithridatis, in somnio, à quodam his verbis compellari visus est, πρόελθε λούκουλλε μικρὸν: ἥκει γὰρ Αὐτόλυκος ἐντυχεῖν σοι βουλόμενος, *Progredere paululum, Luculle, venit enim Autolycus, alloqui te cupiens.* Vrbe potitus, cùm persequeretur fugientes, incidit in statuam Autolyci, quæ consternatis in fuga exciderat. *Luculli somnium.*

Adriano Imperatori, pridie eius diei, quo Imperator renunciatus est Antiochiæ, visus est ignis, è cœlo, in sinistram iuguli partem, decidere, indeque serpere in dextram: se verò nec perterrefieri, nec lædi. Antoninus Philosophus, ante Imperium, humeros eburneos, manusque habere visus in somno, & iis, ad omnes humanos vsus, expeditè vti. Talia itidem ἴδια, *propria*, sunt, & ἀλληγορικὰ, *ambagibus implicata*. *Adriani Imperatoris somnium.*

Rursus ἀλλότρια, *aliena*, sunt & θεωρηματικὰ, *percepta cognitionis*, vt somnium Antonij Musæ, de Augusti castris; & Ioseph, de virgine Maria, & amouendo puero Iesu. Sylla, ante prælium, quo Marianas copias vltimas, quas Marius iunior ducebat, irruptione inopinata, oppressas deleuit, in somnis visus est videre Marium seniorem, dudum vita functum, qui moneret filium, vt diem insequentem diligentius caueret; huius somnij instinctu, Mariana castra *Syllæ somnium.*

castra adortus expugnauit, deletis amplius viginti millibus hominum, paucis amissis.

Petitij somnium.

Petitius Pompeianæ nauis gubernator, in portu, ad Larissam, secundum quietem, visus est videre Pompeium, ad se, squalidum mœrentemque, veste obsoleta & sordida, venire. Talem postea strage Pharsalica profligatum, & ad se citato gradu properantem, conspexit.

Ciceronis somnium.

Cicero in somnis vidit Octauium puerum, aurea catena, è cœlo, in Capitolium demitti, flagellaque afferre, quæ à Ioue accepisset: cumque ignoraret eum, quem viderat, postridie in eum fortè fortuna in Capitolio incidit, &, ex somnio, agnouit.

Catuli somnium.

De eodem Catulus somniauit, quòd, cùm, inter nobiles pueros, accederet ad statuam Iouis Capitolini, Iupiter effigiem vrbis Romæ, in illius sinum iniiceret. Ignoratum autem antea, postridie, ex somnij specie, in Capitolio obuium statim agnouit.

Seuero, cum exercitu in Pannoniis agente, sacerdos quidam, in somnis vidit nigrum quendam irruere in Seueri exercitum, & militum manibus confici. Fuit is autem Pescennimus Niger.

Somnia ἀλληγορικά.

Ἀλληγορικὰ, *allegorica siue ambagibus implicata*, hæc sunt. C. Octauij mater vterum ferens, somniauit, intestina effundi sua, & explicari in omnes partes terræ. Vnus familiarium Cyri regis Persarum, maximum natu Histaspis filium Darium, duabus alis, vna Asiam, altera Europam obumbrare, secundum quietem vidit: quo somnio, regnum Dario promissum est.

Somnia δημόσια.

Δημόσια, *publica*, sunt & ἀλληγορικὰ, *allegorica*, somnia Pharaonis regis Ægyptij, de septem tauris, quos totidem macilenti deuorant, deque septem turgidis & prægrandibus spicis, quas absumunt totidem aridæ atque exuccæ.

Nabuchodonosoris somnium.

Δημόσιον, *publicum*, partim, partim κοσμικὸν, *ad mundum pertinens*, est, sed ἀλληγορικὸν, *ambagibus implicatum*, somnium Nabuchodonosor regis Assyriorum, quod Daniel, Regi id oblito, diuino monitu, reuocat in memoriã. Visus enim est videre statuam grandem & sublimem, capite aureo, pectore & brachiis argenteis, ventre & femoribus æneis, tibiis ferreis, imis pedibus partim ferreis, partim fictilibus, & tan-

dem auulſum à monte prægrandem lapidem, ſuopte nutu & impetu, præcipitari in ſtatuam, eoque ictu, primò ferreas & fictiles pedum partes, mox reliquas partes vniuerſas, cõminui, velut in paleas: Ipſum autem montis fragmen augeſcere ac dilatari, donec impleret vniuerſam terram.

Hoc ſomnium Daniel, de diſtinctis quatuor Monarchiis interpretatur, quibus finitis, Deus ſuſcitaturus ſit regnum æternum, collectis iuſtis, & traductis ad conſuetudinem ſui æternam, & ad æternam læticiam, impiis abiectis in æterna ſupplicia.

Δημόσιον, *publicum*, eſt, alterum Nabuchodonoſor regis ſomnium, de arbore. Sed exempla commemorare, longum eſſet.

Differunt autem præſagientia ſeu vatidica ſomnia etiam τρόπῳ σημαίνσεως, *modo ſignificationis*, vt tradit Artemidorus, qui eſt, aut γενικὸς, aut εἰδικὸς, *aut generalis aut ſpecialis*.

Quantum ad genus ſignificatorum attinet, ſomnia, (vt verbis Artemidori vtamur) ἢ πολλὰ διὰ πολλῶν, ἢ ὀλίγα δι᾽ ὀλίγων, ἢ πολλὰ δι᾽ ὀλίγων, ἢ ὀλίγα διὰ πολλῶν δηλοῦσι: id eſt, aut magnam rerum varietatem, multiplicibus etiam ac diuerſis picturis, complectuntur & effingunt, aut pauca paucis expediunt: aut paucis multa, vel contrà multis pauca comprehendunt. Plurima paucis exponunt regis Babylonici ſomnia, & ſic de ceteris.

Quantum ad ſpeciem attinet, quatuor ſunt gradus ſignificatorum. Primus eſt ſomniorum, quæ, vtroque modo, κατὰ τὴν ὄψιν, καὶ κατὰ τὴν ἀπόβασιν, id eſt, & ipſa ſpecie, quæ offertur, læta ſunt, & ſignificatis pollicentur proſpera ac ſalutaria. Tale eſt ſomnium pincernæ Pharaonis, qui ſecundum quietem vinum expreſſum ex vuis decerptis de tribus vitium propaginibus, præbet exhauriendum Pharaoni, quo indicabatur, fore, vt repoſitus in gratiam, locum, & munus priſtinum recuperaret. *Somniorum ſignificata quatuor gradibus diſtincta.*

Ante pugnam ad Philippos, Theſſalus quidam viſus eſt in ſomnis, iuberi à Iulio Cæſare, vt diceret Octauiano, omnino illum pugnaturum proſperè, & vt reciperet ad ſe aliquid eorum, quæ Dictator ipſe geſtaſſet: de cuius ſomnij indicio, mox patris annulum Octauius induit, & ab eo tempore geſtauit frequenter.

Alter gradus eorum est, quæ & specie ipsá terribilia, tristia, aduersaque sunt, & minitantur atque incutiunt malum. Tale Bruti est somnium, de spectro ad Philippos comparituro, & Heliogabali, de patre Seuero.

Tertius eorum, quæ specie quidem ipsa blanda, exitu verò tristia sunt, & denunciant atque adferunt mala. Tale est somnium pistoris Regis Ægyptij, in Genesi, de tribus canistris, ex quorum supremo, qui habebat omnis generis pista pemmata, escas rapiebant volucres: significabat enim, futurum pistorem, post triduum, escam auibus cœli.

Postremus gradus eorum est, quæ specie quidem horrendum quiddam præ se ferunt; significatis verò, & euentu, læta sunt, ac felicia: Vt matris Octauij somnium, de intestinis: Adriani, de igne illapso iugulis: Antonini, de eburneis manibus.

Estque apud coniectores obseruatum, sæpe somnia contrarios euentus sortiri: flereque, vapulare, iugulari, spoliari, & compilari, obuersatum in somnis, prosperos euentus facere: contrà verò ridere, exilire gaudio, suauiter conuiuari, frui re Venerea, donari auro, damna ac detrimenta afferre.

Somniorum alia distinctio.

Has differentias somniorum, quæ latè patent, si, breuitatis causa, in pauciora capita contraxero, fient in vniuersum quatuor somniorum distincta genera: Primum ἐνύπνιον, seu Physicum somnium: Alterum, ὄνειρος, seu præsagiens somnium: Tertium ὅραμα, seu χρηματισμὸς θεόπεμπτος, seu diuinum somnium: Quartum δαιμονιόπεμπτον ὅραμα, seu Diabolicum somnium. De his omnibus dicemus ordine.

Somnia Physica.

Physica somnia sunt, cùm res interdiu conspectæ, auditæ, tractatæ manibus, aut cogitationibus versatæ, secundum quietem, velut repetitæ, ac retextæ à cerebro minus occupato mouentur atque agitantur in animis: vel temperamenta affectionésve corporum, aut partium aliquarum, connatæ aut asciticiæ, humorúmve redundantiæ & agitationes, aut confluxus, ac decubitus in membra sensu prædita, φαντάσματα, *phantasmata*, in cerebro commouent: vel aliquo forinsecus admoto appulsóve obiecto, nerui affecti eam, qua imbuti sunt, vim cerebro communicant.

Aristoteles rectè definit, ἐνύπνιόν ἐστι φάντασμα τὸ ἀπὸ τῆς κινήσεως τῶν αἰσθημάτων, ὅταν ἐν τῷ καθεύδειν ᾖ ἢ καθεύδει: id est, *somnium est visum de comprehensorum sensibus motu existens in dormiente quoad hic dormit.*

Sunt enim φαντάσματα seu visa, quæ efficit ac format cerebrum impulsum αἰσθήμασι, *iis quæ sensibus comprehenduntur*, quæ vel cerebro ipso, ex agitatione diuturna reliqua, aut organis sensui destinatis inhæserunt, vel, ab interioribus profecta membris, vellicant, afficiuntque neruos intrinsecus, dum sensus exteriores, velut vincti ac sopiti, quiescunt.

Horum perturbatione, existunt mirabiles somniorum species, adeoque nihil tam præposterè, tam inconditè, tam monstrosè cogitari potest, quod non effingant perturbatæ aut deprauatæ naturæ somnia.

Sed hæc Physica quomodo fiant, vt clarius explicem, recitabo paulò altius, repetitis fontibus, quomodo cogitationes a cerebro effici existimem: & primò actiones distinguam, postea, de causis & obiectis, in quæ agunt disseram.

Cerebro insunt δυνάμεις, *facultates seu vires*, diuersæ, quarum quædam communes sunt ipsi cum corde, epate, & aliis partibus, quædam propriæ. Communes, Physicæ prorsus sunt, rationisque omnis, & libertatis expertes, nec consilio & deliberatione, aut voluntatis imperio, vel cientur, vel intenduntur, vel sedantur: Sed prorsus, ordine & lege naturæ, dum vigent valentque, cerebri corpore saluo & integro, eodem modo semper agunt: nec cessant, aut interquiescunt vnquam, nec sistunt aut inhibent actiones. Vtitur his, ad refectionem sui conseruationemque, attracto, ex insertis ipsi venulis, conueniente nutrimento, retentoque, & sibi, elaboratione iusta vi natiui caloris, conformato: Recrementis autem secretis & depulsis in eos meatus, quos excipiendis his & educendis natura comparauit, vt nares, palatum, aures, suturas cranei, & poros cutis craneum ambientis. Harum communium virium ὑπηρετικαὶ, *aliis inseruientes*, vocantur illæ, quæ reliquis, quas ὑπηρετούσας, *aliarum ministerio vtentes*, nominant, seruiunt, ceu præparatis ac suppeditatis necessariis ad nutritionem, aut exoneratis atque euectis non necessariis.

Cerebri δυνάμεις duplices.

ὑπηρε-

ὑπηρετικαὶ, inseruientes aliis, sunt ἑλκτικὴ δύναμις, καθεκτικὴ, ἀλλοιωτικὴ, ἐκκριτικὴ, ἢ προωστικὴ: id est, *facultas attrahendi, retinendi, alterandi, excernendi, aut propellendi.*

ὑπηρετοῦσαι, vtentes aliarum ministerio, sunt θρεπτικὴ, αὐξητικὴ, γεννητικὴ, διαπλαστικὴ: *facultas alendi, augmentandi, gignendi, formandi.* Plato, de legibus, harum δυνάμεων, *facultatum*, actiones vocat κινήσεις τῆς ψυχῆς δευτερουργοὺς, *motus animæ secundarios.*

Proprias cerebro δυνάμεις, *facultates*, voco, quæ, & ab his communibus, & aliis ceterarum partium viribus diuersæ, nullibi nisi in solo reperiuntur cerebro. Vocantur autem à Platone συγγενεῖς κινήσεις τῆς ψυχῆς, καὶ πρωτουργοὶ, *congenitæ motiones animæ, & primariæ*, actiones ab hac facultate editæ. Et sunt duplices.

Propriæ Cerebri actiones duplices.

Quædam ἄλογοι, *expertes rationis*, prorsus, perinde vt communes, omni ratione carent, solaque naturæ vi cientur & administrantur, & similiter vt communes, dum vita suppeditat, semper agunt id, ad quod conditæ, naturæ suæ incitantur impetu.

Sunt autem τὸ ψυχικὸν, & τὸ κινητικὸν, φυσικὸν, καὶ ἀπροαίρετον: *animalis vis, vis mouendi, facultas naturalis, & carens proposito ac consilio*: Hoc cerebrum continuò mouetur, sese diducens, ceu expansis sinibus atque anfractibus, & contrahens rursus, iisdem compressis atque coarctatis: Illo idem conficit & elaborat animales spiritus ex vitalibus, attractoque inspiratu aere, his scilicet coctis perfectius, attenuatis, & velut accensis, ac collustratis lucido quodam fulgore.

Quædam ἡγεμονικαὶ seu λογισικαὶ, *principes seu rationales*, rationis sunt compotes, quatenus regi ratione, & excitari, cùm opus est, atque exeri, & expromi arbitrio nostro, aut contrà reprimi possunt, & contineri. Illas enim, vi natiua, citra delectum, & consultationem, cerebrum expedit & absoluit: Hæ menti intelligenti, & voluntati supremæ, actionum liberarum & appetitionum dominæ, ita connexæ sunt vt ad mentis decreta, iussaque, & imperia voluntatis, cerebrum eas, cùm res requirit, vel promat atque intendat, vel retrahat ac cohibeat: Inde, quòd participes rationis, aliquo modo supremæ potentiæ intelligenti nexu copulatæ necessariò

ſariò adſunt & parent, tanquam ὑπηρέται, *miniſtri*, nomen ἡγεμονικῶν, *principum*, ſeu λογιστικῶν, *ratione prædítarum*; acquiſiuerunt.

Harum δυνάμεων, *facultatum*, rurſus duplex genus. Quaſdam cerebrum perficit intra ſeſe, nō communicans aliquid reliquis corporis partibus vllis, regulata ſpirituum animalium agitatione, quam efficit cerebri προαιρετικὸς, *voluntarius*, & vehementior motus: gubernat verò, dirigit, & format mens ipſa, citra miniſterium, vel opem aliorum organorū corporis. Galenus vocat has ἔργα τῆς ψυχῆς καθ' ἑαυτὴν, *opera animæ quæ ipſa edat per ſe*, & gradus earum conſtituit tres diſtinctos, φαντασίαν, διανόησιν, μνήμην, *Senſum communem, cogitationem, via quadam & ratione progredientem*, & *memoriam*: Vulgò hi ſenſus interiores vocantur. Quaſdam auxilio & ope plurium organorum peragit, quas vocat Galenus ἔργα τῆς ψυχῆς ἐν τῷ πρός τι: *opera animæ relata ad aliquid*. Harum aliæ αἰσθητικαὶ, *ſenſibus ſubiectæ*, ſunt, aliæ κινητικαὶ καθ' ὁρμὴν, *quæ appetitione quadam cientur*. *Senſus interiores.*

Αἰσθητικὰς, *ſubiectas ſenſibus*, quarum nomine vulgò vocatos ſenſus exteriores complector, abſoluit cerebrum, diffuſis per neruos ſpiritibus animalibus in organa ſenſibus deſtinata, verſus corporis exteriora, receptisque inde τῶν αἰσθητῶν ſeu ſenſibilium ſpeciebus, quæ foris neruo impreſſæ, & continua ceu alteratione ſpirituum, per neruum propagatæ ad ipſum deferuntur. Seruiunt hæ prioribus, & menti ipſi, ceu internunciæ, atque interpretes eorum, quæ, extra cerebrum fiunt. Conuehunt enim, ac deponunt impreſſas neruis ſpecies, in anteriores cerebri ſinus, tanquam communes alueos: Vbi, ratione rectrice & formatrice, interiores ἐνέργειαι, *functiones*, ex his, ordinato progreſſu, texunt longam mirandarum cogitationum telam & ſeriem. *Senſus exteriores.*

Κινητικὰς καθ' ὁρμὴν, ἢ κατὰ προαίρεσιν, *eas quæ appetitione, aut propoſito & conſilio cientur*, expedit cerebrum, ſpirituum animalium vehementiore traiectu, ceu quaſſatis muſculis, qui, hoc impulſi vibratu, rurſus intenſione ſui, adducta inflectunt membra, relaxatione remittunt.

Sinus cerebri anteriores, in ipſo cerebro, conſiſtunt ad latera vtrinq; ſubtus corpus τυλοειδὲς, *calloſum*, quà illud dextras & ſiniſtras cerebri partes, craſſæ Meningis interuentu *Cerebri ſinuum deſcriptio.*

desuper diretas, iungit rursus, ac glutinat, demittitq́; , ex sese propagatū, tenue, ac pellucidū septum, versus mediū sinum interius perforatum, quo duas illas contiguas cauitates distinguit, eo in loco, vbi se contingunt proximè, circa mediū.

Versus antica enim & postica capitis, quà, figura corniculatæ Lunæ, inflectuntur ad latera obliquè, longius dissident, interstitiis amplis, & cerebri substantia expletis, seclusæ, quas cerebri massa explet. Versus posteriora, sensim in decliue feruntur & coarctantur, ibidemque, circuli ambitu, per cerebri molem, inflectuntur deorsum ad anteriora, & in basim cerebri desinunt, hiantibus osculis, vbi & organorum olfactus origo est, & neruorum, quos edit cerebrum. Neruos ergo eò rerum species, spiritibus impressas deducere: inde verò spiritus, cerebri motu elisos ac resorptos, per explicata, in extremam basin, oscula haurire easdem, inque laxiores & superiores alueos perferre, existimo.

Cerebri motus duplex.

Motus cerebri, alius est Physicus simpliciter, quo ipsum continuò, etiam reliquo corpore quiescente, sensibus exterioribus omnibus ligatis, sese naturæ suæ, vel sibi innati principij impulsu dilatans sinus & anfractus distendit, & cogit eosdem rursus sese contrahens: Alius προαιρετικὸς, *voluntarius, siue propositi & consilij*, cùm velut impulsum à superiore potentia dominatrice, vbi vel cogitationes intendendæ sunt in aliquam rem, vel corpus mouendum est vehementius, vel noxia, quæ infestant, excutienda sunt, maiori se conatu diducit ac comprimit, diductione sui, vehementius attractis, in suos alueos, spiritibus, coarctatione contrà, iisdem rursus velut expressis atque displosis vehementius, & neruis vibratis eorum adactu impetuosiore.

Naturalis cerebri motus perpetuus est, nec remittit aut deficit tantisper, donec vita suppetit. Alter, & desinit, & incitatur inchoatus, ac remittit, pro imperio potentiæ superioris. Non fieri motus arbitrarios vllos, in corpore, sensusve, absque hoc cerebri motu, multa arguunt.

Constat, & veterum authoritate, & sensuum iudicio, cerebrum, quantúmvis sit mollis & fluida massa, tamen, motu continuo, attolli ac subsidere, velut expansis alueis suis, & plicaturis, atque anfractibus, cùm intumescit, contractis rursus, ac velut collectis, quando coit. Et plicas illas cerebro

inter

Inter cetera, hoc etiã præstare existimo, quòd, instar penu ac promtuarij, spiritus, Euripi ritu, ad cerebri motum agitatos admittunt, & regerunt, ac refundunt in cauitates laxiores.

In pueris, quibus ossa cranei, ea parte, qua, syncipitis ossa, cum osse frontis, committuntur, nondum coaluerunt, cerebri motus oculis cernitur: qualemq; oporteat esse, ostendũt paroxysmi Epileptici, & sternutationes, in quibus elisiones fiunt, atque excussus humorum viscidorum, cum impetu ac vehementia; expressis, validiore cerebri coarctatione, violenter humoribus illis, ac propulsis in angustos meatus, qui, à cerebri infundibulo in nares, & palatum deducuntur.

Cerebri motus in pueris cernitur.

Quorsum prodesset hic motus, si nihil, ad effectionẽ motuum voluntariorum, & vtrorúmq; sensuum conferret? Profectò spiritus solos, aut *αἰσθήμασι, iis quæ sensib. cõprehenduntur*, leuiter perculsos, aut voluntatis excitos appetitu, postea sua se vi cõmouere, soloq; discursu, collisuq; fortuito & temerario, in quietis alueis, miras interiorum sensuum actiones: vibratu verò neruorũ leui, tam varias & vehementes corporũ, tam ponderosorum motiones, non accedente cerebri motu aliquo, moliri, non consentaneum, immò absurdum est.

Cerebri motus actionibus voluntatis & sensuũ inseruit.

Neque illa sperno argumenta, quòd, ex animi contentionibus vehementioribus, & corporis violentioribus motibus, defatigari cerebrum, mirificè experimur.

Si quis ideo id fieri dicat, quòd & spiritus exhauriantur illis motibus, & cerebrum, plus æquo, incalescat ac desiccetur, & sensum tandem defatigationis, ex vtrorúmque defectu, id est, spirituum, & humiditatis cerebri, sequi, non ex lassitudine cerebri; ab hoc quæro, in quo membro sit defatigationis illius sensus? Aut enim sentiet eam cerebrum ipsum, aut, quæ id vestiunt ac circumdant, membranæ. At cerebro, opinione omnium, nullus omnino per se sensus inest. Neque eam membranæ percipient, nisi aut tota cerebri massa collabatur, ac subsidat in subtensas membranas, euacuatis spiritibus vniuersis, quibus inflatum sustinetur ac pendet, vt, velut in æquilibrio, suis videatur niti fultibus, sicut in Mundo terra: aut, ad eum modum, exarescat, vt in vnum aliquem procidat ac decumbat locum.

Cerebri lassitudo vnde oriatur.

Est ergo sensus defatigationis, in membranis, inde, quòd cerebrum assiduis delassatum, & ceu languefactũ motibus,

atque arefactum, cùm segnius sese attollit, tum velut procumbens, quietis appetens, contactas membranas grauat, quod cùm accidit, protinus & membra cerebri impulsu destituta, & agitationibus assiduis arefacta, grauedinis sensu corripiuntur, redditaque se ipsis grauiora, pondere deprimuntur, & labant.

Causa efficiens proxima harum actionum omnium, est cerebri temperies, quam, à forma substantiali, hoc in loco, non separato, etsi diuersa est, cùm omnis forma requirat *σύμμετρον, mensura quadam respondentem*, & sibi conuenientem primarum qualitatum crasin, cuius vi, exercet atq; exequitur hoc, quod intendit: aut si quis id virtuti tribuere mauult, quæ, præter temperiem, omnium cerebri partium conuenientem situm, formam, magnitudinem, & numerum, omniúmque coagmentationem, & cohærentiam iustam, seu continuitatem complectitur, non repugno.

Causa actionum cerebri.

A temperie, procedunt actiones proximè. Etenim, non in sanis solùm, & rectè valentibus, prout, à prima constitutione, cerebri temperies variat, sic discrepare ingenia, celeri vel tarda, recta & expedita, vel hebeti, confusanea, & deerrante diiudicatione, discretioneque rerum, & ratiocinatione, ostendit experientia: Verùm etiam, hebetata & languefacta temperie cerebri, obtundi & labefactari, vitiata, corrumpi prorsus actiones *λογιστικὰς, ratiocinatione constantes*, vt toto cœlo aberrent, & perperam ratiocinentur. Epilepticorum, Phreneticorum, Melancholicorum, Maniacorum, & similium exempla conuincunt.

Quantùm referat, vt iusta sit cerebri magnitudo, cauitatum præcipuarum amplitudo debita, & singularum partium apta collocatio, conformatioque, vel considerata diuersorum ingeniorum capita arguunt.

Aut hebetes sunt, & fatui, aut perturbatissimam habent *διανόησιν, cogitationem via quadam progredientem (barbari discursum appellant)* & deerrantem, quibus in acumen fastigiantur capita, rotundi globi instar. Vocant hos *φοξοὺς* & *ὀξυκεφάλους*. Coactos enim in angustum hæc figura ventriculos indicat, qui augustia impediunt spirituum motus & discursus.

Capitis figura.

Contrà excellunt *διανοήσει, facultate cogitationis via progredientis*

dientis, (ceteris paribus) quibus sese vertex submittens leuiter, in quandam procumbit planitiem, vt versus antica & postica, promineat caput, æquabili & rotundo tubere, laterotenus vtrinq; leuiter compressum. Valent memoria, quibus in posteriora, caput protuberat: eandem infirmam experiuntur, quibus ibidem, velut complanatum ceruici exæquatur. *φαντασίᾳ, facultate apprehendendi visa, seu imagines rerum*, antecellunt, quibus antica pars tumidior est, & prominentior: imbecilliorem hanc sentiunt, quibus eadem subsidens, in decliue fertur.

Præstant omnibus his, quibus caput, oblongæ sphæræ instar, versus vtramque partem, in rotundas desinit eminentias, lateribus potissimum in anteriora, leuiter compressis & exæquatis. Rursus his ferè carent, quibus, ex omni parte caput, velut quatuor inclusum quadratis, assurgit æqualiter, cubi aut tesseræ instar, à vertice, in quatuor fastigiatum apices. *Capitis figura optima.*

Congruit figura cerebri capitis figuræ: Illa verò deprauata corrumpuntur actiones, quæ, in diuersis partibus, diuersæ fiunt atque distinctæ, vt & hæc mutatio figuræ capitis indicat, & demonstrant melancholicorum discrimina, quorum alij *φαντασίᾳ, imaginatione*, *διανοίᾳ, ratiocinatione*, alij errant, alij memoria labuntur.

Actiones igitur omnes, seu temperies, seu virtus ciet, informat, administrat, & moderatur: Physicas, ope natiui caloris: *ἡγεμονικὰς, principes*, spirituum animalium, & sui motus adminiculo absoluit, ita, vt cerebri confluxu ac diffluxu, & vi occulta, spiritus laxioribus alueis inclusos partim ceu traiiciat, per neruos, aut in organa sensuum, vt quæ iis, vel obuersantur, vel incumbunt, obiecta velut excepta, ac sibi induta referant, immutatis, continua successione, spiritibus ceteris, aut in membra, motui præfecta voluntario, agitationis causa: partim, intra cerebrum, certa naturæ suæ lege regulatos dirigat ad cogitationum formationem.

Etsi autem alueum & fontem cogitationum, motusq;, & sensus esse cerebrum, minimè obscurum est: tamen quomodo illa fiant & perficiantur, semper à doctis desideratum legimus. Nonnulli sentiunt, non influere in neruos spiritus animales, sed, vi quadam, ex cerebro defluente, imbui eos, &

eam quidem in totam neruorum extendi ſubſtantiam, mediam præſertim, quæ medullæ arborum ſimilis, ex cerebri & ſpinalis medullæ maſſa, deriuatur, vt, ad organa ſenſuum, pertingat: ibique affectam, & velut alteratam noua qualitate ab obiectis, vicina quæque immutare viciſſim, donec, in cerebri delata ventriculos, ipſi imprimatur: alterationemque iſtam ſubitò propagari in cerebrum, ob *συμπάθειαν*, *cognationem naturæ*, ſpiritualem, quæ vtriſque, neruis nimirum, & fonti ipſi intercedit.

De motu voluntario, aliter diſputant. Imaginatione volunt excitari appetitionem, hac impelli & agitari ſpiritus, ſpiritibus quati neruos: cerebri non meminerunt, niſi, quòd id ocioſum ſpirituum alueum faciunt. De ſenſibus autem interioribus, prorſus ſilent.

Plato, memoriam fieri dicit, ſimulacris rerum cerebro impreſſis, vt ſigillum ceræ imprimitur: Inquit enim in Theæteto: *δῶρον τοίνυν αὐτὸ φῶμεν εἶναι τῆς τῶν μουσῶν μητρὸς μνημοσύνης, καὶ ἐς τοῦτο, ὅ, τι ἂν βουληθῶμεν μνημονεῦσαι, ὧν ἂν ἴδωμεν, ἢ ἀκούσωμεν, ἢ αὐτοὶ ἐννοήσωμεν, ὑπέχοντες αὐτὸ ταῖς αἰσθήσεσι καὶ ἐννοίαις, ἀποτυποῦσθαι ὥσπερ δακτυλίων σημεῖα ἐνσημαινομένους, καὶ ὃ ἂν ἐκμαγῇ μνημονεύειν τε καὶ ἐπίστασθαι, ἕως ἂν ἐνῇ τὸ εἴδωλον αὐτοῦ: ὅταν δ' ἐξαλειφθῇ ἢ μὴ οἷόν τε γένηται ἐκμαγῆναι, ἐπιλελῆσθαί τε καὶ μὴ ἐπίστασθαι.* id eſt, *Donum igitur ipſum dicamus eſſe Mnemoſynes, Muſarum matris (id eſt, Memoriæ) & in hoc ipſum ſenſibus intelligentiaque ſubſtratum, nos exprimere atque effingere res quaſcunque, quarum meminiſſe volumus; ex iis nimirum, quas vel viderimus, vel audierimus, vel cogitauerimus, tanquam annulorum ſignis impreſſis, &, quod impreſſum fuerit, eius nos meminiſſe, & id ſcire, quamdiu ipſius ſimulacrum adfuerit: quum verò deletum fuerit, aut fieri nequit, vt imprimatur, obliuiſci, & neſcire.*

Vera hæc ſunt: ſed, quid fit de ceteris ſenſibus, qui præcedunt, & rerum ſimulacra formant? Etſi autem res tota obſcuriſſima eſt, nec varietas actionum illarum perſpici vlla humani ingenij acie, poteſt: tamen, quantum pænè diuinando, ex notis ac conſpicuis, aſſequi poſſumus, conſiderare non abs re, neque alienum videtur ab homine, quem ſemetipſum intueri ſcrutarique conuenit vt eum maximè. Vtemur verò, ad hæc declaranda, cordis exemplo, cuius ſunt

ſunt vires notiores, &, de ſenſibus exterioribus, motuque arbitrario, primùm diſſeremus.

Cor geminis affici motibus, docet experientia, pulſibus, & affectibus. Vtróſque ciet, vi ſuæ temperiei, aut virtutis, ope verò fibrarum triplicium, quibus tota ipſius eſt intexta caro, ſed diſſimiliter. Pulſibus enim agitatur perpetuis, dum viuit, exiliens ac velut ſubſultans, cùm virtus aut temperies, fibrarum adductione, diſiungit ſinus laxiores, & reſidens viciſſim, ſeque ſubmittens, cum earum relaxatione, coarctat eoſdem. Cùm expandit ſinus, recluſis certis oſculis, excipit allabentem, ex caua vena, ſanguinem, ex arteria venoſa, aerem: cùm cogit, his clauſis, apertis aliis, exprimit in pulmones ſanguinem, per venam arterioſam, in Aortam, ſpiritus vitales diſtribuendos toti corpori. Affectibus non corripitur, niſi velut ictum & pulſatum ab obiecto cognitione apprehenſo. *Cordis motus.*

Vtrorúmque diſcrimen multiplex. Intenduntur aut minuuntur, aut tenorem ſeruant eundem pulſus, prout vel rectè valet cor, vel infeſtatur re noxia & ſibi aduerſa. Affectus obiecta variant, &, de obiectis, cogitationes.

Ita cerebro gemini inſunt motus: vnus naturalis prorſus, vt dixi, quo diſtendens ſeſe, ſua virtute, aut temperie, affluentem, ex arteriis, ſpiritum vitalem, &, ex ore, & naribus, inſpiratione attractum aerem haurit, (ſanguinem enim, quo alitur, alia vi ſugit) rurſusque ſe comprimens, ea, quæ ſeparat, à materia ſpirituum ac nutrimenti, excrementa, quæque alioquin, de ſubuectis ad ſeſe, ex ventriculo & toto corpore, vaporibus colligit, eiecta propellit in meatus, ad aures, nares, & palatum tendentes. *Cerebri motus naturalis.*

Dicerem, hoc motu, naturalem etiam reſpirationem effici, in ſomno, & alioquin, quem ſolum diaphragma præſtat, niſi obſtaret conſenſus omnium, affirmantium vno ore, *τὴν ἀναπνοὴν, reſpirationem*, prorſus voluntariam eſſe. Sed neque ego hoc ita velim accipi, ac ſi remoueam prorſus voluntatem, quæ perpetuò huic, *κατὰ ὁρμὴν κινητικῇ, ſecundum appetitionem motrici*, potentiæ aſſidet, etiam ſopitis nobis, & moderatur, atq; vbi opus eſt, vel copioſiore reſpiratione, vel aliquo motu, intendit eam. Et cerebrum ipſum naturaliter, cùm communicatio, à ceteris partibus, nocumento aliquo

afficitur & irritatur, opitulaturum illis fortius, in suas incumbit actiones. Certè, ad *φαντάσματα, visa*, quæ in somno occurrunt, multùm cerebro hunc conferre motum, iudico.

Cerebri motus προαιρετικός.

Alter motus *προαιρετικός, propositi & consilij, siue voluntarius*, est, & vehementior multò Physico, quo, ad vtrosq; sensus, & voluntarios motus, cerebrum vtitur, diducens & contrahens sese multò vehementius, secundum iussa (vt ita dicam) voluntatis, quæ has actiones gubernat & moderatur, incitando & dirigendo eas, non formando imagines rerum & cogitationes, quarum *αἴτιον κύριον, causa propria & principalis*, est cerebri temperies talis.

Vt ergo cor perculsum obiecto, quod cognitio monstrat, afficitur, seque vehementiori conatu distendit, aut comprimit, vel inhians obiecto, idq; auidè captans ac prosequens, vel refugiens atque auersans, de iudicio partis intelligentis: ita appetitu voluntario cerebrum incitatum, vehementiore sui dilatatione & coactione, spiritus animales, per neruos, ceu eiaculatur ac traiicit, & his musculos ferit: musculi impulsi sua se vi adducentes & laxantes, flectunt & extendunt membra, seu immediatè, seu per chordas ex sese propagatas: hoc modo fit motus voluntarius.

Nerui quomodo à cerebro afficiantur.

Etsi autem Galenus, quadam irradiatione, affici neruos, & musculos à spiritibus, & non ipsos penetrare spiritus, sentire videtur: tamen, vt non putem transitum spirituum excludendum, multa me mouent.

Nerui spiritus recipiunt.

Primò nerui fabrica, quæ ex triplicibus est contexta partibus, vna intima, medullæ arborum quàm simillima, orta ac deriuata ex cerebri, *καὶ νωτιαίου μυελοῦ, spinalis medullæ*, substantia, quæ, si, neruis dissectis, accuratius examinetur, videtur ex quibusdam oblongis ac gracilibus coagmentata esse fibris, quibus, poros etsi non conspicuos, attamen, recto ductu, per nerui corpus, procedentes, intercedere ratio docet: ea, ceu riuus, ex cerebro, vt fonte, haustam vim vehit & continet.

Extrinsecus ambiunt & integunt hanc duo alia, è membranis cerebri *καὶ νωτιαίου, & ad dorsum pertinentis*, deducta, *σκεπάσματα, munimenta*, densiora ac solidiora multò, quæ ne lædatur riuus interior, néve dissipentur spiritus, prohibent.

Si

Si ergo hi pori, crassis lentisq; patent humoribus, in spasmis, & paralyticis obstructionibus: quantò magis tenuissimos, & impetu quodam allisos, & velut transuolantes spiritus admittent, prælertim, cùm, secundum rectum fibrarum exporrecti situm, nihil anfractuum habeant, qui remorari, aut inhibere spirituum cursum possint.

Secundò, quanta sit vis impulsorum spirituum, in feriendo, impellendo, agitando, & conuellendo, monstrat experientia. Flatibus onerata propelluntur nauigia, iisdem arbores radicitus euulsæ prosternuntur, aut si renitantur, vel, ut per medium sectæ confringuntur. *Spirituum vis.*

Simili vibratu, à spiritibus, ex cerebro velut explosis, motus voluntarios effici, necesse est: Nam sola, per irradiationem, infusa virtute, tantas membrorum & musculorum moles, trahi, támq; crebris, violentis, & variis motibus circumagi, absurdum est dicere.

Præterea absumuntur, continuis motibus, ac deficiunt spiritus, absq; omni dubiò. Quorsum absumuntur, si non in neruos feruntur? Mouet ergo cerebrum neruos, cum dilatatione & contractione sui, illis adductis & laxatis, tum impulsis in eos spiritibus vehementius, qui delati ad musculos simul à neruis tractos, feriunt, & cient eos.

Demum musculi, hoc modo impulsi, postea sua se vi commouent. Nam vel à minutis illis neruorum surculis, quos sortiuntur musculi, inflecti & extendi eos, vel à spiritibus solis violentius adactis, rationi non admodum videtur consentaneum. Cur enim natura musculos, ex peculiari carne, & à reliqua totius corporis carne differente, & peculiari temperie prædita, velut ex carneis fibris, nexis inter se, ligamentorum minutissimis surculis conformasset; si eam, velut ociosam culcitram, aut stragulum mollius, neruorum tantùm propagines complecti ac sustinere. & interstitia ossium tantùm expleri voluisset, sicut in spacia trabibus interiecta, in ædificiis lutum infarcitur? *Musculi quomodo moueantur*

Præstitissent idem nerui ipsi, ante articulos, in ramulos sparsi & implantati ossibus, aut cartilaginibus, molliuscula carne præfixis, ne rumperentur aut attererentur ossium duritie: & facilius articulos solos, quàm & musculos grandes, & articulos mouissent, præsertim cùm non pauci musculi chordis careant.

Neruorum in musculos insertio.

Sed vidit natura, in tanta distantia articulorum, à neruorum origine, & ad corpora tam ponderosa attollenda, ac tot motuum formis impellenda, opus esse alia vi fortiore. Ideo certa forma & temperie musculos construxit, qua sese, sed prius vibrati à spiritibus mouent, & constricti flectunt articulos, laxati remittunt, oppositis eosdem extendentibus.

Suffragatur rationi Anatome. Non enim omnibus musculis, circa principium, nerui inserti feruntur rectà ad caudam: sed quibusdam, circa medium, propemodum infiguntur; quibusdam, per membranas eorum exteriores, traiecti laterotenus attenduntur, qui carnem non subeunt.

In Spasmo, nerui non trahuntur à principio suo, sed, vel ariditate corrugati, vel ab imbibitis dilatati humoribus coeunt & decurtantur, atq; ita annexos sibi musculos eò, quò ipsi complicati repunt, conuellunt ratione diminutæ longitudinis, & velut suspensos tenent.

Nerui & musculi quomodo in Spasmo afficiantur.

Musculi, ea tractione tensi suspensiq;, contrahunt, versus caput, caudam, & relaxaturi sese, suæ naturæ ductu impediuntur, quia decurtati nerui, &, ratione obstructionis vel ariditatis, nec sequaces, nec idonei, ad motum non obediũt, immò suspensos, ac velut vinctos musculos inhibent.

Hinc certamen oritur, musculis sese in naturalem habitum restituere annitentibus, neruis prohibentibus: & sequitur dolor, cùm neruis retractis violentius à musculis, tum oppositis intensis, contractique artus aliquandiu, in ea conuulsione persistunt, donec, vel humectati nerui, si adsit ariditas, vel siccitati conuenienter, si humiditas abundet, redeant ad habitum naturalem.

Ergo, etsi incitantur musculi extraneo & aduentitio principio, à neruis nimirum, & spiritibus: tamen, non tantùm solo hoc accidentario mouentur motu, sed exciti primò, reliquam, sua vi, peragunt.

Appetitus triplex in homine.

Appetitiones verò, in homine, triplices sunt, sedibus, natura, & caussis efficientibus propinquis & remotis distinctæ; quas Aristoteles distinguit nominibus etiam: βούλησιν vocans voluntariam appetitionem: θυμὸν sensitiuam, seu comitantem sensus, cordi propriam: ἐπιθυμίαν naturalem, inhærentem membris τοῦ θρεπτικοῦ, *partis nutrientis.*

Appetitionũ

Ex his quanquam voluntaria, & ceteras complexa, suo coher-

coherceet imperio, & τῷ κινητικῷ καθ' ὁρμὴν, *ei qua mouetur secundum appetitionem*, sibi naturali lege deuincto dominatur: tamen idem non rarò & ceteræ, aut contra βούλησιν, *voluntariam appetitionem*, aut eodem, quò ipsæ feruntur, voluntate concitata impellunt. *series & organa.*

Βούλησιν, *voluntariam appetitionem*, antecedit, aut sensuum cognitio, aut deliberatio mentis, aut vtrumq; θυμὸν, *sensitiuam appetitionem*, cient sensu percepta. ἐπιθυμία, *appetitio naturalis*, à natura membrorum destinatorum nutritioni, oritur. Et vicissim ipsum τὸ κινητικὸν καθ' ὁρμὴν *partem eam, quæ mouetur secundum appetitionem*, ciet βούλησις, *appetitio voluntaria*, connexu consensuq; naturali: θυμὸς *appetitio quæ comitatur sensum*, per neruos à cerebro sibi inditos, perq; arteriarum vitales spiritus: ἐπιθυμία, *naturalis appetitio*, per neruos osculi ventriculi, epatis, vasorum destinatorum generationi, quorum origo ex cerebro, vt suprà declaraui copiosius.

Fit igitur motus voluntarius, cùm cognitio, in mente vel sensu, mouet βούλησιν, *appetitionem voluntariam*, hæc cerebrum & in eo τὸ κινητικὸν καθ' ὁρμὴν, *partem quæ mouetur secundum appetitionem*, cerebrum, neruos & spiritus, hi musculos, musculi & sese, & chordas affixas membris, vel membra ipsa, sine chordis. *Motus voluntarij historia.*

Nam tunc etiam, cùm motiuam cerebri vim appetitiones duæ inferiores incitant, prius in cerebro φαντάσματα, *visa*, de illis mouent rebus, quas vel desiderant, vel auersantur: hæc menti innotescunt: mens, re deliberata, voluntati proponit, an obsequi appetitionibus illis, atq; indulgere, vel aduersari, motiua virtute repressa, conueniat. Voluntas, pro vt assentitur aut refragatur menti, ita eam vim vel incitat ac dirigit eò, quò opus est, mente præeunte, aut cohibet.

Quare nunquam illæ motiuam impellunt, nisi assentiatur voluntas, vel sponte, vel coacta, vel violenter oppressa.

Species rerum, quæ vel intra nos sunt, vel foris versantur, deferuntur ad cerebrum, cum spiritibus, qui in organis & neruis continentur, tum neruis ipsis imbutis, aut velut effiguratis, aut immutatis obiectorum qualitatibus, & iisdem, progressu continuo, in cerebrum propagatis.

Certa enim & peculiari singulorum sensuum nerui sunt à natura temperie instructi, qua non promiscuè quæuis, sed sui generis obiecta percipiunt: ὀπτικοὶ, *qui visui inseruiunt*, *Nerui sensitiui à reliquis diuersi.*

colores & lucem; *ἀκουστικοὶ, qui auditui inseruiunt*, sonos; *γευστικοὶ, qui gustatui inseruiunt*, sapores tantùm, qui in osculo ventriculi consistunt, suctionem venarum, & cibi ac potus indigentiam, sparsi in totum corpus, reliquas qualitates apprehendunt.

Spirituum verò ea est tenuitas & puritas, is fulgor, vt primis impressæ qualitates subitò in omnes, qui, continuò à cerebro tractu, his cohærent, diffundantur.

Sensuum interiorum formatio.

At quomodo interiores sensus formentur, difficilior quæstio est.

Quòd tres sint sensus, locis & actionibus diuersi, consentiunt Medici.

Tres interiores sensus.

Φαντασία, sensus communis, species ab exterioribus appulsas sensibus excipit, complectitur, ac discernit: collocatur in anterioribus cauitatibus primorum ventriculorum.

Διανόησις, cogitatio via quadam progrediens, longius progreditur, & vel ab his sensu perceptis speciebus exorsa, collatis illis inter se, constituit discrimina, & cùm discernens has inter se, & ab obiectis, quibus innituntur, tum separans alias antea cognitas, componendo, diuidendo, ratiocinando contexit alia plura, connexione Syllogistica, donec ad prima deueniat principia methodo synthetica: vel procedit à principiis, natura, menti insitis, accommodans ea ad singularia, & eliciens atq; extruens inde, longo ordine, plura, methodo analytica.

Μνήμη, memoria, species sensu apprehensas, cogitatásve, aut inuentas, retinet ac custodit. Reponitur hæc, in cauitate cerebri postrema, quæ cerebello, & dorsali medullæ communis est: vt altera, in mediis ductibus primarum cauitatum, aut, secundum aliquos, in ventriculo medio. Et quanquam vt arbitrarios motus voluntas, ita has actiones mens sensibus interioribus, dum anima corpori inhæret, coniuncta, secundum normam noticiarum sibi insitarum, gubernat & moderatur: tamen, in his efficiendis, magna cerebri vis, & magnus est vsus.

Phantasiæ & Memoriæ actiones, aliquantò minus sunt obscuræ. De memoria, ex Platone, dictum antea est, à spiritibus velut tinctis imaginibus rerum imprimi notas cerebro: itemq; quomodo vis cerebri res natura diuersas seiun-

gat

gat ac separet, quæ à diuersis adferuntur organis, ex diuersis partibus.

Διανόησις, facultas cogitationis progredientis ab vno ad alterum, cogitatu & explicatu difficilima est: hoc tamen constat, ordiri eam, aut à Phantasia, seu speciebus, quas organa exteriora offerunt & exhibent sensui communi: aut à memoria reuocatis illis, quæ memoriæ commendata sunt: aut à noticiis primis, quas secum mēs adferens promit ac suppeditat. *Διανοήσεως ratio.*

Vt ergo, cor cognitione impulsum, affectus gignit ea temperie, quam, ex prima sui constructione, acquisiuit, & dilatatione sui, ac coactu: ita cerebrum, cùm mens requirit alicuius rei cognitionem, aut considerationem, ad quam illi sensuum ministerio opus est: excitatum ab ea, (vndecunq; inchoet) sua temperie, cùm expeditius aliquantò commouet sese, agitans non fortuito, turbatóve, sed æquabili, congruo, ac regulato motu spiritus, tum eosdem sua natura informes sed claros lucidosq;, & cuilibet speciei suscipiendæ aptos atq; idoneos, conformat imaginibus obscuris quibusdam, quas effingit, illo sui spirituumq; motu, ex antè figuratis simulacris, moxq; ex his rursus propagat alias atq; alias, sicut lingua vocem, ex arteriæ asperæ angustis hiatibus, inconditum quiddam resonantem, motu suo frangit, temperat, & format.

Rursus vt lingua, etsi cerebri impulsu, & vibratu diuerso modulatos sonos efficit, variatq; mirificè, vt, continuo spiritu, vox trahatur in longum, & varietur inflexo, distinguatur conciso, copuletur intorto, promittatur reuocato, infuscetur ex inopinato, & murmuret secum: deniq; vt doloris, aut voluptatis edat indicia, gemitu, planctu, exclamationibus: nihil articulatum tamen per sese, nihil characteristicis indicibus noticiarum, & sermoni simile effingit, quod in brutis manifestum est: sed, quæ accedit in hominibus mens intelligens, quæq; cerebri impulsus, & agitatæ linguæ motiones gubernat, hæc demum alia vi præstantiore modulatos illos sonos articulatim distinguit, simulq; intercisas particulas, velut consignat notis ac characteribus, qui non læticiam solùm, aut mœsticiam, sed veri falsiue, honesti aut turpis quasi formam exprimunt, ac velut pingunt ideas rerum. *Cogitationis formatio linguæ similitudine declaratur.*

Sic cerebrum, etsi vi sua agitatis, interruptis, distributis,

& directis ad ordinem ſpiritibus, rudimenta quædam adumbrat cogitationum, velut primis lineis ductis, cuius itidem rei brutorum Phantaſiæ exempla præbent: tamen expreſſum, integrum, firmum, ordine contextum, rectè cohærens nihil, niſi totam illarum ſpecierum formationem & connexum totum, atq; cohærentiam dirigat, moderetur, & abſoluat vi longè nobiliore, mens ipſa, alia præſtantiore luce affuſa quàm illa eſt, quæ à ſolo cerebro proficiſcitur.

Rurſus etiam aberrat hæc cogitationum formatio (quæ nihil eſt aliud, quàm effictio quædam, & repræſentatio imaginis rerũ cogitatarũ, in ſpiritibus, ac cerebro) cum cerebro corrupto aberrat prima ceu delineatio, &, vt ita dicam, *ἰχνογραφικὴ, quæ quaſi veſtigium operis futuri deſcribit*, informatio cogitationum, vt in Maniacis: cumque ſpirituum non eſt, ad formationem, conueniens habitudo, ex vitio aliquo.

Perficit itaque *διανόησιν, cogitationem via quadam progredientem*, cum cerebro, mens ipſa, tum naturales cerebri motus incitans & accelerans, aut contrà retardans, cùm opus eſt, menſura regulata: tum rectè connectens diuerſa, & ex vno aliud, ordine congruo, detexens: tum, ſua luce, velut inchoatos colorum ductus expoliens & colluſtrans, in illis imaginibus, quas inchoat, obſcura adumbratione, cerebrum. Neq; has, aut ſolum cerebrum, ſine mente aut mens ſola ſine cerebro conficit.

Mentis actiones in corpore omnes organicæ.

Quanquam itaq; Plato inquit in Thæteto, *τὰ μὲν τὴν ψυχὴν δι' ἑαυτῆς ἐπισκοπεῖν, τὰ δὲ διὰ τῶν τοῦ σώματος δυνάμεων: animam alia quidem ex ſeipſa conſiderare, alia verò adminiculo facultatum corporis:* tamen vt ſentiam, nec *διανόησιν, cogitationem diſcurrentem*, fieri vllã, nec *φαντασίαν*, nec *μνήμην, phantaſiam, nec memoriam*, ſine cerebri actionibus, in homine, dum hęret, in corpore, anima rationalis, quantumuis inorganica ſit ipſa, cùm his, tum illis, quæ ſuprà expoſita ſunt, moueor.

Non inficior tamen, mentem inſitas & innatas noticias promere, ſua vi, citra opem organorum corporis, ſicut lux radios emittit: ſuntq; illæ noticiæ lumen illud, quo tenues, euanidæ, & caligantes, in ſpiritibus, & cerebro, imagines illuminatæ eniteſcunt & effulgent: Sed nunquam has, ad cogitationes alias, ſine organis cerebri, accommodat.

Ideo Platonicum dictum, quòd quædam anima conſideret,

deret,

deret per se, non vtens organis corporis, intelligo, de insitis noticiis: & rursus, de harum accommodatione, ad vsum, id est, ad obiecta sensibus percepta, & contextas inde ratiocinationes: illud Aristotelicum interpretor, non cernere mentem ea quæ foris sunt, nisi ministerio sensuum. *Platonis & Aristotelis dicta de actionibus mentis explicata.*

Ad hunc modum, memoria fit, spiritibus eas species, quibus imbuti sunt, dum, regulato motu, in sinum præcipitantur posteriorem, velut agglutinantibus illis partibus cerebri & cerebelli, quibus illiduntur. Illæ verò tantò difficilius adhærescunt, quantò cerebrum siccius est, ac durius, quod impressioni ob duritiem, tardius cedit, sed semel affixæ diu permanent, tantò rursus citius inhærent, quantò humidius est cerebrum, sed deteruntur facilè, atq; abolentur, aut, velut superinductis aliis, obliterantur.

Sic eadem vi cerebrum, inter species diuersas externorum sensuum, quas ab organis spiritus referunt, discernit.

Scio, maiorem harum rerum esse obscuritatem, quàm vt peruestigari à quoquam, aut explicari possint, cogitandæ tamen sunt: Idcirco has recitaui coniecturas, saluo semper cuiusque meliore iudicio. Nunc hæc, ad somnia accommodabimus.

Fit somnus, tum quòd cerebrum, laboribus diurnis defessum, siccatumque, & exhaustum spiritibus, appetit quietem, rigationem sui, & instaurationem spirituum, sensu naturali, & consentiente anima, sese ceu relaxans cessat, à motu vehementiore: tum quòd maiore copia collecti, ex ventriculo, & toto corpore, vapores, addensatique, ac liquefacti refluunt depellunt calorem superfluum, à superioribus deorsum, humectant neruorum radices, & ipsos neruos, &, ad exteriora membra sparsi, ἀντιπερίστασει, *cohibitione & coarctatione*, quadam vndiq; circumfusa cogunt calorem introrsum, vt Aristoteli placet. *Somni generatio.*

Id autem fieri hoc modo iudico, & loquor de somno naturali. Corpore ad quietem composito, & animo, à curarum & cogitationum intentionibus, relaxato, sedatis etiam, ac quasi compressis affectuum commotionibus, cor & cerebrum illum suum vehementiorem impetum, de quo diximus, remittunt, contenta leni altero & Physico.

Remissionis huius causa est, quòd & præsidium viuifici

caloris Solis, tum sub Occasum præcipitati, decedit, & occulto quodam ceu sensu languoris, ex decessu defectuq; luminis Solis, & contentionibus diurnis contracti membrum vtrumq; appetit, & refectionem sui, ex lassitudine, quæ concitatiores motus comitatur, & restitutionem spirituum absumtorum & corroborationem languefactarum virium, quę fit nutritione, & vera suauiq; humectatione. Nam, quod caret alterna requie, durabile non est.

Est autem animalium spirituum origo ex vitalibus, quos virtus cordis incendit in halitibus de sanguine expressis. Vt ergo animalium spirituum fiat instauratio, reparari prius vitales, necesse est: Vt hi recuperentur, idonea his materia, in coctionum officinis, vt excoquatur oportet, qua & membra ipsa reficiantur.

Quare cor, vt sese primum recolligat ac refocillet, & postea cerebro nouorum spirituum copiam comparet ac suppeditet, reuocat ab extremis, de calore natiuo, quantum sat est, ad hoc perficiendum, sicut id vniuersim, ad conseruationem sui, cùm res postulat, spirituum reductione vti cernimus.

Hoc dum fit, diminuitur cerebri calor, quem & ipsius cerebri, & totius corporis motus atq; agitationes interdiu exuscitant: fouent vero, atq; adaugent, cùm transmissi à corde per arterias, magna copia, spiritus vitales, & præter hos, halitus calidi, qui ex toto corpore, præsertim motu atq; exercitiis calefacto, per venarum & arteriarum propagines, sua leuitate sursum enixi, cerebrum petunt: tum radiorum solarium virtus, & circumfusi aeris tepor.

His ergo fomentis destitutus cerebri calor fit remissior multò: cordis verò calor, & partium vicinarum intenditur, ex retracti caloris confluxu, ad interiora, & cordi circumsita. Nam tam illis *τῷ θρεπτικῷ, parti vegetanti*, destinatis membris, quàm cordi, vberiore calore opus est, vt & nutrimentum exactius coquant, & cordi spirituum vitalium materiam exquisitius præparent.

Nam, quòd interdiu, officinis coctionum, præsentis Solis viuifici radij, quibus mirificè affici, vegetari, & roborari *δυνάμεις, facultates & vires*, corporum experimur, & moderata ac tempestiua præstant exercitia: hoc, noctu supplet & com-

compensat natura repetiti, & reducti, ac velut coacti in vnum, & conclusi caloris, coagmentatione circa cor & præcordia, partesq; subter præcordia locatas.

Languefactum hoc modo calorem cerebri, magis etiam hebetat, frigida humiditas aeris nocturni, cum inspiratione attracti, tum per poros, in cerebrum penetrantis: quæ quidem & *ἀντιπερίστασιν*, *cohibitionem & compressionem*, efficit, in reliquo corpore, calorem, ab exterioribus, intro repellendo.

Adauctus ergo, circa præcordia, & totum imum ventrē, calor natiuus, excitat, de nutrimento, multum suauium halituum, qui delati in cerebrum, huius frigiditate, quæ, ex diminuto calore, extitit, densantur in liquores. Hi verò, & cerebrum suauiter imbuunt, & sparsi ad radices neruorum, eosdem subeunt atq; implent, & ipso refluxu, obuium, & ad summa enitentem calorem repellunt ac deprimunt.

Est ergo ceu materia somni largior humiditas, ac suauior ex densatis frigiditate vaporibus, quos, de nutrimento calor exprimit. Rigat enim hæc, impletq;, cùm ipsum cerebri corpus, tum natos ex eo neruos, abundantius. *Somni materia.*

Causa efficiens, est in vtroq; membro, corde, & cerebro, ex appetitu quietis, remissio omnis contentionis: in corde verò etiam reuocatio natiui caloris, ad quam sequitur, vt extrema membra, & præcipuè cerebrum, propter plures alias causas, refrigescant, & ima internaq; præcipuè, circa præcordia incalescant. Ab hoc calore halituum copia cietur, ex nutrimento: ex halitibus densatis, fit humiditas larga, quæ cerebrum & neruos opplet. *Somni causa efficiens.*

At hæc humiditas, cùm rectè membra valent, non est crassa, viscida, aut nimia, vel aliena affecta qualitate: sed moderata, dulcis, liquida, fluens leniter, & in poros sese cerebri, ac neruorum ingerens.

Cessante motu cerebri vehementiore, & neruis humiditate oppletis copiosiore, mox concidunt membra, velut grauata, sentireque & moueri desinunt. Non enim tanta amplius spirituum copia in neruos influit, nec tam efficaci impelluntur motu, nec penetrant, viis aliquantulum interclusis. Quare cerebrum ab illis liberum solutumq;, & quasi subtractum motibus operosioribus, agitatur per se-

se,& vacat spirituum animalium refectioni.

Si ergo tunc cerebrum non, vel copia crudorum halituum, ampliore iusto, impeditur omnino, aut velut obnubilatum turbatur:vel,ex nimia defatigatione, defectuque spirituum, omnem remittit ac deponit conatum: gignit *φαντάσματα, visa*, excitatum stimulatúmve, aut illis speciebus, quæ vel in ipso,ex firmiore impressione, crebriusq; repetita cogitatione, aut tractatione vigent, vel, de interdiu visis auditísve negotiis, in organis residuæ remeant sursum, ad fontem neruorum, aut transmissis à corde aliquo affectu implicato,aut nouis prorsus natis,vel ex membris cerebro neruorum interuentu colligatis, eorumque affectionibus naturalibus vel accidentariis, membranis cerebri, corde, ventriculo,epate,liene, vasis generationi destinatis: vel humoribus certis redundantibus,in toto corpore, aut aliqua parte:vel temperie totius,quarum quædam, neruis immutatis, quædam,vaporum forma, cerebrum afficiunt, & sensum ei alicuius rei inferunt.

Somnia in cerebro quomodo generētur.

Ab his ordiens ea progressione,qua in vigilantibus,& eadem vi,nimirum temperie sua,motuq;,aut illo naturali,aut paulò vehementiore,sed imbecillioribus omnibus,minusque validè intensis, texit alia ex aliis, aut serie concinna & conueniente,aut turbato ac confuso ordine.

Quod si inest naturæ cerebri & totius,ex peculiari astrorum positu, vis præsaga futurorum, vel publicorum, vel priuatorum: illa præsensione occulta naturæ, sese velut commouentis & accingentis ad occursum rei, quæ impendet, cerebrum excitum, format *φαντάσματα, visa*, respondentia insito sensui,ea vi,quæ est à stellis,velut regulante cerebri actum.

Et *φαντάσματα, visa*, ipsa quandoq; explicatè ostendunt euentus,quandoq;,& vt plurimum, *αἰνιγματικῶς, ambagibus quasi inuoluta*,ac figuratè. Sicut enim natura, alij rectius ratiocinantur, aut coniectura sagaciore collimant quæsita aliis:sic vis præsaga futurorum ,in aliis, alia somnia expressa aut figurata gignit, & alias in animo, agitat versatque formas,aut liquidas,aut confusas,aut variatas.Hoc modo Physica fiunt somnia,& præsagientia.

Primi generis somniorum, cùm reliquiæ earum rerum

moueu-

mouentur & agitantur, de quibus vigilantes aut cogitauimus, aut egimus, frequenter meminerunt Poetæ. Apud Theocritum Piſcator inquit:

Πᾶσα κύων ἄρτως μαντεύεται, ἰχθύα κ' ἠγών: id eſt,
Somnia ſunt canibus panes, mihi ſomnia piſces.

Claudianus.

Omnia quæ ſenſu voluuntur vota diurno,
Pectore ſopito, reddit amica quies.
Venator defeſſa toro cùm membra reponit,
Mens tamen ad ſyluas, & ſua luſtra redit.
Iudicibus lites, aurigæ ſomnia currus,
Vanaq; nocturnis meta cauetur equis.

Lucretius.

Induperatores pugnare, & prælia obire.
Nautæ cum ventis contractum degere bellum.

ſcilicet ſomniant, & quæ ſequuntur.

Eiuſdem generis ſomnia, quæ ab intrinſeco oriuntur principio, experientia ſuppeditat Medicis nota, qui inde non raro, de inuaſuris morbis, ſi valent ſomniantes, aut de affectionibus, humorúmve exceſſu in ægris diuinant. *Somnia ab interno principio orta.*

Natura πικρόχολοι, *biliosi & iracundi ex redundante in iis flaua bile*, incendia, vſtiones, rixas, contentiones, pugnas, colores flauos, volatus, ſomniant: Melancholici caligines tenebras, atros fumos, oberrationes nocturnas, vagationes per ſolitaria loca, ſpectra, tetras ſpecies, triſtia omnia: Phlegmatici aquas, balnea, nauigationes, merſiones in aquam, onera grauantia & impedientia inceſſum, aliaque ſimilia: Sanguinei læta conuiuia, choreas, complexus, rutila: Amantes, complexus eorum, quos amant, & amicas ac blandas collocutiones: Qui ſitiunt, affatim ſe haurire aliquid. *Bilioſorum ſomnia.* *Melancholicorum ſomnia.* *Phlegmaticorum ſomnia.* *Sanguineorũ ſomnia.*

Quibus affecta ſunt, vel obſtructa poſteriora cerebri, humore viſcido (quem morbum ἐφιάλτην vocant & incubum) velut premi ſeſe, ac ſtrangulari imaginantur in ſomno.

Quibus vitioſis oſculum ventriculi confertum eſt humoribus, ex aſcenſu venenatorum halituum, afficientium cerebrum, tetris vexantur ſomniis, & terrentur inuſitatis pauoribus.

Galenus plurima recitat exempla, inter quæ extat & hoc de Phthisico quodam, qui cùm somniasset, se in suo natare sanguine,& Medici postridie somnium,de redundantia sanguinis interpretati, venam incidissent; cum sanguine animam exhalauit.

Somnia ne turbentur multa requiruntur.

Sed, vt fiant somnia, & ea quidem non confusa, aut turbida, requiritur vtrunq;, tum , vt sit cerebrum, à natura rectè temperatum,& omnibus suis exquisitè,integreq;, ac debitè conformatum partibus, vigeant actiones sensuum interiorum, & ventriculorum cerebri sit amplitudo iusta, & conueniens situs:tum, ne impediatur aliquo forinsecus adueniente,vt affectionibus aliquibus, παρὰ φύσιν, *præter naturam*, in quacunq; parte aut ira aliisve cordis commotionibus,aut crudis,ex ventriculo,& confertim irruentibus halitibus: sed temperatis escis,modicisq; potationibus ita sit affectum,vt,sopito corpore, animus vigilet. Quod si vel illud desit,vel hoc accedat,nihil fit ordinatum aut regulare. Vt in ratiocinando errant,cùm aliquid serij meditantur, applicato in eam cogitationem, atq; intento animo, quibus malè constitutum est cerebrum: sic multò magis errabunt somniantes.

Crapularum noxa.

Crapulis verò turbantur cogitationes, quas vigilantes instituimus. Quantò magis errorem adferent, ac perturbationem somniis, quæ sunt tenuia & euanida simulacra rerum,à cerebro, leui motu velut informata: & tamen tantò euadunt certiora atq; illustriora, quantò minus in cerebro est impedimentorum?

Platonis locus de somniis.

Plato in nono Politicorum, de posteriore causa, pulcrè philosophatur, quem locum Cicero eleganter reddidit. Vide,inquit, quid Socrates,in Platonis politia loquatur. Dicit enim, cùm dormientibus ea pars animi, quæ mentis & rationis particeps sit,sopita langueat:Illa autem,in qua feritas quædam sit, atq; agrestis immanitas, cùm sit immoderato obstupefacta potu, atq; pastu, exultare eam in somno, immoderateq; iactari. Itaq; hinc omnia visa obiiciuntur à mente,& ratione vacua, vt aut cum matre corpus miscere videamur,aut cum quouis alio homine,vel Deo; sæpe belua: atq; etiam trucidare aliquem,& impiè cruentari,multaq; facere impurè atq; tetrè,cum temeritate atq; impudentia.

At

At qui, moderato cultu atq; victu, quieti se tradiderit, ea parte animi, quæ mentis & consilij est, agitata, atq; erecta, saturataq. bonarum cogitationum epulis: Eaq; parte animi, quæ voluptate alitur nec inopia enecta, nec satietate affluente, quorum vtrumq; præstringere aciem mentis solet, siue deest naturæ quippiam, siue abundat atq; affluit: Illa etiam tertia parte animi, in qua irarum existit ardor sedata atq; restincta: tum eueniet, duabus animi temerariis partibus compressis, vt illa tertia pars rationis & mentis eluceat, & se vegetam ad somniandum, acremq; præbeat: tum & visa quietis occurrent tranquilla atque veracia. Hæc Cicero.

Explanatiora etiam, & lucidiora obiici somnia, matutino tempore, cùm depulso de pectore, &, in omne corpus diuiso ac mitificato cibo, animi sese quiete satiati, minusque impediti, in aliquam intendunt cogitationem.

Præsagientia à Physicis differunt, non propinquis efficientibus: eodem modo enim à cerebro formantur: sed remotis & antecedentibus causis. Non enim, vt illa ab humorum motu, copia, & qualitatibus, aut affectionibus certarum partium, aut temperamento; sed vi stellarum insita præsagitione cientur, quæ, ad præsensionem impendentium euentuum, velut commouens sese, eorundem sensu, cerebrum afficit: hoc illo commonefactum sensu, sese ceu recolligens, dum, quales futuri sint, meditatur, suorum progressu sensuum eliciens aliud, ex alio, format illos pingentia φαντάσματι vel perspicua, citraque ambiguitatem, vel ænigmatica, notarum quandoque, quandoque ignotarum rerum figuris vsurpatis, prout sensus ipse, in natura euidentior est, atque acrior, vel obscurior, & hebetior, vísque ipsa mentis excitatior est, & rectior. *Somnia præsagientia.*

Et vt reliquas cogitationes, ita talia phantasmata, gubernat & absoluit mens, opitulatura quasi, aut consultura naturæ, aut prouisura, hac prænunciatione futurorum; quæ, quamprimùm naturæ præsagia cerebro innotescunt, simul ea percipit ac pensitat; quóque sunt certiora, eò illustrioribus imaginibus exprimit, cerebri actionibus temperatis, ad conuenientem normam. Vt enim natura, alius alio est felicior Musicus, melior Poëta, acutior Geometra, celerior Arithmeticus: sic, natura, alius alio plus ominatur,

& velut occulto sensu, prædiuinat secuturos euentus.

Aristoteles naturas illas φύσει λάλους, καὶ εὐθυονείρους, καὶ ὀξυψύχους, καὶ προορατικοὺς *natura loquaces, & quibus visa offeruntur directè, & sine ambagibus, & coniectandi ac præsagiendi facultate præditos* esse dicit.

Innascitur omnino aliquibus, ex peculiari cœli influxu (vt si, in conuenientibus locis, Mercurius & Luna consistant) vis talis, quæ vbi percipit. quæ imminent priuatim illis, quibus inest, si interdiu, cerebro districto occupatoq; cogitationibus aliis, exerat se, pro rerum imminentium conditione, inopinata læticia, tristiciáve afficit: Si noctu, soluto diurnis laboribus cerebro, φαντάσματα, *visa*, vatidica mouet.

Antonij Musæ somnium. Antonius Musa Augusti Medicus, ante prælium, quo in Philippis depugnatum est, cum Cassio & Bruto, somniarat, tabernaculum Augusti in castris diripi: admonitus itaque Augustus, inde decessit. Nec falsus est omine somnij: inter pugnandum enim, fugato illo cornu, tabernaculum à Bruto direptum est.

Astyagis somnium. Astyages Medorum Rex somniauit, vrinam filiæ Mandanes toti inundare Asiæ.

Eidem visa est nasci ex muliebribus filiæ vitis, quæ patulis diffusa ramis, Asiam obumbraret. Significatum est his picturis, filiam edituram prolem, quæ Asiæ regnum occuparet: paulò pòst natus ex ea Cyrus somnia compleuit.

Cyrus somnio confirmatus. Huic Cyro in Armenios eunti cum exercitu, cùm difficultates quædam, & tardarent progressum, & ancipitem fortunam, ac dubiam minarentur, somnium nocturnum animum addidit, & spem fecit victoriæ. Visus enim sibimetipsi, secundum quietem, compedibus distineri, & easdem paulò pòst sponte ruptas dissilire ac decidere, vt, quacunque vellet, ingredi posset: non fore diuturnas has difficultates, & expeditam victoriam secuturam, inde ratiocinatus est.

Somnium de Ptolemæo Ceruno. Amici Ptolemæi κεραυνοῦ, *cognomento Cerauni*, qui Seleucum Macedonem interfecerat, viderunt, ipsum à Seleuco rapi in iudicium, vulturibus, lupisq; iudicantibus, &, causa cognita carnes eius passim distribuentibus. Huius somnij veritatem exitus comprobauit: nam non ita multò pòst à Galatis interfectus, inter cadauera cetera, vulturibus & lupis præda factus est.

Filia

Filia Polycratis Samij, cuius extat in historiis celebrata felicitas, visa est cernere patrem in aere sublimem, à Ioue ablui, à Sole inungi. Completum est somnium, cum ab Orete patrem cruci affixum, ardores Solis ita percoxerunt, vt liquefacta extillaret pinguedo, quæ cadauer oblinebat, & cœlestes id vicissim pluuiæ abluerent. Cicero multa huius generis exempla recitat, & passim reperiuntur in historiis. *Ploycratis Samij filiæ somnium.*

Diuina somnia sunt, quæ diuinitus immissa sacræ literæ affirmant, non quibusuis promiscuè, nec captantibus aut expectantibus peculiares ἀποκαλύψεις, *reuelationes*, sua opinione: sed sanctis Patribus & Prophetis, Dei arbitrio & voluntate: nec, de leuibus negotiis, aut rebus nugacibus & momentaneis: sed de Christo, de gubernatione Ecclesiæ, de imperiis & eorundem ordine, de aliis mirandis euentibus. & certa his semper addidit Deus testimonia, vt donum interpretationis, & alia, quò constaret, non temerè ea obiici, neq; ex natura nasci, sed inseri diuinitus. Talia fuerunt somnia Iacob, Ioseph, Pharaonis, Nabuchodonosor. *Somnia diuina.*

Diabolici generis sunt omnia illa, quæ diabolus olim offudit Ethnicis, vbi ad delubra idolorum, captandarum talium præstigiarum causa, inuoluti victimarum pellibus cubabant: quæque nunc Anabaptistis, & omni tempore, Enthusiastis, & similibus fanaticis, in abdito, ad nouas patefactiones velut hiantibus, aut Magis, & veneficis, promiscuè omnibus non conuersis ad Deum, sed suæ subiectis tyrannidi exhibet, eo fine, vt cædes, flagitia, ac scelera struat, & stabiliat idololatriam. *Som nia Diabolica.*

De talibus loquitur Propheta Esaias. Populus qui prouocat me ad iracundiam, qui habitat in sepulcris, & in templis idolorum dormit.

Recensui suprà, inter oracula, aliquod loca, in quibus pernoctare consuetum fuit Ethnicis, vbi responsa de quæsitis rebus, somnij specie Diabolus, non voce reddebat. *Loca in quibus somnia captabantur.*

Lacedæmonij, in fano Pasitheæ: somniandi causa excubabant: & Æsculapium vera indere somnia, creditum fuit, ideo eius templum frequens Græcia adiit & honorauit. Calabri Podalyrium Æsculapij filium consulturi, ad eius sepulcrum, agminis instratum pellibus, ipsi quoq; iisdem coperti, decumbebant.

Sed sunt, & fuerunt pleraque à Diabolo profecta somnia ἀμφίβολα καὶ ἀσαφῆ, *perplexa & obscura*, &, vel palàm fœda scelera, vel idolomaniam tetram exegerunt ac confirmarunt: interdum pœnas scelerum, & tristes ac tragicos denunciarunt exitus.

Bruti somniũ. Bruto, ante prælium in Philippis, tetra secundum quietem species visa est dicere, Tuus ego sum Brute, κακοδαίμων, *malus genius*, in Philippis me videbis. Simile, de Cassio Parmensi, commemorat Valerius.

Bello Latino, cum duobus Coss. Romanis, Decio & T. Manlio Torquato, eadem somnij species, eadem nocte, exhibita, moneret vtrumque, ex altera acie, Imperatorem; ex altera, exercitum diis manibus deberi: & conuenisset inter vtrumque, vt is, cuius cornu primùm laborare cœpisset, suo capite fata patriæ lueret: neutro id reformidante, Diabolus Decium deposcit, qui, concitato equo, in confertum hostium agmen insiliens, magna strage edita, tandem obrutus & confectus telis, concidit.

Latini cuiusdam somniũ. Quidam Latinus iussus erat in somno referre ad Consules, præsultorem, proximis ludis Circensibus, Ioui non placuisse, quæ res nisi attenta ludorum instauratione, piata esset, secuturum non mediocre vrbis periculum. Ille cùm hoc non fecisset, Diabolus filium eius interemit.

Sophoclis somnium. Sophocles Tragœdus, cùm, ex æde Herculis, patera aurea grauis surrepta esset, in somnis videre visus est Deum ipsum indicantem furti autorem, quod semel ille iterúmque neglexit: vbi idem sæpius rediret, ascendit in Areopagum Sophocles, & rem detulit. Areopagitæ, comprehenso eo, qui erat à Sophocle nominatus, quæstionéque adhibita, extorserunt confessionem furti, & pateram.

Epitelis somnium. Epiteles instaurator Messenæ, post Messeniorum ab exilio reditum, moneri in somno visus est, vt in quocunque Ithonæ loco, Taxum enatam reperiret & Myrtum, terra, in medio harum, perfossa, anum liberaret, quæ æneo inclusa thalamo iam pænè animo deficeret. Cùm illuxisset dies, perquisito is loco, & vbi eum inuenisset, terra egesta, in vrnam incidit æneam, cuius operculo amoto, tenuissimas albi plumbi laminas, in libelli formam complicatas offendit, quibus sacrificia magnorum deorum inscripta erant.

Horum

Horum restitutionem requisiuit Diabolus, ne intercide-rent & exolescerent, néve, vlla ex parte, idololatria dimi-nueretur. Extant huius generis innumera in historiis, & ex-empla recentes Anabaptistæ atque Enthusiastæ suggerunt, quorum somnia, quem habuerunt finem alium, quàm te-terrimorum scelerum impunitam licentiam, & horrendas Dei blasphemias?

Differentiis constitutis, & explicatis causis, facile est iu-dicare, an sit aliqua ex somniis diuinatio, & quibus insit ali-quid *σημαντικὸν*, *præsagiens*, quæve, & qua ea vi designent, & an assertio sit concessa, atque asseueratio. Etsi nec ratione ex-plicari, nec ad naturam reuocari omnia somnia possunt, & varietates sunt, in eo genere, quod præsagiens nominaui-mus, maiores, quàm quas vel memoria complecti omnes, vel obseruando notare possumus: non conuenit tamen, aut fidem derogare omnibus, ex vnius generis infinita, tortuo-sa, incerta perplexitate, aut confirmare omnia, ex vnius generis euidenti certitudine.

Somnia quæ σημαντικὰ, & quæ ex his concessa.

Nec proueniunt, ex animis ipsis, & natura, omnia so-mnia, nec societas est nulla, cognatioque quibusdam cum natura.

Minimè assentior, eam esse vim animorum, atque natu-ram, vt nullo aduenticio pulsu, sed suo sese incitent motu, incredibili quadam celeritate, ad eos à corpore secessus li-beros, solutosque, & à sensibus curisque vacuos, quibus ita agitentur, vt versentur in eis admirabiles rerum formæ at-que actiones, vt multa prouidere, multa audire videantur, atque cognoscere.

Neq; illud admitto, nullas in animos, aut dormientium, aut vigilantium obrepere imagines extrinsecus, sed omnia, quæ volumus, nobis nota esse: & nihil esse, de quo cogitare non queamus: nihil esse, cuius non possint animi effingere ideam atque effigiem.

Prorsus dubium non est, multa indi diuinitus præstanti-bus & heroicis viris, etiam non conuersis ad Deum, quos exuscitat Deus, ad res magnas & necessarias gerendas: mul-ta piorum & credentium animis, cùm fide efficiuntur tem-pla & habitacula Spiritus sancti: Multa profanorum & im-piorum animis inspirari à Diabolo, cuius est proprium,

mentes humanas mendacibus & falsis concitare visis, iisq; aut apertis & claris, aut tortuosis & obscuris.

Ab hoc sunt vatum furibundæ prædictiones: ab hoc mente hi permouentur & aguntur in furorem, vt, nec à quo, nec in quem agitentur modum persentiscant, nec, quid de semetipsis fiat, intelligant, &, quid fundant, ignorent.

Nihil minus, quàm sine ratione & scientia motu suo animi soluto liberoq; incitantur tunc, cùm velut abstracti à sensibus corporis, duorum modorum altero, vno furente, altero somniante, sine coniectura, sineq; obseruatione diuturna ceu præsensione quadam interna augurantur, atq; égerunt futura, quæ naturalis non est, sed aduenticia.

Furores vatum unde oriantur.

Non sua sese vi furentium vatum animi in furorem concitant vatidicum, & rerum futurarum prouidum: sed, vel vitio valetudinis insaniunt hi, vel dementantur à Diabolo, vel vtroque modo afficiuntur: &, non vi furoris, qui mentis error est, & perturbatio, sed, hoc duce, cadunt, hoc dictatore, renunciant prædicta: quod & somniantibus quandoque euenit, cùm afflatus Diabolicos captant.

Neque minus vnquam mouentur liberè animi, quàm cùm talibus correpti furoribus obsidentur, & agitantur à Diabolo.

Refutatio Philosophorum, de libera animorum concitatione in somniantibus.

Procul facessant itaque commenta Philosophorum, de concitatione libera animorum in furentibus, & somniantibus. Alia enim vis est, quàm mentis ipsius, quæ immissa extrinsecus eam ita mouet, vt prouidam efficiat rerum futurarum illarum, quarum præsagia naturæ nulla insunt: hæc verò, si cum furore, rationisque perturbatione, & impietatis, profanitatis, spurciciei, & similium flagitiorum est coniuncta argumentis authorem repręsentat ac demonstrat suum: Sicut contrà sua, & certissima, atq; indubitata prorsus habet argumenta, ac testimonia illa, quæ à Deo proficiscitur, scilicet vis, non mota, sed constante ac vigente ratione, cognoscens, & videns, & interpretans, non ambigua & ancipiti coniectura, sed explanatione certa atque explicata, ea quæ portendi ac præsignificari diuinitus, sentit & intelligit.

Vt autem hæc, quæ diximus, somnia foris aduenìunt: sic ab interno cientur principio reliqua, quorum cum natura societas est euidens. Nam, & inesse naturis quibusdam vim peculia-

rem præsagam, impendentium ipsis casuum, iisque, quos cognatione sanguinis attingunt, propter συμπάθειαν, quæ est continuatio coniunctioque naturarum, sæpe verò & publicis rebus: &, ingenito sensu percipere naturas omnes nocumenta, quibus infestantur, atque releuationes, obscurum non est, vt diximus.

Vt igitur, ex Physicis somniis, sæpe Medici aduenientes & crescentes morbos, & nonnullas valetudinis significationes intelligũt, pleni ne simus, enectíve, multaq; huius generis alia, quæ, cum somniis, naturali cogitatione iunguntur: sic præsagientium omina aliqua, & monita naturalia sunt.

Sed cùm ex his, tum ex quocunq; alio diuinationis genere, superstitio, quæ vellicat assiduè animos hominum, instat & vrget, &, quò te verteris, persequitur: huius ergo stirpes omnes, excisas ac procul eiectas volo: artes ipsas verò, ac doctrinas ab his repurgatas, conseruandas censeo.

De singulorum ergo generum conditione, ordine dicam. Diuina certissima sunt citra controuersiam, & solis illis fides adhibenda est. Quæ sint diuina, cognoscemus, si ea, ad normam verbi patefacti, collata examinauerimus. Etenim, si congruerint antè traditis exactè, si noui nihil, & quod discrepat ab illis, quæ sunt immutabili lege Dei, & doctrina Euangelij, explicata & sancita, statuerint, erunt à Deo: Si, religionis fuco, contraria illis requisiuerint, iudicio Dei declarato in verbo, condemnentur. Cumque, vt cetera opera, sic somniorum exhibitionem Diabolus imitatus, irrepserit, ea occasione, in improuidos & stolidos hominum animos: ne tales, è cœlo ἐνθουσιασμοὺς, *afflatus diuinos*, expectemus, alligauit Deus animos, ad expressam doctrinæ suæ vocem: in ea se conspici, & pernosci voluit, qua, erga homines, sit mente, quídve significet nobis, quemadmodumque ea procurari, quæ requirit, atque expiari, quibus offenditur, postulet: non hæc ex somniis fingi atque æstimari, opinione nostra, absque rectore, voluit. Idcirco fanaticorum delira φαντάσματα, *visa*, quæ monstrata sibi diuinitus iactitant, procul fugiamus atque execremur.

Somniorum conditiones.

Diuinationes Medicas, ex primi generis somniis de caussis internis latentibus, quibus vt effectus suis caussis respondent, approbat Deus, vt totam artem Medicam, cuius ipse

Diuinationes Medicæ ex somniis concessæ.

author est, & conseruator. Etenim deducunt somnia, cum signis ceteris, ad cognitionem temperamentorum, internorum affectuum, humorum, qui exuberant in corporibus, atque agitantur: at illa attentè considerare, & exquisitè pernoscere medicaturum, necesse est. Galenus exempla habet.

Palæstritæ cuiusdam somnium.

Palæstrita quidam, in cisternam sanguine plenam mergi se somniarat, adeò, vt vix eluctari posset: hinc sanguinis exuberantiam ratiocinati Medici, eo, quod abundauit detracto, auerterunt vitæ pericula. Alius quispiam, cùm somniasset, alterum sibi crus velut induratum lapidescere & obrigescere, paulò pòst paralysi correptus est.

Somniis præsagientibus non fidendum.

Præsagientia somnia, etsi picturæ sunt euentuum, tamen coniectionum, interpretationumque affirmatio prohibita est, cùm dicitur Deut. 18. Non inuenietur in te, qui obseruet somnia. Et Ieremiæ 37 dicitur, Nolite audire somniatores. Quare non tribuenda est eis fides. Quanquam enim coniecturæ, quibus explicantur, sæpe ad veritatem dirigunt: tamen crebrius fallunt: Sæpe ingenia magis declarant interpretum, quàm vim consensúmque naturæ.

Alexandri M. somnium ad Tyrum.

Multa sunt enim, hoc genere, magis scitè coniecta de euentis, quàm verè significata: qualis erat, de somnio Alexandri, coniectio ad Tyrum. Cùm enim somniasset, vidisse se saltantes Satyros, coniector interrogatus inde victoriam ei prænunciauit, petito omine, ex Satyri appellatione, cùm erupisset in hæc verba, σὴ τύρος, tua est Tyrus.

Multa ancipitia sunt, incerta, ac dubia, quæ in omnem torqueri sensum possunt: ferè genus monstrant, non disertè speciem. Multa falsa prorsus. Et coniectura ipsa, quæ interpretationes persequitur, nihil est incertius, quæ in varias duci partes potest, nonnunquam etiam contrarias. Ideo sæpe Reges, & Principes, hoc somniorum genere decepti, miserè perierunt.

Pompeius somnio deceptus.

Pompeius, vt postremum cum Cæsare prælium committeret, somnio motus est. Sedenti enim sibi in theatro plausum dari à toto populo, somniarat, quo victoriam annui putabat. Sed errabat in interpretatione. Plausus enim non victoriam, sed incitationes significabat Lentuli, Domitij, Labieni, qui postridie, ad pugnandum eum, spe victoriæ incendebant.

Darius,

Darius, ante congressum cum Alexandro postremum, somniarat, videre se, exercitum Macedonicum ardentem incedere per Asiam, & Babylonem venire, ibique Alexandrum indutum veste Persica, templum ingredi, & statim euanescere. Arbitrabatur ergo Darius, Macedonico exercitui significari, per flammas, exitium, & Alexandrum Persicè vestitum, venturum in potestatem Persicam. Sed flammæ arguebant celeritatem victoriæ, & progressionem Alexandri, instar flammæ volitantis, subitam. Vestitus, potiturum ipsum regno Persico. portendebat.

Darius somnio persuasus cum Alexandro pugnat.

Cambysi, fratris Smerdis regio solio insidentis, & cœlum vertice contingentis: Iulio Cæsari, ipsiusmet supra nubes elati, & ad cœlum vsque traducti, species visa in somnis, vtrique cladem portendit, tulitque exitium.

Cambysis & Iulij Cæsaris somnium.

Sic Xerxen, ducentem exercitum in Græciam, somnium fefellit, in quo coronari visus est olea, cuius ramis omnis terra obumbraretur, mox illa cum somnio euanescente. De hoc genere somniorum, meminerimus dictum à Salomone: Vbi multum est somniorum, ibi multum est vanitatis & errorum: Tu verò Deum time. Et eodem Poëta alludit:

Xerxes somnio inductus res periculosas mouit.

> *Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,*
> *Et pauidas mentes vana timere iubent.*

Diabolica somnia prorsus detestanda sunt, quibus & Ethnici olim, multis modis, & recens Manichæi, Anabaptistæ, Monachi, & fanatici similes decepti atque impulsi, horribilium furorum authores extiterunt, ac defensores. De talibus ἐνυπνιασταῖς, *somniatoribus*, dicitur Deuteronom. 13, Propheta aut fictor somniorum, qui loquitur, vt auertat vos à Deo vestro, & facit vos errare de via, quam præcepit vobis Dominus Deus vester, interficietur.

Somnia Diabolica seuerè prohibita.

Item Leuit. 19, Non augurabimini: Nec obseruabitis somnia. Deut. 18, Non inueniatur, qui Ariolos sciscitetur, & obseruet somnia atque auguria. Nec sit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones consulat, nec diuinos. Nec qui quærat à mortuis veritatem. Ὀνειροπολίαν ἢ ὀνειρομαντείαν πᾶσαν δι' ὀνείρων μαντευομένην, *omnem ex somniis diuinationem, siue prædictionem diuinatricem, quæ ex somniis auguratur*, non tantùm Diabolicam, sed ex superstitione natam etiam omnem,

& cum impietate coniunctam, id est, sine Dei mandato & testimonio, ex somniorum interpretatione, cum obseruatione, & fide hypocritica præsagientem aut expectantem euentus quoscumque prosperos aut aduersos, condemnat, & his deditos alienos esse vult à cœtu illo, qui est populus Dei & Ecclesia. Etsi enim caret dubio, sine Dei voluntate, euenire nihil: nihil cuiquam accidere eorum, qualia, per omnem vitam, occurrunt innumera, & impetunt atque inuadunt homines, seu corpore, seu animo, à quocumque nascantur authore, nisi certis Dei testimoniis offerantur ac commendentur, quas tamen patefactiones Christus aboleuit astrictis fide omnibus ad verbum & Spiritum sanctum coniunctim, & ad fructus Spiritus, secundum normam verbi patefacti: Nihil tamen istorum obseruari sollicitè, aut excipi ac metui anxiè, aut fiducia, tanquam rei certæ cum spe, vel metu euentus ineuitabilis credi vult. Exercet enim ostentis talibus, in electis, fidem & inuocationem. Ideo ad illa si læta sint, efferri nemo: si aduersa sint, deiici animo & spe nemo: Sed illa precari; hæc deprecari debet, permittendo & subiiciendo sese Dei voluntati ac misericordiæ.

Somniorum interpretes ὀνειροπόλοι.

Somniorum coniectores & interpretes ὀνειροπόλοι, ὀνειρομάντεις, & ὀνειροκρίται vocabantur. Ad quorum officinas, quæ ὀνειροπολεῖα dicebantur, confugiebant ἐνυπνιάσται, obseruationibus somniorum addicti & intenti, tanquam ad oraculorum delubra. Ab his ominum & præsagiorum, quæ somniis, portendebantur, petebant declarationes, cum plæraque aut ænigmatica, aut allegorica, aut ambigua, aut obscura sint, aut mutila. Longo vsu, & experientia comprobata cùm pro certis haberentur, obseruatio artem peperit, quæ regulis descripta, libros ὀνειροκριτικοὺς, *de interpretatione somniorum*, edidit. Sed in toto hoc genere, vt dixi, verum & probatum, vsuque admissum nullum est, nisi physicum, ac diuinum. Quod præsagum est, ex causis naturalibus euentuum, præsertim in rebus & actionibus proæreticis, cùm discerni causis à diuinis & Diabolicis non possit à priori, relinqui Deoque commendari debet. Non vult Deus his, neque illorum interpretibus fidem haberi, multò minus captari illa vult. Sed sicut de signis cœli inquit: A signis cœli nolite timere, quia nec malè possunt facere, nec benè: signa

tamen esse admittit, ideoque nec *ἄσημα*, *expertia ominis*, & vana esse, nec orta temere: sic, ad hæc somniorum, & similia alia terriculamenta, non vult nos cohorrescere, vt Ethnicos, Dei & promissionum diuinarum ignaros, sed ad ipsum conuerti, & ab ipso solo, fide, cogitationibus, consiliis, precibus, ac spebus pendere totos.

Recensui diuinatricis artis differentias præcipuas, ex earum genere, quæ sunt Diabolicæ inuentione, exortu, præstigiis, & opere, vsu ac fine, & à Deo vetitæ. Nimirum, Oracula, Vaticinia spontanea, aut quæsitis prouocata *θεομαντικὴ*, *oracula*, obsessorum: Magica, quibus euocantur Dæmones, aut consuluntur præsentes, ex conuento pactoque, siue à viris exerceantur, siue à sexu fœmineo: *ἐπῳδικὴ* seu incantatoria: *ἱεροσκοπικὴ* siue victimarū lustrationes: *οἰωνοσκοπικὴ ἢ ὀρνεοσκοπικὴ* seu auguria: *κλήρους μαντικοὺς*, siue sortes diuinatorias, & sortilegia: *ὀνειροπολικὴ*, seu præsagia & coniecta ex somniis. De his, quid statuat ac sanciat iudicij diuini sententia, in singulis indicatum est. Exordi 22. maleficis decernitur mors. Maleficos ne patiaris viuere. Sunt autem malefici omnes (siue Magi sint, siue *Φαρμακεύτριαι ἢ φαρμακίδες*, *veneficæ*, siue *ἐπαοιδοί*, *incantatrices*,) qui, ex fœdere, & obligatione mutua cum Diabolo, seu expressa illa sit, & conceptis verbis ac conditionibus, seu tacita, ex occulto mutuoq; consensu, dæmoniacas artes exercent, siue ad prædicenda futura, siue ad perficiendum opus aliquod malum aut bonum, quanquam hoc rarius, nec fit, nisi ad fidem facinorum augendam: Nec refert, siue ex ipsis maleficis, aut per ipsos, Dæmon compellatus vel interrogatus respondeat: siue in alio subiecto aut domicilio, ab iisdem consulatur: Opus autem, siue peragat, qui sciscitatur: siue pro eo Diabolus. Iidem enim sunt mali Spiritus, & qui percunctantem regunt, vt mancipium ac domicilium suum, & qui dant responsa ex alio, & colludunt inter se omnes, atq; conspirant. Denique tolli vult Deus omnes, & eradicari ex suo populo, qui quoquomodo pacta & commercia habent coluntque cum Dæmonibus.

Anacephalæosis artium Diabolicarum.

Vsus horum omnium, interdicitur prohibitionibus seuerissimis. Leuit. 19. & Deut. 18. vt dictum est. Hæc interdicta sæpe repetuntur à Prophetis, Iere. 27, Nolite audire Prophe-

Prohibitiones diuinæ.

Prophetas vestros, & diuinos, somniatores, Augures, Maleficos, &c. Esa. 44, Ego Dominus irrita faciens signa diuinorum, & Ariolos in furorem vertens. Recitantur & pœnæ publicæ, quibus hæc βδελύγματα, *abominanda*, Deus vltus est, in historia Saulis & Manassis. Ac præmia & encomia Regum, qui extirparunt, Ezechiæ & Iosiæ, &c. Idololatræ sunt omnes, reiectique à Deo, qui profitentur & vsurpant has artes. Idololatræ sunt & illi, qui, ministerio, & opera horum artificum, Diabolica auxilia quærunt & implorant siue ad nocendum hoc fiat, siue ad malum aliquod propulsandum. Paul. 1 Cor. 10, Fugite, inquit, ab Idololatria. Et 1 Ioh. 5. Cauete vobis ab Idolis. Paul. iterum 1 Cor. 8, Idolum nihil est in mundo. Et nullus est Deus alius, nisi vnus. Item 1 Cor. 10, Non, quod idolum sit aliquid: aut immolatum idolis, quod sit aliquid: sed, quæ gentes immolant, Dæmoniis immolant. Idololatricum itaque omne est, quod fit in quóvis horum genere, ac defertur & præstatur Dæmonibus. Quod consortium enim (inquit Paulus 2 Cor. 6.) iusticiæ cum iniusticia? Et quæ communio luci cum tenebris? Et quæ συμφώνησις, seu concordia Christo, cum Belial? Et quæ συγκατάθεσις, seu consensio templo Dei, cum Idolis?

Malefici interficiendi.

Idololatras autem excindi morte præcipit Deus Deut. 13. Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, siue vxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis, sicut animam tuam, clàm dicens: Eamus, & seruiamus diis alienis, quos ignoras tu & pattres tui, non acquiescas ei, neque audias, neque parcat ei oculus tuus, vt miserearis. & occultes eum, sed statim interficies eum. Sit primùm manus tua super eum, & postea omnis populus mittat manum. Lapidibus obrutus necabitur, quia voluit te abstrahere à Domino Deo tuo. Deut. 17. Si vir aut mulier faciunt malum, in conspectu Domini Dei tui, & transgrediantur pactum illius, vt vadant, & seruiant diis alienis, & adorent eos, quæ non præcepi: Et hoc fuerit significatum tibi, audiensque inquisiueris diligenter, & verum esse repereris, & abominatio facta est in Israel, educes virum illum & mulierem, quia rem sceleratissimam perpetrarunt, ad portas ciuitatis tuæ, & lapidibus obruentur. Paul. 1 Cor. 5.

Si

Si quis, cùm frater nominetur, sit scortator, aut auarus, aut idololatra, aut conuiciator, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi ne edatis quidem. Nulla est autem maior Idololatria, inter omnes, quàm si quis sciens volénsque, exclusum semetipsum à diuino fœdere, Diabolico implicet, & Dæmoni se mancipet organum blasphemiarum ac scelerum omnium contra Deum, simúlque ad Dæmonem colendum incitet, adducátve alios: Aut, si quis spontè, deserto Deo, desperatóque auxilio diuino, adoret eundem, petens ab illo opem per Magum aut sagam ministros, contra vetitum. Si rectè res perpendatur examinata ad regulam verbi diuini, deprehendetur, quidquid est summæ impietatis ac scelerum exquisitorum contra Deum, ac Dei mandata, omne illud, velut in fascem complicari à mancipatis Diabolo, quocumque vel nomine titulóque insigniantur, Magorum, Anotorum, Maleficorum, Incantatorum, &c. vel artificio id perpetrent. Concurrunt enim atque coniunguntur vno semper nascente ex alio, abiuratio Dei, Idololatria, blaspemæ voces in Deum, furor manifestus, seductio & corruptio aliorum. Non solos sese enim, sed sæpe & liberos in vtero deuouent, aut editos dedicant, aut desponsatas elocant filias Diabolo, vt olim liberos Idolo Moloch exurebant. Præter hæc, omne, quod possunt, nocendi genus experiuntur & peragunt, insidiis, seditionibus, fraudibus, mendaciis, calumniis, homicidiis, furtis, rapinis, adulteriis, & nefandis commixtionibus cum Diabolo, infectionibus, aut interemtione hominum & iumentorum, corruptione aeris, & rerum nascentium, tempestatibus prodigiosis, &c.

Magia summa idololatria & complicatio omnium scelerum.

Quare & olim homicidij reos fuisse tales artifices, Plato testatur 2 de legibus: & legibus ciuilibus adhuc rectè ad supplicia condemnantur, de qua re satis disputarunt alij.

DE PRAESAGIIS MEDICORVM.

RECTE, inter diuinationum genera, collocatur & Medicorum σημειωτικὴ, *pars ea medicinæ, quæ de signis agit*, quæ considerat signa, arguentia in sanis valetudinem, aut firmam, aut affectam, & labentem in deterius, & totam collapsuram, nisi præsidiis iuuetur, & fulciatur commodis: (vtor autem sanorum vocabulo latius, neutros etiam includens) in ægris actu iam affligentes morbos, naturæq́;, cum morbis, certamina ac conflictus, secuturas mutationes in melius deteriúsve, & restitutionem vel interitum & extruit inde προγνώσεις καὶ προρρήσεις, *prænotiones & prædictiones*, de morbis imminentibus atque oborituris, de conualescentia, de vita & morte, de inuasuris cum morbo, aut aliquantò pòst, Symptomatibus.

Medico signorum obseruatio necessaria.

Qualis sit, ex quibus deriuata fontibus, quibus incedat insistatque viis ac rationibus, quantum ad totam θεραπευτικὴν, *curandi, rationem*, adferat momenti, constabit, vbi signorum discrimina explicauerimus, & ostenderimus fontes, ex quibus scaturiunt ac manant. Certè ad ea Medicum, aut excitatos in corporibus morbos, præsertim si intra corpora aiti labdteant, cogniturum & amoturum, aut de exitu coniectaturum, vel repentinis conuersionibus, quæ quandoque incautos, præter opinionem oborientes turbant, distrahuntque, oculis atque animo attentum esse oportet.

Σημεῖα Græci vocant, & generatim quævis signa, siue τεκμήρια, *certa & necessaria iudicia*, sint, siue, vt à Dialecticis vocantur, εἰκότα, *probabilia*, & speciatim εἰκότα tantùm: ac rectè discernuntur à Galeno τεκμήρια, & σημεῖα, *signa certa & probabilia*.

Τεκμήρια.

Τεκμήρια, *signa certa*, rem vnam atque eandem sua natura, perperuò necessarioque, citra aliquam ambiguitatem, demonstrrat: nec fortuitis notantur obseruationibus, sed ratione Logica firmaque, & demonstratione nitente consequentia,

ſequentia, ex veris cauſis, aut effectibus certò cognitis, colliguntur. Σημεῖα, *ſigna veriſimilia*, contrà, nec neceſſariò, nec perpetuò, ſed vt plurimùm eandem rem indicant: & conſtant ac nituntur conſentientis experientiæ argumentis. Galenus 3 Prognoſt. his verbis diſcrimen explicat: Τεκμήριον ὀνομάζουσι τὸ διηνεκῶς μὲν ἐν ὁτιοῦν δηλοῦν γνώρισμα: σημεῖον δὲ τὸ ἕτερον, ὃ μὲν οὐκ ἀναγκαίως, οὐδὲ διὰ παντός, ἀλλ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ μόνον, δηλοῖ ἐν ὁτιοῦν: ἔτι δὲ τεκμήριον μὲν ἐξ ἀκολουθίας ἐστὶ λογικῆς καὶ ἐνδείξεως, σημεῖον δὲ ἐκ τηρήσεως ἐμπειρικῆς: id eſt, *ſignum certum appellant, quod perpetuò vnumquodlibet indicat: ſignum verò nominant alterum, quod quidem non neceſſariò, neque omnino, ſed magna duntaxat ex parte vnum quodlibet indicat. Præterea ſignum certum conſecutione conſtat logica, quæ eſt demonſtratio, ſignum verò ex obſeruatione eſt empirica.*

Σημεῖα.

Quæ verò ex tota ſignorum congerie, ad τεκμήρια, *certa iudicia*, pertineant, aut σημεῖα, *ſigna*, declarata eorum natura docebit. Omnia ſigna, aut σημεῖα ſunt tantùm, (generatim τοῦ σημείου, *ſigni*, voce accepta) aut σημεῖα καὶ αἴτια, aut σημεῖα καὶ συμπτώματα, *aut ſigna & cauſæ ſimul, aut ſigna & ſymptomata*. Ratio horum, & conſideratio eadem in vtriſque, ſanis & ægris, atque etiam neutris & intermediis, etſi vis, in contrariis ſubiectis, contraria. Aſſumatur, exempli cauſa, ſeries actionum παρὰ φύσιν, *præter naturam*, quarum tres ſunt: Cauſa morbi, Morbus, & Symptoma. Cauſa antecedit, & vel præparat, vel gignit morbum, qui eſt affectio alicuius membri à præcedente excitata cauſa, lædens eius actionem. Morbus antecedit & ciet Symptomata, quæ morbum, vt effectus cauſam, conſequuntur neceſſariò, atque ex eo dependent: & quandoque, in aliquo membro, vel ſua confirmata vehementia, vel durata tempore, cauſæ vim acquirunt, nouaque ex ſeſe pariunt Symptomata.

Signorum genera.

Affectiones παρὰ φύσιν tres.

Cauſarum triplex genus eſt, προκαταρκτικὸν, προηγούμενον & συνεκτικὸν, *antegreſſa ſeu præincipiens, antecedens, & coniuncta.* Morborum itidem, & Symptomatum differentia triplex. Morbi enim ſunt, aut δυσκρασία, *intemperies*, in ſimilaribus, aut ἀμετρία, *læſa proportio*, in diſſimilaribus, aut ἑνώσεως ἢ συνεχείας λύσις, *vnitatis aut continuitatis ſolutio*, in vtriſq;. Symptomata ſunt, aut actiones læſæ, aut in habitu corporis, aut excuntibus, διάθεσις παρὰ φύσιν, *affectio præter naturam.*

Προκαταρκτικὸν αἴτιον in morbis.

Προκαταρκτικὸν αἴτιον, *causa antegressa & externa*, rationem habet aut αἰτίου καθ' ἑαυτὸ, id est, causæ per se, aut συναιτίου, vel συνέργου αἰτίου, seu causæ adiuuantis: Vt causa per se, aut immediatè efficit morbum; vt contusione, ruptione, vstione, incisione, punctione: aut mediatè, duobus modis; Vno, quia præparat τὸ προηγούμενον, *causam antecedentem seu internam*, quod vel materiæ, vel efficientis rationem habet, vel vtriusq;: idq; rursus duobus fit modis, mediatè, vel immediatè. Immediatè, vt assiduæ crapulæ, curæque coctionem impedientes, & coaceruantes, in cerebro, crudos humores & viscosos, præparant materiam morbis frigidis, vt Apoplexiæ. Vita ociosa, & delicata diæta, amplificans & cumulans in corpore humores, præparant τὸ προηγούμενον, *causam antecedentem & internam*, febribus & inflammationibus: Vsus frequens ciborum, bilem pituitamq; procreantium & aceruantium, materiam calculo conficiunt. Mediatè, vt vigiliæ continuæ, dum languefaciunt & affligunt cerebri temperiem, τὸ προηγούμενον ποιητικὸν, *causam antecedentem efficientẽ*, frigidis cerebri morbis adaptant. Aquæ, quæ astringunt affusæ frequẽter corporibus, aut pinguia, tenacia, & glutinosa foris illita, quia vel claudunt, vel oblinunt poros cutis, prohibentq; expirationem, alienum in corpore incendunt calorem, qui causa est putrefactionis humorum, ex qua febres. Calida, dulcia, pinguia, & crassa, hausta affatim, vel comesta, obstruunt vias epatis: ex obstructionibus inflammationes, has sæpe consequitur hydrops: & potest hæc causa appellari προπαρασκευάζον αἴτιον, *causa præparans*.

Alter modus est, quia præparatum iam, & actu existens προηγούμενον, *causam antecedentem & internam*, ciet ac commouet: ita æstus vehementior aeris, potus vini meracioris largior, agitatio corporis laboriosior, &, ex agitatione feruor, aliaq;, cient τὸ προηγούμενον, *causam antecedentem & internam*, apoplexiæ & inflammationum, quod collectum antea, & iam præparatum adest, & commouetur, non infertur. Idem προκαταρκτικὸν, *præincipiens*, vt σύνεργον αἴτιον, *adiuuans causa*, se habet, cùm excitatum morbum, aut fouet, aut exasperat, aut producit, quod fit multis modis.

Rursus τὸ προηγούμενον αἴτιον, seu interna causa, aut est κύριον αἴτιον, aut οὗ οὐκ ἄνευ: *principalis causa, aut sine qua non.*

Αἴτιον

Αἴτιον οὗ οὐκ ἄνευ, id est, Causa sine qua non, vt obstructio est causa sine qua non putrefactionis humorum in venis: *αἴτιον κύριον, principalis causa*, aut est in continente, aut in contento. In continente est, tum *ἀδυναμία, imbecillitas*, partium læsarum, qua voce complector læsas *δυνάμεις καὶ ἐνεργείας, facultates & actiones*, id est, has languefactas, deprauatas, & abolitas: tum robustiorum *δύναμις, facultas & vis*, præsertim in reiiciendis & propellendis à se noxiis humoribus, ad alias partes imbecilliores. **Προηγούμενον αἴτιον in morbis.**

Materiali causa complector *κακοχυμίαν, cacochymiam*, & *πληθώραν, plethoram*; quarum hęc, omnium humorum ęquabilem redundantiam, illa, aut singulorum, aut plurium, & vitio aliquo affectorum: quod, aut ex sola est alteratione, aut ex substantiæ corruptione, copiam significat, onerantem & infestantem, vel totum corpus, vel aliquas partes: & refertur, vel *πρὸς τὴν δύναμιν, quoad facultatem*, vel *πρὸς τὰ ἀγγεῖα, quoad vasa*.

In contento, vt humoribus, aut spiritibus; rursus aut *δυνάμει, facultate*, morbi causa est, aut *ἐνεργείᾳ, reapse*. Quæ *δυνάμει, facultate*, est causa, nunquam, nisi intercedat *ἐνέργεια, actus*, morbum facit. Non inferunt, aut Apoplexiam, in cerebri Cacochymia, aut *φρενῖτιδα, mentis delirium*, in Plethora, humores quieti, sed moti & agitati, atq; in cerebrum depulsi. Non incendunt febrem humores, aut copia excedentes, aut aliquo degenerantes à natura sua vitio, si tantùm sint *δυνάμει, facultate*, putres, & non *ἐνεργείᾳ, reapse*.

Sunt ergo quieti humores, & *δυνάμει, facultate*, putres, causæ morborum *δυνάμει, facultate*, tantùm.

Quæ inest *ἐνεργείᾳ, reapse*, aut, per se, facit morbum, vt cùm humor acris, erodens, & exulcerans intestina ciet dysenteriam: aut, per se, non parit morbum, sed gignendo & immittendo *τὸ συνεχὲς αἴτιον*, quod vocant coniunctam causam, morboque genito & absoluto, esse desinit.

Coniungitur autem semper cum principio *τοῦ γιγνομένου νοσήματος*, seu, vt loquuntur, morbi fientis, qui est propriè non morbus, cùm morbus sit *διάθεσις* seu *ἕξις, affectio seu habitus*, sed *πάθος*, seu *πάθημα, motus rei, quæ mutatur aut alteratur*, seu motus, quo acquiritur aut deponitur forma, secundum quam motus propriè partibus inest. Huiusgene-

ris sunt humores agitati, qui tandem, aut Apoplexiam gignunt, aut cient tumores, præter naturam, aut obstructiones efficiunt.

Συνεκτικὸν αἴτιον in morbis.

Συνεκτικὸν seu προσεχὲς seu συνεχὲς αἴτιον, *continens*, *seu proxima seu coniuncta causa*, vt Galenus, seu ὁμόγενον αἴτιον, *causa eiusdem generis*, vt Aristoteles, seu efficienter antecedens causa, vt Cicero, seu coniuncta causa, vt vulgus vocat, pars est essentiæ morbi, qua præsente, morbus est, sublata, tollitur, estque ἀχώριστος atque inseparabilis à morbo, distincta tamen: Estque omnino ea illius natura, vt si accedat, morbum excitet & infligat, & eundem, donec adest, alat ac foueat: si recedat, eximat rursus, & aboleat.

Apoplexia quomodo commoueatur.

Non motus aut agitatus tantùm humor in cerebro commouet Apoplexiam, sed irruens confertim in ventriculos, & totos opplens atque obstruens, qui, si naturæ robore extrudatur, nihil adfert periculi.

Causa Phlegmonæ.

Non agitatus tantùm & fluens in venis sanguis, sed in minimas velut infarctus venas, iisque expletis ac diductis copia, circumsitas partes attollens in tumorem, & plus æquo calefaciens, parit φλεγμονὴν, *inflammationem*. Cùm enim excidit osculis venarum sanguis, non est amplius φλεγμονὴ, *inflammatio*, sed degenerat in abscessum.

Causa & definitio Febrium.

Sic in febribus, non sola putredo humorum, in aliqua parte, febrem incendit, sed qui, ex foco putredinis, affluunt ad cor halitus putridi & feruidi. Febris enim ipsa, δυσκρασία, *intemperies*, est calida & sicca cordis, & aliarum partium, quam parit feruor calidorum halituum appulsorum ad cor, ex feruido fonte putredinis.

Cùm autem sit pars essentiæ morbi, separari à morbo nequit, nisi simul ipse extirpetur: Idcirco ἀχώριστος, *inseparabilis*, est à morbo: Sed aliter, quàm προηγούμενον ἀχώριστον, *causa antecedens seu interna inseparabilis*, est à morbo, qui fit, & adhuc est in motu. Nam hoc προηγούμενον αἴτιον, *hæc antecedens & interna causa*, à morbo, qui incipit fieri, est inseparabile, tanquam ἐφεξῆς ὄν, *quod in posterum existit*; συνεκτικὸν, *continens* verò, tanquam, ἅμα ὄν, *quod simul est*.

Et quanquam non omnis, solus tamen factus morbus habet συνεκτικὸν αἴτιον, *coniunctam causam*, & is maximè, qui constat intemperie coniuncta cum sua causa, quem vulgò vocant

eant intemperiem cum materia, cùm sit *σὺν ὂν ἁπλῶς, non aliquid quod simpliciter est*, sed morbus compositus cum sua causa.

Morbus suorum Symptomatum est *συνεχὲς αἴτιον, continens causa*. Quippe, eo nascente, inuadunt simul, aut consequuntur paulò pòst: vigent, stante & durante, dissoluto ac profligato, abeunt atque euanescunt, nisi, aut vehementia, aut mora longiore, radicibus actis, adeò insederint membro, vt degenerent, & vertantur in morbum.

Sed & morborum alius est *κατ' ἰδιοπάθειαν* seu *αὐτοπάθειαν, ex propria & sua quadam affectione*, alius *κατὰ συμπάθειαν, ex coniunctione seu cognatione naturæ*. Ille tantùm morbus est, à causa effectus morbida: hic, & morbus, & Symptoma: Morbus quidem, quatenus lædit actionem membri, cui inhæret: Symptoma, quatenus ex præcedente morbo nascitur, vt effectus. Alius item *κατὰ πρωτοπάθειαν, ex primaria affectione*, alius *κατὰ δευτεροπάθειαν*, seu *ὑστεροπάθειαν: ex affectione secundaria seu consequenti*. *Morborum distinctio.*

Et ex quocunq; sit genere, vnum eundemq; morbum alia consequuntur per se, & primariè, alia seu *κατὰ συμπάθειαν, ex cognatione & consensu naturæ*, seu *κατὰ συμβεβηκός, ex re aduentitia*: prout, in aliqua parte, nata fixaque affectio, vel eam solam affligit, vel connexas, aut in propinquo locatas partes, aut contactu, aut ex interuallo, communicato nocumento.

Epate inflammatione affecto, ex obstructione partis vtriusq; gibbæ & simæ, sequuntur per se læsiones præcipuarum actionum epatis, attractionis chyli, retentionis attracti, *αἱματώσεως, sanguificationis*, expulsionis, ac distributionis: per accidens dolor grauans, tussis arida, alui fluxus, sitis intensa, ariditas faucium, difficultas anhelitus, & alia, quæ enumerare omnia, huius loci non est. *Epatis inflammati συμπτώματα.*

Pertinet, ad signorum rationem, hoc quoque, vbi extranearum, seu aduenticiarum, aut internarum causarum, vel vna sola morbum efficiat, vel plures vnius aut vtriusque generis: eæque, aut certa serie connexæ inter se, aut ita copulatæ, vt simul concurrant.

Σημεῖα, signa, ergo, quæ habent vim & rationem signorum, simulque causarum vel Symptomatum, sunt si *αἴτια in morbis διαπαρεκτικά*, *causæ antepositæ externæ*, immediatæ, vulstactio *Signorum*

ex causarum differentia.

Medicorum signa aut salubria, aut morbida aut neutra.

προηγούμενα, *antecedentes internæ* propinquæ, aut συνεκτικά, vel συνεχῆ, *continentes vel coniuncta*: siq́ue tot adsunt, quot opus est, & eo colligatæ nexu, vt effectui producẽdo sufficiant: aut si de genere sunt Symptomatũ, per se comitantiũ affectiones quaivis: sub τεκμήρια, *notas rei certas & necessarias*, cadunt.

Cetera σημεῖα vel εἰκότα, *signa probabilia*, sunt, non propria vni affectui, neq; eundem perpetuò, sine discrimine, sed vt plurimùm demonstrantia: quandoq; communia pluribus. Quæ verò signa tantùm sunt: aut præcedunt morbos propter aliquam cum causis copulationem, aut sequuntur ex connexu, cum effectibus, aut Symptomatis. Ergo signorum, in tota arte Medica, ea est ratio ad res significatas, quæ, vel causarum ad effectus, vel effectuum ad causas, vel eorum, quæ causis & effectibus adiuncta cohærent, ad eorundem correlatiua.

Porrò, cùm signorum alia, de integra & constante valetudine, attestentur, alia degenerantem, aut iam affectam prodant, prostratã alia, & morbo succumbentẽ: alia victricẽ, & sese recolligentẽ naturã arguãt: alia ambigua sint: priusquã cõstituamus, quid quævis moneãt, indicentve, aut præsignificent, genera discernemus, finib. distincta, pro ratione affectionum, quæ in corporib. existunt. Aut enim ὑγιεινὰ sunt signa, aut νοσώδη, aut οὐδέτερα, id est, salubria, morbida, neutra. ὑγιεινὰ, *salubria*, sanitatem integrã; νοσώδη, *morbida*, morbos designant; οὐδέτερα, *neutra* prorsus ἀμφίβολα, *ambigua*, sunt, & neutram expresè affectionem demonstrant.

Singulorum rursus, alia διαγνωστικὰ, *demonstratiua*, alia προγνωστικὰ, *præsaga*, alia ἀναμνηστικὰ, *quæ in memoriam reuocant, vulgo memoratiua seu commemoratiua* sunt. Veteres hæc tria genera, vno nomine προγνωστικὰ, *prædictiones seu præsensiones*, vocarunt. Præcipuus vsus est διαγνωστικῶν & προγνωστικῶν, *demonstratiuorum & præsagorum*, quæ re ipsa non discrepant; ex iisdem enim petuntur fontibus: vsu differunt. Eadem enim, cùm ad affectionem, quæ actu inest corporibus, accuratè explorandam διαγνωστικῶν, *demonstratiuorum*: cùm ad imminentem, aut inuasuram aliquando διάθεσιν, *affectionem*, aut consecuturam, ad obortas & iam cognitas ægritudines, mutationem prænoscendam referuntur, προγνωστικῶν, *præsagorum vsum præstant*.

Διαγνωστικὰ ὑγιεινὰ. *demonstratiua salubria*, eam, quæ existit in corporibus, sanitatem: viriumq; præcipuarum integritatem & constantiam præ se ferunt, ac patefaciunt. *Signa salubria diagnostica.*

Προγνωστικὰ ὑγιεινὰ, γνωρίσματά sunt τῶν νοσησόντων, καὶ ὑγιασθησομένων, *præsaga salubria, sunt indicia eorum, qui ægrotaturi sunt, aut ex morbo conualituri*, id est, notæ in ægris, quæ præcedunt, & indicant aut naturæ vincentis robur, aut conualescentiam ex morbis, & recuperationem, ac corroborationem amissarum virium. Hæc relata ad morbum, quatenus de afflicta valetudine, indicia dant, νοσερῶν, *morbidorum*, rursus ad robur virium collata, quatenus eluctari naturam, superato & excusso morbo, & confirmari, atq; ad restitutionem integrā tendere, edocent, σωτηρίων, *salutarium*, vicem subeūt. *Signa salubria prognostica.*

Ἀναμνηστικὰ, *Quæ in memoriam reducunt signa*, eam, quæ antecessit, sanitatem in memoriam reuocant: Cuius cognitio, vel eo nomine necessaria est, quòd quantum, à priore integritate, natura deflexerit, quantum constitutioni naturali decesserit, quarum rerum, & quanta sit opus instauratione, & an institui possit, aut tentari omnino aliqua amissi restitutio, correctióq; lapsuum naturæ & erratorum, admonet. *Signa salubria ἀναμνηστικά.*

Τῶν νοσωδῶν, *morbidorum*, eadem est ratio: Διαγνωστικὰ, *demonstratiua*, natos iam in corporibus, & actu infestantes morbos proferunt. *Signorum morbidorum distinctio.*

Προγνωστικὰ *præsagientia*, aptitudinem, propensionemq; ad morbos, in corporibus neutris, aut aliquando erupturas, quæ sensim gignuntur ægritudines: in ægris & iam affectis aut morbi prorogationem, aut interitum præmonstrant.

Sunt enim duorum generum. Alia in neutris obseruantur corporibus, iis nimirum, quæ nullius adhuc actionis læsionem euidentem, nullámve, quæ officiat actionibus, noxam percipiunt: alia in ægris. Illa vt Galenus inquit, οὐδετέραν δηλοῦσι διάθεσιν, προαγγέλλουσι δὲ νόσον· καὶ ἐσὶ τὴν ἰδέαν ἐν τῷ μεταξὺ, τῶν τοῖς ὑγιαίνουσι καὶ τοῖς νοσοῦσι συμβαινόντων, id est, neutram declarant exquisitè affectionem, morbum verò prænunciant, & medium quiddam habent inter ea, quæ ægris & sanis accidunt: hæc genere ὀλέθρια, *exitiosa*, sunt, & vel mortem prænunciant, quando natura languet & deficit; vel morbi durationem, suppetunt naturæ vires, vt tolerare morbum aliquandiu possit.

Prioris generis quædam, ex eorum ſunt numero, quæ ſecundum naturam ſe habent, &, non tota ſubſtantia, ſed ſola qualitate, aut quantitate, aut tempore, quo educuntur vel apparent, à ſua euariant natura & origine. Quædam, tota quidem ſubſtantia recedunt à natura, & eorum comprehenduntur genere, quæ morbis adeſſe conſuerunt, ſed infirmiora ſunt multò morborum iudiciis.

Α'ναμνηστικὰ, *ſigna memoriam refricantia*, amotam iam, & præteritam inualetudinem memoriæ ſubiiciunt: quæ conſiderare eò prodeſt, quòd collata διαγνωστικοῖς, *demonſtratiuis*, præſentium morborum, & certiorem morborum ipſorum cognitionem faciunt, & ſæpe primos fontes eorundem commonſtrant. οὐδέτερα, *neutra*, nec de præſenti, vel ſanitate, vel valetudine, nec de impendente & ſecutura, certi aliquid perhibent aut confirmant, ſed prorſus ἀμφίβολα καὶ ἀμφοῖν δηλωτικὰ: *ambigua ſunt, & amborum indicia.*

Alia morbidorum ſignorum diſtinctio.

At τῶν νοσερῶν, *morbidorum*, tam διαγνωστικῶν, *demonſtratiuorum*, quam προγνωστικῶν, *præſagientium*, alia παθογνωμονικὰ ſunt alia συνεδρεύοντα, vel συνεζευγμένα, alia κρίσιμα, vel κριτικὰ συμπτώματα: *alia ſunt vitium ſeu morbum indicantia, alia aſſidentia vel annexa, alia indicatoria ſymptomata.*

Signa παθογνωμονικά.

Differunt enim hæc Παθογνωμονικὰ *pathognomonica ſeu morbum indicantia*, ſiue propria vni morbo ſint, ſiue communia pluribus, ſed certius propria, & cum morbo ipſo naſcuntur, promuntq; atq; exerunt ſeſe mox, inter principia, vbi erumpit ille, ac ſentitur, & eſſentiam morbi (vt ita dicam) conſtituunt ac declarant, nec diſcedunt, niſi euulſo & ſublato morbo, cui nexu inſeparabili cohærent, tanquam cauſæ, à qua fluunt ac dependent. Talia ſunt in Pleuritide, acuta febris, cum ſpirandi difficultate, tuſſi, & dolore lateris pungente. Galenus ita deſcribit, παθογνωμονικὰ ἀχώριστα ἐστιν, καὶ ὡς ἄν τις φαίη τῆς τοῦ πάθους οὐσίας αὐτῆς συνθετικά: *id eſt, Pathognomonica ſeparari non poſſunt, & vt ita dicã, affectus eſſentiã conſtituunt.*

Signa συνεδρεύοντα.

Συνεδρεύοντα vel συνεζευγμένα, id eſt, aſſidentia aut annexa, neque ea morbo neceſſitate cohærent, vt ſeparari nequeant, neq; eius conſtituunt eſſentiam, ſed mores conſtitutionemq; morbi exprimunt: nimirum, an ſit de genere ὀξέων, *acutorum*, vel κατοξέων, *peracutorum*, vel χρονικῶν, *diuturnorum*, vel ἠπίων, *mitium ſeu benignorũ*, aut κακοηθῶν, *malignorum ſeu*

immi-

immitium, quanta vitæ pericula, quaq; vehementia intētet, an sit solutu extirpatuq; facilis, an verò rebellis ac cōtumax & de termino exituq; præmonent, vtrum citò desiturus sit morbus, materia ad expulsionem maturata, an verò perduraturus aliquandiu, & atrocius infestaturus: &, si perseueraturus est, an naturæ vires sustectūræ morbi violentiæ, & valituræ eò vsq; donec noxium omne depellant, an verò ante materiæ maturationem, collapsuræ atq; interituræ sint, qualis sit futura crisis, bona, vel mala, integra, vel imperfecta.

Et, vel cum ipso simul irruunt, vel primum insultum aliquantò pòst consequuntur, atq; *ἐπιφαινόμενα*, id est, aut sequentia, aut post apparentia nuncupantur: vel nonnunquā toto morbi tempore, nec comparent, neq; accedunt, sed emanent. Non enim, lege necessaria, morbo annexa sunt, neq; ex morbi essentia, prodeunt & manant: Cuiusmodi sunt signa *ἐνδεικτικὰ πέψεως, ἢ ἀπεψίας, quæ indicant coctionem aut cruditatem*, in sputo, vrinis, sudoribus, excretionibus alui, aliaq; salutem significantia, mutationémve in melius, aut interitum, & deiectionem virium, quæ *θανάσιμα*, & *θανατώδεα, lethalia & mortifera*, vocantur.

Signa coctionis nunquam, sub primum statim morbi principium, sese ostendunt, illud nimirum, quo primum morbi insultum, latitudine omni carentem intelligimus: sed posterius conspiciuntur, & primam totius morbi partem, quam etiam nomine principij designamus, finiunt ac concludunt: Complectimur enim, prima morbi parte, spacium à prima inuasione, vsq; ad illud tempus, quo euidentia, in excrementis, indicia coctionis apparent. *Signa coctionis & mortis pertinent ad ἐπιφαινόμενα.*

Quare ad *ἐπιφαινόμενα succedentia vel superuenientia*, pertinent, sicut & mortis signa, quorum ortus ex iis est, quæ succedunt principio morbi.

Signa cruditatis cum primo morbi exiliunt principio, &, quocunq; morbi tempore, sese promunt. Signa coctionis, quocunq; morbi tempore apparuerint, semper bona sunt. Nam morbi solutionem, haud ita multò pòst secuturam, ostendunt, tantoq; ægro celeriorem restitutionem pollicentur, quantò maturius prodierint. *Signa coctionis semper bona.*

Τὰ ὀλέθρια, vel *θανατώδεα μεγάλως ἐν τάχει: τὰ ἧττον ἐκείνων, χρονίως: exitiosa vel lethalia valde, iam iam imminētem: minus verò lethalia, post aliquod tempus*, mortem ægro denunciant.

Cruditatis signa diuturnum morbum & periculosum significant.

Cruditatis signa, & coctu elaboratuq; difficilem materiam, & longiore tempore, perduraturum morbum, arguunt:&,quantum in ipsis est, non mortis periculo ægrum liberant, sed interitum accelerant: de vtrisq; Hippocrates primo Epidem. Coctiones crisis celeritatem, salutis securitatem significant. Cruda verò & incocta, & quæ in abscessus malos conuertuntur,crisium defectus,dolores, vel diuturnitatem,vel mortem,vel recidiuas ostendunt.

Pleuritidis signa.

In Pleuritide συνεδρεύοντα, *aßidentia*, sunt morbo propria (nam & horum, vt παθογνωμονικῶν, *vt eorum quæ morbum aut vitium significant*, alia propria sunt morbis, alia communia) quòd dolor,aut ad hypochondria pertingit,aut ad claniculas: quòd in affecto æger facilius decumbit latere,quàm opposito: quòd inter principia expuit aliquid, aut nihil omnino,& sola vexatur sicca tussi. Crudissima enim est Pleuritis, in qua nihil expuitur. Nam eam, necesse est, inflammationem, & maturatu difficilem esse, & longius requirere tempus, quo emolliatur & præparetur, in qua tanta est meatuum constrictio, vt nihil extra fundatur.

Discrimina Pleuritidis ex sputo sumta.

Secundum locum illa obtinet, in qua sanies tenuis eiicitur:tertium,in qua crassior; quartum, in qua, quæ expuitur materia perfectè cocta est, alba, leuis, æqualis consistentia, nec humida nimis,nec inæqualis.

Signa ex sputo coctionem indicare.

Tenue sputum coctionem quidem, sed debilem arguit. Impermixtum,& vel flauum vel rufum,haudquaquam bonum. Liuidum, aut ærugini simile,aut nigrum, perniciosissimum.

Si ergo tertio quartóve die, excernetur materia cocta, non, vltra diem septimum, producetur morbus: Si crudorum quodcunq;,aut si nihil omnino egestum fuerit,longius extendetur tantò, quantò certiora cruditatis fuerint indicia, quandoque id, quod editur, à cocti forma longius abfuerit. Exemplum Pleuritidis illustre recitat tertio Epidemiorum Hippocrates.

Signa κριτικά.

Κρίσιμα vel κριτικὰ, *iudicatoria*, signa, sua natura Symptomata sunt: quatenus verò luctam, conflictumq; naturæ cum morbo, & eam, quæ hoc è vestigio certamen consequitur, mutationem ostendunt, signorum vim præstant. Talia sunt sudores, sanguinis fluxus, rigores, alui profluuium, vomitus,

tus, dolor capitis repente inuadens, difficultas spirandi præter rationem, & vehemens cordis morsus, hypochondria citra dolorem extenta, vigiliæ plurimæ, delirium, nox absq; ratione molesta, accessio anticipans, lacrimæ inuoluntariæ, neq; ex affectis extillantes oculis, nec tristicia expressæ, rubor faciei: labrum inferius agitatum, lucida, vel obscura & tenebrosa quædam oculis obuersantia, anhelitus difficiles, malæ nasúve derepente rubescentes, Parotides, aliíve abscessus, ex afflatu agitatorum à natura humorum, & decumbentium ad articulos, & similia.

Ceterum, sub primum morbi accessum, hęc ægrum non corripiunt, illis principiis duobus, quorum alterum, in tertium vsq; diem profertur; alterum, tota morbi parte prima, definitur, non rarò occupant: nonnunqam in *αὔξησιν* aut *ἀκμὴν* *incrementum aut vigorem*, morborum incidunt, natura, aut præmetiente, atq; experiente vires suas, aut omni conatu, in morbi expulsionem incumbente.

Idcirco, non eodem modo, vt coctionis signa salutem semper, aut securitatem spondent. Verùm vbi ad coctum iam maturatumq; morbum accedunt, superatum à natura morbum, mox cessurum atq; abiturum, & sanitatem redituram confirmant. *Κριτικὰ signa non eodem modo salutem spondere.*

Si crudum adhuc morbum, ante maturationem, præoccupant, crisin non bonam designant, quæ scilicet, aut in perniciem agat ægrum, aut morbum proroget, parte materiæ excussa atq; euacuata, parte relicta, & ne quidem attacta. Prægrauari enim, atq; infirmari naturam, crudæ materiæ copia, irritarique onere, vt exonerationem sui tentet, priusquam exquisitè subactæ ac præparatæ materiæ dominetur, indicant.

Quod si natura, per sese languida est, & eneruis, mox hoc violento amplius debilitata conatu, sub onere residuorum humorum, concidit, atq; extinguitur: Si viget valetque, etsi affligitur grauiter, tamen renititur morbo, donec vincat, nisi frangatur diuturnitate, & succumbat priusquam consequatur in materiam infestantem dominium.

Ergo, quæ hactenus commemorata sunt signorum genera, discrepant inter se natura, significatis, & tempore ortus sui, seu inuasionis.

Signorum discrimina.

Παθογνωμονικὰ, *quæ vitium aut morbum significant*, eo existunt momento, quo morbus ipse, ex morbi propagata essentia, & ipsi ita agglutinata, vt nequeant diuelli aut seiungi,& morbi ideam referunt.

Συνεδρεύοντα, *aßidentia*, aut sub accessionem morbi primam erumpunt,aut,sequentibus duobus principiis, comitantur morbum: ita tamen, ne eius principij, quo prima morbi pars continetur, excedant limites, &, quæ sit totius morbi constitutio conditioq;, quem sit habiturus finem atq; exitum,aperiunt.

Κρίσιμα,*indicatoria*, primo morbi principio nunquam,secundo,tertióve, aut augescente, vel in vigore consistentè morbo, frequenter inuadunt, subitasq; mutationes præcedunt.

Fontes signorum Medi*corum.*

Distinximus signorum genera. Sed,ex quibus sint petenda rebus,quæris? Galenus,in libro locorum affectorum,sex commonstrat fontes,ex quibus signa omnia, ceu riuulos deducit. Accidentia, actiones læsas, excrementorum qualitates,tumores pręter naturam,dolores,colores partium,aut corporis vniuersi. In Arte parua, hos fontes in quinq; contrahit capita: Alterationes, præter naturam accidentium subiectorum sensibus, vt magnitudinis,coloris,figuræ, numeri,partium situs,duritiei,mollitiei,caloris,frigoris, & cetera:Læsas actiones, exeuntia, dolores, tumores præter naturam.

Salubria pænè,ex iisdem colligit fontibus, ex actionum integritate, ac perfectione, quæ temperiei respondet, conueniente numero,figura,situ, magnitudine, εὐχροίᾳ, *coloris bonitate*,mediocritate in duritie ac mollitie,exeuntibus. Alibi paucioribus hæc generibus complectitur.

Duo fontes signorum apud Medicos.

Collatis igitur pluribus, & non ita multùm variantibus Galeni locis, duos constituemus, de ipsius sententia, fontes, ex quibus omnia signorum discrimina, ceu riuulos deriuabimus.

Signa fluunt, vel ex constitutione & habitudine, aut essentia (nominat enim Galenus οὐσίαν, *essentiam*) partium, vel ex annexis forinsecus.

Σύστασις seu constitutio corporum.

Σύστασις seu constitutio, seu οὐσία, *essentia*, partium, aut est κατὰ φύσιν, *secundum naturam*, aut παρὰ φύσιν, *contra naturam*, aut

aut οὐδέτερα, *neutra*, id est, aut secundum naturam se habet, aut, à naturali perfectione, recessit. Hic lapsus, si tantus est, vt officiat actionibus necessariis, & percipiatur, σύστασιν, *constitutionem*, seu potius διάθεσιν, *affectionem*, παρὰ φύσιν, *praeter naturam*, efficit: si nondum sentitur, οὐδετέραν, *neutram*.

Ex naturali constitutione ὑγιεινά, *salubria*, ex ea, quæ est præter naturam, νοσώδη, *morbida*, ex tertia, οὐδέτερα, *neutra*, oriuntur signa.

Consistit autem, seu σύστασις seu οὐσία, *constitutio vel essentia*, naturalis similarium partium, in εὐκρασίᾳ, id est, apta & conueniente temperie primarum qualitatum: organicarum in συμμετρίᾳ, id est, apta & concinna proportione, quo ad magnitudinem, figuram, numerum, situm, ac iusta cohærentia, & continuitate vtrorumque.

Εὐκρασίαν *aptam temperiem*, è vestigio, vt effectus causam consequuntur, & actionum ἀρετὴ ἢ τελειότης, *virtus aut perfectio*, & συμμετρία, *concinna proportio*, in duritie & mollitie, leuitate & asperitate, & εὐχροια, bonus, congruens, & floridus color. Actionum integritas & constantia rursus præstat hoc, vt exactissimè quæuis membro, nutritionis causa, adhibita elaborentur atq; immutentur, & quàm minimum colligatur excrementorum.

Mutantur hæc in contrarium, cùm præter naturam, membris aliquid accidit. Ergo, quæ οὐσία partium parit signa, aut in actionibus sese ostēdunt, aut ἐν τοῖς ἐκκρινομένοις *in iis quæ egeruntur*, seu emissis editisve extra corpus, aut in accidentibus subiectis sensibus.

Actiones, aut sunt ψυχικαὶ animales, aut ζωτικαὶ vitales, aut φυσικαὶ naturales: & τῶν ψυχικῶν, *animalium*, aliæ sunt αἰσθητικαὶ, aliæ πρακτικαὶ, seu κινητικαὶ, aliæ ἡγεμονικαὶ, id est, sensitiuæ, motiuæ, principes, quibus interiorum sensuum actiones, Galenus denotat. **Actionum differentiæ in corpore humano.**

Sic & naturalium, aliæ sunt διαπλαστικαὶ, aliæ γεννητικαὶ, aliæ αὐξητικαὶ, aliæ θρεπτικαί: *id est, aliæ formationi, aliæ generationi, aliæ augmentationi, aliæ nutritioni inseruiunt*.

Nomina à finibus sortitæ sunt, quòd informant, generant, augent, & nutriunt.

His aliæ quatuor seruiunt ἐνέργειαι, *functiones*, quas ὑπηρετικὰς, id est, ministras vocant: attractio, retentio, altera- ἐνέργειαι ὑπηρετικαί.

tio, & expulsio: quæ in membris destinatis τῷ θρεπτικῷ, *parti vegetanti*, geminæ sunt, Propriæ & Communes. His nutrimentum ceteris præparant, illis sese reficiunt & conseruant. In reliquis singulis simplices reperiuntur. Differunt communes à propriis, duobus modis. Fine primùm. Illarum finis est ἀλλοίωσις, *alteratio*, seu immutatio qualitatum nutrimenti, seu conuersio nutrimenti in humorem, conformem membro immutanti qualitatibus.

Differentiæ actionum ministrarum.

Singularum coctionum fines in corpore humano.

Coctionis in ventriculo finis est χύλωσις, *confectio chyli*, in epate, vel χύμωσις vel αἱμάτωσις, *chymi vel sanguinis elaboratio*, in venis extremis, insertis membrorum substantiæ, præparatio τῆς οἰκείας τροφῆς, id est, alimenti familiaris ac congrui partibus.

Venæ enim Capillares (vt ita dicam) vellicatæ à membris, ex grandioribus venis sanguinem conuenientem attrahunt, attractum intra sese retinent, & virtute circumdantium membrorum immutatum, ipsis in qualitatibus conformãt: tandem expellentes, roris instar, in poros membrorum spargunt.

Harum finis est θρέψις, *nutritio*, quæ est quædam generatio, id est, exacta nutrimenti cum nutrito, conformatio, seu nutrimenti, in substantiam eius, quod nutritur, conuersio. Postquam enim excidit nutrimentum osculis venarum, quod ex eo conuenientissimum est, nutrit; & respondet πρόσθεσις, *appositio*, attractioni, πρόσφυσις, *agglutinatio*, retentioni, θρέψις, *nutritio*, alterationi.

Habent & ἐκκριτικὴν, seu προωστικὴν, *excernendi siue expellendi*, vim, qua tum ea, quæ ipsa coaceruant excrementa, repellunt à sese, tum aliunde transmissa, vel fortuito appulsa motu abigunt.

Secundò, organis differunt. Communes membra exercent & perficiunt ope fibrarum, quibus intexta sunt: Rectis trahunt, retinent obliquis, expellunt transuersis: Propriæ, citra opem fibrarum, vi natiua absoluunt.

Actiones vitales.

Eadem ratio est τῶν ζωτικῶν ἐνεργειῶν, *functionum vitalium*, inter quas præcipuæ sunt, & maximè euidentes κινητικαὶ, *functiones mouendi*, à quibus cordis & arteriarum pulsus. Sunt enim σφυγμοὶ, *pulsus*, κινήσεις, *motus*, cordis & arteriarum, quibus vtraq; velut diducta & expansa attrahunt aerem frigidiorem,

Definitio pulsus.

diorem, cur à pulmone hauſtum & præparatum, arteriæ corpori forinſecus circumfuſum, vt is τὸν ζωτικῶν τόνον, *vitæ tenorem*, qui in cordis temperie conſiſtit, foueat ac conſeruet, & vitalem calorem finibus cordis, arteriarumque ductibus incluſum temperet: contracta rurſus, & velut conniuentia oſculis ſuis elidunt, propelluntque fuliginoſos & ardentes halitus.

Non eſt aliud certius & firmius τεκμήριον, *indicium*, aut viuidæ & conſtantis: aut inclinatæ, nutantis, vel proſtratæ virtutis; pulſibus. Integrum ſemper, aut certè vigentem adhuc, & noxiis fortiter aduerſantem, σύμμετροι, *moderati ſeu mediocres*, pulſus: languidam aut affectam, aut luctantem cum morbo, ἀσύμμετροι, *immodici*, arguunt, tantoq; læſam vehementius, quantò maior enormitas ineſt. *Pulſus certiſſimum indicium virtutis vitalis.*

Sed exploratio, cognitio, diiudicatioq; pulſuum, non dicam exacta, ſed qualiſcunq; difficilima: pauci, vel à prima ætate, toto vitæ tempore, in ea tractatione animaduerſioneq; exercitati, vix tandem diſcrimina perdiſcunt vtcunque plurimi ne quidem eam attingunt, abſterriti difficultate. *Pulſuum cognitio difficilima.*

Opus eſt profectò aſſuefactione longa attentione accurata, aſſiduitate, ſenſu, iudicioq; exquiſitiſſimo, comprehenſuro & ſeparaturo omnes tam ſubitas ac momentaneas motuum, tot modis, vno ictu; leui occaſione, variantium mutationes, tam exilia, minuta, & pænè ſenſum fugientia diſcrimina. *Ad pulſus cognitionem quæ neceſſaria.*

Non abiicienda tamen ea cura eſt, atq; obſeruatio: ſed conandum, nauandumq; tantum, quantum conſequi cuiq;, perplexitas operis ac difficultas concedit.

Quæ verò & efficiunt pulſus, potiſſimùm arteriarum, & variant, tria ſunt in corpore: δύναμις ζωτικὴ, *facultas vitalis*, vt primum mouens, ea, cordis temperiem, ceteraq; ad τελειότητα, *perfectionem*, natiuam pertinentia, complector: arteriæ, vt organum motus: ſpiritus vitales, ex cordis ſiniſtro thalamo, in arterias pulſi, cũ iis qui mixtim feruntur, & ſenſim eiiciuntur, fuliginoſis halitibus. Hæc, cùm συμμετρίαν, *concinnam proportionem*, conſeruant naturæ congruam, pulſus συμμέτρους *mediocres*, cùm ab ea diſcedunt, vel exceſſu, vel defectu, ἀσυμμέτρους, *immodicos*, cient. *Pulſus tria in corpore efficiunt ac variant.*

Virtus multipliciter pulſus variat. Robore ac tenore vir- *Virtus variat pulſum.*

tutis variante,&, vel mediocriter se habente, vel incitato & intenso, vel diminuto, fiunt pulsus σφοδροὶ vehementes, ἀμυδροὶ debiles, σύμμετροι mediocres, & inter illos medij. Pressa velut grauataq; virtus, aut nullo impedita onere, vigensq;, τῶν ὁμαλῶν καὶ ἀνωμάλων æqualium & inæqualium, τεταγμένων καὶ ἀτάκτων, ordinatè seu periodicè, aut inordinatè ferientium, discrimina gignit.

Anomalia pulsuum & eorundem discrimina.

Ἀνωμαλία, *inæqualitas*, aut in vno deprehenditur pulsu, aut pluribus collatis inter se, quam συστηματικὴν *systematicam siue accumulatam seu collectiuam*, vocant. Huius generis sunt διαλείποντες, deficientes, qui in serie pulsuum emanent, & non percipiuntur: παρεμπίπτοντες, intercidentes, qui, vbi quiescendum erat arteriæ, post sui constrictionem, ex superfluo accedunt: μυουρίζοντες, ἢ μύουροι ἐκλείποντες, *decurtati seu mutili deficientes*, à figura desinente in mucronem, qui continuò minuuntur, donec in perfectam finiantur ἀκινησίαν, *motus inhibitionem, siue quietem*: μύουροι παλινδρομοῦντες, ἢ ἐπανερχόμενοι, *decurtati reciproci*, qui non prorsus deficiunt, sed repetunt ictus, aut eadem inchoatos vehementia, maiore, aut minore. Sequitur affectam virtutem & σπασμώδης conuulsorius, in cerebri affectibus, vt Phrenitide.

Cordis & arteriarum contenta pulsum variant.

Quæ in corde & arteriis continentur, calori vitali permixta, faciunt discrimina duplicia. Primò, quoad quantitatem infusorum in arteriam, pulsum, aut πλήρη plenum, aut vacuum κενὸν, aut σύμμετρον, *mediocrem*. Secundò, quo ad rythmum (qui est analogia, seu proportio temporis, motus, & dilatationis, contractionisq; arteriæ, ad tempus, quo quiescit) εὔρυθμον & ἄρρυθμον, *concinnum & inconcinnum*: εὔρυθμος, *concinnus*, ab exquisita & natiua temperie proficiscitur corporis: ἄρρυθμος seu παράρυθμος fit aut ἑτερόρυθμος, aut ἔκρυθμος, *id est, inconcinnus aut fit præter rythmum & proportionem interualli motus & quietis, aut rythmum habet alienum, aut nullum retinet rythmum*, prout plus minúsve, aut alienus redundat calor, aut deficit.

Organi constitutio pulsum variat.

Organi σύστασις, *constitutio*, quo ad duritiem, ex frigore durante, aut tensione à Phlegmone: mollitiémve, aut constitutionem inter has mediam, discernit pulsum durum σκληρὸν, mollem, μαλακὸν, mediocrem σύμμετρον. Huius generis est κλονώδης, *turbulentus seu vibratus*, cùm, constante, virtute,

tute, arteria præ duritia attolli nequit.

Ab affecta virtute & organo, existunt differentiæ pulsuum inæqualium, in vno motu, cùm ἀνωμαλία, *inæqualitas*, percipitur, aut in vna arteriæ micatione, & eadem parte, aut partibus diuersis. In vno ictu, & eadem arteriæ parte, cùm, sub vno digito, aliter incipiens arteriæ micatio aliter desinit, iniens cum vehementia, sensimq; languescens: vel contrà ab initio languidiore paulatim inualescens.

Pulsuum inæqualium differentiæ.

Hinc pulsus ἀνισοταχεῖς, *inæqualiter celeres, seu dispares*, qui motu sine intermissione procedente, & non titubante tardantur ab initio velociore, aut contrà accelerant tardius inchoantes.

Δορκαδίζοντες caprisantes, qui in primo velut saltu impingentes, aut hallucinantes, mox, tanquam receptis viribus validius insurgunt & vrgent, instar salientium caprarum, quæ, postquam exilierunt, dum pendent in aëre, sese incitant vehementius.

Δίκροτοι, *bis ferientes*, qui, geminato ictu, bis feriunt: hoc postremum ferè duritiem arteriæ, vt priora duo febrium feruores comitantur.

Eiusdem generis sunt, μύουροι ἐπινενευκότες & περινενευκότες *decurtati, vno in ictu innuentes, & circumnuentes* in quibus, circa medium digitum, inserta in καρπὸν, *brachiale*, manu, ictus intenduntur versus extrema, vtrinq; nutantes, tabescentibus ex inflammatione, aut alioquin emaciatis proprij.

Organo & vitali calore affectis, aut rectè constitutis, fiunt differentiæ, quoad tempus motus: Velox ταχὺς, tardus βραδὺς, mediocris σύμμετρ☉. Quod quantitatem diductionis arteriæ, multum ea distenta in latum πλατὺς latus, in longum μακρὸς longus, in profundum ὑψηλὸς altus, omnibus æqualiter auctis, id est, arteria dilatata æquali vehementia, secundum omnes dimensiones, μέγας magnus fit pulsus, minus distensa in latum στενὸς angustus, in longum βραχὺς breuis, in profundum ταπεινὸς humilis: secundum omnes dimensiones, imminutis æqualiter, μικρὸς paruus euadit. Quoad quietis tempus, πυκνὸς frequens, ἀραιὸς rarus, σύμμετρ☉ mediocris.

Pulsuum differentiæ.

Tribus omnibus simul affectis, prout affectio variat, ita alij atq; alij comitãtur pulsus. Κυματώδης *vndosus*. pulsus in hu

midis reperitur ægritudinibus, vt anasarca, veterno, peripneumonia, languefacta virtute. Hac grauius afflicta, *κυματώδης, vndosus*, in σκωληκίζοντα, seu vermiculantem: eadem extremè collapsa, hic in μυρμηκίζοντα, seu formicantem degenerat.

Ε'κτικὸς, *hecticus*, febrium hecticarum comes est. Ε'μπρίων vel serrinus neruosarum partium sequitur inflammationes, & præsertim Pleuritidem: qui si remittit, mollem & coctu facilem: si intenditur, contumacem materiam significat. Discrimina, causas, iudicia pulsuum, copiosè libris sedecim pertexuit Galenus. Ad institutum nostrum sufficiat indicasse, quòd pulsus ἐνέργειαι, *functiones*, sint cordis & arteriarum, & de læsa vel integra cordis virtute & arteriarum testentur.

Pulsus actiones cordis & arteriarum.

Harum itaq; (vt ad institutum reuertar) ἐνεργειῶν *actionum* ἀρετὴ seu virtus, sanitatem: κακία, id est, læsio seu vitium, morbos declarat illarum partium, à quibus eduntur.

Non solùm autem sedes, & principia harum actionum consideranda sunt: sed & coniunctarum partium: quarum ex illis quædam nascuntur ac propagantur: & virtute principiorum gubernantur: quædam sua se vi sustinent atq; administrant, sed earum propaginum interuentu & societate, quas à principiis communicatas, intra sese recipiunt, & illis colligantur, ac cohærent.

Cerebrum fons animalium actionū.

Cerebrum animalium actionum fons est: ex eo nerui nascuntur, & animales spiritus, coniunguntur eidem sensuum exteriorum organa, musculi, & quæ, sensus motúsve causa, neruorum inde deriuatorum surculos adipiscuntur, horum quodcunque si afficiatur, sensus membri, motúsve læditur, vel vtrumq;.

Læduntur verò actiones primariò, ac per se, à morbis κατ' ἰδιοπάθειαν, *propria affectione*, existentibus in membris: per consensum à morbis κατὰ συμπάθειαν, *ex consensu naturæ*, & Symptomatis, nisi fixa & confirmata hæc, in aliquo membro cōmutentur in morbos: mediante morbo à morbi causa: & fiunt læsiones triplici discrimine aut debilitatis vel languefactis actionibus, aut corruptis, aut penitus destructis atq; abolitis.

Actionum læsiones fiunt tripliciter.

Debilitant δυσκρασίαι, *intemperies*, non vehementes, siue

cum

cum materia sint coniunctæ, siue solis constent & nudis qualitatibus: & *ἀμετρίαι, vitiatæ proportiones*, non enormes, & moderatæ solutiones continui.

Corrumpit immoderatus & alienus calor.

Destruit penitus frigiditas immoderata, & continui solutio maior.

Deniq; aut cum dolore sunt læsiones actionum coniunctæ, aut, sine dolore, eueniunt.

Læsiones actionum aut sunt cum dolore aut sine dolore.

Dolorem inferunt, aut solutiones continuæ, aut *δυσκρασίαι, intemperies*, immoderationes, atq; à naturali temperie lõgius euariantes, subitæq;, aut confertæ alterationes. Sic enim Galenus inquit, *ἀλγήματα ἢ τῆς συνεχείας λύσιν ἢ ἀλλοίωσιν ἀθρόαν ἐνδείκνυται· λύεται ἡ συνέχεια τομῇ, διαβρώσει, θλάσει, τάσει· ἀλλοιοῦται δ' οὐσία θερμότητι, ψυχρότητι: id est, Dolor aut continuitatis solutionem, aut confertam alterationem ostendit. Continuitas soluitur sectione, erosione, contusione, extensione. Natura autem alteratur caliditate, frigiditate.*

Sed, si res propius aspiciatur, & pensitetur exactius, apparebit, non à soluta vnione per se, sed semper à qualitate contraria temperiei organi, quod sensui destinatum est, dolorem cieri. Comitatur enim dolor sensum, cuius læsi vel offensi Symptoma est.

Est enim dolor, non ipsa obiecti lædentis perceptio, sed affectio præter naturam, quæ ex ista perceptione, oboritur & existit. sicut delectatio, in organo sensus, est affectio secundum naturam, quæ sensus recreationem, & refectionem à conueniente obiecto, consequitur.

Definitio doloris & delectationis.

Sunt autem dolores omnes, in sensu tactus acriores & sæuiores multò, quàm in reliquis sensibus, quòd & ipse in compactiore ac solidiore est organo, & cietur à crassiore, &, vt ita dicam pleniore ac robustiore qualitate.

Dolor in sensu tactus acerrimus.

Sed & organum tactus non vnum est, & simplex, sed multipliciter compositum, scilicet, quod in extremarum qualitatum, calidi, frigidi, humidi, & sicci, & earum, *ποιότητες παθητικαί, qualitates passiuæ, siue subiectæ actioni*: ab Aristotele vocantur, duri, mollis, lenis, asperi, acuti, obtusi, & similium, mediocritate ac conuenienti forma & situ consistit.

Organum tactus.

Hoc ergo organum à sui similibus, id est, temperatis, moderatè applicatis, & conuenienter, non læditur, sed afficitur

voluptate ac delectatione: Ex contrariorum immoderatione, dolorem concipit, cùm hæc iustam, & membro congruentem mediocritatem exuperant, & repente vehementerque tactum feriunt: tunc, cùm fit applicatio obiecti ad organum.

Dolorum causæ quotuplices.

Tot ergo sunt dolorum causæ, quot obiectorum sensum tactus mouentium differentiæ. Quæcunq; enim res supra modum calida, frigida, humida, sicca aspera, acuta repentè & vehementer tactui illiditur, dolorem infert tunc, cùm sensum mouet vi & efficacia suæ qualitatis, qui dolor, amota re, quæ dolorem infligit, desinit, etsi obscura quandoque vestigia remanent, quique suboriuntur dolores noui, ab aliis commouentur causis.

Dolorum, quos ἀλγήματα, πόνους, ὀδύνας Græci vocant, alias differentias gignit ipsa eorum (vt ita dicam) ἰδέα, alias accidentia pariunt.

Variant dolorum ἰδέαν, *formam*, vel materia ciens dolorem, vel loci affecti natura, vel vtrumq;, vel motus materiæ.

Dolorum differentiæ ex locis affectis.

Dolor pungitiuus.

Locus affectus sex facit discrimina: Νυγματώδης vel διακεντῶν, quem pungitiuum vocant, rei pungentis sensum infert, &, circa membranas potissimùm consistit, ipsius affectus velut radice eo loco fixa, vbi membrana eleuata & tensa pungitur, dolore verò in ambitum circulatim sese extendente: cumque os nullum subiacet, æqualis: cùm subest os, inæqualis percipitur, prout vel membrum resistit vehementius, vel inflammatio sequitur, quibus acuitur aut hebetatur dolor.

Dolor intensiuus seu tractarius.

Διατείνων, quem intensiuum vocant, Archigenes ὁλκιμον, id est, tractorium videtur nominasse, neruis, accidit, à calore desiccante, vel humiditate dilatante, vtroque eorum termino cum eo, à quo incipiunt, tum altero, in quem finiuntur: tenso versus medium, & reliquo corpore, aut velut coëunte atq; corrugato complicatione, si ab ariditate tensio fiat: aût diducto, ac velut expanso, si ab humore: Tensionem eam conuulsio sequitur.

Dolor diuulsiuus aut laceratiuus.

Διασπῶντα ἢ συνερείδοντα, diuulsiuum aut laceratiuum nominant. Accidit membranis intextis carni: πολλοὶ γὰρ (vt inquit Galenus) εἰσὶν ὑμένες τοιοῦτοι, καὶ ἀνωμάλως ἐμφυόμενοι, καὶ περιλαμβάνοντες αὐτὴν τὴν σάρκα: id est, *multa enim membranæ sunt*

sunt eiusmodi, atque inæqualiter intextæ carni, atque comprehendentes ipsam carnem: cieturque à sola qualitate, vel materia, quæ huc illuc agitata allisaque membranis, dum eas, aut impetu vehementiore, aut penetrans poros, vrgensque à carne diuellit distrahitque, sensum lacerationis commouet.

Quem perforatiuum vocant, Galeno est ὡς ὑπὸ σκόλοπος ἐμπεπαρμένου, ἢ ὡς ὑπὸ τρυπάνου γινόμενος, qualis fieret, si vel palis configerentur, vel terebro membra perforarentur. Eiusdem generis vterque est, & accidit vterque crassiori intestino. Differt alter ab altero copia, crassitie, motu, vi atque efficacia materiæ: illum copiosior, crassior, fixior materia: hunc tenuior, rarior, & magis mota, ac velut pungens efficit: quippe pauca copiosiore, tenuis crassa, permanens mota materia minorem solet excitare dolorem. Galenus eruditè discernit vtrumque διαφέρουσι δ' ἀλλήλοις ἤτοι κατὰ τὸ πλῆθος, ἢ τὸ πάχος, ἢ τὴν κίνησιν, ἢ τὴν δύναμιν τῆς ἐργαζομένης τὴν ὀδύνην οὐσίας, εἴτε χυμὸς, εἴτε πνεῦμα φυσῶδες εἴη: *id est, Differunt inter se, aut copia, aut crassitie, aut motu, aut vi & efficacia cientis dolorem substantiæ, siue humor illa quidem sit, siue Spiritus flatulentus.* *Dolor perforatiuus.*

Grauis dolor Galeno est ὀδύνη βαρεῖα, ἢ μετὰ βάρους ἐμφάσεων, proprius membris sensu carentibus, vt epati, renibus, pulmoni, cerebro ipsi: Cùm circumdatæ his membranæ copia materiæ opplente & onerante membra ipsa, aut tumore aliquo, præter naturam ibidem existente, tensæ, velut aggrauari pondere se aliquo percipiunt. Quanquam enim nulli horum membrorum nerui implantantur, sed in ambientem absumuntur membranam: tamen sentitur grauitas, cùm membranæ à contactu tumorum extenduntur. Vocant hunc, & suspensiuum, & detractiuum. *Dolor grauis qui alias suspensiuus & detractiuus.*

Σφυγμώδης ἢ σφυγματώδης est, quem pulsatilem & pulsatiuum vocant. Accidit hic inflammationibus insigniori-bus, & sensu præditis partibus: propriè quidem, & per se, ac primariè arteriis, quæ continuo micant pulsu, affectis ἀνευρύσμασι, *tumoribus ex vulnere*: vicinis verò partibus, quæ arterias continent, per consensum affectis, quæ, contactu distentarum arteriarum, ob angustiam compressæ, ictus, quos dilatatæ arteriæ edunt, sentiunt. *Dolor pulsatilis seu pulsatiuus.*

Per accidens verò musculis inflammatione obsessis, in quibus pulsus, ob substratas aut intertextas percipitur arterias, & dolor inflammatarum partium à motu est, & compressione. Dilatatæ enim arteriæ feriunt inflammatos musculos, & compressæ ab adiacente carne, eam, diductione sui comprimunt vicissim. Iungitur huic semper dolor ἀπο-θλίψεως, quem compressiuum nuncupant.

Dolor compressiuus.

Dolorum differentiæ 5 ex materia.

Materia quinq; dolorum parit differentias, tres diuersitate qualitatum, duas quantitate, & duritie, mollitiéve.

Dolor mordicatiuus seu vulneratiuus.

Δακνώδης ἢ μετὰ δήξεως πόνος, ἢ ὡς διαβιβρώσκοντός τινος mordicatiuus, aut cum mordicatione dolor, & quasi depascente aut arrodente aliquo, est, quem mordicatiuum vocant: non differt ab hoc *πόνος ὡς τιτρώσκοντός τινος, dolor quasi vulnerante aliquo,* seu vulneratiuus.

Coniungit vtrumq; Galenus, inquiens, *οὐχ ὅταν ὑπὸ βελόνης τιτρώσκεταί τις ἕτερον πάθος πάσχει, τοῦ γινομένου κατὰ τὴν ὑπὸ δριμέως χυμοῦ διάβρωσιν,* id est, non afficitur aliter, qui vulneratur acu, quàm qui acribus corroditur humoribus. Ciet vtrumq; materia tam frigida quàm calida. Frigiditas mordicat constipando & comprimendo, neq; hoc facit, nisi adsit in membro humiditas calori iuncta, qui frigido resistat: nam si cedat calor, atq; euanescat frigiditas stuporem inducit: Calor mordicat exiccando humidum membri, & diuellendo continuum.

Dolor stupefactiuus.

Ναρκώδης, quem stupefactiuum vocant, à frigida causa tantùm fit, & vlceratis, sed sensu præditis partibus frequenter accidit, cùm non adest calor, qui resistat frigido occurrenti membris, estq; via ad paralysin. Non rarò *ὀδύνας ναρκώδεις, dolores cum stupore,* experitur *ὁ ἐπιπολῆς ὑμὴν, membrana quæ in superficie cuti substrata est,* cuti per totum subtensus corpus, ex occursu atq; impressione aeris frigidioris, quod & sanguine destituitur, & frigidior natura existit. Sed, vt Galenus inquit *οὐ γίνονται κατὰ τὴν οὐσίαν αὐτοῦ τοῦ πάσχοντος μορίου, ἀχώριστοι γὰρ οὕτως ἦσαν, ἀλλὰ κατὰ συμβεβηκός: id est, non fiunt ratione essentiæ partis affectæ; ita enim separari non possent: sed per accidens.*

Dolor exasperans.

Exasperans, cùm res sicca fertur per membrum sensus particeps: hoc faucibus, ex sicciore aere, aut vsu acerborum vel austerorum succorum euenit.

Com-

Compreſſiuus dolor, πόνος ὡς θλιβομένου, vel μετὰ θλίψεως euenit, cùm materia multa, in membro ſenſus participe coarctata concluſaque, cum ipſum membrum, tum vicina comprimit, aut generatur tuberculum quoddam, in tali membro. *Dolor compreſſiuus.*

Contuſiuus, πόνος ὡς θλωμένου, vel μετὰ θλάσεως, ſolutam à contuſione, vel attritu vnionem ſequitur, vt cùm lapis, vi naturæ, per vreteres expreſſus duritie & aſperitate ſua, latera vreterum atterit: aut aſperiora, & aridiora ſtercora, inteſtina ſtringunt & confricant, vnde quandoque ſanguis emanat: aut cùm, violentiore manuum, ad aſperius aliquod ſubiectum, adactu cutis velut rupta auellitur: aut cùm febrium rigoribus contunduntur artus. *Dolor contuſiuus.*

Materia, cum loco affecto, tres dolorum gignit differentias, inter quas eſt πόνος τονώδης, ἢ μετὰ τάσεως, quem extenſiuum vocant. Parit hunc multitudo, aut humidæ materiæ & craſſioris, aut flatuum concluſorum in concauis ſpaciis muſculorum, aut quibuſcunque meatibus anguſtioribus, ſenſu valentibus, vel ſub membranis. His enim membranæ, quæ veſtiunt atque integunt membra vel meatus, velut inflatæ diſtenduntur, cúmque ſenſus adeſt, τονώδης, *extenſiuus*, dolor oritur. *Tres dolorum differentiæ ex materia & loco affecto ſimul. Dolor extenſiuus.*

Ἑλκώδης, vlceratiuus, cietur à materia acri & pungente, in loco qui tenui conſtat & laxa ſubſtantia, vt muſculis, qui tenuioribus veſtiti innexique membranis, humori hinc inde penetranti tranſitum præbent. *Dolor vlceratiuus.*

Κνησμώδης, ἢ κνησμοῦ προσαγωγὸς, pruriginoſus, à materia excitatur tenuiore & acri, quæ perrumpens, interiora ad ſuperficiem fertur ibique in denſius ſolidiuſque impingens obſtaculum, & ſenſu valens, cohibetur, ne expiret: coaceruata verò, & tum copia vrgens, tum ſua ſeſe tenuitate ingerens ac penetrans, pruritum ciet, vellicando velut, ac titillando. Galenus, duplici diſcrimine hunc à priori ſeparat, inquit enim: διαφέρει ἡ κνησμώδης αἴσθησις τε καὶ διάθεσις, τῆς ἑλκώδους, ἀλλ' ἐπεὶ καὶ προηγεῖται πολλάκις ἡ κνησμώδης τῆς ἑλκώδους ἐκλυομένης τε καὶ παυομένης τῆς ἑλκώδους εἰς τὴν κνησμώδη: ἑλκώδης ἔτι οὐ μόνον ἐν τῷ δέρματι, φαίνεται συνιστάμενος, ἀλλὰ καὶ διὰ τοῦ βάθους ἐκτεταμένος ἄχρι τῶν ὀστῶν: ἡ δὲ κνησμώδης ὄντως τῆς ἐπιφανείας μόνης ἐστὶν, οὐ πρώτως κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον, ἀλλὰ κατὰ συμβεβηκὸς, *Dolor pruriginoſus.*

ὅτι

ὅτι πυκνότερον τῶν ὑποκειμένων αὐτῷ δέρμα ἐστιν: id est, *differt perceptio & affectio pruriginosa ab vlcerosa, quia sæpe numero perceptio pruriginosa vlcerosam antecedit, soluta & desinente vlceratiua in pruriginosam. Vlcerosa præterea non solùm ad cutem, sed per imas quoque partes ad ossa vsque penetrat: pruriginosa autem reuera ad solam superficiem pertinet, non tamen primariò, pro ratione ipsius propria, sed per accidens, eo quòd densior subiectus sibi partibus cutis est.*

Dolor turgidus.

Quem διασφίζοντα vocant, & turgidum, nec materiam, nec subiectum habet proprium, vt, cùm per arteriam diffunditur materia in locum angustum, vt, vbi doleat, æger nesciat: &, quia altius eleuatur in loco angusto, fit dolor turgidus, qui, à radice partis primariè affectæ, celeriter in circumsitas partes fertur, quibus nihil vitij inest, vt in Heterocrania & Cephalæa accidit.

Differentiæ dolorum iuxta Accidentia.

Accidentia multipliciter variant dolorum differentias. Remittuntur enim & intenduntur, prout efficientis causæ augetur & diminuitur, aut quantitas, aut vis atque efficacia: vel mutatur situs atque distantia: vel prout recens cœperunt dolores, aut longo durarunt tempore.

Quo ad quantitatem dolorum, alius est alio vehementior & intensior, ἧττον ἢ μᾶλλον σφοδρὸς, ἢ βίαιος, ἤγε ἰσχυρὸς: *minus aut magis vehemens, aut violentus, aut validus*, alius continuò affligit, διηνεκὴς, *continuus*: alius interquiescit, & per interualla aut redit, aut exasperatur, διάλειμμα ἔχων, *interuallum habens*: alius ὁμαλός, æqualis: alius ἀνώμαλος, inæqualis.

Quo ad qualitatem, alius acutus est, ὀξεῖα ὀδύνη: alius remissus & mitis, ἐκλυομένη ὀδύνη.

Acuunt dolores humores biliosi & acres, & flatulenti spiritus: obtundunt aut mitigant eosdem Phlegmatici humores: item dolorum alius duritiei sensum simul inuehit, alius absque hoc infestat.

Quoad locum, alij sunt profundi, βύθιοι, proprij membranis, quæ ossa ambiunt, cùm ipsis ossibus dolor inesse existimatur: alij, prope superficiem consistunt, ἐπιπολαῖοι.

Quoad tempus, alij sunt inueterati & antiquati: alij recentes & inchoati.

Quoad

Quoad motum, alij sunt stabiles, fixi, & permanentes, μόνιμοι: alij vagantur, & discurrunt ex vna parte in aliam.

Differunt hi inter se, materiæ efficientis copia aut paucitate, qualitatibus, crassitie vel tenuitate, æqualitate vel inæqualitate, motu vel quiete, origine materiæ, prout vel in ipso nascitur materia membro, aut in eo collecta hæret, in quo dolor sentitur, vel aliunde transmissa tunc facit dolorem, cùm influit.

Non negligere has, ab accidentibus sumtas differentias, multùm refert. Non parum præstant, ad accuratam morborum cognitionem, & rectam curationis institutionem. In morbis κατ' ἰδιοπάθειαν, *ex propria membri affectione*, continuus est dolor: In ceteris κατὰ συμπάθειαν, *ex consensu naturæ*, per interualla recrudescit & exacerbatur. Et hoc Hippocrates vult, cùm inquit: Dolores laterum, pectoris, & aliarum partium, an multum differant considerandum. Tot sunt signorum discrimina, quæ à læsis proficiscuntur actionibus. *Dolorum differentiæ Medico necessariæ.*

Sequuntur exeuntia, ἐκκρινόμενα. Horum Galenus tria constituit genera, cùm ait, ὅσα ἐκκρίνεται, τὰ μὲν ὡς μόρια τῶν πεπονθότων τόπων, τὰ δὲ ὡς περιττώματα, τὰ δ' ὡς ἐν αὐτοῖς περιεχόμενα κατὰ φύσιν: id est, quæ excernuntur, aut partes sunt affectorum membrorum, aut excrementa, aut quę, in membris ipsis, secundum naturam continentur.

Excernuntur vt partes, in inueterata phthisi pulmonis exulcerati, ac putredine consumti & corrosi, particulæ tussi: in Dysenteria quandoque, derasæ intestinorum tunicæ egestionibus alui: in epaticis fluxibus, (vt quibusdam placet) inflammati epatis portiunculæ: in renum inflammationibus carunculæ decisæ renum substantiæ, cum vrinis. *Eorum, quæ excernuntur, tria genera.*

Vt contenta secundum naturam, ex incisa, rupta, corrosa, aut dehiscente vena, sanguis ruber & crassus: ex arteria flauus, tenuis, & spumosus.

Vt excrementa, & humores plurimi, & alia, pus, calculi, vermes.

Partes membrorum, nunquam secundum naturam eduntur, nec contenta naturalia per se: per accidens, eorum excretiones quandoq; fiunt secundum naturam, nimirum membra onusta copia, ampliore iusto, exoneratura sese

Excrementorum differentiæ.

partem aliquam eiiciunt. Excrementorum magna varietas est. Aut enim sunt, κατὰ φύσιν, *secundum naturam*, aut παρὰ φύσιν, *præter naturam*. Illa rursus, aut sunt sua natura κατὰ φύσιν, *secundum naturam*, aut ex accidente.

Sed hæc excrementorum differentiæ, cùm intelligantur rectius, si, secundum coctionum discrimina, χυμοὶ & περιττώματα, *humores & excrementa*, discernuntur, ordine, coctionum, & humorum inde nascentium varietatem exponemus.

Humidi, quod in corporibus continetur, prima genera.

Quicquid corporibus inest succi, hoc omne, aut membrorum soliditati intextum, mutuo exactoque cum sicco complexu atque coalitu, eorundem constituit & absoluit substantiam: aut, extra soliditatem partium, in cauis vacuisque continetur spaciis: quorum quædam, peculiari perigraphe, & structura, vel amplis laxisque cauitatibus, alueorum aut fontium instar, excipiunt, quod colligitur, vocanturque κοιλίαι, *cauitates*, vt in cerebro, corde, ventriculo, renibus: vel canalium & siphonum ductibus, vsu verò riuulorum, quod illabitur, opera naturæ eò ex amplioribus deriuatum deducunt ac distribuunt, vt venæ, arteriæ, intestina, vocantúrque πόροι, *meatus*: quædam οἷον ὀπαί τινες λεπταί, *tanquam exiles quædam cauernulæ*, sicut Galenus ait, ipsi membrorum texturæ, ex primo, aut humidi siccique coalitu, aut dissimilium partium contextu intersitæ, spongiarum, aut rarioris terræ instar, excipiunt ac combibunt, quod, vel in transcursu humorum de his penetrat, vel exudat, vel, per hiantia eorundem oscula extillat: vocantur & hæc πόροι, *meatus*, atque in quibusdam conspicua sunt, vt in ossibus quibusdam, & quandoque, in ipsa cute, æstiuis solibus rarefacta: in aliquibus, & quidem plurimis sensum fugiunt.

Totum autem corpus, propter hanc in ipsum meatuum & ductuum dispersam varietatem, fit σύμπνουν, καὶ σύρρουν, *conspirabile & confluxile*, secundum Hippocratem. Atq; hæc humidi, quod in corporibus reperitur, prima sunt genera.

Illud verò, quod intextum soliditati partium diximus, humidum, nec liberum est, solutúmve, nec discerni à sicco, sensu potest: ratione potest. Estque duorum generum, sed insitum vtrumque, etsi dissimili insitionis modo.

Vnum innatum, à prima origine, partium substantiæ,& in verè solidis ex semine, in carnosis ex sanguine propagatum, calorem natiuum sustinet, vehit, & alit, tanquam conueniens illi pabulum, & ab eodem vicissim lambitur, ac depascitur paulatim. *Humidum σύμφυτον.*

Alterum ex nutrimento, tribus prius elaborato confectoque coctionibus, & nutritioni adaptato, in locum illius sufficitur, atque attexitur substantiæ membrorum, quod de priore, vi caloris absumtum defluxit, vel in adaucti atque extensi corporis est insumtum molem. *Humidum ἐπίκτητον.*

Vtrumque Galenus ἔμφυτον καὶ σύμφυτον ὑγρότητα, ὕλην, & ἰκμάδα: *innatam & congenitam humiditatem, materiam, humorem*: hoc posterius verò, ante absolutam nutritionem, οἰκείαν τροφὴν ἑκάστου τῶν μορίων, *familiare alimentum singularum partium*, nominat.

Si, discriminis causa, illud σύμφυτον, seu connatum, contractúmve, ex primæ formationis materia: hoc ἐπίκτητον vel ἐπείσακτον, seu acquisitum, ascitúmve, vel adiunctum ex nutrimento, quis appellare voluerit, meo iudicio non errauerit, modò discrimen retineatur.

Nam σύμφυτον, *innatum*, illud innascitur partibus, quæ ὁμοιομερῆ, *similares*, vocantur, prima & vera generatione, ex semine aut sanguine conflatis, discrimine multiplici, pro ratione & varietate ipsarum partium: Hoc ἐπίκτητον, *acquisitum*, foris accedit, ad formatas & iam absolutas partes, & ipsis iungitur, generatione quadam particulari, qua, non peculiaris, & noua, distinctaque producitur substantia, sed priori agglutinatur & conformatur quiddam, quod expleat & instauret absumtum, fitque, post nutritionem, commune pabulum caloris natiui cum priore.

Quare nutritionem ita expediri volunt, si huius, ex nutrimento confectæ materiæ, fiat πρόσθεσις, *appositio*, si πρόσφυσις, *agglutinatio*, si ἐξομοίωσις, *assimilatio*, id est, si apponatur rite, vel intra poros recepta, vel, si tantis pars non sit peruia foraminibus, vt in cartilaginibus, foris attensa: si deinde affigatur & adhærescat, tandemque, quoad eius fieri potest, exactissimè substantiæ præexistenti exæquetur, & coalescat. *Nutritionis modus in corporibus.*

Hoc acquisito humido, nisi reficerentur membra assiduè,

citò attenuata tabeſcerent & areſierent, innato illo humido, continuo caloris depaſtu exhauſto, effluxuque & expiratu continuo in aerem diſſipato, cum quo, ſimul ipſe quoque euaneſceret calor, idoneo fomento deſtitutus.

Calor natiuus.

Voco autem natiuum calorem vtrumque, cùm innatum membris, conceptumque à prima origine, ex calore materiæ, cauſarumque formantium, & attemperatum, innexumque partibus humidis & ſiccis, qui eſt calor ἀνάλογος *reſpondens proportione quadam*, ſingulorum membrorum temperamento: tum virtute viuifica cordis incenſum, & pòſt, membris iam abſolutis inſitum, quo, quæ δυνάμει, *facultate* ineſt illis vita, reducitur ad ἐνέργειαν, *actionem*, & innatus calor excitatur, fouetur, & conſeruatur: denique à quo hic vim effectricem omnium actionum corpori neceſſariarum nutritionis, generationis, augmentationis, & ſimilium accipit, quo ſine, non modò non conferret aliquid reliquo corpori, ſed nec ſeſe diu ſeruaret, nec partes, in quibus hæret, diu à corruptionis labe tueretur.

Caloris natiui ſubiectum.

Continetur autem in eodem ſubiecto vterque: & hic, à corde procedens, ad illum inſitum, eam habet rationem quam, ad ſeminum, aut plantarum calorem Solis viuificum lumen: vnde cœleſtem eum aliqui, & æthereum, & diuinum vocant, vt alterum, elementarem.

Qua vi gignat talem calorem cor, non intelligo: ſed reſpexiſſe ad eam Ariſtotelem, iudico, quando animam definit eſſe ἐντελέχειαν πρώτην σώματος φυσικοῦ ὀργανικοῦ, δυνάμει ζωὴν ἔχοντος: id eſt, *motionem primam, & quaſi perennem fluxum corporis naturalis, inſtrumentis præditi, & facultate viuendi.* Excludit enim, à numero δυνάμεων ψυχικῶν, τὴν ζωτικὴν δύναμιν, *facultatum animalium vim vitalem*, de qua, ex corde, reliqua membra δυνάμει, *facultate*, viua, vitam hauriunt, vt fiant talia ἐντελεχείᾳ ſeu ἐνεργείᾳ, *motione continuata ac perenni ſeu effectione*, quia omnes reliquas præcedit & excitat.

Ἐντελέχεια Ariſtotelica.

Ita anima Ariſtoteli eſt ἐντελέχεια πρώτη, id eſt, vis illa, qua primùm cor viuit, & quæ poſtea fuſa cum ſpiritibus in arterias, vitam reliquo corpori communicat. Id fit hoc modo, cùm viuificus calor cordis inſitum exuſcitat, accendit, & viuificat, cùm hoc calore corpus, hauſta conceptaque vita, exerit δυνάμεις, *facultates*, ſuas, quæ, ante communica-

tionem vitæ, ceu sopitæ latent, & edit actiones, quæ sunt ἐντελέχειαι, seu ἐνέργειαι, *motiones seu affectiones*, secundæ.

Omnino ad vim vitalem respexit Aristoteles, quæ in corde nata, indeque vehentibus eam spiritibus procedens distribuitur per arterias singulis partibus, sine qua, protinus putredine affecta corrumperentur ac dissoluerentur.

Cùm ergo calorem natiuum nominabimus, complectemur vtrumque, & innatum, & hunc ex corde affluentem; atque cum innato, in eodem subiecto coniunctum, qui quidem tantisper afficit, viuificat, seruat, & à corruptione tutum præstat membrum, donec & ipse viget, & manet membri ἐπιτηδειότης, *habilitas*, talis, recipiendo fouendoque calori idonea.

Est enim calori, perpetuo & conuenienti fomento opus, quo sine, extinguitur, aut, si absit, non accenditur, nec figitur: Oportet enim ἀναλογίαν, *proportionem*, esse agentis ad patiens, & vicissim patientis ad agens: destructa verò illa, non adhærescit. Quare tunc membrum destitutum natiui caloris regimine, occupatur ab alieno, & corrumpitur.

Insitæ autem humiditates à reliquis, extra membrorum substantiam, quacunque in cauitate positis, differunt: quòd hæ in perpetuo sunt motu, &, sine intermissione aliqua subiguntur, & excoquuntur à calore natiuo. donec, ad conformem membris habitudinem, perducatur, quarum quęcunque partes tales sunt, vt elaborentur frustra, eas maturè natura valens separatas, aut discutit, aut reiicit ac repellit. Nunquam enim natiuus calor ociatur, aut cessat, aut actionem intermittit.

Illæ verò insitæ, vltimum ornatum, seu perfectionem iam adeptæ vltimam, & membrorum substantiæ conformem, ad quam efficiendam, natura coctiones omnes intendit ac dirigit, nihil coctionis amplius subeunt, aut experiuntur: sed sicut, in ardenti candela, elychnium cera aut seuo oblitum imbutúmve, accensæ flammæ, sic, in membrorum soliditate ceu pabulum præbent igniculo natiui caloris, quē, de innato & à corde immisso, conflatum diximus. *Humidum in corporibus pabulum caloris.*

Quæ itaq; nutritionem, id est, instaurationem absumtæ in membris humiditatis præcedunt, coctiones alimenti, in

cum

eum à natura sunt vsum comparatæ, vt hoc accuratè subactum, expurgatumque à sordibus & recrementis, quantum fieri potest, ceu crebris diuersorum foculorum ignibus, cogant in eam soliditatem, quam membri cuiusque constitutio exigit, decisis elisisque omnibus, quæ, ne coeat in soliditatem talem, alimentum, impediunt ac prohibent.

Procedit enim coctio omnis ad incrassationem, vt vulgò dicitur, hoc est, densat paulatim magis magisque, & constipat nutrimentum in corpus solidius, vera συγκρίσει, seu coactione, ac complicatione humidi cum sicco commixti, seclusis ex vtroque, quæ coitionem talem, atque coalitum, aut remorantur, aut fieri non sinunt.

Vt enim adiunctum membris nutrimentum adhęrescat, & prorsus exæquetur, tale vt sit oportet, quale membrum ipsum est. Tale autem non fit, nisi ad eam redigatur soliditatem, qua membra constant, cui semper viscidi aliquid, & glutinosi adiunctum est. Vt ergo tale euadat, multa educi calore, & secerni necesse est, quorum quædam, ob nimiam crassitiem, & ariditatem, prius in lapides durarentur, quàm membrorum soliditatem: quædam, ob tenuitatem nimiam, citius, aut in cineres deurerentur, aut dispergerentur in halitus, quàm in eam cogerentur crassitiem, quæ membrorum est.

Hanc ob causam, & pluribus fuit opus coctionibus quarum præcedens sequenti semper materiam præpararet ac suppeditaret: & in singulis multum superfluorum colligi, necesse fuit, priusquam eliceretur & exprimeretur hoc, quod, vel sequenti coctioni, vel tandem nutritioni vsui esset futurum.

Tres coctiones in corpore, & earum differentiæ. Prima coctio fit in ventriculo.

Sunt autem tres in corpore coctiones destinctæ & materia, quæ excoquitur; & foculis, in quos materia coquenda reponitur; & calore analogo, & vsu, atque affectu.

Prima coctio in ventriculo fit, in quem cibi omnis generis mixtim ex ore, sed dentibus prius commoliti, deiiciuntur ac congeruntur, vbi, in vnam chyli pulticulam, velut conflantur.

Calefit autem ventriculus multiplici calore, & suo atque incluso, quem circumsita membra adaugent fouentque & ex corde, per arterias velut folles afflato.

Similis

Similis hæc est excoctioni metallorum, in officinis conflatoriis, quæ fit in primis fornacibus, in quas, omnis generis rudes venæ, sed malleis prius confractæ atque comminutæ iniiciuntur, quibus igne dissolutis & colliquatis, omne, quod fluidum est, per adapertum orificium fornacis inferius, erumpit ac effunditur in subiectum catinum, vbi recrementa, & scoriæ furcillis ferreis detrahuntur, reliquum in secundas fornaces transfertur, vt denuò excoquatur.

Secunda fit in epate, quò venæ Mesaraicæ conuehunt id, quod de chylo, fit in intestina, velut in catinum depulso, exugunt. *Secunda coctio in epate.*

Similis hæc est alteri in officinis conflatoriis, qua in secundis fornacibus, quod de primis exiit, amplius excoquitur ac perpurgatur.

Tertia fit in extremis surculis venarum, distributarum in membra singula, nutritionis causa, quò ex amplioribus venis, quod nutritioni conuenientissimum est, virtute membrorum, & natiui caloris, ope venarum attrahitur. In his venulis nutrimentum, vi caloris membrorum, ex omnibus ceu explicatum recrementis, atque in accommodatam soliditatem densatum, tandem egeritur ex venis, & membris ipsis allinitur. *Tertia coctio fit in extremitatibus venarum.*

Similis hæc est & separationi argenti à plumbo & ære, qua in peculiaribus fornacibus peracta, plumbum subsidit, effertur, & emicat argentum inde euolutum atque explicatum, quod quidem præcedentibus ignibus conflatas massas omnes, & puritate, & soliditate longè superat.

Considerentur autem hæc tria diligenter ante omnia. Primò, de materia singularum coctionum, seu de assumto nutrimento: quòd, siue vnius generis cibi vsurpentur, siue commisceantur plures ac diuersi, nutrimentum, ante vltimam coctionem, semper sit ἀνομοιομερὲς, *dissimilare*, & constet partibus dissimilibus, quarum quædam, ob rudem, & aridam, atque exuccam crassitiem, emolliri: quædam, ob dilutam nimis, & fluidam tenuitatem, sisti & cogi nequeunt. *Quæ in singulis coctionibus consideranda.*

Secundò, de calore natiuo: quòd, ad omnes alimenti partes, non sit ἀνάλογος, aut σύμμετρος, *proportione aut mensura*

congruens, ſed quarundam reſpectu, ſeu comparatione, actior iuſto, ac feruidior, quarundam languidior contrà, & imbecillior.

Tertiò, de perpetuo naturæ rectè conſtitutæ curſu, & vltimo, ad quem tendit, ſcopo: quòd natura actiones, quas θρεπτικὰς, *vegetatiuas*, vocant, omnes dirigit ad vnum finem vltimum, ſcilicet corporis nutritionem, quæ eſt nutrimenti, nutrito conformati, coalitus quidam cum eodem: &, vt hoc cōſequatur, humores κατὰ φύσιν, *ſecundum naturam*, omnes, quacunque in parte corporis, ſecundum naturam conſeruantur, ſine intermiſſione vlla, ſubigit & coquit, vno eodemque modo ſemper procedens, id eſt, totam humorum maſſam aptè digerens ac diſtribuens, indeque eliciens diſſimilia, & ab vtilibus, ad vſum corporis immutatis, ſecernens inutilia, hæcque relegans aliò, vt expellantur, donec illa & ſolidata ſatis, & conueniente expolita ornatu, inſerat membris, & iungat connexu, coalitúque vero & phyſico.

De his nihil remittit actionibus, niſi, vel ſua tardetur imbecillitate, vel ſuperetur copia, aut retundatur vitio materiæ rebellis, vel impediatur viis obſeptis, in quas ſuperflua deponere conſueuit, & coaceruare.

Hæc cùm ita ſe habeant, neceſſariò, cùm propter materiam diſſimilem καὶ ἑτερογενῆ, *alterius generis*, caloremque ἀσύμμετρον, *proportione non congruentem*, & non attemperatum æquabiliter omnibus materiæ partibus: tum propter actionem naturæ, procedentis ad ſolidationem nutrimenti exactè, quoad eius fieri poteſt, ab alieno omni perpurgati, vt reſpondeat ſoliditati membrorum nutriendorum, quæ diſſimilis eſt, & pænè in ſolidis ſingulis peculiaris, ac propria. Propter has ergo cauſas, neceſſariò plures quævis coctio, diſtinctoſque prolicit & parit humores, quos confuſos inter ſeſe, vbi coctio peracta eſt, natura diſcernit & ſeparat mirificè, eductis translatiſque aliò iis, quibus vſura eſt ad corporis refectionem: reliquis aliò itidem depulſis, vt vel aſſeruentur, donec excerni commodè poſſint, vel ſtatim egerantur.

Quæuis coctio plures & diſtinctos parit humores.

Incumbit quidem natura in totam immiſſi alimenti maſſam pariter, totamque complexa calore ſubit ac ſubigit: ſed non in omnibus partibus hoc præſtat & conficit, quod

quod in temperatioribus: quas, dum ex massa tota secretas ac contractas immutat, conformatque officinæ coquenti coloribus, & aliis qualitatibus, interea tenuiores quasdam, sed dilutiores, fundit, & ceu explicat in halitus, aridiores adurit, quasdam cogit plusculum, & densat, crassioribus & rudioribus succo exhaustis, quæ, ob ariditatem, neq; emolliri, nec solidari queunt, inducit, velut inchoata futuri humoris boni lineamenta.

Ita omni coctione, cùm, in officinæ coctricis foculo, ceu feruet materia, quæ coquitur, multum materiæ effumat in halitus, qui confertim efferuntur, suaque leuitate, & impetu suo quærunt exitum, & meatus perrumpunt.

Horum duplex genus est, vnum *ἀτμῶδες, vaporosum*, quod *ἀτμίδα* seu halitum nominabimus, ex humidioribus ac dilutioribus aqueis partibus resolutum, humidum prorsus, &, vel obscurum, crassioris nebulæ instar, vel nitidius puriorum halituum forma. Id verò, aut calore discutitur, ac dissipatur amplius fusum & attenuatum, aut ad occursum contactumve, vel aeris frigidioris, vel remissius calentis obstaculi, mox densatum redit ad priorem naturam, & in manantes ac fluidas liquescit guttulas.

Duplex genus halituum eorum qui in coctionibus effumant.

Alterum *ἀναθυμίασιν*, seu expirationem nominabimus, quam ex aridioribus partibus, ceu diductis & expansis attenuatione, calor exprimit quadruplici discrimine.

Sicciora enim calore fota *πνεῦμα*, id est, flatum siccum, modico aqueo humido imbutum remittunt, & pinguedine carentem.

ἀναθυμιάσεων quatuor discrimina.

Humidiora *καπνὸν*, seu *καπνῶδές τι*, id est, fumum, seu fumosum quiddam, vbi siccum copiosiore humido delibutum est, ita tamen, vt siccitas vincat.

Pinguia sicciora *λιγνὺν, ἢ λιγνυῶδές τι*, id est, fuliginem aut fuliginosum quid, in quo, cum sicco copiosiore, rarius humidum, idque pingue, aëreum & viscidum commixtum est. Pinguia humidiora *κνίσσαν, ἢ κνισσῶδές τι*, id est, nidorem, aut nidorosum aliquid, in quo, sicco rariori copiosius humidum, aereum, pingue, & lentum, admixtum est.

Ex his, quædam tenuiora sunt, *καὶ οἷον συγκεκαυμένα, καὶ ζέοντα, καὶ δριμέα, καὶ δηκτικώδη*, *& tanquã adusta, & feruentia, & acria & mordicãtia*, pro materiæ coctionis, & caloris ratione:

quædam craſſiora, καὶ αἰθαλώδη, καὶ οἷον γαιώδη, *fuliginoſa & quaſi terrena*, ſimilia fumis, quos ardentes tædæ edunt. Hæc halituum genera non rarò omnia ſimul calor, in vnaquauis coctione, exprомit de alimenti materia, ſi talis ſit, propter ciborum diſſimilium commixtionem. Sæpe diſcrimina, ex ructuum ſapore, percipiuntur guſtu.

Intus autem, dum feruet materia, quia caloris eſt colligere & contrahere ὁμογενῆ, *quæ ſunt eiuſdem generis*, ſi diſperſa ſint, atque diſtracta, & ſecernere, ac ceu euoluere atque explicare, ſi ſint confuſa cum aliis, & implicata, ita calor coquendo elicit de rudi, informi, indigeſtaque maſſa, primùm tenuia, ignea, & aquea, mox temperata, aërea, deinceps cruda, aquea, & ad extremum craſſa terrea, velut arte digerens ſingula, ac diſponens, etſi ſingula non abſoluit.

Coctionum effecta.

Inde quædam ſufficientem adepta coctionem, talia euadunt, qualia natura inſtituit. Quædam ceu igneſcunt ὑπερκεκαυμένα, *ſupra modum aduſta*, & acredinem vrentem ac mordacem contrahunt: Quædam ſubſtantiam ὑδατώδη & aqueam retinent, diſcrimine duplici. Alia enim παχύτερα, *craßiora*, coctione longiore craſſeſcunt, & paulatim, magis magiſque ad temperatorum conſiſtentiam adiguntur: Alia λεπτότερα, *tenuiora*, citius in halitus expirarent vniuerſa, quàm craſſeſcerent: Quædam denique γεώδη, & velut ἰλυώδη, id eſt, terrea & feculenta, coctionem vlteriorem reſpuunt, duplici itidem diſcrimine. Sunt enim alia aliis craſſiora, & aridiora: quorum quæ minus ſunt craſſa, & humidi pluſculum continent, ſi coctione emolliantur, ceu fatiſcentia cedunt calori, & hoc, quod ſupereſt boni ſucci, dimittunt. Loquimur autem de coctionibus naturalibus, quas efficit calor natiuus moderatus, rectè, & ſecundum naturam ſe habens in partibus ſingulis: gubernat verò natura ipſa rectè valens.

Partes in corpore attrahunt alimentum ſine ſenſu indigentiæ, excepto ventriculo.

At pars quælibet, κατὰ φύσιν, οὐ κατὰ προαίρεσιν, ἢ πρόγνωσιν, *ſecundum naturam, non ſecundum conſilij propoſitum aut prænotionem*, & attrahit ex vicino alimentum, ſine ſenſu indigentiæ, ſolo naturæ ſuæ impetu, ventriculo excepto: & attractum coquit, ſui vſus cauſa, non vt conſulat aliis, etſi vſus, prouidentia opificis καὶ δημιουργοῦ, *& architecti*, pertinet ad totum corpus: & incumbit in elaborationem vnius humoris, quo

reficia-

reficiatur & alatur ipsa, quem quando absoluit eo refecta & alita, reliquum omne, tanquam onus superfluum abiicit & excutit.

Quare, præter eum humorem, cuius confectionem natura instituit in quavis parte, reliqua omnia sunt περιττώματα, *excrementa*, & quidem hic ipse, quando, quod debuit, præstitit, fit membro περίττωμα, *excrementum*,

Suntq; περιττώματα, *excrementa*, alia χρήσιμα, *vtilia*, quę natura, ad certos ac destinatos vsus, & seruat, & vsurpat: alia ἄχρηστα, *inutilia*, quæ tanquam inutilia, & oneri futura, atque impedimento ceteris partibus, occupatis distribuendo deducendóque alimento, protinus abigit. Περιττωμάτων *discrimina.*

Prima itaque coctione, quæ in ventriculo fit, alimentum, quod dentibus prius ceu confringitur, contritumq; miscetur, conuertitur in liquorem similem cremori ptisanæ, album, fluidum, crassiusculum adhuc, quem χυλὸν, *chylum*, vocarunt, & coctionem ipsam, inde χύλωσιν, *chyli elaborationem*. Dum ceu feruet in ventriculo cibus, (quem quidem ipse, dum rectè valet, sese vndique, obliquarum fibrarum intensione constringens, comprehendit adeò exactè, vt, quauis interioris superficiei parte, cibum attingat, osculo etiam superiore coarctato, ne hiet, sed conniueat tantùm) interea ergo, dum feruet cibus, ex dissolutis aqueis partibus, magna vis halituum expirat in œsophagum, per osculum superius. Eorum pars aliqua, per os, & nares erumpit, atque in aerem dispergitur. Pars siccior & tenuior, perrepens cranei suturas, & capitis poros, exhalat: Crassior & κνισσώδης, *nidorosa*, per eosdem, lentè egeritur, & sordibus pinguibus caput inquinat: λιγνυώδης, *fuliginosa*, hæret impacta radicibus capillorum, & his alimentum præbet, ac materiam. Pars liquidior & humidior, vel, in palato ipso & faucibus protinus liquefactum sputum gignit, vel per foramina ossis σφηνοειδὴς, *quasi cuneiformis*, seu basilaris, quæ in palatum desinunt, cerebrum petit: vbi tum per eos meatus, quibus, ad cerebri basin, primi duo ventriculi obliquè reflexi deorsum excipiunt παρωτίδας, *quæ iuxta aures sunt*, arterias, in ipsos effunduntur ventriculos: tum circumcirca & intra duram membranam, & extra hanc, effunduntur ceu ad craneum, testudinis, aut cameræ instar, cerebro obductum: tum si fiunt te-

In prima coctione fit χυλός.

Exitus halituum primæ coctionis.

nues, in ipsum etiam sese ingerunt & penetrant cerebri corpus, quod rarum & spongiosum est, perpetuoque motu, & diductum intumescit, & residit compressum.

Si ergo caleat cerebrum, interdiu maximè, cùm fatigatur, aut intentionibus animi, aut corporis motibus vehementioribus, pars illorum halituum, calore cerebri consumitur ac discutitur: pars, occursu aeris frigidioris densatur in guttulas, quæ, intra primos ventriculos corriuatæ, per peculiarem ceu canalem destillant, in subiectum tertium ventriculum, ex quo geminis meatibus educuntur in χοάνην seu πύελον, *infundibulum*, insistens glandulæ, cui peculiarem sinum, in osse basilari, natura exsculpsit, & muniuit exquisitè, vt nixu firmiore & tutiore commodius exciperet, quicquid humorum ex alto delabitur & confluit. Inde geminis vtrinque meatibus, de tenuioris membranæ cerebri tunica contextis, &, per oculorum sedem, ad nares, per peculiaria foramina ossis basilaris, ad palatum directis, deuehitur, quod collectum est, in narium & palati amplitudinem, vt emunctione & sputo eiiciatur.

Generatio sputi & muceris.

In magnis repletionibus, per eos etiam meatus, per quos assurgere, & cerebri sinus subire halitus diximus, liquefactæ guttulæ refluunt in fauces.

Quod, extra duram cerebri membranam, sese intra eandem, & craneum insinuans, colligitur, ferè digeritur calore & motu. Quod intra eandem, & ipsum cerebri corpus continetur, hoc, vel calore consumtum euanescit; vel frigore liquefactum, aut excidit in nares, per foramina ossis ἠθμοειδὲς, *cribrosi*, quod supra nares eminet inclusum basilari, & multis foraminibus, cribri instar, peruium est; aut secundum latera delabens, decumbit ad basin cerebri, vbi, per patentia ossis basilaris foramina, præcipitatur in fauces.

Ex his ergo halitibus hoc modo liquefactis, nascitur & fit in palato & faucibus πτύελος, sputum, in naribus μύξα, mucor, qui rectè coctus, ex occursu aeris frigidioris coit ac crassescit.

Vtriusque gradus & differentiæ multiplices, in crassitie ac tenuitate, copia ac raritate, lentore & visciditate, prout plures, vel pauciores, & minus crudi ascendunt halitus, & cerebrum nulla vel propria, vel ascita aut caliditate lentorem,

rem, liquefactis halitibus, inducit, aut frigiditate eosdem cogit ac densat.

Differt à sputo σίαλον, saliua, quæ est vtile περίτλωμα, *excrementum*, ex eo nutrimento reliquum, quo glandulæ faucium reficiuntur: & asseruatur, in illis glandularum & linguæ poris, quæ χηραμοὶ, *excauationes siue cauitates faucium*, vocantur, vt humectet & riget linguam, laryngem, stomachum, & totam illam cauitatem, quæ faucium nomine Latinis, Græcis φάρυγξ nota est, ne nerui & musculi, continuis motibus, & maximè, cùm foris aer æstuat, nimiùm desiccentur. *Saliua vtile excrementū.*

Hinc, ab Hippocrate, glandulis his spongiarum nomen tributum est, quæ alioquin ab Anatomicis, propter situm, παρίσθμια & ἀντιάδες, Latinè amygdalæ a forma, & tonsillæ vocantur. *Amygdalæ seu glandulæ in faucibus cur spongiæ dictæ.*

Quantò autem rectius valet ventriculus, tantò minus inde crudorum fumorum exhalat, præsertim, si cibi sint conuenientes. Si languidus ventriculus cibos, nec complectatur ritè, nec coquat, & osculum superius, languefacto tono, nimis laxè pateat: denique, si non πέψις, *coctio*, fiat, sed μόλυνσις, *leuis quædam coctio*, obnubilatur, & planè obruitur cerebrum, velut nebula densorum & crudorum halituum.

Chylum autem, etsi videtur esse ὁμογενὴς, *eiusdem generis*, tamen partibus constare dissimilimis, separatio ostendit. Nam & aereas complectitur, iusta subactione adæquatas & attemperatas ventriculi naturæ, & quasdam igneas, tenues, plusculum calentes: quasdam aqueas, fluidas, lubricas, & lentore tenaces & sine lentore quæ phlegma vocantur, quod primò in ventriculo gignitur, & chylo inest ἐνεργείᾳ, *reapse*, cùm χυμοὶ, *humores*, reliqui δυνάμει, *facultate*, tantùm insint: quasdam crassas, crudas, terreas, quæ nulla emollitione comminui, & fundi in liquorem potuerunt. *Chyli partes dissimiles.*

Singulis autem plures insunt qualitatum gradus & discrimina. Vbi igitur maturuit chylus, & ventriculus de eo assumsit, quantum satis fuit ad sui refectionem, tunc sese exoneraturus, adaperto inferiori ostio, cui, ab hoc officio, attributum nomen πυλωρῦ, *ianitoris*, fundo verò, & toto superiore ac sinistra parte arctius contracta, excutit & propellit reliquum omne, in intestinum duodenum: Vnde paulatim

virtute intestinorum expultrice, in sequentia prouoluitur, constrictione intestinorum, quam transuersæ fibræ moliuntur, protrusum, conferente aliquid tractione rectarum fibrarum, & ne præpropera fiat depulsio, obliquis fibris impetum nonnihil retardantibus, & progressum chyli remorantibus. De phlegmate verò, & ventriculi, & intestinorum tunicis, superficie tenus semper aliquid, ob lentorem adhæreſcit, quod illinit & inungit superficiem, vt chylum transmittat facilius lubricitate.

Venæ Mesaraicæ in intestina sparsæ exugunt chylum.

De ipso verò chylo in intestina infuso, venæ Mesaraicæ, quæ à portis epatis, vbi vena est, quam inde πύλας, *portas, seu venam portæ*, vocant, & à tenui forma σελεχιαίαν, *quasi arboris caudici respondentem*, innumera sobole distribuuntur, radicum instar, in intestina præsertim gracilia, exugunt, quod est fluidum maximè, & liquidum, idque conuehunt ad epatis portas, in caudicem venæ portæ; ex quo rursus diffunditur chylus in riuulos, qui, ramorum instar, caudici cohærentes, totum cauum epatis ambitum, serie multiplici implicant, & pertexunt.

In secunda coctione fiunt χυμοί.

In his riuulis, secunda fit coctio, quæ χύμωσις, *chymi seu humorum elaboratio*, vocatur inde, quòd, de chylo feruefacto & excocto, elicit atque producit quatuor humorum genera, consistentia, caloribus, qualitatibus aliis, & vsu distincta, quos humores vocant χυμοὺς, vel succos.

Sicut enim, cùm mustum feruet in doliis, & eo feruore perpurgatur, velut eructatur, atque expuitur suprà, virtute vini leue quiddam, tenue, spumosum, amarum, quod vocatur ἄνθος, & flos vini: depellitur deorsum crassum aliud, & lutulentum, quod in fundo dolij subsidit, id vocant feces: agitatur & aqueum quiddam, crudum, nec dum satis percoctum, quod tamen, neque extruditur in aliquem peculiarem locum, vt feces, neque eiicitur, vt hoc nominatur flos, sed retinetur in vino, & paulatim coquitur: Sic, cùm chylus in vasis epatis, velut accensus calore epatis feruet, ex separatione dissimilium partium, erumpit quiddam tenue, spumosum, quod ξανθὴν χολὴν, *flauam bilem*, nominant: decedit & crassum ac lutulentum, fecibus simile, quod μελαγχολικὸν χυμὸν, *melancholicum humorem*, vocant: ab vtroque distinguitur tertium temperatum, quod, for-

Quatuor humores in epate geniti.

ma,

ma ſanguinis, conſtitutioni epatis reſpondet, & præſtat hoc, cuius gratia coctio inſtituitur: denique explicatur ac ſecernitur ab his omnibus aqueum crudum, quod eſt phlegma.

Cauſa coquens eſt δύναμις, *facultas*, epatis, quæ, vi ſui temperamenti, & natiui caloris de chylo, quantum venæ capiunt, tantum complectitur, vt totum, quantum fieri poteſt, ad vſum nutritionis adaptet.

Quare, dum feruet chylus, rurſus magna vis calidorum halituum inde expirat, qui, in contiguos venæ cauæ ſurculos, perrumpentes, vbi in huius euaſerunt caudicem, mox, per multiplices canales inde deductos, ſparguntur in totum corpus: ſed maxima ſui parte, ob leuitatem, contendunt ſurſum, atq; ad cerebrum euolant, quod velut tectum, fumoſæ domui impoſitum, excipit quicquid ab imo effertur. *Exitus halituum qui in ſecunda coctione generantur.*

De his halitibus, in cerebro idem fit, quod de reliquis, ex ventriculo eleuatis: ſed calidiores hi, ac teneriores ſunt, expreſſi nimirum ex materia magis attenuata fortiore calore.

Eorum verò, qui ad cutem excurrunt, pars tenuior & aridior eliditur, κατὰ τὴν ἄδηλον τῇ αἰσθήσει διαπνοήν, *per ſenſui non obuiam tranſpirationem*, per cutis poros, quos natura οἷον ὀπάς τινας λεπτὰς διατέτρηκε τῇ λεπτότητι τῶν περιττωμάτων ἀναλόγως: *id eſt, quaſi foramina ſeu oſtiola quædam tenuia perforauit, vt excrementorum tenuitati reſpondeant proportione*: pars liquidior quandoq; in ſudorem denſatur: pars craſſior ac viſcidior, aut impacta hæret poris, eosq; obſtruit & præcludit, aut expreſſa & peruoluta in cutem, dilatatur & illinitur, vnde ſordes corporis exiſtunt.

Cumq; ſit calor ἀσύμμετρος, *non reſpondens proportione*, diuerſis chyli partibus, ideo, dum ſeparat, ex tota maſſa partes ordine, ſecundũ gradus tenuitatis & craſſitiei, tenues calidas citò percoquit, & eaſdem interea, dum reliquas temperatas, quę craſſiores ſunt, elaborat, ceu adurit pluſculum. Degenerant illæ ergo in bilem flauam, quòd longiore coctura, & intenſiore calore, quàm erat opus, nimium vſtæ, floridum ruborem mutarunt in flauedinem. Flaueſcunt enim rubicunda ſiccitate, & aduſtione modica. Reliquæ, ex iiſdem tenuibus partibus, quæ minus vſtæ, diluto claroq; nitore ruffeſcunt, abeunt in ἐρυθρὰν χολὴν bilem rubram. *Generatio 4. humorum in Epate.*

Temperatæ vertuntur in ſanguinem, cuius color eſt ruber, purpuraſcens. Has autem dum maturat, aqueas addenſat quidem aliquantulum, velut epota humiditate nimia: non percoquit tamen, nec colorem immutat, propter admixtæ, aquoſæ, & liquidæ tenuitatis redundantiam. quæ prohibet, ne cogatur & craſleſcat conſiſtentia, & ne ruborem ex alteratione concipiat: hinc phlegma exiſtit.

In craſſis terreis, inchoat quidem coctionem, ſed non perficit, eò, quòd ob aridam & exuccam craſſitiem, coctionem nequeunt ferre ampliorem, qua, eo quod ſupereſt, humido depaſto exhauſtoq;, reliquum, aut in aduſtæ & nigricantis picis lenteſceret craſſitiem, aut in duritiem ſolidaretur tophi. Cœptæ itaq;, & tentatæ coctionis his inducit ſpeciem, obſcura ſanguinis rudimenta, cum colore vergente ad fuſcam nigredinem. Rubor enim ſubiecti craſſi, opaci, & impuri obſcuritate hebetatus nigreſcit.

Sanguis. In quatuor itaque humores, chylus coactione epatis diſtinguitur: Inter quos, ſanguis ſubſtantia mediocris eſt, nec tenuis nimis, nec valde craſſus, qualitatibus temperatus, ſapore dulcis, colore ex rubedine purpuraſcens, plenus fibris, propter quas coit facilè, atq; coagulatur, effuſus extra venas, quod ſanguini proprium eſt, confectus calore temperato epatis, ex partibus chyli temperatioribus, pinguioribus, & aereis, pars nutrimenti præcipua.

Flaua bilis. Flaua bilis, ſubſtantia tenuis eſt, δυνάμει, *facultate*, calida & ſicca, ſapore amara, colore rufo flaueſcens, aut exquiſitè rubra, confecta calore immoderatiore, ex tenuioribus & calidioribus chyli partibus, nec coagulatur venis exemta.

Phlegma. Phlegma crudum eſt, cruditate humoris aquei craſſiuſculi, δυνάμει, *facultate*, frigidum & humidum, ſapore inſipidum, magna ex parte, etſi coctura, cum ſanguinis qualitatibus reliquis, veſtigia quædam inchoatæ dulcedinis contrahit, productum in ventriculo primùm, poſtea coctione vlteriore, & ſeparatione in epate, ex chyli aquoſis partibus & crudis, quæ elaborari ſatis nequiuerunt, nec coagulatur eductum ex venis.

Succus Melancholicus. Succus melancholicus craſſus eſt, & terreſtris maximè inter omnes humores, δυνάμει, *facultate*, frigidus & ſiccus, ſapore aſtringens, vel acerbus potius, & ϛρυφνὸς, qualis eſt in

in pomis & pyris immaturis, aut prunis sylueſtribus, colore nigricans, confectus de crudis & craſſis partibus terreis, non elaboratis calore, neq; colliquatis, neq; exæquatis, nec coit aut coagulatur, ſi extra venas ſit.

Hi igitur quatuor humores, in iis riuulis, qui à porta, in cauum epatis ambitum diſpertiuntur, temperie & calore epatis gignuntur, confuſiq; inter ſe, ante ſeparationem, vnius tantùm humoris ſpeciem præ ſe ferunt.

Sed & ipſi quatuor differentes humores non ſunt vniuſmodi, ſed gradibus craſſitiei ac tenuitatis, cruditatis & coctionis, item colorum & ſaporum, plurimum inter ſe differunt. Quædam enim illorum partes, ſanguinis naturæ propiores ſunt, quædam ab eadem degenerant longius. Idcirco natura molitur ſeparationem aliquam, & expurgationem maſſæ ſanguineæ, ſecretione impuriorum partium, quæ ad nutritionem vſui non erant futuræ, priuſquam, quod vtile eſt, & accommodatum, transfundat, ex ramulis venæ portæ, in obuios, circa epatis medium, & conſertos cum his, atq; conuenientes ſurculos venæ cauæ, qui gibbum eius ambitum ſimiliter multorum ductuum, ceu tubulorum, ac ſiphonum meatibus intexunt, emiſſi è trunco venæ cauæ, qui epati, ad aduerſam & poſticam regionem attenſus, maxima corporis ſui parte, intra *παρέγχυμα*, *circumfuſionem ſeu maſſam concretam*, epatis conditur.

Abſoluitur autem ſeparatio iſta maſſæ ſanguineæ, non diſtincta aliqua, & peculiari virtute epatis, delectu quodam ſecernentis ab vtilibus noxia: ſed vi expultrice epatis, qua *χυμοὺς*, *humores*, maturos, vbi ſeſe refecit, excludit: & vi tractrice eorum vaſorum, quæ alliciendis ad ſeſe recrementis illis, tanquam familiaribus ſuccis, recipiendiſque, & aſſeruandis, & rurſus, cùm vſus exigit, aut poſtulat & vrget natura, promendis, comparata ſunt.

Et ſecernuntur illa præcipuè, quæ, ſi detinerentur intra venas, prorſus corrumperentur, quòd, vel iam antè plus, quàm par eſt, aduſtæ ſint; vel tali ſunt natura, vt quanquam crudæ, ob craſſitiem tamen, & ariditatem, vlteriorem coctionem ſuſtinere nequeant, aut protinus morbos parerent, toto corpore occupato, aut certis partibus. *Recrementa humorum in ſecunda coctione.*

Epate itaq; incumbente in expulſionem totius maſſæ elaboratorum ſuccorum, & mouente omnes ad exitũ, follicu

lus fellis ad se rapit flauæ bilis partem, dilutiore ac clariore flauedine, colorem Sandarachæ effingentem, quæ est, vt Galenus inquit, οἷον τὸ ὀπληθὲν, καὶ συγκαυθὲν τῆς τροφῆς, ἀλλὰ λεπτὸν, καὶ ὑγρὸν, καὶ ῥυτὸν, *id est, tanquam assata & adusta alimenti pars, sed tenuis, & humida & fluens:* & haurit hanc iis meatibus, qui ab altero bifurcati colli ipsius ductu, in aliquot ramulos dissecto, sursum, ad epatis medium prorepunt, ac venæ portæ ramulis commixti, ab vsu πόροι χοληδόχοι *meatus bilem recipientes*, nominantur.

Vocat hunc humorem Galenus, veterum Medicorum exemplo χολὴν ἁπλῶς, & ξανθὴν χολὴν, & πυῤῥὰν χολὴν, & πικρόχολον χυμὸν, *bilem simpliciter, & flauam bilem, & ruffam bilem, & amarum humorem*, quandoq; & ὠχρὰν χολὴν, *pallidam bilem.*

Altera flauæ bilis pars mitior ac benignior, ruboreq; florido ac diluto. & consistentia sanguini similior, μήποτε πυρώδης ἐσχάτως γεγενημένη, *necdum extremè feruens, effecta*, vt Galeni verbis vtar, non detrahitur sanguini, in ea separatione, sed spargitur, cum sanguine, in totum corpus. Vocat & hanc ξανθὴν χολὴν, & ἐρυθρὰν, *flauam bilem & rubram*, quandoq; & πυῤῥὰν, *ruffam.* Sed minus vsta est priore, minusq; crassa ac tenax, & ad ruborem propius accedit.

Succus Melancholicus, qui est velut ὑπόσταθμη, καὶ ἰλὺς ἢ τρὺξ *sedimentum & limus aut fex*, sanguinis, splene hunc trahente refunditur, ex epate, in caudicem venæ portæ: Vnde per propagatas ex eo, & innumera sobole, mirandoq; contextu & implexu in lienis digestas corpus venulas, intra ipsum lienem conuehitur: Vbi calore splenis amplius ceu maceratur, donec exprimatur inde, quo ille reficiatur. Attrahitur autem in splenẽ, de succo Melancholico, vt Galenus ait, ὅσον ἂν αὐτῆς ἱκανῶς παχὺ καὶ γεῶδες μὴ δέξηται καλῶς τὴν ἐκ τῆς ἐμφύτου θερμασίας ἀλλοίωσιν, quod satis crassum & terrenum nondum à calore natiuo satis subactum est, & immutatum. Vocaturq;, tum μέλας, tum μελαγχολικὸς, χυμὸς, tum μέλαν αἷμα: *tum niger, tum melancholicus humor, tum niger sanguis.*

Reliquum eiusdem succi, τὸ μὲν μετρίως παχὺ σὺν τῷ κατειργάσθαι, πάντη φέρεται, id est, quod moderatè crassum, & attenuatum est aliquantulum, atq; elaboratum, cum sanguine, in totum distribuitur corpus, eodem, cum priore, nomine.

Phle-

Phlegma, vt ex Galeno antè dixi, γίγνεται κατὰ τὴν πρώτην πέψιν, ἐν τῇ γαστρὶ, *fit in prima coctione, in ventriculo*, & in epate, ex altera coctione adipiscitur gustum obscuræ dulcedinis, vnde & γλυκὺ *dulce* vocatur. συναναφέρεται δὲ τοῖς εἰς ἧπαρ ἀναδιδομένοις, καὶ ἅμα τούτοις πεπτόμενον αἷμα γίγνεται. τὸ δὲ ὑπολειπόμενον ἐν τοῖς κατὰ τὴν γαστέρα χωρίοις, ὑπὸ τῆς καταῤῥεούσης ἐξ ἥπατος χολῆς ἀποῤῥιπτόμενον ἐκκρίνεται διὰ τὰ κάτω τῆς γαστρὸς: *id est, vnà fertur cum iis, qui in epar distribuuntur, cumque iis coctum: fit sanguis. Quod autem in intestinis relinquitur, à bile defluente in ea, ex epate, iectum, per imum ventrem egeritur.*

Hoc non excernitur in aliquod peculiare receptaculum: sed vnà cum sanguine, & reliquis flauæ bilis, ac succi Melancholici partibus, in riuulos, à vena caua, gibbæ regioni epatis insitos effunditur, indeq; in caudicem, & huic proximè cohærentes venas, paulatim transfertur, in quibus absoluitur αἱμάτωσις *sanguificatio*, quæ non est à χυμώσει, *chymi elaboratione*, distincta coctio, sed quod, in singulis humoribus, ad elaboratam ac consummatam coctionem expurgationemq; deest, qui sanguinem comitantur, ipsiq; sanguini hoc complet, & velut fundamenta iacit & inchoat coctionis vltimæ.

Inest enim singulis humoribus, præter ea, quæ prima secretione detrahuntur, multum adhuc tenuis & serosi liquoris, qui, nulla coctione densari in soliditatem nutritioni conuenientem potest, & quidem plurimum phlegmati, minus sanguini, minimum melancholico succo, & flauæ bili.

Inest & terreum aliquid, quod nisi summoueretur, veram exactamq; coagmentationem, & consolidationem nutrimenti esset impediturum. Idcirco αἱμάτωσις, *sanguificatio*, & quæ in venis epati propinquis fit coctio, vlteriore immutatione exactius addensando humorum consistentiam, expurgandoque seclusa ac decisa recrementa, absoluit hoc, quod defuit.

Excrementum serosum, tenue, & fluidum, de singulis expressum humoribus, substantiæ solidatione ἰχῶρας *serum sanguinis*, constituit: Crassum, ὠμὸν χυμὸν *crudum humorem*, cuius quidem pars maxima, à crassiore phlegmate & succo melancholico minima, à bile: vt serosi liquoris pars maxima à phlegmate & bile, minima, à succo melancholico:

Vtriusq; pars aliqua & mediocris, pro temperamenti ratione, à sanguine secernitur.

I'χῶρες omnium humorum post secretionem confusi, ὀῤῥὸν, seu ὀῤῥῶδες περίττωμα gignunt, id serum est, seu serosum excrementum: ὠμὸς χυμὸς, *crudus humor*, in excrementum illud subigitur, quod in vrinis hypostases & ὑφιστάμενα, *ea quæ subsidunt*, parit.

Cùm itaq; expedita est αἱμάτωσις, *sanguificatio*, in gibba regione epatis, eiicitur in caudicem venæ cauæ, quicquid adhuc humorum confusim & mixtim fertur. Hinc renes, per venas emulgentes, cum aliqua sanguinis parte, attrahunt ad sese serosum liquorem, cum recremento humoris crudi, idq; transferunt in sinum priorem, ex duobus illis, qui in substantia renum exculpti sunt: ibi quod purius est, & nutritioni aptius, virtus renum elicit, vt eo nutriatur: reliquum, ceu colando per poros carneæ substantiæ excernit in alterum sinum, ex quo per meatus, οὐρητῆρας *canales vrinæ* nominatos, illud destillat in vesicam, cedentibus introrsum membranulis, quæ ad οὐρητήρων, *canalium vrinæ*, orificia vesicæ attextæ, vbi defluxit vrina: subito resultu complicatæ id rursus obstruunt, tam arctè quidem, vt regeri in eosdem meatus nihil possit.

Vocatur totum hoc, ex seroso humore, & contentis confusum excrementum, quod in vesica colligitur, vrina, quæ quòd acredinem habeat suam, & salsedinem, ex humorum natura, de quibus exprimitur, manifestum est. Idem autem fit in grandioribus, & primo exortu venæ cauæ connexis ramis, quod intra corpus epatis. Vlteriore enim coctione, præparantur humores ad vltimam elaborationem.

Tertia coctio in extremitatibus venarũ.

His absolutis, in epate, & grandioribus venis traducitur nutrimentum sanguineum paulatim ad tertium focum, trahentibus quidem id, vi natiua membris ipsis, adiuuantibus verò distributionem venis, ope fibrarum, quibus contexta ipsorum corpora constant.

Focus huius coctionis est, in iis venis, quæ membris singulis, adducendi & suppeditandi nutrimenti causa, insertæ sunt. In hac coctione, quod halituosum est, & tenue, continuo effluxu, per poros cutis elabitur ac diffluit: quod crassum, viscidum, terreum, κνισῶδες, *nidorosum*, per eosdem egestum,

stum, ceu expanditur in cutem, & ob lentorem, adhærescit, fitq; inde, quod vocatur ῥύπος, illuuies seu sordes corporis: Quod λιγνυῶδες, fuliginosum, in iis, quibus textura corporis solidior est, compactiorq;, in partibus aliquibus fit materia capillorum, horum ceu radice angustioribus & compressioribus poris cutis inhærescente, & ipsis coalescentibus, ex connexu halituum, expressisq; impetu & copia succedentium & adnascentium continuè: Quod aqueum est, & tenue, interea dum intra venas adhuc commoratur, cum ea humiditate, quæ membris conformata, ea proximè nutritura est, constituit humiditatem, quam Galenus nominat ὑγρότητα κατὰ τὰς μικρὰς ἀρτηρίας καὶ φλέβας, τὰς ἰδίας ἑκάστου τῶν μορίων οὖσας, humorem in exilibus arteriis, & venis cuiusq; particulæ propriis. Auicenna humorem innominatum. *Exitus halituum tertiæ coctionis.*

Huius humiditatis, vbi excidit venis, pars illa, quæ membris & attemperata est, & respondet ac congruit qualitatum forma, & talis est, vt in membri soliditatem, cogi possit, appositum membris, affixum, concretumq;, ita nutrit ea, vt in earum abeat & vertatur substantiam: vocaturq;, antè accretionem, à Galeno οἰκεία τροφή, ἐξ ἧς τρέφεται τὰ μόρια, περιέχεται δὲ κατὰ πάντα τὰ τοῦ ζώου μόρια δροσοειδῶς ἐν αὐτοῖς περιεσπαρμένη: familiare alimentum, ex quo partes corporis aluntur, continetur autem in singulis animantis partibus, iisq; roris instar aspergitur. Ab Auicenna cambium: Post nutritionem σύμφυτος ὑγρότης à Galeno, & σύμφυτος ἰκμάς; insitus humor: Ab Auicenna Gluten. *Cambium.*

Pars altera περίττωμα, excrementum, est vtile, de vltimo alimento sanguineo, vltima coctione peracta, relictum in poris membrorum, quod, ob tenuitatem, densari in soliditatem partium, ideoq; nutrimentum fieri nequit. *Perittoma tertiæ coctionis duplex.*

Estq; duorum generum. Vnum singulari prouidentia & dispensatione Architecti, & coaceruatur maiore copia, & conseruatur ad certos vsus aliis destinatos, in certis partibus, non perpetuò, sed certa descriptáq; periodo, quæ viribus & constitutioni partium congruit, vt semen in testibus & παραστάταις, meatibus semen ad canalem virgæ, de testiculis deriuantibus, generationis causa: Lac in glandulis mamillarũ, ad nutritionẽ fœtus: Saliua in glandulis faucium, ad linguæ & musculorũ vicinorũ rigationem: viscidus humor, in reliquo

glandularum genere: humiditas, de qua coit & concrescit adeps & pinguedo, ad membranarum inuolucra.

Alterum in singulis partibus colligitur proportione, ad vsus seruientes ipsis partibus, vt spumosus humor, qui continetur in pulmone: glutinosus humor in compagibus articulorum: medulla in cauernis ossium quas συῤῥαγὰς vocat.

Deniq;, in singulis partibus corporis, talis aliquis congeritur, ex vltima coctione, superfluus humor, qui quidem non nutrit membra, fit tamen calori præsertim extraneo & febrili pabulum, quod & humectando membra, prohibet consumtionem insitæ humiditatis.

Hic humor Galeno est, *ὑγρότης ἐν ταῖς μεταξὺ χώραις τῶν σωμάτων, ἣ μὲν ἢ τῷ κωλύσαι ξηρανθῆναι σφοδρότερον τὰ ὁμοιομερῆ, ἢ ἐν τῷ ταῖς μεταξὺ χώραις τῶν σωμάτων ἐπιτέγγειν καὶ αὐξάνειν τὴν ὑγρότητα, τὸ τῶν ὑγραινόντων μετείληφε προσηγορίας: id est, humor in medijs corporũ spatijs contentus, qui vel prohibendo, ne partes similares vehementius exiccentur, vel, quòd intermedijs illarum spatiũ contentus, eas irriget, & humiditatem augeat, humectantium nomenclationem accepit.* Auicenna Rorem vocat.

Sanguinea membra citius nutriuntur quàm Spermatica.

Citius autem, & facilius sanguinea nutriuntur membra, quàm, Spermatica, quòd citius multò, & facilius, atq; expeditius, ac minus, aut crebris, aut vehementibus mutationibus, sanguis in carnosarum partium, quàm verè solidarum seu spermaticarum, soliditatem duratur.

Hæ igitur sunt humorum differentiæ, secundum coctionum gradus & discrimina.

Calor analogus ἕψεσιν efficit in corporibus: Calor nimius ὄπτησιν efficit in corporibus.

Cùm autem calor naturalis temperatus, & materiæ *ἀνάλογος, proportione quadam respondens*, peragit & absoluit in singulis coctionibus, quod intenditur, fit *τῆς πέψεως, coctionis*, ea species, quæ *ἕψησις, decoctio*, vocata calore humido conficitur, exeuntq; illa humorum discrimina, quæ recensuimus. Si intendatur supra modum, mensurámq; naturæ conuenientem, & acris fiat, atq; vrens, *ὄπτησιν, assationem*, efficit, vstulata ac velut assata materia.

Quare tunc & Melancholica terrea, & biliosa ignea, cum crassitie & lentore, quem acquirunt, ceu ignescunt & acuuntur, fiuntq; *δακνώδη καὶ διαβρωτικά, mordicantia & erodentia*, Sanguinis partes tenuiores, in flauam bilem, crassiores in atram permutantur: phlegma, aut acredinem & salsilaginem

nem contrahit cum lentore, si putredo accedat: aut solam tenacitatem viscidam & glutinosam, si putredo absit.

Rursus, si calor imbecillior sit iusto, ἕψησιν, *perfectam coctionem*, non assequitur. Degenerat itaq; coctio in μόλυνσιν, *leuem coctionem parum differentem ab ipsa cruditate*, qua coaceruatur in venis plurimum ἰχώρων, *serosi sanguinis*, & crudi succi crassioris. Non enim cum sicco humidum, iusta sub actione rectè commiscetur, nec in coalitum solidum redigitur, sed aut temerè sparsum in partes siccas, sine coalitu firmo, fluitat, aut non ita illi iungitur, vt complexu, connexuq; firmo solidoq;, & membris proportione adaptato, ambo cohærescant, & coalescant in humiditatem opportunam nutritioni. Redditur itaq; tota massa sanguinea impurior, fluidior, pallidior, frigidior, & inæquabilior. Neq; conueniens fit nutritio: sed corpus inflatur, & velut in tumorem attollitur οἰδηματώδη, laxum, mollem, liuidum, aut pallidum, qualis est καχεκτικῶν, *male affectorum*, aut ὑδρωπικῶν, *aqua intercute laborantium*: sicut cùm fit ὄπτησις, *assatio*, humorum, corpus marcescit & exarescit, ex nutrimenti conuenientis defectu correptum atrophia.

Calor imbecillus μόλυνσιν efficit in corporibus.

Tales deprauatæ coctiones pariunt & cumulant succos vitiosos, multiplici discrimine. Sed & ex aliis causis nascuntur succi vitiosi, vt cùm, calore natiuo rectè temperato, cibi vitiosi assumuntur, & aliis modis naturales ac boni succi corrumpuntur. Distributis itaq; quæ hactenus explicata sunt, in suas ceu classes, constituemus differentias certas humorum, quæ ex nutrimento expromuntur.

Quicquid est fluidorum liquorum in corpore, aut ὑγρότης *humor*, est; aut περίττωμα, *excrementum*.

Humorum differentiæ. ὑγρότητες.

ὑγρότητας voco humores illos, qui conformati partibus, secundum qualitates, proximè vsurpantur ad nutritionem, vt sunt chylus in ventriculo, sanguis in epate, ἡ οἰκεία τροφή, *familiare alimentum*, in partibus solidis, quantum scilicet de quolibet, ad partium ipsarum refectionem assumitur.

Περιττώματα, *excrementa*, nomino omnes humores reliquos cuiuscunq; generis, quos, vt superfluum quid pars quælibet, aut asseruat ad vsus certos, prouidentia Dei conditoris definitos, aut protinus repellit, tanquam onus graue futurum ipsi, & molestum, aut noxium.

Περιττώματα & eorum discrimina.

Περιττώματα, *excrementa*, sunt κατὰ φύσιν, aut παρὰ φύσιν naturalia, & non naturalia.

Perittomata naturalia.

Περιττώματα κατὰ φύσιν, *excrementa secundum naturam seu naturalia*, voco, quæ in quauis coctione, natura se rectè habente, &, rectè præparato nutrimento, secernente superflua, fiunt necessariò, siue vsum præstent aliquem corpori, siue nullius sint vsus.

Perittomata non naturalia.

Περιττώματα παρὰ φύσιν, *excrementa præter naturam*, à natura intemperie aliqua affecta & languente, aut impedita quocunq; modo: ideoq; destinente materiam coquendam, aut corrumpente gignuntur, & naturam non iuuant, sed lædunt atq; affligunt.

Diuisio perittomatum naturalium.

Περιττώματα κατὰ φύσιν, aut sunt περιττώματα κατά τι, aut περιττώματα ἁπλῶς: id est, *excrementa naturalia sunt aut excrementa secundum quid, aut excrementa simpliciter.*

Περιττώματα κατά τι, *excrementa secundum quid*, non propriè excrementa sunt, sed superflua de optimo & vtili nutrimento reliqua, in ipsis coctionum officinis, vbi sese hæc, de attracto, exacteq; immutato alimento, satis superque refecerunt. Suntq; harum tantum respectu περιττώματα, *excrementa*: Et, vel asseruantur in ipsis membris, ad alios vsus, vt semen, lac: vel, si flagitentur à vicinis partibus, protinus eiciuntur & propelluntur, vt chylus, sanguis bonus ac temperatus, οἰκεία τροφὴ, *familiare alimentum*: quorum hæc nutriunt corpus, illa generationi seruiunt, & fœtus nutritioni.

Περιττώματα ἁπλῶς, *excrementa simpliciter*, illa sunt, quæ simul de alimenti materia, cùm, propter ipsius materiæ inæqualitatem, tum, propter ἀσυμμετρίαν, *non attemperatam rationem*, natiui caloris, & necessitatem separationis multarum partium, exprimit natura, dum, occupata totius assumtæ massæ elaboratione, eum absoluit humorem, quem nutritio exigit.

Horum quædam sunt χρήσιμα *vtilia*, quæ corpori conferunt & præstant aliquid: quædam ἄχρηστα, *inutilia*, prorsus, eo ipso naturam, & molestia magna liberant, & periculo, & incommodis, quæ mora longiore adferunt. quãdo quàm maturrimè, suo tamen, & conuenienti tẽpore, per eos excernuntur meatus, quos educendis his natura, magna fabrefecit arte,

arte, & idoneis in sedibus locauit. Huius generis sunt τὰ διαχωρήματα, seu ὑποπατήματα, *excrementa seu purgamenta*, alui, vrina, mucor narium, sordes aurium, ῥῦπος, *illuuies sordium*, in cute, & similia.

Χρήσιμα, & vtilia περιττώματα, *excrementa*, aut sunt χρήσιμα καθ' ἑαυτά, per se vtilia, aut κατὰ συμβεβηκός, ex accidente. Huius generis illa sunt, quæ etsi natura separata relegat aliquò, & promouet ad maturam expulsionem, tanquam per sese non idonea ad nutritionem, aut alium vsum corpori necessarium: vsurpat tamen ipso expulsu, ad maturandam egestionem superfluorum & naturæ actiones iuuandas aliquo modo. *Vsus perittomatum vtilium per accidens.*

Sic phlegmatis, quod est primæ coctionis excrementum pars illa, quæ lateribus ventriculi, & intestinorum lentore suo illita adhæsit, ita inungit ea, vt, propter lubricitatem, aridioribus chyli partibus pateat transitus expeditior.

Talia sunt illæ partes χυμῶν, *humorum*, quæ in secunda coctione, à sanguine separantur. Flaua bilis, ex folliculo fellis, per πόρους χολαγωγούς, *meatus qui bilem ducunt*, ab altero bifurcati colli meatu propagatos, demittitur in intestina, cùm, vt excernatur vnà cum alui fecibus, tum, vt abstergat amaritudine, quod, de viscidiore phlegmate, intestinis adhæsit, ne copia auctum vias intercludat, aut putrescat: tum, vt acredine pungat, vellicet, & extimulet intestina, ad exclusionem excrementorum.

Melancholicus succus, tenuiore sui parte nutrit splenem: pars crassior, partim in ventriculum effunditur, vt acerbitate contrahendo, ac ceu corrugando tunicas ventriculi, roboret, vim retentricem καὶ τόνον, *& tenorem*, frigiditate excitet & intendat appetentiam cibi: & deinde cum chylo eiiciatur: Partim regurgitatur in intestina, vt cum excrementis egeratur, præsertim si auctus copia maiore, irritet naturam validam, pondere suo.

Referri huc possunt & liquores, qui, ex densatis nati vaporibus rigant cerebrum, & somno materiam præbent: tum vltimæ coctionis aqueæ superfluitates, sparsæ in membra, humectationis causa, vt his foris etiam, velut dulci gratoque rore imbutæ, perpetuò madeant.

Περιττώματα χρήσιμα καθ' ἑαυτά, *excrementa vtilia per se,* *Vsus perit-*

tomatum vtilium per se. ſunt, quæ non ad expulſionem natura deſtinat, ſed ad nutritionis aliquam partem peragendam, & plures alios vſus præſtandos: Vt ſunt maſſæ ſanguineæ χυμοὶ, *humores*, reliqui præter ſanguinem, qui non ſecluduntur, ſed, cum ſanguine, mixtim in totum feruntur corpus, quorum vſus præcipuus eſt, vt cum ſanguine nutriant: bilis quidem, membra biliosa, vt pulmonem: phlegma, partes phlegmaticas, vt cerebrum, medullam dorſi, neruos: melancholicus humor, partes aridiores & terreas, vt oſſa, cartilagines, ligamenta.

Præſtant verò & alios vſus corpori. Flaua bilis incidit lenta, attenuat craſſa, detergit, & velut abradit glutinoſa, diſſipat, penetrat, aperit meatus, acredine commouet virtutem expultricem. Melancholicus humor reddit ſanguinem denſiorem, ſiſtit, aſtringit, adiuuat retentionem. Phlegma, ceu nutrimentum eſt ſanguinis. Fit enim ex eo ſanguis, cùm paulatim magis magiſque coquitur, diluit ac fundit ſanguinem, prohibet ne efferueſcat, &, ſi ferueat, ardorem mitigat ac reſtinguit.

Περιττώματα παρὰ φύσιν, *excrementa non naturalia*, ſunt omnes corrupti humores, ſiue quantitate ſola, modum menſuramque à natura præſcriptam excedant, ſiue qualitate peccent, ſiue vtroque: ſeu putrefactione mutentur in alterius humoris ſpeciem, aut toto genere diuerſam, & præter naturam, aut non quidem, præter naturam, toto genere diuerſam tamen, à priori, & ea, quæ ſecundum naturam eſt, ſpecie. Nec vſui, ſed oneri, damnoque ſunt corpori, moleſtiamque adferunt, & morbos, cum vitæ diſcrimine, niſi maturè tollantur & extirpentur.

Humores corrumpuntur duobus modis. Corrumpuntur autem humores duobus modis. Primò, vt Galenus inquit, ὅταν αὐτοὶ μόνοι ὄντες καὶ ἄκρατοι ἀφίκωνται εἰς δυσκρασίαν, ἢ φθορὰν, χωρὶς τοῦ τῶν ἄλλων τινὰ χυμῶν πλεονεκτῆσαι καὶ ἐπιμῖξαι: *id eſt, cùm ſoli ipſi, & impermixti perueniunt ad intemperiem aut corruptionem, ſine redundantia aut admixtione alius cuiuſdam humorum*: efficiente vel intemperiem calore, aut ardentiore iuſto, aut languidiore: vel corruptionem alieno, in vno aliquo, pluribúſve humoribus impermixtis, quo fit, vt in aliam tranſeant ſpeciem, vel toto genere, præter naturam, vel ſola qualitate.

Alter modus, quo vitiantur humores, eſt διὰ πλεονεξίαν,

καὶ ἐπι-

ἢ ἐπίμιξιν τῶν ἤδη φθειρομένων χυμῶν, ἤτοι ὀῤῥῶν καὶ ἰχώρων, ἤγε φυσωδῶν πνευμάτων: *id est, per abundantiam aut admixtionem humorum iam deprauatorum, siue excrementorum serosorum, & aquosarum superfluitatum, siue flatulentorum spirituum.*

Sunt itaq; τῶν παρὰ φύσιν περιττωμάτων, *non naturalium excrementorum*, duo genera. Vnum eorum, quæ sunt, vel quantitate sola, vt in πληθώρᾳ, *redundantia æquali humorum omnium*; vel qualitate, vel vtroq;, vt in κακοχυμίᾳ, *vitiosi humoris abundantia*, præter naturam. Alterum eorum, quæ toto genere sunt præter naturam, quò refero omnes corruptorum humorum differentias, quas natura non intendit primò, & per se, sed ex consequente, & per accidens, non ad vsum aliquem corporis, sed ad commodiorem expulsionem, siue assequatur, quod tentat, siue, deficiente ipsa, aliquid prorsus vitiosum & corruptum euadat.

Duo genera περιττωμάτων παρὰ φύσιν.

Est enim μεταβολὴ, *mutatio*, triplex in humano corpore. Vna ἁπλῶς χρηστὴ, *simpliciter bona*, quæ efficitur à calore natiuo, qui non prostratus est, nec impar humido, vt θρέψις, *nutritio*. Altera est ἁπλῶς μοχθηρὰ, *simpliciter mala*, quam efficit alienus calor & παρὰ φύσιν, *non naturalis*, vt σηπεδὼν, *putredo*. Tertia ἡμιμόχθηρος, *semimala*, est, quam efficit natiuus partim, partim alienus calor, vt cùm fit ἐκπύησις, *suppuratio*, debita, & excocta fiunt πέπονα, seu matura, sicut ab Hippocrate vocantur.

Triplex mutatio humorum in corpore humano.

Sed vt rectius intelligatur omnium mutationum ratio, quæ humoribus accidunt, distinguemus illas causis efficientibus, subiectis, & effectibus. Omnis, quæ humoribus accidit, mutatio, scilicet quæ speciem mutat, aut accidentariam, aut οὐσιώδη, *essentialem*, est vel ἀλλοίωσις, vel μεταβολὴ, *alteratio vel mutatio*. Nam, quæ præcedunt, aut αὐξήσεις, *augmentationes*, humorum, aut depulsiones, vel translationes ex sedibus definitis, ac destinatis ad alienas, ἀφορμαὶ, *occasiones*, tantùm sunt, ad secuturas mutationes.

Alia diuisio mutationis humorum.

Ἀλλοίωσις, *alteratio* qualitates, illæsa substantia: μεταβολὴ, *mutatio*, & substantiam, & qualitates mutat.

Vtraq; duplex est: vna κατὰ φύσιν, *secundum naturam*, altera παρὰ φύσιν, *præter naturam*. Ἀλλοίωσις κατὰ φύσιν, *alteratio secundum naturam*, fit in coctionibus, secundum naturam. Μεταβολὴ κατὰ φύσιν, *mutatio secundum naturã* fit in iusta ac debita nutritione.

Ἀλλοίωσις, παρὰ φύσιν, *alteratio præter naturam*, fit in coctionibus aberrantibus, cùm calor vel acrior est, & vrentior iusto, vel hebetior ac remissior, aut per sese, ac sua natura, aut respectu materiæ, in quam incumbit ac agit.

Μεταβολὴ παρὰ φύσιν, *mutatio præter naturam*, accidit humoribus, & in ipsa nutritione, & ante nutritionem, intra, vel extra venas, cùm mutatur humoris substantia in speciem alienam à natura, & non vsui futuram corpori: idq; perficitur, vel ab alieno calore solò, in humore, aut non vitioso, aut qualitatibus degenere, intra vel extra venas: vel à natiuo, aut in humore vitioso, & tali, qui ad habitudinem naturalem, & corporis vsum, nulla emendatione reduci potest, intra venas: vel non tali aliquo, aut etiam non vitioso, sed extra venas, in locum aliquem, præter naturam detruso: vel ab vtroq; calore, in vtrouis humore.

Huius ergo μεταβολῆς παρὰ φύσιν, *mutationis præter naturam*, tres sunt differentiæ. Prima est corruptio caloris natiui, in humido proprio, ab alieno & extraneo effecta calore, quam σῆψιν vocant, & σηπεδόνα, *putrefactionem seu putredinem*, cum humor, vel integer, & secundum naturam se habens, vel iam affectus vitio aliquo, in suo, & à natura determinato loco, vel, extra hunc, in alieno, à calore circumuentus alieno & extraneo, vel dissoluitur prorsus, ac dissipatur, vel in humoris alieni, aut alterius rei, præter naturam, speciem conuertitur. In hac mutatione, nulla est natiui caloris actio, sed tota absoluitur & completur ab alieno calore, qui est, præter naturam, & igneus, ac diuellit, dissipat, & destruit mixtum, sicut contrà natiuus idem sustentat, tuetur, & conseruat.

Altera est, quam Galenus dicit esse ἡμιμόχθηρον μεταβολὴν, *semipravam mutationem*, & vocant ἐκπύησιν seu suppurationem, cùm calor natiuus fortis est, & valet, sed humorem adipiscitur intra vasa, qui ob magnitudinem vitij & maliciæ, nulla coctione ita emendari potest, vt fiat vtilis ad nutritionem: aut cùm bonus, & nulli vitio obnoxius humor, elapsus definitis ac destinatis à natura sedibus, ac limitibus, incipit occupari, & corrumpi ab alieno, sed corruptionem impedit, vi & efficacia sua natiuus calor. Tales humores

non protinus destituit, & alieno calori occupandos relinquit, calor natiuus: sed cùm vigeat, experitur contra alienum vires suas, hunc inde elisurus, & prohibiturus corruptionem,& vtrumq; ad vsum aliquem conuersurus, iusta elaboratione. Quod cùm assequi nequeat, impeditus in hoc quidem, cōditione alieni,& natura discrepantis loci,in quē, præter naturam, humor deuolutus est, & lucta cum calore alieno: in illo autem, tabe & vitio quod humori inest, & aduersatur ac repugnat actioni caloris: inducit tamen vtriq; speciem, quàm accommodatissimam expulsioni, &, quoad eius fieri potest, naturali similem, vt sine offensione insigni, sineque detrimento, eiiciatur. Habet enim semper aliquid coctionis hæc mutatio, etsi scopum, ad quem natura tendit, assequi non potest.

Tales sunt mutationes, quibus, qui in abscessibus & vlceribus continentur, humores vertuntur in pus laudabile, album, crassum, æquale, leue, non fœtidum, & qui in venis excoquuntur humores putridi, in excrementum puri simile, ex quo est sedimen in vrinis album, leue, æquale, pyramidis figura conglobatum in acumen, post febres maximè. Fit enim in fibris analogos suppurationi vlcerum, velut interior suppuratio, cùm natura vincens humorem putredini obnoxium non prorsus destituit, sed subactum coquit aliquantulum, exæquat, & excutit. Et verissima, ac certissima putridarum febrium distinctio petitur ex ipsa humorum natura, & his tribus gradibus *τῶν παρὰ φύσιν μεταβολῶν*, *non naturalium mutationum*.

Tertia differentia componitur ex vtraq; præcedente simplici: & varia est, & multiplex, prout calor alteruter, natiuus vel alienus, plus minúsve, aut viget, aut languet altero, & materia est, aut deterior ac contumacior, aut melior & obsequentior calore natiuo. Hæc mutationum discrimina considerari, necesse est.

Voco itaq; *περιττώματα παρὰ φύσιν*, *excrementa non naturalia*, sola qualitate, ea quæ *ἀλλοίωσις παρὰ φύσιν*, *alteratio non naturalis*, gignit: & toto genere *παρὰ φύσιν*, *præter naturam*, nomino, quæ parit & producit *ἡ παρὰ φύσιν μεταβολή*, *non naturalis mutatio*.

Horum quædam, prorsus sunt aliena à natura, vt diffe-

rentiæ corruptorum putredine humorum, καὶ σηπεδονωδῶν μιασμάτων, ἢ σπερμάτων, *pollutionum putridarum aut seminum*, in febribus, & ἰχώρων καὶ ῥύπων, *humiditatum superfluarum & sordium*, in vlceribus, vulneribus, fracturis, contusionibus, quas simplex, vera, & absoluta putrefactio efficit, & in abscessibus ἀθερωμάτων, στεατωμάτων, & μελικηρίδων, genera: *id est, humorum pulti similium, saniei seui, & mellis instar, quem mellifauium aliqui appellant*: itemque illa, intra corpus monstrosè nasci consueta, vermium & lumbricorum, capillorum, carbonum, ac similium genera.

Quædam non prorsus sunt præter naturam, sed aliquid habent coctionis, & aliàs plus, aliàs minus, vt pus, & in venis illud, quod puri simile est, quæ ob eam quam adipiscuntur, speciem alienam, ab ornatu vltimo, quem natura molitur, sub hoc genere colloco.

Perittomata non naturalia duplicia.

Περιττώματα ergo παρὰ φύσιν, *excrementa non naturalia*, quæ solis peccant qualitatibus primis vel secundis, vel vtrisque simul, aut feruefacta plus nimiò, ac ceu assata, aut perfrigerata ex cruditate, nec satis percocta, aut extenuata nimium, aut densata, aut lentore, & tenacitate affecta, aut salsedine imbuta: Talia, inquam, omnia duplicia sunt, sicut & priora, quæ toto genere παρὰ φύσιν, *præter naturam*, esse diximus. Quædam enim ἄκρατα sunt καὶ πρὸς αἴσθησιν ὁμοιομερῆ, id est, impermixta, & ad sensum similia: Quædam κεκραμένα sunt, καὶ πρὸς αἴσθησιν ἀνομοιομερῆ, καὶ ἐπίμικτα, id est, mixta confusaq;, & ad sensum dissimilia.

Perittomata impermixta vnde generentur.

Περὶ ἀκράτων, *de impermixtis* primò dicemus, ἄκρατα περιττώματα, *impermixta excrementa*, citra admixtionem alterius, seu humoris, seu flatulenti spiritus, generantur in corporibus à calore, vel intenso, vel debili, per sese, aut materiæ ratione, & δυσκρασίᾳ, *intemperie*, degenerant.

Chylus in ventriculo quomodo corrumpatur.

In prima coctione chylus corrumpitur, cùm, vel ab æstu ventriculi velut torretur, vel, ob languorem cum frigiditate coniunctum, non percoquitur.

Huc rectè referri, existimo, humorem viridem porri colore, qui in ventriculis puerorum maximè, & adultorum etiam nasci ac colligi consueuit, διά τινων ἀπεψίαν ἐδεσμάτων *ex cruditate esculentorum quorundam*, vt sunt oleracei generis,

betæ, brassicæ, cæpæ, allium. Vocant hunc, à colore, πρασοειδῆ χολὴν, seu bilem porraceam, cùm bilis corruptæ species propriè non sit, sed corruptus chylus in ventriculo: & quidem, ex mala coctione existat, sicut inquit Galenus, τὰ πρασοειδῆ μόνοις τοῖς κακῶς πέψασιν ἐν τῇ κοιλίᾳ γίνεται: id est, *quæ porri colorem referunt, tantum iis procreantur, qui cibum in ventriculo male concoxerunt.*

Ex eadem coctione, prodeunt discrimina pituitæ non naturalis, & τῆς βλέννας, καὶ μύξου, itemque πτυέλου, id est, mucoris narium, & sputi, cùm hæc excrementa, iusta crassitie destituta, aut nimis tenuia fiunt, simulque, aut insipida aquea, aut salsa acria, aut nimis lenta ac viscida.

Pituitæ non naturalis discrimina ex vitio primæ coctionis.

Si enim langueat ventriculus, nec benè claudatur, aut oneretur sarcina cibi vel potus grauiore, quàm pro modo virium, euehitur in cerebrum magna copia crudorum halituum, qui frigiditate densati liquescunt. Quòd si adest tunc calida intemperies in cerebro, quod de his, vel halitibus, vel liquoribus paulò crassius est, mora longiore, ex alieni caloris impressione, lentorem contrahit, ac visciditatem. γίγνεται γὰρ γλισχρότης ἐκ τῆς πολυχρονίου μονῆς ἐν θερμῷ χωρίῳ τοῦ φλέγματος: id est, *lentor enim & viscositas contrahitur ex mora longiore phlegmatis, in loco calido.* Quod de iisdem tenuius est, & calidius, aduritur, & salsedinis saporem acquirit ex adustione.

In secunda coctione, vt χυμοὶ, *humores*, distinguuntur, ita si coctio non fiat talis, qualis esse debet, iidem corrumpuntur: quibus si nihil admisceatur alieni, fiunt differentiæ τῶν ἀκράτων χυμῶν παρὰ φύσιν: *impermixtorum humorum non naturalium.* Flauæ bilis τῆς ἀκράτου, *impermixtæ*, species corruptæ, causam habent omnes θερμὸν τὸ αὐχμηρὸν, καὶ πυρῶδες, καὶ φλογῶδες: *calorem squalidum, & ignitum & flammeum.* Suntque, velut extremæ eius species flaua bilis, & exquisitè atra. Reliquæ, vt Galenus pulcrè dicit, οἷον ὁδοί τινες εἰσὶ τῆς τῶν τούτων γενέσεως, καὶ εἰς ἄλληλα μεταβολῆς: id est, *quasi viæ quædam sunt ad harum generationem & mutationem vnius in alium.*

Chymi quomodo corrumpantur.

Flaua bilis corruptæ species.

Flaua bilis enim, si velut assata vlteriore coctione fiat crassior, & lenta magis, ac tenax, colore verò exquisitè flaua, seu, ex pleniore ac densiore flauedine velut rufescens, degenerat in eam, quæ λεκυθώδης, *vitellina*, nominatur, quòd

Bilis crocea.

ouorum

ouorum vitellis colore, consistentia, & crassitie, non sit absimilis: Crocea vocatur à nonnullis. De hac Galenus inquit ὑπεροπτηθεῖσα ξανθὴ χολὴ γίγνεται ἐσχάτως ξανθὴ, καὶ πυρώδης καὶ παχὺς ταῖς τῶν ᾠῶν ὅμοια λεκύθοις: id est, *bilis flaua, vltra modum assata, extremè fit flaua, & igneum calorem acquirit, & crassitiem ouorum vitellis similem.*

Bilis vitellina. Vitellina vsta amplius virescit, flauedine ex adustione subnigrescente, & crassescit. Vocatur autem πρασοειδής, *porracea*, quòd similis sit τῷ τῶν λαχάνων χυμῷ, id est, succo expresso ex viridi planta allij, aut aliorum olerum, cui viredo inest obscura & nigricans. De hac inquit Galenus, quòd in venis generetur, indeque in ventrem confluat, aut inferiorem, aut superiorem: & perpetuò calorem alienum, & præternaturalem indicat. Intercidit ergo inter vitellinam & æruginosam media, per quam, in hanc illa degenerat.

Bilis æruginosa. Æruginosa siccior est, tenaciorque, calore & consistentia, vt Galenus inquit, οἷον εἴ τις ὕδατι δεύσειεν ἰὸν τὸν ἄριστον, ὥστε γίνεσθαι σύστασιν ἐξ ἀμφοῖν στρεὶς πάχει προσεοικυῖαν, καὶ ἐστὶν οἷον ἀκριβὴς ἰὸς ὀνομαζόμενος εὐανθέστατος: id est, *velut siquis æruginem optimam aqua subigat, vt ex vtrisque consistentia fiat crassitudine similis defruto, estque tanquam ærugo exquisita cognomina floridissima.* Quare ἰώδης æruginosa vocatur παρὰ τὸ τῷ ἰῷ ὁμοιοῦσθαι, quòd ærugini dissolutæ ac dilutæ aqua modica, & benè tritæ commixtæque, colore sit similis, & consistentia.

Bilis Isatodes. Hæc rursus, vlteriore & vehementiore adustione demigrat in χολὴν ἰσατώδη, *bilem Isatidis colorem referentem*, in qua iam, ob nimiam deustionem, viredo ceu obfuscatur & denigratur: Vnde & φαιὰν, id est, fuscam, & ἰσατώδη vocarunt, παρὰ τὴν τῆς ἰσάτιδος τῆς γλαυκῆς χροιάν, à cæruleo Isatidis colore, qui, ex viredine obscura & languescente, in cæruleum nigricantem declinat.

Antecedit autem hæc proximè exquisitè atram, & inchoatæ fuscedinis notas euidentes habet. Ideo Galenus, de æruginosa bile inquit, declarans modum progressumque adustionis continuæ, donec ad assationem, & denigrationem vltimam deueniatur: ἡ ξανθὴ χολὴ πρῶτον μὲν εἰς τὸ ἰώδη τρέπεται χυμὸν, ἔπειτα εἰς τὸν μέλανα: id est, *flaua bilis, primum in humorem Isatidis colorem referentem conuertitur, deinde in nigrum.*

Bilis atra. Vltima ergo flauæ bilis corruptæ species est exquisitè

atra,

atra, de prioribus completa aduſtione propagata, quæ quidem conſiſtentia & colore, atrum picis nitorem refert, ſed viribus& effectu peior longè eſt altera, quæ de melancholico ſucco aduſto fit. Multò magis enim, & vehementius rodit, exulcerat, lacerat, inflammat, quàm altera. Propterea & Galenus hanc dicit eſſe χαλεπωτάτην *omnium perniciosiſsimam*. Tot ſunt differentiæ corruptæ bilis τῆς ἀκράτου, *ſinceræ*.

Sanguinis propriè ſic dicti duo genera.

Sanguinis naturalis, ſic propriè dicti, & diſtincti à reliquis coniunctis ipſi humoribus, duo ſunt genera in corporibus.

Vnum ex epate hauſtum, vehunt, deducuntque in reliquum corpus propagines venæ cauæ, οἷον ὀχετοί τινες, *velut canales quidam*, eſtque ἐρυθρὸν τὴν χροιὰν, καὶ ἱκανῶς παχὺ, καὶ ἰνῶδες: *colore rubrum ac ſatis craſſum & fibroſum*.

Alterum, ex ſiniſtro cordis thalamo, corde conſtricto, in caudicem aortæ infuſum, arteriarum inde deriuatarum riuulis diſtribuitur in reliquum corpus, eſtque ξανθὸν, λεπτὸν, λεπτομερὲς, πνευματῶδες, καὶ θερμότατον: id eſt, *flauum, exile, tenuium partium, flatuoſum, & calidiſsimum*.

Sanguis quomodo corrumpatur.

Corrumpitur autem hic naturalis ſanguis, citra admixtionem alterius humoris, cùm aut frigidior redditur διὰ ψύξιν τινὰ ὑπόγυιον, *propter refrigerationem quandam propinquam*, aut calidior iuſto, ac feruentior ex iracundia, exercitiis, æſtu Solis, frictionibus, pharmacis calefacientibus, diæta tali, vſu vini meracioris ac vetuſtioris multò: Aut cùm craſſior vel tenuior, craſſioris aut tenuioris victus, vel vehementioris aut remiſſioris caloris ratione: aut humidior ac dilutior, ex humidiore victu: aut ſiccior, ex cauſis contrariis redditur. Deniq;, ex ſua ſpecie, in aliam redigitur, cùm aduſtione nimia, partibus tenuioribus, in flauam bilem diſcedit, craſſioribus in atram cogitur, forma ſanguinis amiſſa.

Melancholici ſucci præternaturalis duo genera.

Melancholici ſucci παρὰ φύσιν τοῦ ἀκράτου, *præternaturalis impermixti*, duo omnino ſunt genera. Vnum crudum, alterum aduſtum.

Crudum ex crudis & craſſis partibus terreis, à calore natiuo non ſubactis, relinquitur, & manet crudum. Alterum aduſtum, vel aduſtione ſimplici, vel putrefactione, fit, cùm ex crudo illo, ſed à natura deſtituto, aut melancholico

ſucco naturali, à calore natiuo derelicto, tum ex ſanguine. Tertiæ enim ſpeciei ſuum, inter flauæ bilis differentias, locum relinquo. Vocant autem hanc alteram ſpeciem, *μελαίνην χολὴν ἀκριβῶς*, exquiſitè atram bilem, quæ multum differt à ſucco melancholico.

Eſt enim ſuccus melancholicus craſſius in venis ſedimentum maſſæ ſanguineæ, analogon fecibus vini, & *ἀμόργῃ*, *amurca*. olei, non acre, nec rodens, nec acidum: multò minus fermentans terram. Hoc ſedimentum, ſi in corpore concluſum moram trahat, & coaceruetur, neque aut excernatur, per patentes & conſpicuos meatus, aut aſſidua ceu ventilatione diffletur, paulatim aduritur, & tandem putreſcit.

Sunt itaque τῆς ἀκριβῶς μελαίνης χολῆς, *exquiſitè atræ bilis*, duæ ſpecies, aut ſi his illam addere volumus, quam, ex aduſtione flauæ bilis, naſci diximus, tres. Vna fit, ex aduſtis ſanguineis partibus craſſioribus, quæ omnium eſt mitiſſima, ſed paulatim, quò magis vritur, fit acrior & mordacior. Alteram gignit, aduſtione ſui, ſuccus melancholicus, quæ priore deterior eſt, & nocentior κατὰ τὴν σύστασιν, *conſiſtentia ſiue ſubſtantia*, tenuior ſucco melancholico, acida, acris, rodens, nitens, inſtar picis, radens corpus & terram, &, cùm effunditur ex corpore, feruefaciens terram, atque inflans ampullis multis, inſtar fermenti.

Cum hac Galenus illam, ex flaua bile natam, atram bilem conferens, inquit, ἡ ἐκ τῆς ξανθῆς χολῆς ὑπεροπτωμένης χαλεπωτάτη παντοίως. Item, τά τ' ἄλλα κακοηθής ἐστι καὶ διαβιβρώσκει τὰ μόρια, ὅπου ἂν τύχοι πλεῖον ἀθροισθεῖσα: ἡ δὲ ἑτέρα ἡ ἐκ τοῦ τοῦ αἵματος, ὡς ἂν εἴποι τις ἰλύος καὶ τρυγὸς, παχυτέρα μὲν ἐκείνης τῇ συστάσει, πολὺ δὲ ἀπολειπομένη τῇ μοχθηρίᾳ: id eſt, *quæ ex flaua bile ſuperaſſata, omnino pernicioſiſſima. ibid. tum alius maligna eſt, tum partes, vbi paulò amplius collecta fuerit, arrodit: altera verò, quæ ex ſanguinis, vt ita dicam, limo & fæce fit, ſubſtantia quidem & conſiſtentia illa eſt craſſior. ſed prauitate multum ab illa deficit.*

Phlegmatis corrupti, & παρὰ φύσιν, *præternaturalis*, multa ſunt genera, ex quibus præcipuorum cauſa eſt prima, ac per ſe, imbecillus & languidus calor, qui impar materiæ, neque initiò rectè coquit chylum in ventriculo, nec commiſſa primò errata pòſt corrigit, in epate & venis, ſiue ſit talis per ſe,

& vitio læsi aut labefactati temperamenti membrorum, siue respectu & comparatione materiæ.

Differunt autem hæc genera, vel consistentia, vel sapore, vel vtroque.

Genera Phlegmatis corrupti differunt tripliciter.

Quantum ad *σύστασιν, consistentiam*, vnum est genus Phlegmatis *ὑδατῶδες λεπτὸν, aquosum, tenue*, ex imbecilliore calore, & multo vsu cibariorum humidiorum.

Alterum est *παχὺ, crassum*, vt videatur simile puri, *καὶ ὁμοιομερὲς, similare*, quod Galenus propriè vocat *ὠμὸν χυμὸν, crudum humorem*: crassius hoc est omni alio Phlegmate, & minus flatulentum: Minus enim habet aereæ humiditatis, plus siccæ crassitiei terreæ: sæpe cum vrinis excernitur, prorsus puris specie, à quo tamen calore, consistentia & odore discrepat, aut consistentia formæ fabaceę simile. Coaceruatur plurimum in infantibus & adultis, *ἐξ ἀδδηφαγίας*, id est, ex ingluuie & voracitate, *ἐξ οὗ*, vt Galenus ait, *ῥαδίως λίθος γεννᾶται, τοῦτο μὲν ὕλης ἔχοντος λόγον, ποιητικῆς δὲ αἰτίας τῆς θερμασίας*: id est, *ex quo facile lapis generatur, cùm illud materiæ rationem habeat, excalefactio autem causæ efficientis*. Colligitur & in cerebro, longis crapulis & ingluuie afflicto ventriculo, & cerebro crudioribus halitibus nimiùm obruto, aut si, natura langueat cum ventriculo cerebrum. Excernitur autem per os & nares, cerebro sese exonerante, *ἐν περιόδοις ποσὶν ἀτάκτοις καὶ τεταγμένοις*: *periodis & temporum circuitibus quibusdam inordinatis & ordinatis*.

Tertium genus est Phlegma *μυξῶδες, mucosum*, quod lentorem ac viscididatem, ex mora longiore, in loco concluso & calidiore contraxit: itidemque, tam in totius corporis venis, quàm, extra vasa, in cerebro, ventriculo, & intestinis congeritur, in iis, qui vsitatam exercitiorum consuetudinem aliquandiu intermiserunt, & in otio vixerunt.

Eiicitur autem, vel per nares & palatum, vel cum vrina, vel per intestina, mucori narium tenaciori simile.

Colligitur & ad articulos quandoque quoddam mucidi Phlegmatis genus, quod incumbens iuncturis ossium & connectentibus his ligamentis, laxat & extendit ea. Vocat hunc Hippocrates *μύξαν*: de quo, si partes tenuiores, calore fortiori resoluentur, reliquæ crassiores durantur in tophos, quos *πώρους* vocant. Hippocrates crudum mucorem,

mucorem, ex cerebro, in nares defluentem, propriè nominat βλαῦναν.

Phlegma insipidum.

Quantum ad saporem, phlegma aliud est insipidum, ἄποιον, *qualitatis expers*, & nulla euidenti qualitate præditum, sed οἷον ὑδατῶδες τὴν γεῦσιν: *gustu velut aqueum*. Causa huius est βραχεῖα ψῦξις, *longa refrigeratio*.

Phlegma dulce.

Aliud est γλυκὺ *dulce*, & dulcedinis obscuræ saporem inferens, quale quidam assiduè, aut screatu, aut vomitu, aut sputo reiiciunt, halituoso plenum spiritu, &, quoad sensum ἀνομοιομερὲς, *dissimilium partium*. Sed hoc ad mixta genera pertinet, & causam etiam habet calorem remissum, tam validum tamen, vt, in agitato phlegmate, & coqui cœpto, iam induxerit saporis dulcis rudimenta, &, exagitatione, à calore est illa flatulenti spiritus cum phlegmate commixtio.

Phlegma salsum.

Aliud est ἁλυκὸν seu ἁλμυρὸν, salsum phlegma: Cuius vnum genus ἄκρατον, *sincerum seu impermixtum*, fit tale, aut ex putrefactione, aut ex adustione. Salsedinem enim pariunt partes adustæ terræ, in humido aqueo, quod ipsum quoque, ex adustione illa, pinguedinis aliquid, & lentoris concipit. Alterum fit διὰ ἐπιμιξίας ἁλυκῆς ὀῤῥώδους ὑγρότητος, *propter admixtionẽ salsæ serosæ humiditatis*, & ad mixta genera pertinet.

Phlegma acidum.

Denique aliud est phlegma acidum, ὀξὺ, cuius causa est ἰσχυρὰ ψῦξις, *valida refrigeratio*. Galenus cum acido salsum conferens inquit, τοῦ φλέγματος ὅσον ὀξὺ καὶ ἁλμυρὸν ἐγένετο, τὸ μὲν ὀξὺ, διὰ τὸ μὴ τελέως ἀπεπλῆσθαι, τὸ δὲ ἁλμυρὸν διὰ τὸ διασεσῆφθαι: *quod ex phlegmate acidum & salsum euasit: acidum quidem, quòd à perfecta coctione defecerit, salsum verò, propter putredinem*. Fit enim acidus sapor, cùm, exuberante aqueo humido, cum aëreo modico temperato & terreo, fit ebullitio quædam, ab alieno calore, qua, consumtum aëreum humidum & calidum dissipatur, atque effumat, terreum aduritur, &, in reliquo humido aqueo, succedit frigiditas alterans, quæ est causa formalis acoris seu aciditatis, actu occupans, eliso calore natiuo, humidum. Efficiens causa est calor externus & alienus.

Acidus sapor argumentum liquefacti caloris natiui.

Acidus ergo sapor in humoribus, semper argumentum est valde languefacti caloris natiui. Et, si tale nascatur in epate & venis, τελείαν ἀπεψίαν, *perfectam cruditatem*, illarum partium denotat.

Quantum

Quantum ad consistentiam & saporem, vnum est genus phlegmatis, quod Praxagoras nominauit vitreum humorē, ὑαλῶδες φλέγμα, ὅτι τῷ ὑάλῳ κεχυμένῳ προσέοικε τὴν χροιὰν καὶ τὴν σύστασιν, quod, liquefacto & fuso vitro, consistentia & colore respondet. Est autem prorsus frigidum, viscidum & acidum, & cuicunque fuerit impactum infarctúmve loco, in eo, cum obstructione, quam parit, ciet ingentes dolores, vt Colicos dolores, cùm intestinorum meatus obsepit. Etsi verò visciditate nunquam caret, minus tamen est lentum aut tenax, & fusum fluitat. Visciditatem adipiscitur, ex alieni caloris impressione: Acorem, ex insita frigiditate, quæ, post calorem aëreum natiuum, qui exiguus est, exclusum succedit. *Phlegma humor vitreus.*

Περιττώματα κεκραμένα, quæ & ἐπίμικτα, & κατὰ κρᾶσιν, καὶ ἐπιμιξίαν, & πρὸς αἴσθησιν ἀνομοιομερῆ, id est, *excrementa mixta, quæ & permixta, & secundum mixtionem, & ad sensum dissimilium partium*, Galenus nominat, fiunt, vt diximus, quando aut cum naturalibus vitiosi, aut ipsi inter se vitiosi componuntur, aut vtriq; complentur ac distenduntur flatibus. *Perittomata mixta quomodo fiant.*

Variè autem miscentur inter se illa. Quare & mixtorum gradus sunt multiplices ac diuersi, quos neque explicarunt omnes Medici, nec suis distinxerunt nominibus. Quibusdam attribuerunt peculiares appellationes. *Perittomatũ mixtorũ varij gradus.*

Inter flauæ bilis species, quædam vocatur ὠχρὰ χολή, *pallida bilis*, quòd pallidior sit exquisitè flaua bile, & colore referat eam terræ speciem, quam ὠχρὰν, *ochram*, nominatam vsurpant pictores & tinctores: eandem & χλωρὸν χυμὸν, *viridem humorem*, nominant: χλωρὸν enim Græcis colorem vtrumque significat, & flauedinem dilutiorem ac pallescentem, qualis est ochræ, & viredinem accedentem ad æruginis colorem. Remittit autem lucida & saturata flauedo bilis, atque in pallorem tenuatur, cùm tenui aquosa humiditate permiscetur, quam humiditatem ὑδατώδη, *aquosam*, alij, nonnulli ὀρρώδη, *serosam*, nominant. *Bilis pallida.* *Bilis viridis.*

Est & vocata ἐρυθρὰ χολή, bilis rufa, quædam, consistentia, ad tenuioris sanguinis speciem accedens, quam fieri volunt, ex flauæ bilis cum sero sanguinis commixtione. *Bilis rufa.*

Sic sanguis alius est alio παχύτερος καὶ μελάντερος, *crassior, & nigrior*, ex melancholici succi redundantia & interfusione, *Sãguinis vitiosi species.*

cùm non rectè separatur. Alius φλεγματώδης, *phlegmaticus*, propter insidentem & complicatum illi phlegmaticum humorem. Alius acris, ac ceu salsus, ex admixtione salsæ serosæ superfluitatis, aut bilis adustæ, quem & ἰχωροειδῆ, *ichorosum*, vocant inde, estque δακνῶδες, καὶ διαβρωτικὸς, *mordicans & erodens*. Denique alius est ὑδατωδέστερος, *magis aquosus*, ex aspersione tenuis & aquosæ humiditatis.

Phlegma spumeum. Et, inter phlegmatis genera, quoddam recensetur ἀφρῶδες seu spumeum, quod phlegmate, spiritu halituoso, velut in ampullas spumeas inflato, constat, cuius αἴτιον συνεχὲς, *causa continens*, est πνεῦμα φυσῶδες, *spiritus flatulentus*, inclusum illi, quod agitatione seu spontanea, qua exitum quærit, seu à calore excitata sese extendens, diducit illud natura lentum & sequax in ampullas. Huius generis est & ἀφρῶδες πτύελον, *spumosum sputum*. Diximus etiam, inter composita genera, quoddam esse γλυκὺ, *dulce*, quoddam ἁλμυρὸν, *salsum*. Reliqua discrimina ἀνώνυμα, sunt, *nomine carent*.

Morbi ex vitio tertiæ coctionis. In tertia & vltima coctione, si nutrimentum sit corruptum adustione, aut putredine, vitiliginis eam speciem gignit, quam ἄλφον, *alphon*, Græci, Arabes Morpheam vocant: aut, pro ratione materiæ, & adustionis; ac corruptionis ex putredine, alias etiam adustiones tetriores ac fœdiores, vt lepram, elephantiasin, quam Arabum lepram esse volunt, morbum Gallicum, & similes. Si non percoquatur, relinquit id, quod Hippocrates λήμη vocat, quæ est ἡμιπέπτου τροφῆς περίττωμα, *semicocti alimenti excrementum*. Aliqui pituitam verterunt, sed impropriè.

Tale fit & coaceruatur nutrimentum in anasarca, seu Leucophlegmatia, & accedente putredine, in vitiliginum etiam, & lichenum, seu impetiginum generibus.

Si nimia adustione arefiat nutrimentum, fit causa τῆς ἀτροφίας, *alendi penuriæ*. In eam enim, quæ membrorum est, soliditatem, ob humidi defectum coqui non potest, sed veluti in cineres vstulatione redigitur.

Perittomata non naturalia morbos pariunt. Tot sunt ferè differentiæ περιττωμάτων παρὰ φύσιν, *excrementorum non naturalium*, qualitate & quantitate, quæ nisi maturè à natura aut victrice, sua sponte, aut adiuta pharmacis, & medicina, eiiciantur è corpore, morbos pariunt, alia alios, prout in has illásve decumbunt corporis partes: aut

aut in toto redundant atque effluunt corpore, &, vel obstructione detenta, aut inflammantur, aut putrescunt simul, vel adustione, aut putredine conuertuntur in aliud quippiam, quod toto genere est præter naturam, vt cùm ὠμὸς χυμὸς, *crudus humor*, aut huic alius similis calore duratus, in renibus lapidescit, aut, ex viscido phlegmate, putredine in intestinis lumbrici nascuntur.

Interdum crassiores humores, & natura flatuosi, quales sunt melancholicus humor, & phlegmaticus, si conclusi aliquo in loco, & circumuenti calore debili resoluantur, flatuum crassiorum copia diuellendo, aut distendendo continuas, connexas, & cohærentes partes, ingentium sunt dolorum causæ. Sed harum rerum tractatio alterius est loci.

Quæ toto genere sunt præter naturam περιττώματα, *excrementa*, ea efficit, vel adustio, aut violenta, aut lenta, tardaque, in materia idonea, sicut calculi generantur assatione: aut, quod creberrimum est, ἡ παρὰ φύσιν μεταβολὴ, *mutatio præter naturam*, cuius tria constituimus discrimina, materiæ subiectæ diuersitate, & caloris, vel alieni, vel natiui gradibus distincta. *Causa efficiens perittomatum præter naturam.*

Putrefactionem omnem præcedit ζέσις, *ebullitio*, quædam, & φλόγωσις, *inflammatio*, in subiecto putrescente; quæ est ἀλλοίωσις, *alteratio*, tantùm aucti gradibus caloris natiui. Putrefactio ipsa, non ἀλλοίωσις, *alteratio*, est, sed φθορὰ, *corruptio*, natiui caloris, ab alieno facta. *Putrefactio.*

Sed quæcunq; accidat humoribus mutatio, quod definire huius loci non est, quæ conficiuntur tali aliqua, præter naturam, mutatione, aut sunt humores, aut halitus, aut solida corpora, eaque vel animata & viua, vel inanimata. *Effecta mutationis humorum in corporibus.*

Horum exempla suprà commemorauimus, & plura suppeditant genera tumorum præter naturam, inflammationũ, herpetum, cancrorũ, lepræ, elephantiasis, impetiginum, itemq; vlcerum, vt nomarum, phagedænarum, fistularum, Telephiorum, & Chironiorum vlcerum, & alia similia. *Tumores præter naturam.*

Halitus toto genere præter naturam sunt, qui in interiorum, vel humorum, vel membrorum putrefactionibus; ex sordidis conclusisque humoribus, forti putrefactione subactis, expressi atque editi. contagionum virus concipiunt, ac retinent: idque, vel agglutinatum corporibus, in quæ *Halitus præter naturam.*

impingunt, vel contactu communicant, vel, ob consensionem, ac sympathiam, membrorum inspiratione recepti, inferunt iisdem, atque infligunt. Tales sunt Phthisicorum, Pleuriticorum, Angina laborantium, aut Phrenitide, halitus: Talia sunt, ex putredine, pestilentium febrium nata contagionum semina, quæ Galenus nominat σηπεδονώδη μιάσματα, & σπέρματα λοιμώδη, & σηπεδονώδεις ἀναθυμιάσεις, *putredinis contagiones, & semina pestilentialia, & putridos halitus*, & alia plura.

Corpora solida animata ex humorum mutatione nata.

Inter solida corpora animata, lumbricorum genera refero, quæ non in intestinis tantùm; sed & abscessibus aliarum partium, inque ipso adeò cerebro, nasci aliquando vidimus, ex putredine magna phlegmatis.

Corpora solida inanimata ex humorum mutatione.

Inanimata sunt, pilorum, carbonum, arenarum, & similium genera, itemque calculi, quos non in renum lacuna tantùm, & vesica, sed intestinis etiam, epate, & folliculo fellis, repertos esse comperimus.

Vidimus lapides duos Duci Friderico Saxoniæ Electori, post mortem exectos, quorum vnus, magnitudine duorum digiti articulorum, in rene dextro, colore subrutilo, circumcirca, vno in loco, circulari ambitu, medicamentorum λιθοτριπτικῶν, *lapidem atterentium*, acredine attritus erosusque, qua perfluxit arena: alter porraceo colore, quantitate vnius articuli, in vesicula fellis latuerat.

Cuidam amico nostro Parisiis extincto, meminimus grandem, cùm euisceraretur, lapidem è iecinore excisum, quem ex phlegmatis aliqua, & aliqua melancholici humoris parte, coagulatum fuisse, liuidus pallor indicabat.

Alexander recitat exemplum de quodam, qui tussi lapidem è pulmone excusserit.

Lapidum in corpore generatio.

Generantur autem lapides, ea coctionis specie, quam ὄπτησιν, *assationem*, vocant, calore igneo & vrente, ex materia, magna ex parte phlegmatica, cui aliquid lentoris inest, & glutinis. Nam crassa, arida, & lentoris expertia, coagulari ad hunc modum calore, & durari non facilè possunt.

Ex his differentiis, non est iudicatu difficile, quæ excrementa, à sanis & rectè valentibus excernantur: quæ ab ægris & conualescentibus, neutrísve, vbi natura vincit, & vel sua vi, robore, atque efficacia natiui caloris, edomita ea, at-

que exæquata excutit, quod fit, cùm simul & materiæ quantitas, naturæ viribus *ἀνάλογος*, *proportione respondens*, est, & corruptio non enormis, vel adiuta ac confirmata: denique, quæ ab alieno calore aut vincente, aut cum natiuo luctante, efficiantur, & ab ægris, aut incerta ac dubia spe conualescentiæ, aut nulla, edantur.

Sed quorsum attinet considerare excrementa? Rectè constitutas, & secundum naturam affectas, hæc, aut contrà læsas membrorum, in quibus fiunt & coaceruantur, & à quibus fluunt, virtutes, & in iisdem conditionem natiui caloris, à quorum vtroque actiones proficiscuntur, declarant, si scilicet à natura sui generis euariant, tantóq; plus læsas, quantò recedunt longius.

Excrementorum consideratio indicat virtutes membrorum, & caloris natiui conditionem.

At quomodo sunt consideranda? Quæve obseruandæ sunt in illis, aut constantis, aut affectæ, vitiatæve virtutis notæ? Galenus inquit, excrementa tantùm *κτ̀ συμβεβηκὸς*, *per accidens*, conferre ad *διάγνωσιν* & *πρόγνωσιν*, *dignotionem & prænotionem*, quatenus coctionis & cruditatis indicia præbent. Ergo, in quibus consistunt illa expendendum.

Cuiuscunque generis excrementa, aut mera, puraque, atque impermixta eduntur, aut confusa, mixtáve cum aliis. Vtrorumque cruditas, vel coctio, consistit in sex rebus, substantia, quantitate, qualitatibus, loco, tempore, motu. Quoad substantiam, videndum, an naturalis sit, & speciei sui generis conueniens & congrua, an præter naturam: &, si præter naturam, an toto genere, vel sola quantitate. Nam & affecti loci conditionem, & materiæ *οὐσίαν*, *essentiam*, indicabit.

Excrementorum obseruatio, in quibus rebus consistat.

Quoad quantitatem, notandum, an seruent proportionem naturæ, consuetudini, & assumtis congruentem: an multa sint, vel pauca: an crebrò, & pluribus vicibus, copiosè vel modicè excernantur; an coagmentata sint compactaq;, vel diuulsa. De naturæ hæc robore, & materiæ copia, vel defectu admonebit.

Quoad qualitatem, considerandæ initiò primæ qualitates, vtrum, quod emanat, ferueat, vel vrat, vel calefaciat pluseulum, suauiter ac blandè, aut cum quadam acrimonia, vel humidius sit, aridiúsve.

Secundò, ceteræ, quæ ab his dependent, an crassa sint excrementa, vel tenuia: viscida, lentaque, vel friabilia: dura vel

mollia: acria & mordacia: vel hebetia ac mitia: quæque sunt eiusmodi.

Tertiò, colores an rubeant, aut rubore purpureo, aut nigricante, aut lucido, aut nitente, aut diluto aqueo: an albicent, palleántve plus minusve: an flauedinem referant, aut croceam, & saturatam, aut pallentem, aut ad rubedinem tendentem: an vireant, aut albicante viredine & diluta, aut saturata & pleniore: an nigricent, aut nigredine atra & nitente, aut suppurpurascente, aut ad fuscedinem vergant, vel obscuram glaucedinem, aut liueant. Multarum enim rerum, quoad locum affectum & morbum ipsum, signa hi dabunt.

Quoad odorem, an fœteant, vel sint inodora.

Quoad sonos, an cum stridore, strepitúve, aut sonitu, vel sine hoc erumpant: an sternutatione, sputo, emunctione narium, screatu, tussi, crepitu ventris edantur. Quoad sapores, an sint insipida; vel insit aut amaritudo, aut salsedo, aut acredo, aut acor, vel acidum quiddam, aut dulcedo, aut quiddam ex his confusum, quale, ex nausea quandoq;, ventriculo vitiosis oppleto humoribus, percipitur, cùm illi vomitu egeruntur.

Ratione loci obseruandum, an fluant ex consuetis, & à natura definitis meatibus, per quos illa ordinatè agens excrementa ducit: An ex venis sanguinem crassiorem, & rubentiorem: ex arteriis tenuiorem & flauum, ex ventriculo, si quid eructat, aut chylum, aut phlegma: ex intestinis feces, ex vesica vrinam, ex hæmorrhoidibus atrum & melancholicum sanguinem, ex naribus mucorem, ex ore sputum, ex pectore feruidos cordis halitus, & cetera educat: an verò contrà, ex venis arteriisve, vitiosum sanguinem, ex ventriculo vomitu reiiciat, aut feces, aut sanguinem, aut alterutram bilem ex pectore, aut sanguinem, aut saniem, aut lentum & viscidum phlegma, atque ita de ceteris.

Tempus innuit notationem periodorum & temporum morbi, an statis certisque periodis, & vel inordinatè, sine periodis & circuitibus, quocunque tempore: an sub initium nascentium morborum, vel augescentium, vel vigentium, vel ad exitum tendentium, & resolutionem, egerantur excrementa.

Quoad

Quoad motum, conſiderandi triplices motus, naturæ, organorum, & materiæ. Natura reiicit excrementa, vel critico motu, poſt materiæ coctionem, vel ſymptomatico. Materiæ etiam ſunt diſſimiles motus: leuis & æquabilis facilius mouetur, difficilius craſſa, lenta, inæqualis, aſpera ex arteriis inciſis, cùm impetu ſtridoreque, ſanguis in altum exilit, ex venis, ſegniore & remiſſiore fluit impetu.

Quoad organa, videndum, an tuſſi eiiciatur materia, an ſcreatu, an vomitu.

Compoſita excrementa aliquid alterius generis excrementorum admixtum habent. In talibus tum ipſa excrementa per ſeſe, tum quæ admixta ſunt, ſeu contenta, vt in alui deiectionibus, vrina, ſputo, pure, & ſimilibus, tum mixtionis ratio conſideranda.

Contenta excrementorum duplicia.

Contenta, aut ſunt κατὰ φύσιν, aut παρὰ φύσιν, *naturæ congrua aut aduerſa*. Quæ κατὰ φύσιν, *naturæ congrua*, aut ſunt perfectè, & per ſe naturalia, vt chylus, cùm maturuit, vel aliquis τῶν χυμῶν, *humorum*, naturalium, ſanguis, flaua bilis, phlegma, melancholicus humor: aut ſunt naturalia κατὰ συμβεβηκός, *ratione quadam extranea*, ſicut & antea dixi. Sub hoc genere comprehenduntur, pus laudabile, contenta vrinarum cùm menſuram ſeruant naturæ conuenientem in ſubſtantia, quantitate, qualitatibus; hoc eſt, colore, odore, figura, tempore exitus, ſitu in vrinis.

Vrinarum contenta duplicia.

Turbidarum vrinarum triplex conditio.

Duplex horum diſcrimen: Nam, aut nullam in vrina definitam ſedem occupant, ſed in totum ſparſim funduntur corpus, aut in aliqua conſidunt vrinæ parte. Illa in turbidis exiſtunt vrinis, quarum triplex conditio. Aut enim turbantur, cùm exeunt, nec repurgantur amplius, aut clareſcunt: aut à principio turbidæ ſunt, contentis diſſipatis, ac diſtributis confusè in totum liquorem, ſed aliquantò pòſt iiſdem ſeparatis, & in vnum collectis locum ſereneſcunt: aut ab exitu limpidæ ſunt, & claræ, paulò pòſt, velut cœno inquinatæ confunduntur & turbantur.

Quæ verò in certa hærent ſede, aut ſumma obſident, aut ima petunt, aut in medio, ceu ſuſpenſa volitant. Summa occupant, vel ſpumæ bullarum figura, vel pinguedo, vel circulus.

Spumæ, vel craſſæ ſunt, vel tenues, vel rumpuntur ac diſ-

ſiliunt facilè, aut difficulter, vel in tota feruntur ſparſim ſuperficie, aut parti, vel coronæ innatant.

Pinguedo, inſtar iuſculi pulli, vel oculi boum, aut telæ aranearum conſpicitur. Circulus vel corona bullis ſubiacet, & infra ſuperficiem, conſiſtit in vrinis illorum, quibus, calore igneo ſolidarum partium ἡ σύμφυτ☉ ἰκμὰς, aut ὑγρότης, aut ὕλη, *humor inſitus, aut humiditas, aut materia*, ſicut Galenus appellat, vel οἰκεῖα τροφὴ, *familiaris alimonia*, diſſoluta liqueſcit, ac defluit.

Quæ in vrinæ corpore, ceu ab æquilibrio pendent, aut, in toto æqualiter vrinæ corpore, volitant, inſtar atomorum, & tenuium atque inſectilium corpuſculorum, qualia in radiis Solis, per anguſtas rimas penetrantibus, fluctuare conſpicamur. Hæc partim in fundo reſident, partim medium tenent, partim ex alto ſeſe librant, &, vrina mota, agitantur: aut in vnum deuoluta conſidunt locum. Prope ſuperficiem, parte ſuperiore ſubtus coronam, verſus medium eminent νεφέλαι, *nebulæ*, medium habent ἐναιωρήματα, *ſublimia, ſeu ſublimamenta*, fundo incumbunt ὑποστάσεις & ὑφιστάμενα, *ſubſidentia & ſedimenta*, quæ varia ſunt, & ad contenta παρὰ φύσιν, *non naturalia*, pertinent propriè, vt & coronæ. Reliqua contenta, ſi (vt dixi) non excedunt præfinitos limites, ſub hoc genere naturalium contentorum κατὰ συμβεβηκὸς, *per accidens*, locum habent. Sua natura enim non ſunt de vrinarum ſubſtantia, cùm naturales vrinæ contentis carere debeant.

Contenta excrementorum præter naturam.

Contenta παρὰ φύσιν, *præter naturam*, aut toto genere ſunt, præter naturam, vt in alui excrementis vermes, in vrinis caruncula, ſquamæ, arenæ, calculi, furfures, capilli, orobacea, contenta. κερμνώδη, πεταλώδη, πιτυρώδη, id eſt, *farinæ craſſiori ſimilia, ſquamea, furfuracea.*

Aut non ſunt toto genere præter naturam, ſed ſpeciei ſui generis aliquo modo reſpondent: degenerarunt verò, vel, quia ob naturæ, calorisque ex imbecillitate defectum, eum non adipiſcuntur ornatum, qui conuenit: vel, quia alieni & non analogi caloris vehementia plus æquo vſta, priuſquam illum conſequantur, in alienam transeunt formam.

Ex immoderantia, excrementis alui, aut vrinis, aut ſputo,

aut eructatis vomitu, aut tumoribus, atra, liuida, flaua, viridia, adusta, concreta miscentur contenta.

Quæ defectus parit, vel inchoata certi alicuius humoris referunt lineamenta, vt humores sunt pituitosi; aut similes loturæ carnis, flatus, sanies, in vrinis, excrementis, sputo: vel his carent, vt pleraque cruda contenta.

Horum tantò longius quæuis à natura recesserunt, quantò plus à naturalibus substantia, quantitate, qualitate, & ceteris dissident.

Quantum ad mixtionis rationem, videndum, an sint contenta, siue ex humorum, siue flatuum, siue rerum, toto genere, secundum aut præter naturam: an, inquam, in totam infusa sint, ac distributa excrementorum massam & substantiam, vt eam velut inuoluant & tingant: an verò, aut forinsecus adhæreant superficiei, aut prodeant separatim, & vel antecedant, vel consequantur: aut partem tantùm occupent: aut inclusa sint ad eum modum, vt abdita lateant: aut velut iuncta notabili discrimine, in vnum coaluerint corpus. Nam & ad affecti loci, & morbi cognitionem, attenta harum rerum obseruatio non parum momenti adfert. Quæ sint contenta κατὰ φύσιν, *secundum naturam*, quídve, quæ ab his, aut vno, aut pluribus antè positorum graduum variant, designent, Medicorum libri docent, qui consulendi sunt.

Restant accidentia corporis, quæ tertio loco posuimus, secuti Galenum, qui, etsi aliàs aliter de signis differit, tamen has ipsas tres differentias constituit, vbi considerare iubet τὰ ἐμφαινόμενα ἐν τοῖς οὔροις, διαχωρήμασι, πτυέλοις, ἱδρῶσι, καὶ τὰ ἀνευρισκόμενα ἐν ταῖς διαθέσεσιν ὅλου τοῦ σώματος, καὶ τὰ ἐμφαινόμενα ἐν ταῖς φυσικαῖς καὶ ψυχικαῖς ἐνεργείαις: id est, *quæ in vrinis apparent, alui deiectionibus, sputis, sudoribus, quæque reperiuntur in affectionibus totius corporis, ac quæ apparent in naturalibus & animalibus functionibus.* *Accidentia corporis.*

In horum examine & consideratione, ordiendum à quantitate totius, vel partium: Vbi considerandum, an natiua ea sit, vel acquisita, aut aliunde orta: & si natiua, an iusta sit, & σύμμετρος, *attemperata*, vel iusto minor maiórve; si maior, an sit magnitudo à robore naturæ, & copia materiæ, an verò tantùm à materiæ abundantia. *In accidentibus corporis quæ consideranda.*

Si aduenticia sit, an totum occupet corpus, an verò vnam tantùm augeat partem, aut aliquas.

Totum tumefit corpus, velut in ὄγκον, *tumorem*, auctũ atq; eleuatum, vel ob εὐεξίαν, *bonam habitudinem*, & habitũ εὔσαρκον, *carnosum*, musculorum ex πληθώρᾳ, *æquali humorum redundantia*; *vel* καχεξίαν, *malam habitudinem*, ex κακοχυμίᾳ, *vitiosi humoris copia*, aut flatibus, vt in λευκοφλεγματίᾳ, *in hydrope, cùm per vniuersam corporis molem humor pituitosus diffunditur*: aut inflationem distensionemque cutis.

Singulæ partes intumescunt κατὰ φύσιν, & παρὰ φύσιν, *secundum & præter naturam*, vel concauis meatibus πλεονεξίᾳ, *abundantia*, humorum flatuúmve distentis: ita venę πληθώρᾳ, *plethora*, aut κακοχυμίᾳ, *cacochymia*, diducuntur, arteriæ distenduntur flatibus, aut crassioribus spiritibus: vel membranis, aut pinguedine copiosiore obductis, atque in molem ampliorem auctis, aut ex affluxu collectioneque humorum, flatuum, aut carnis, vel membri alicuius auulsu illapsuque turgescentibus, vt in Ascite, Tympanite, tumoribus, quos ἐμφυσήματα, *inflationes*, vocant, ramicum differentiis, vt πνευματοκήλη, σαρκοκήλη, *ramice flatulento*, *carnoso*, & similibus: vel membris ipsis, membranisve, quæ integunt ea, tumore præter naturam obsessis.

Quantitatem qualitatum excipit pensitatio. Considerandus autem primò habitus, tum corporis, partiumve, an sit εὐμετάβλητος, *facile mutabilis*, vel δυσμετάβλητος, *difficilis mutatu*, rarus, vel densus, compactusque: tum morbi, an sit fixa, permanens, & confirmata ægritudo, an verò solutu facilis.

Secundò qualitates primæ explorandæ, quæque harum mixturam consequuntur proximè: an caleat corpus, frigeatve, vel aridum sit, aut humectum, durum vel molle, asperum aut leue.

Tertiò colores, rubeátne, aut palleat, aut vireat, vel nigricet, aut liuorem referat, vel flauedinem aut puram, aut ad pallorem declinantem. Respondet enim color, in corporis superficie conspicuus dominio humorum, nisi in profundum demersi, longius à cute absint.

Sonitu; aurium tinnitus, strepitúsq;, dentium stridorem, voces inconsultò, & sine deliberatione, velut per errorem

emissas

emissas complectimur, vt saporibus ea, quæ in lingua sentiuntur, saporum discrimina.

Ad figuram pertinent illa Hippocratica, nares acutæ, oculi concaui, collapsa tempora, frigidæ contractæq; aures, & imis partibus leniter versæ, forma decubitus, ægro, aut dextro, sinistróve lateri incumbente, brachiis, ceruice, cruribus aliquātulum reductis, vel prorsus extensis, eodem, ex imbecillitate, prolabente, vel deuoluente sese ad pedes. Ratione loci videndum, an dolor in exterioribus consistat, vel intrinsecus, dextráve parte, an sinistra.

Ratione temporis, an continuò affligat, vel per interualla, & ea an stata seruet ac periodica, vel non. Ratione motus, an velociter moueatur ægritudo, vel tardius.

Restat ex duobus initiò constitutis signorum fontibus alter, quo signa complector, extra rei quidem essentiam posita, non negligenda tamen, vt quæ ad illa priora procreanda, mutanda, acuenda, remittenda, & omnino, ad afficiendum corpus vniuersum, non parum habent momenti. Ea suppeditant res non naturales. *Alter signorum fons.*

Primò, aër, quem necessariò haurimus, quo carere, dum spiramus, nequimus, qui, subito & ineuitabili motu raptus atq; absorptus, in præcipua fertur membra corporis, eaque suis imbuit qualitatibus. Variat hic, secundum regionum naturam ac diuersitatem, anni tempus, & quæ in distincta anni tempora incidunt, menstruas, diurnas, & pænè horarias, mutationes cœli. *Res non naturales.* *Aer variat iuxta regionum & temporum naturam.*

Secundò, Diæta vel victus ratio, quæ cibo constat, & potu, in quorum vtroque, multum pollet aqua, quæ qualis sit, non parum refert. *Aqua in victu plurimum pollet.*

Tertiò, Exercitia, præterea euacuationes superfluorum, vel spontaneæ, & à natura institutæ, ac peractæ, vel medicamentis prouocatæ: aut eædem, vel inhibitæ ac retentæ, ex naturæ aliquo errato, aut intermissæ à nobis: Animi affectus, lætitia, tristicia, curæ, somnus, & vigiliæ.

In his valet plurimùm, immò dominatur, consuetudo, quæ Hippocrati est ἐπίκτητος φύσις, *acquisita natura.* *Consuetudo in exercitiis plurimum valet.*

Nec parum de morbo, conualescentia, viribus ægri, abundantia humorum, assumtas ex prioribus notis coniecturas confirmat, nosse, cui quis diætæ assuerit, somnóne in-

dulserit, eique vel diurno vel nocturno, aut plus vigilarit; quas natura sponte moliri euacuationes, quas irritare quiuis, ac commouere pharmacis consueuerit; quibus studiis quis laboribúsve animi aut corporis, vires intenderit, quaq; in ea vehementia & assiduitate incubuerit; quibus sit affectibus corripi solitus, quos aluerit. Tanta horum vis est, & in afficiendis corporibus efficacia, vt longiore continuata tempore in naturam abeant.

Recensui signorum discrimina, & monstraui vtcunque fontes, ex quibus conspicuum est, atque euidens, σημειωτικὴν Medicorum, veram, eruditam, & necessariam esse Physicam, alienissimam à commenticiis præstigiis, immò vnà cum arte tota monstratam & explicatam diuinitus. Ceteras disputationes, vtra signa præstent, & erudiant certius quibus niti ac fidere potius Medicum deceat, hoc in loco omitto.

Tria genera morborum in humano corpore.

De morbis ipsis pauca adiiciam. Etsi quidquid morborum infestat homines, omne ex genere est τῶν παρὰ φύσιν, *eorum quæ sunt præter naturam*, non oriuntur tamen omnes, nec cientur à causis physicis, neq; externis, neq; internis, sed ab his quidem plurimi existunt, ac frequentissimi, ea scilicet analogia causarum ad subiecta, quæ est ab actione contraria naturæ ipsorum; multi verò alij reduci ad causas naturales euidentes nullas possunt. E quibus aliqui ἀναπολόγητοι, *ratione carentes*, prorsus sunt, quorum nulla potest demonstrari causa; nulla reddi explicariq; ratio physica. Aliqui, specie & symptomatis præ se ferunt compositum quiddam, ex physicis & causarum conspicuarum expertibus. Hæc tria genera affectionum, in corporibus humanis considerari ac discerni, necesse est.

Morbi primi generis.

Primi generis sunt tum morbi, qui vt διαθέσεις παρὰ φύσιν, *affectiones præter naturam*, aut temperamentum qualitatum primarum exuperantia per sese, vel simul ratione materiæ subiectæ: aut compositionem ac structuram, mutata figura, magnitudine, numero, positu partium, aut continuitate dissoluta vel diuulsa viciant actionibus eo vicio, aut labefactatis, aut deprauatis, aut destructis. Tum, qui tota substantia oppugnant naturam & substantiam, aut corporis totius, in fonte vitæ, corde præcipuè, aut in partibus singulis,

lis. His singulis enim sua inest substantia, & forma specifica, vt rebus creatis omnibus, cum proprietatibus singularibus, siue à forma cuiusq;, siue à tota materiæ & formæ cõpositione, cum accommodata cuilibet speciei temperie primarum qualitatum, & facultate actionum effectrice propagatis, siue intextis atq; innexis ab exortu primo creatoris sapienti consilio, & omnipotenti iussu, quas vis & efficacia cœlestis luminis fouet, & conseruat, intendit etiam, ac roborat, vel contrà laxat & eneruat, cùm per se, suaq; vi, positu diuerso, tum pro materiæ subiectæ conditione. Nullas enim nouas species procreat natura, neque ætherea seu cœlestis, neq; elementaris: nullas rerum proprietates nouas. Ordinata enim sunt omnia, & ordine diuinitus instituto gubernantur. Suntq; vana omnia, & inania, quæ de cœli virtute & efficacia, in rebus, aut viribus nouis, quoquomodo pariendis aut conformandis disputantur. Nugæ sunt, immò in Deum blasphemiæ, quæ de emissis, astrorum lumine ac vi, formis rerum nouis, in ea, quæ putredine producuntur, aut arte effinguntur, aut quæ, de nouis rerum viribus Auerrhoistæ somniant, & Magi.

Creata à Deo lumine cœlesti fouentur.

Creata à Deo, eo ordine causarum, actionum, & effectionum, quo sunt condita, foueri ac conseruari cœli lumine, minimè dubium est. In quibus, etsi causæ ordinatæ aberrant quandoq; excessu, aut defectu, quandoq; commixtione inter se, aliena, vel infausta, siue cœlestes sint, siue elementares propinquæ, vnde nouum aliquid, & insolitum enascitur externa forma, aut viribus, aut distortum quid, prauum, confusum, specie tamen alia noua, ac diuersa à creatis, & viribus diuersis ab iis, quæ creatæ semel sunt, tali errore naturæ, aut commixtione causarum nihil gignitur. Corrumpi species, aut confundi, ac vires etiam conflari in tertium aliquod cum naturis possunt. Integræ nouæ species procreari, aut procudi vires nouæ non possunt. Agunt enim cœlestes causæ in elementaria, sed ordinatè, sicut prima causa instituit, & liberè gubernat. Ideoque, & quæ putredine generantur, suas metas habent definitas diuinitus, & putredo non omnis gignit, sed alia dissoluit, ac dissipat mixtum: alia ex prioris destructione, producit noua mixtione aliud, siue animatum ac viuum, è quo genere sunt lumbrici, scarabei, lucani, muscæ, culices, &c. siue inanimatum, vt

lapides, ligna, pili, &c. Vt itaq; res singulæ sua substantia, forma, viribus, & proprietatibus; sic & corpus humanum, & in eodem, partes distinctæ singulæ conditæ sunt ad distinctas actiones, & cuiq; membro, proprias, quas illud tamen expromere nequit, atq; vsurpando exercere, nisi ἐντελέχειαν, *agitationem perennem*, & perfectionem hauriat suam ex corde, per calorem & spiritum viuificum, quo expletur ac perficitur, quod deest viribus, sicut, calore solis viuifico, virtus plantarum perficitur, vt fiat idonea, & valida satis germinibus ac fructibus promendis & maturandis. Nec edit quodlibet membrum promiscuè & confusè actiones quaslibet, sed suas quodlibet, ac proprias, ad quas sua substantia, forma, temperamento, viribus, ac proprietatibus conditum est, sicut arbor non parit, nisi suos fructus. Aliæ cordis, aliæ cerebri sunt actiones propriæ, aliæ iecoris, etsi sine cordis viuifico calore & spiritu, nec cerebrum fungitur munere suo, nec iecur.

In natura multa agunt κατὰ συμπάθειαν & ἀντιπάθειαν.

Quemadmodum autem singula membra corporis humani sua habent propria, in substantia, & viribus, ex primæ commixtionis ac conformationis ratione, sic & in rerum natura, reperiuntur plurima, quæ, vel similitudine, cognationeq; substantiæ ac proprietatum, κατὰ συμπάθειαν, *ex conuenientia & consensu naturæ*, fouent, roborant, tuentur, & conseruant totum, & partes: vel contrariis viribus κατὰ ἀντιπάθειαν, *ex naturæ discrepantia*, eadem infestant, corrumpunt, aut perimunt, aut naturæ infestis & contrariis enecant vel eiiciunt. Idq; præstant aliqua, viribus manifestis, seu euidentibus qualitatibus: Aliqua abditis atque occultis, non sensui tamen, atq; experientiæ, sed rationi Magistræ. Nec tunc etiam, quantum ad τὸ εἶναι, *essentiam*, sed quoad τὸ τί ἦν εἶναι, *naturæ seu substantiæ essentiam*, scilicet, quæ sit illarum occultarum virium origo, quæ forma, & ratio. Substantiæ enim totius esse, aut à tota prouenire, siue ab eius occulta proprietate dicuntur, quæ, virtutis & efficaciæ ratione, formæ specificæ propiora, quàm materiæ, causas tamen euidentes & conspicuas, neq; in sensui obuiis, neq; in temperamento abditis, neq; in modo substantiæ habent: Eoq; nec sapore, nec odore, nec tactu, nec vllo deniq; sensu explorari & iudicari propriè possunt, sed, vna obseruatione & experientia, præ-

præuio quidem ſenſu in notatione effectorum: ratione verò duce ac magiſtra, tempore multo, ex perpetua effectorum congruentia deprehenduntur. Galen. 5. de ſimpl. facult. duplicem facit ἀλλοίωσιν, *alterationem*, vnam qualitatum, alteram ſubſtantiæ. Et, in eodem libro Alexiteriorum duplicem ſtatuit naturam, vnam ἀλλοιωτικὴν, *alterantem*, alteram κενωτικὴν, *vacuantem*: ἀλλοιωτικὴν, *alterantem*, quidem, vna duabúſve qualitatibus, aut κατὰ τὰς ὅλας οὐσίας, *ſecundum vniuerſas ſubſtantias*, mutantem; κενωτικὴν, *vacuantem*, verò, venena, aut lethalia pharmaca pellentem ſimilitudine totius ſubſtantiæ, & calore cum partium tenuitate coniuncto. Totius enim ſubſtantiæ proprietate quadam occulta, κατ' ἀντιπάθειαν, *ex naturæ diſcrepantia*, humanum corpus infeſtare, &, ſi modum exceſſerint, enecare cenſet lethalia pharmaca, & venena, quæ Dioſ. lib. 7. cap. 1. ad ἀναιτιολόγητα, *quæ ratione & cauſis carent*, refert, inquiens: ἀναιτιολόγητα εἶναι τὰ ἀπὸ τῶν ἰοβόλων, καὶ τῶν θανασίμων συμβαίνοντα φαρμάκων: *id eſt, cauſarum expertes eſſe affectus eos qui à virulentis animalibus, veneniſque contrahuntur.* Eodem pertinent Galeno & καθαρκτικὰ, *purgantia*, propriè dicta, & ἑλκτικὰ, *trahentia*, quædam. Quæ tota ergo ſubſtantia agunt, aut immutant, aut educunt, aut ſimilitudine & cognatione occultæ proprietatis κατὰ συμπάθειαν, *ex conſenſu naturæ*, aut contrarietate, κατ' ἀντιπάθειαν, *ex naturæ diſcrepantia*.

Euacuant aut καθαρκτικὰ, *euacuantia*, propriè dicta, vt helleborus, ſcammonium, Agaricus, Rhabarbarum, Turpetum, colocynthis, hermodactyli, folia ſenæ: &c. Aut ἀντιφάρμακα, *quæ venenis reſiſtunt*. Illa, totius ſubſtantiæ familiaritate quadam, cognatum naturæ ſuæ ſuccum trahunt; bilem alia, alia humorem melancholicum, alia pituitam. Ab his enim ventriculus, noua & aliena quaſi imbutus qualitate, etſi vi ſua, velut aliena manu tamen attrahit vnum, aut plures humores, pro catharctici natura, aut commixtione cum aliis. Naturale eſt enim ventriculo, alimentum ex ore detrahere, quod in chylum commutet, ſed à catharctico, vbi hoc incaluit, vimque ſuam exeruit, fit ceu violenta impreſſio in ventriculum, qua cogitur cum medicamento, vel à capite & pectore, vel à meſaraicis, epate, ac venis totius violenter retrahere. Nec ſi conſtet viribus, valeatque prius ceſſat,

quàm efficacia medicamenti exoluta & consumta, irritare vim faciendo desinat. Ἀντιφάρμακα, *antipharmaca*, venenum, aut lethale medicamentum, similitudine substantiæ exugũt euelluntq;, vt lac σχιστὸν *schistum, id est, scissile*, agaricus, pulli gallinacei, si dissecti & calentes, parti percussæ applicentur, Scorpius vulneri à se facto impositus, Radix arundinis & dictamnum spicula euellens.

Quæ verò alterant, immutántve tota substantia; eorum quædam cognatione, ac similitudine, naturam iuuant ac roborant, qua ratione, pœonia, radice & semine cerebro grata est, aduersus epilepsiam: cordi amicũ est buglossum: Iecinori Eupatorium: Lieni Asplenum: Cinis hirundinum vstarum, & albi canis stercus anginæ: vulpini pulmones asthmati: colicis doloribus cingulum è lupi intestino: calculo hircinus sanguis medetur. Et simili totius substantiæ dissidio, lepus marinus pulmones solos: cantharis renes solos exulcerat. Quædam abdita proprietate totius substantiæ, aut totam substantiam immutant, ac destruunt, aut rem destruentem auferunt enectu vel eductione. Horum illa sunt δηλητήρια, quæ & θανάσιμα, καὶ θανατώδεα, & φθαρτικὰ, ἢ φθοροποιὰ, *venena, seu toxica, quæ & lethalia, mortifera, interitum afferentia*, sunt ac vocantur: hæc, Ἀντίδοτα καὶ ἀντιφάρμακα, *remedia contra venena & venenis resistentia*. Deleteria totius substantiæ antipathia ac repugnantia corporibus humanis aduersantur, vt dryopteris, pithyocampe, argentum viuum, Aconitum, Napellus, & alia. Venena itidem scorpij, phalangij, viperæ, aspidis, rabidi canis, & similia. Antidota verò, & Antipharmaca venena, ac deleteria, vel extinguunt, vel eiiciunt è corpore humano. Sunt enim duorum generum. E quibus Ἀλεξιφάρμακα, *alexipharmaca seu remedia aduersus venena*, resistunt deleteriis: Ἀλεξητήρια, *alexiteria, seu amuleta*, venenis, veneno infectis, & pestilentibus. Vtrum autem totius substantiæ antipathia, & contrarietate infensam, noxiamque corporibus malignitatem frangant, profligéntve, aut extinguant: an verò, similitudine quadam, rapta ad sese proturbent, & egerant è corpore, catharcticorum more, de eo quæstio est.

Catharctica & antiphar- Galenus vtraq;, & catharctica, & antipharmaca statuit substantia & viribus media, inter ipsa corpora, & inter con-

trariam

trariam his malignitatem humorum, medicamentorum, & venenorum, tali ratione; vt quæ corporum est analogia, ad medicamen, seu catharcticum, seu antipharmacum, ea sit huius ad contrariam malignitatem. Et econuerso, quæ analogia est malignitatis ad medicamen, ea sit pharmaci ad corpus humanum. Cùm autem malignitas, & humorum viciosorum, & venenorum, ac lethalium pharmacorum corpori extremè sit aduersa atq; infesta: aliter tamen humorum corruptorum, si absit venenata malignitas; aliter venenorum & deleteriorum, si medicamentum illud euacuatis substantiæ simile est: sequitur necessariò, vt non minus infestum sit corpori præsidium, quàm ipsa rei noxiæ malignitas. Ideo Galenus dissidium & repugnantiam, inter naturam corporum, & catharcticorum, atque antidotorum sic moderatur, vt medium his quiddam tribuat inter extremè noxia, & sua natura salubria, cùm inquit: Καὶ μὴν δὴ καὶ ἐστὶν ἐναντία πως, οὐ μὴν εἰς τοσοῦτον γε, ὡς ἀναιρεῖν, ἀλλ' ἐπαμφοτερίζειν μᾶλλον ἐν τῷ μέσῳ καθεστηκότα τῶν τε βλαπτόντων ἄντικρυς τὸ τοῦ ζώου σῶμα, καὶ τῶν ὠφελούντων: *id est, Ac sunt illa quidem naturæ aliquo modo contraria, sed non adeò huic repugnantia, vt perimant: sed in vtrorumq; confinio, mediam quandam naturam possideant, inter ea, quæ manifestè animantis corpori nocent, & salubria sunt.* *maca media inter corpus & malignitatem cont.*

Alterantium obscurior ratio est, in quibus, si contrarietas totius substantia vim veneni enecat: vis veneni verò tota substantia, inimica est corpori humano, sequitur, summam esse, inter corpus humanum, & medicamentum malignitati contrarium, similitudinem. Nec vinci, excutique venenum aut superari, atque confici aliter, quàm robore naturæ aucto, per præsidium simile, eoque medicamentum omne catharcticum & antipharmacum, ex ea similitudine, alimentum potius esse, quàm medicamentum. At refragantur ratio & experientia, quæ ostendunt & conuincunt pharmaca dicta, si non reperiant obiectum conueniens suæ naturæ, & actioni, inferre vim corporibus, quod de catharcticis certum est: de Antipharmacis verò Galenus etiam admittit: τὰ τοῖς δηλητηρίοις ἐναντιούμενα σχεδὸν ἅπαντα πλείω ληφθέντα μεγάλως ἀδικεῖ τὸ τοῦ ζώου σῶμα: *Ea, quæ venenis aduersantur, ferè omnia, si maiore assumantur copia, valde animantis corpus affligunt.* Si ergo alterantia

alexiteria, contraria vi venenum extinguunt, & ſimul etiam infeſta ſunt, ac noxia humano corpori, quæ eorum, & corporis inter ſe ratio eſt? Galenus vt dixi, eodem illa loco habet, quo catharctica. Nimirum vt contraria & cognata corpori humano: Contraria quidem, quatenus aduerſa ſunt, & inimica corpori, extra ἀναλογίαν ποσότητος, *proportionem & menſuram quantitatis*: cognata verò, quatenus cum natura pariter oppugnant, & demoliuntur noxiam malignitatem. Sed certo demenſo, ne vel menſura, maiore iuſto lædant naturam, vel imbecillitate, & paucitate ſuccumbant. Sicut Opium calori natiuo καθ' ὑπερβολὴν, *in nimia copia*, nocentiſſimum, æſtuanti parti, ex calido veneno, fit gratum & ſalubre, ſed moderata tamen, & parti attemperata menſura. At non eadem eſt contrarietatis ratio, in totius ſubſtantiæ, ſeu proprietatis abditæ repugnantia, quæ in qualitatum manifeſtarum. Hæ enim, pondere exiguo medicamenti parum agunt, ac ne quidem vi veneni nocent. Ἐναντίωσις, *contrarietas & repugnantia*, verò totius ſubſtantiæ, quacunque menſura, eadem, & ſui ſimilis ſemper eſt, eodemq; modo nocet, etſi plus nocet maiore, minus maiore demenſo. Iure igitur dubitatur: an ſit Antidotum ſeu Antipharmacum, quod tota ſubſtantia venenum profliget, aut perimat.

Oritur & de euacuantibus dubium. Galen. 5. de ſimpl. facul. inquit: πᾶς δηλητήριος ἰὸς ὑπὸ τῶν ἔξωθεν ἐπιτιθεμένων ἐκκενοῦται φαρμάκων, οἷον ἤτοι θερμότητι τὴν ὁλκὴν ποιουμένων ἢ τῇ τῆς ὅλης οὐσίας ὁμοιότητι: *id eſt, omne deleterium venenum euacuatur à medicamentis, quæ foris applicantur, id nempe aut caliditate attractionem molientibus aut totius ſubſtantiæ ſimilitudine.* Et primo, de naturalibus facult. inquit: Non ea modò, quæ purgant proprias ſibi qualitates attrahere, ſed etiam quæ ſurculos euellunt, ac ſpicula altè nonnunquam in carnem adacta, & quæ venena trahunt. Item: Non ſolùm alia ſurculos, alia venenum trahendi vim habere, ſed ea etiam, quæ venena ſugunt, alia venenum viperæ, alia marinæ paſtinacæ, alia alterius cuiuſpiam trahere. Si ergo Antipharmaca foris admota, attrahunt ad ſe venenum, ſimilitudine naturæ, quid faciunt intra corpus aſſumta? Attrahunt, inquies. Si attrahunt, venenum ergo attractum eiicietur vomitione, aut deiectione alui, vt in vſu purgantium. At frequentius, κατὰ διαφόρη-

φόρησιν, *per discußionem ac resolutionem*, dissipatur sudore, per habitum corporis, & cutem, quo quidem, vt cùm prouocetur externis, tum protrudatur internis remediis, Medici omni cura dant operam. Deinde hæc attractio non fieret, absq; vitę discrimine, quia venenum, aut ad interiora, & cordi proxima adducitur, aut ad cor ipsum, si eidem antipharmaca applicentur, vnde summoueri debet, arcerique, quantum fieri potest, maximè. Videntur itaq; Antipharmaca interius non trahere, sed, obuiando, ab internis repellere atq; excutere venena. Si intus exigunt assumta occursu, foris autem illita, aut quouis alio modo admota, ex imo eruũt, quæ est ratio diuersitatis? Sunt, inquies, Antipharmaca alia, quæ exterius applicata, familiaritate naturæ vacuant simile & cognatum, vt lac χιστὸν, scorpius, dissecti gallinacei, radix arundinis, Alexiteria ad viperarum, dipsadum, cerastarum virus: alia, quæ assumta interius elidunt ac perimunt vim veneni. At rursus, sunt alia etiam, vt Theriaca & Mithridatum, quæ vtrobiq; interiore & exteriore vsu, à venenis liberant. Ea, si foris imposita euocant è profundo, quæritur adhuc, qua & ista, & illa priora hausta, vel deuorata vi, venenum morsu punctúve, aut illitione instillatum exigant ex imo corpore. Si tractione enim educunt, ad se rapiunt venenum intrò intentione & actione illi, quæ foris fit contraria.

Res tota obscurà est. Causa obscuritatis præcipua est, quòd nec formæ in naturis τῶν ἐνεργειῶν ποιητικαὶ, *functionum effectrices*, nec δυνάμεις, *vires*, harum, & facultates omnes, quę cum illis conformatæ eisdem proximè cohærent, & in quibus συμπάθεια καὶ ἀντιπάθεια, *consensus & discrepantia naturæ*, rerum formalis, ἐνεργητικὴ *efficax*, præcipuè consistit: Illa abdita scilicet, quæ non se profert qualitatibus manifestis secundis, vel in modo substantiæ, conditioneq; materiæ, existentibus δυνάμει ἢ ἐνεργείᾳ, *potestate aut reapse*, vel in primarum qualitatum inter se temperie, vel vtrarumque ad mixtum coaptatione, qua, primarũ qualitatum formalium vis, aut refringitur, aut acuitur: sed suis actionibus & effectis propriis, quorum in his causa nec apparet sensui, neç indagata ratione inuenitur: Illa ergo omnia, quòd nec peruestigata integrè sunt, nec conspicitur, nec scitur, quæ ipsorum, in prima subiecti origine, velut fonte, ratio formalis sit,

Venenorum deleteriorum pestilentium, quæ varietas & ratio.

Mm

quæve, & ad quas species alias formarum aut proprietatum formalium *ἀναλογία, proportio*, & consensio sit: à quibus dissentiunt illa, hostili ac peremtorio dissidio, quo se mutuò conficiant, iugulántve, aut ab aliis liberant, ac seruant. Si res rectè perpendatur, tam consensio ac familiaritas fouens, quàm malignitas omnis destruens, siue venenata, siue *φαρμακώδης, venefica*, sit siue pestilens, aut creata ab initio, rerum creatarum substantiæ ac naturæ inest, illi vt innata, sic propria, eoq; est *κατὰ φύσιν, secundum naturam*, vt rectè Plato, de lethalibus venenis ac medicamentis censuit, & idem rectè ab hac vires *καταδέσεσι καὶ ἐπῳδαῖς, astrictionibus & carminibus magicis*, induci creditas, tanquam alienum quiddam à natura, *καὶ παρὰ φύσιν, & contra naturam*, prorsus secreuit: aut in orbe elementari, cietur & efficitur ad illius creatæ similitudinem, vel corruptione aliqua, à lumine cœlesti, vel putredine, ex elementaribus causis orta, cuius magna est & mirifica varietas, omninoq; inexplicabilis, vel arte ex natura venenatis. Natura venenata aut lethalia sibi ipsis talia non sunt, sed his, aut vt suæ naturæ propriis existunt, conseruantur, ac vincunt, aut sese expurgant, tanquam à recrementis. Iis autem venenata sunt & lethalia tota substantia, ad quæ aliqua analogia, habent *ἀντιπάθειαν, naturæ discrepantiam*, formalem, ratione virium, & actionum contrariarum ac perimentium, qua cùm non ad omnes naturas, eodem modò affecta sint, non omnes etiam aut simul, aut eadem pernicie impetunt. Anates & Pauones serpentibus, viperis, bufonibus, & venenatis aliis tutò vescuntur, hisque aluntur. Eadem illa, certa hominibus venena sunt per se. In anatum, & pauonum carne & esu non sunt. Contagia venenata præter naturam semper sunt, cùm in eo subiecto, in quo, corruptione aliqua, frequentius putredine gignuntur, tum cui communicantur vtraque, tam natura, quàm ex putredine venenata, lethalia aut pestilentia, & contagio putredinis, etiamsi eodem modo propagantur, aut contactu scilicet, aut fomite, aut halitu, aut alteratione medij continua: & quæ, corruptione aut putredine gignitur malignitas, etsi eandem habet, ad analoga corpora, *ἀντιπάθειαν*, quam quod venenum est natura, tamen contagium omne ferè in corpore infecto gignit sui simile. Venenum corrumpit tan-

tantùm, & interimit, nec, nisi corruptione, aut putredine contagiosa propagatur aut transmittitur in aliud, sed tunc alia, & noua specie. Prior enim, dum suam naturam conseruat, idem agit, in corpore, cui communicatur, quod ex suo subiecto; sed ex commixtione, cum corrupto corpore mutat naturam, & vires, pro subiecti, & corruptionis, vel putredinis ratione.

Remediorum malignitati medentium quæ ratio.

Vtriq; malignitati, tam à naturalibus rebus, quàm à corruptis, aut putrefactis profectæ, quò citius occurritur, priusquam sese confirmet efficacia sua, ac penetret, tantò facilius subuenitur affecto Occurritur autem, si Galenum, sequimur, remediis tota substantia tum immutantibus, tum euacuantibus. Nam, nec omnis malignitatis, neque huic aduersæ facultatis antipharmacæ, eadem in omnibus forma & ratio est. Quandoq; enim malignitas, suo cum subiecto adest, vt in venenis, quæ morsu punctúve immittuntur, aut quæ deuorantur, vel bibuntur: quandoque halitu maligno, aut qualitate sola penetrant. Illa, non nisi educta substantia tollitur, siue in suo sit subiecto, siue humoribus iam impressa: hæc immutata, vel cum halitu suo etiam, aut spiritu, in quo est discussa ac dissipata. Quæ enim partem aliquam ita infecit & obsedit, vt corruperit, eximi nisi præcisa parte nequit. Hoc propter Galenus Antidotorum duo genera facit, vnum educentium, quod malignum est: Alterum immutantium. Vis attractrix, si est in alexiteriis talis proprietas, qualis est in magnete vis trahendi ferrum, ratione similitudinis cuiusdam, rectè illa quidem substantiæ toti tribuitur: Similitudo tamen identitas non est, seu vna eademque species, nulla re, nisi numero differens. Alioquin ferrum attraheret ferrum: Sed analogia tantùm quædam inter se est formarum, quam sequitur attractio vnius ad alterum, sic vt attrahat id, quod forma speciei, & viribus excedit: attrahatur, quod deficit. Vnde alexiterium, parte tantùm aliqua, veneno simile est, qua rapit illud, non per omnia tamen, cùm propter rationem antè expositam, tum, si omnino simile esset, perniciem afferret, non salutem. Sequuntur ex iisdem & alia. Si enim alexiterium, aliqua parte, veneno aut deleterio simile est: vtrumque autem, tota substantia corpori

humano infensissimum: sequitur, quòd tantò cognatius est atq; conformius corpori alexiterium, quantò à similitudine alterius longius abest. Quò enim quantoque ab altero contrariorum dissidet, eò tantoq; se alteri assimilat. Deinde quòd alexiteria media sint, inter humanum corpus, & inter venenum ac deleteria, proportione inter extrema ad mediũ tali, vt, qualis est, inter corpus humanum & antipharmacum talis sit inter antipharmacum, & aduersam malignitatem veneni aut deleterij. Deniq; quod antipharmacum assumtum si inueniat simile sibi in humano corpore, illud abripiat, ac vindicet hominem ab interitu. Si non inueniat, cùm sit, aliqua ex parte naturæ dissimile, malignitati verò simile, lædat malignitate naturam: Et si validum sit, interficiat. Si inueniat, sed sit quantitate & viribus ipso potentius, moueat id quidem, non tamen euellat. Si superet repertum, vim rursus naturæ inferat.

Diuersitas virium in alexiteriis & alexipharmacis.

Ex hoc ipso, detexi etiam ratio aliqua potest eorum, quæ experientia declarantur, quòd maligna venenorum, aut deleteriorum vomitione etiam, aut alui deiectione, hausta maxime aut deglutita exturbantur: quod ex imo corporis, ad ambitum expulsa, aut in humores præter naturam, vt gangrænas, phagedænas, carbunculos, &c. erumpunt, aut διαφορήσει, *discussione ac resolutione* & sudore consumuntur: quod affrictu aut illitu, à principibus partibus ad ignobiles alias: ab internis ad exteriorem corporis ambitum reuelluntur. Hæc etsi cum aliqua veri specie dicuntur, tamen si res propius examinetur, hæret adhuc vbique. Longè frequentius enim maligna veneno aut deleterio, comesta vel pota vomitione, per ἐμετικὰ, *vomitum cientia*, educuntur, non à proprietate trahentia, sed irritantia vomitum, & pinguedine stomachum illinentia, ne figi & radices agere malignitas possit, & hebetantia vim veneni, vt hidrelæo tepente, aut butyro, aut adipe anserino ex aqua calente, aut maluæ, sem. lini fœnugræci, vrticæ decocto. Quod autem inhæsit partibus, humoribus, halitibus, flatibus, aut spiritibus, (Non enim omnis malignitatis ad omnium eadem est analogia: Sed alia ad partes ipsas, nec omnis tamen ad easdem: alia ad humores, nec omnis ad eosdem, calidos & frigidos, crassos & tenues, crudos & adustos: alia ad spiritus, nec omnis rursus

rursus ad eosdem vitales vel animales, analogiam & antipathiam habet, ex naturarum cognatione, aut dissimilitudine) Illud ergo, quod inhæsit, talibus ferè antidotis extirpatur, quæ vel à proprietate immutant, vel tenuitate substantiæ suæ, calorisq; efficacia simul attenuant, diuellunt, digerunt, ac dissipant in halitus ac vapores, qui in sudorem vertuntur, quæ euacuationis alia ratio est, differens penitus ab illa, quæ fit in catharcticis, ratione cuiusdam similitudinis. Res docet, vim veneni retundi ac frangi, immò destrui citius & facilius non posse, vbi penitus insedit, quàm subiecto, vel eiecto, vel peremto, quod non vno fit, nec fieri potest, modo, cùm subiecta sint diuersissima. Hæc verò eductionis ratio, à catharcticorum purgatione, siue trahendi modo, longè alia est. Si enim eadem esset, sequeretur, quòd vbicumque sit pharmacum in corpore, eò trahere malignitatem possit, siue in imo corporis, siue in venarum contextu, siue in parte aliqua, siue in corporis ambitu externo. Et quocumque tendat pharmacum, quod eodem allicere, siue secum abducere malignitatem possit. Sicut vbicumq; magnes est, ferrum attrahere, per analogum viribus interuallum, potest.

Si verò toti substantiæ immutatio etiam tribuatur, rursus vt pharmacum constituatur medium, inter extrema duo contraria, necesse est, inter corpus humanum, & malignitatem, tali proportione, vt & simile sit vtriq;, & vtrique contrarium, similius tamen naturæ, quàm aduersæ malignitati. Inde enim, geminata virtute, vim aduersam imbecilliorem facilius oppugnat. Quatenus tamen simile est malignitati, eatenus & aduersum est, ac noxium naturæ. Huius generis sunt in Pœonia & smaragdo vires, aduersus Epilepsiam, & innumera alia. Ex his omnibus patet, quàm sit obscura ratio proprietatis occultæ, & totius substantiæ, & quàm explicatu sit hoc difficile, quo modo, & qua vi agant catharctica: quomodo Alexiteria & Alexipharmaca. Vnde & *ἀναπολόγητα, einsmodi vt ipsorum ratio iniri nequeat*, Dioscorides esse dixit talia: non propriè tamen, quia etsi vis effectrix, quoad causam, nec in temperamento, nec in modo substantiæ, per materiam adaptatam temperamento ac formæ reperitur, verè tamen substantiæ insita

Totius substantiæ ratio, etsi obscurior, physica tamẽ & ordinata.

est; vt φυσικὴ, siue ἕξις, siue δύναμις: *naturalis siue habitus, siue facultas.* Estque ordinata in creatione, ac perpetua, & rei cuiq; cui inest, propria. In rerum autem substantiis, illa, quæ ordinata ac perpetua sunt, ἀναιτιολόγητα, *causarum & rationis expertia*, non sunt, etsi ἀνεξερεύνητα καὶ ἄρρητα, *imperscrutabilia & infanda*, sunt. Nec illa, quæ putredine generante, ex analoga materia, in mixti dissolutione gignuntur mixta, inanimata, vel animata, illis malignitate similia, aut virtute contraria, temere nascuntur aut fiunt, sed suas habet, vt dixi, vt putredo metas, in qua mixtio noua dirigitur, ad formam ac speciem proportioni mixtionis, & calori symmetro conuenientem, ex ordinatione creatoris, quibuscumq; mediis ille vtatur, seu stellarum, seu aliis. Vt sit enim calor viuificus à lumine stellarum formatio tamen rei cuiusq;, & substantiæ procreatio opus est Dei Architecti solius, qui solus rerum formas finxit, condidit ac distinxit. Tantum de primo genere morborum.

Secundum genus morborum ἀναιτιολόγητον prorsus.

Alterum genus morborum ἀναιτιολόγητον, *rationis & causarum expers*, prorsus est. Eius enim, vt in naturis, & substantiis totis, in partibus, humoribus, aut spiritibus, nullæ demonstrari possunt: sic nec reuera insunt causæ naturales. In priori genere sunt, sed peruestigari & erui nequeunt. In hoc, nec sunt, nec definiri vllæ possunt. Huius generis exempla sunt οἱ δαιμονιζόμενοι ἢ δαιμονιόληπτοι, id est, obsessi & excruciati à Dæmone, quorum exempla refert historia Euangelica. Item omnes illæ miræ & variæ formæ affectionum, quibus incantatores & veneficæ, Diabolo opifice, miseros homines sæpe miserabiliter torquent, & excarnificant, & vel infectione, corruptione, tabe, luxatione, distorsione, inuersione, exulceratione, vt in Iobo, tumoribus abscessuum, in quibus generantur non ea tantùm, quæ putredine posse gigni Philosophi admittunt, vt lapides, ligna, pili, carbones, & similia, quanquam hoc disputari potest: verùm alia magis aliena, vt fragmenta ossium, ex certo genere animantium, & lapidum certæ speciei: ferramentorum etiam arte formatorum, vt cultrorum, gladiorum, acuum, fibularum, quæ suppuratione excoctis ac ruptis apostematis, cum pure reuera emanant, vel præstigiarum lusu & fascino; quarum possem innumera recitare

tare exempla, sed vnum satis sit, cuius ego ipse aliqua spectaui. Est in vrbe Harciniæ Quedlinburgo Medicus & Philosophus eximius, notus omnibus in Germania, & commendatus ex prognosticis astrologicis, Caspar Buchamus, hic filium habet, cui agenti annum decimum, & ante hoc tempus, semper benè rectéque valenti animo & corpore, accidit, vt conflictans cum doloribus capitis acerbissimis, cibi fastidio, & vomitu bilis prasinæ, die tandem quinto excerneret per virgam lapides plures centum, pisorum grandium, fabarum, etiam nucis moscatæ magnitudine, & hac maiore, inter cruciatus, & conuulsiones atroces & sæuas, quibus ea adhibita, quæ calculis solent lege artis Medicæ, tormina exasperarunt cum adaucto numero & magnitudine calculorum, & accessit nouum, vt ex antè editis, quos signarat pater, aliqui iterum egererentur. Puer, sub initium τῆς εἰσβολῆς, *inuasionis morbi*, astare sibi retulit, ex vna parte vetulam, ex altera iuuenculam, quæ, vinculis iniectis, ipsum constringant, & serpentes in eum vibrent, mox etiam coniiciant viuos, ad quos protinus dolores & tormina recrudescant & exacerbentur. Pater, fraude animaduersa, à medicamentis destitit, re tota Deo commendata, sed, qui solam virgam infestarant antè, mox aluum etiam inuaserunt, magnitudine ouum gallinaceum excedentes colore albicantes, figura rotundi, aut triquetri, lati, oblongi: cœlo sereno, & sicco puri, pluuio sordidi & impuri, specie & natura tales, vt fragmina viderentur à saxis eius loci, aut molaribus decussa. Illos tanto cum cruciatu enixus est puer, vt de vita videretur actum. Pater mutationem loci profuturam sperans, transtulit filium Erphordiam, vbi, cum nulla remissione aut leuatione torminum, edidit calculos colore rubeos, quales sunt eius loci. Extuberarunt adhæc in reliquo corpore, quasi ex imo prosilientes calculi grandes alij, maiores aluo egestis, cum nouo immaniq; tormine, & distensione, conuulsióq; asperrimo, quos tetigerunt abditos sub cute, pater, & alij, & emissos in pueri lecto repererunt magno numero, sed qua parte corporis cutem perforarint & exierint, conspectum non est. Curatione omni Deo soli precibus commissa, deuenit res eò, vt paulatim diminuta sint omnia, & calculi prorsus appa-

rere desierint, quinquennio elapso. Vidi & virginem, quæ totis cruribus, ad coxam vsque, extremè incantatione emaciatis, simulque contortu inuersis, reliquo corpore supra crura, vltra annos viginti benè habuit, & solita est narrare sæpe sibi astare iuuenem Angeli specie, qui consoletur ipsam, & hortetur ad preces & tolerantiam: qui & libros afferat, è quibus precetur. Similia plura enumerare possem, quibus cùm abundet experientia, discat indigenis exemplis quisque, quantum Diabolus hoc in genere valeat ac possit. Cùm autem morbida constet etiam scripturæ testimonio infligi à Deo, vt docent animantia Ægyptia peste extincta, & eadem cum hominibus obsessa vlceribus, editaque strages pestilens in Dauidis pœnam, hæc quemadmodum indicatum est suprà, vt opera diuinæ omnipotentiæ argumento certo euidentia, & Diabolo *ἀμίμητα, non imitabilia*, à præstigiis, quibus semper prodit sese Diabolus, quocumque fraudem fuco aliquandiu occultet, secernere non est difficilè. Nunquam enim Diabolica sine ludibriis sunt, & imposturis, quibus, vt diuinorum æmula, imperitis & incautis ostentantur, ac persuadentur.

Tertium genus morborum compositum ex naturalibus & Diabol.

Tertium genus, ex vtrisq; compositum, melancholicis, Maniacis, Ecstaticis, phreneticis, epilepticis, hystericis mulieribus, infectis malignitate aliqua occulta, & similibus, familiare est, in quibus morborum causæ physicæ non latent, etsi epilepticis & hystericis non raro complicatur malignitas inexplicabilis, ex corrupta aut putrefacta materia seminali aut humorali, halitúve inde expirante, vel ex immissa foris malignitate, qualis quibusdam causis primi generis inesse ostensa est. Sæpenumero tamen symptomata his coniunguntur, præter omnem illorum rationem & consuetudinem, quæ à physicis causis cieri non possunt. Rapiuntur enim, & sistuntur extra sese, non hystericæ tantùm mulieres, exanimis similes, aut attonitis, in dies aliquot; sed & viri in deliriis, verè melancholicis, sæpe occulta patefaciunt, non visa proferunt, futura prænunciant, commemorant mira alia, vera quandoque, sed ipsis aliisq; ignota, quæ, ex corruptis atq; oberrantibus vitio cerebri ratiocinationibus nasci non possunt. Sæpe natura aut fracturis, languidi prorsus, atque elumbes, tantum robur acquirunt,

vt nul-

vt nullorum manibus, nullis vinculis contineri queant: vt ferreis & cathenis ruptis, & vectibus serisque, nullo externo adminiculo effractis, exitum sibi aperiant. Epilepticis verò conuulsionibus motus sæpe complicantur tales, qui minimè σπασμώδεις, *simile conuulsioni*, aliquid habent, vt quando supra capita, pedibus erectis, sursum statuuntur, aut progrediuntur. Talia, & horum similia, alia ἀναπολόγητα, *rationis & causarum expertia*, esse, & ab impostore Diabolo effici, nil dubium est. qui occasione morbi naturalis abutitur, ad præstigias suas fucandas miraculi specie, cùm, vt ægros ipsos excruciet, tum, vt spectantes terrore concussos ac labefactatos à Deo auertat. Nec quis vnquam putet, à melancholia, mania, phrenitide laborantibus Dæmonem procul abesse. Nulli horum itaque temere credat. Errant plurimùm, qui, in melancholicis morbis, in Magis & sagis Diaboli ἐνεργήματα, καὶ ἔργα ἀναπολόγητα, *effecta & opera quorum ratio iniri & explicari nequeat*, somniant esse melancholica φαντάσματα, *visa*, ex mentis perturbatione nata, ob cerebri corruptam crasin, eò quòd non semper sint sagæ, vbi se fuisse, nec perpetrent semper, quæ se peregisse fatentur. Verè illa sunt effecta & opera Diaboli, aut colludentis cum illis, aut obsequentis eis ex pacto: sunt verò & sagarum, non phantasia melancholica, sed fascino quidem Diabolico, sagarum vero proposito, voluntate, conatu.

Ex his tribus generibus morborum, ad Medicum pertinent, primùm totum genus, & de tertio, quantum secundum rationem ad causas physicas congruit. Etsi enim morbus totius substantiæ, specie ipsa, ac proprietate inexplicabilis est: tamen ab illius caloris viuifici immutatione aut corruptione pendere illum, nemo dubitat physicorum; qui substantia & symmetria formæ proximus, primum eius, tanquam præcipui opificis, est organum ad actiones omnes, quas edit, siue manifestis ille se foris, & elementaribus qualitatibus proferat, siue sub illis, vi abdita ac latente. Calorem autem illum consentaneum est, in mixto demensum esse luminis virtutisque ætheræ, quæ à Creatore rebus singulis destinata est, atque attributa ab exortu. Vnde est & forma ipsa, & quæ formam specificam, lucisque vim comitatur proprietas, in aliis alia. Imò illa ipsa vis ætherei lumi-

Qui morbi ad Medicos pertineant: qui non.

nis, vinculum est, in mixtis omnibus, mirandi connexus, atque coalitus formarum cum materia, & temperamēti qualitatum elementarium sensui euidentium, quem coalitum, & in actione vigorem, quæ fouent, roborantque aut acuunt etiam præsidia externa, κτ συμπάθειαν, *per natura conuenientiam*, occultam, ex similitudine quadam totius substantiæ cognatæ: quæ verò oppugnant, labefactant, dirimunt, κτ' ἀντιπάθειαν *per dissensionem ac discrepantiam naturalem*, substantiæ aduersæ id facere censentur occultam causa, non etiam effectu, qui obuius est sensui, & vniusmodi ac sibi congruus, nisi à validiore contrario impediatur. Morbi omnes manifesti sunt sensu, non omnes causa. Illi, qui euidētes causas habent externas vel internas, manifesti: qui occultas, ex natura tamen ortas, & specie certas, perpetuas, interq; sese conformes, etsi magnitudine & vehementia sua ac symptomatum, differunt quandoq;, occulti tamen vocantur. Vtriq; suis cognoscūtur notis signisq; physicis, & his à præstigiis Dæmonum distinguūtur. Vtrisq; sua comparauit Deus remedia, in præsidium naturæ, quorum vsu Medicus, secundū artis præcepta cōtentus, & insistens iis tantùm, quæ physica sunt, siue κτ siue παρὰ φύσιν, *secundum siue præter naturam*, siue manifesta, siue occulta, experimento tamen, & ratione pro naturalibus certa, nō attingat anilia, superstitiosa, magica, quę non Christianis tantùm lege religionis, sed extraneis etiam, & alienis à religione Christiana, artis Medicæ legibus ac metis damnata ac prohibita sunt. Ac discernat semper, & separet Medicus physica à præstigiis dæmoniacis, cum in morbis ipsis, tum in eorundem sanatione, & remediorum conuenientium delectu. Dæmoniaca, quæ suis se præstigiis & ludibriis tandem detegunt, etiamsi aliquandiu latent: Multoq; magis pœnas in morbis tam indigenis, familiaribus, cōsuetis, quàm communibus, atque epidemiis, iustissimæ iræ Dei testes ac vindices, cōmendet iudici Deo, & precibus piorum in Ecclesia. Si quid physicum miscetur aut iungitur, huic vt medeatur, ratione & methodo physica ordinatis à Deo auxiliis, det operam. Nec ad superstitiosa, anilia, aut ad Diabolica artificia & subsidia incantationum magicarum aut cōsecrationum pontificiarum confugiat, quæ nihil ab illis differunt, imò ex abusu verbi, nominis, & inuocationis Dei deteriores

teriores sunt, quòd verbis scripturę vim aliam & nouam falsò affingunt, contra ordinem institutionis diuinæ, & pariter contra ordinem naturæ, de qua si pronunciantur, pręsertim à raso & vncto sacerdote, exiliat vis alia, noua, creata, quæ aut protinus postulata perficiat, aut consecratis characteribus, id est, scriptis verbis, imagũculis, figuris, rebus naturalibus, plantis, aquæ, metallis, gemmis, oleo, sali, &c. nouæ vires infundantur effectrices rerum, quæ sint supra naturæ vires. Est in morbis & medicinis hoc, quod Hippocrates vocauit *τὸ θεῖον, diuinũ.* Sed, quod sit illud, & quomodo à ludibriis Diabolicis, tam sanãtibus, quàm facientibus morbos, quos quantosq;, permissu diuino potest, idem seiungi ac separari debeat, accuratè obseruandum. Neq; diiudicatu difficile est. Ordinata enim, ac regularia, sibique congrua in diuinis operibus sunt omnia, ac miraculosè etiam, quæ fiunt raris ac singularibus actibus, manifesto opere omnipotentiæ ad ordinem tamen redeunt, non hunc abolent. Dæmoniaca, etsi specie falsa actionis, & operis omnipotentis quandoque imponunt hominibus, tamen non sunt reipsa omnipotentiæ opus, sed ludibrium inane ac falsum Diaboli, aut cessantis lædere, ad præsidiorum magicorum applicationem, aut sanantis malum, labémve, quam impegit, deniq; inordinata, tumultuaria, diuinoq; ordini aduersa, cõfusa, fascino ac præstigiis inuoluta ac tecta, & vana atq; inania, periculosa denique, & noxia magis, quàm salutaria euenta esse deprehenduntur, quacunq; se *τοῦ θείου, diuini,* effigie inferant initiò, atq; insinuent in credulorum aut imperitorum animos.

Condita & ordinata à Deo, omnibus, quæ sunt eiusdem speciei, indiuiduis insunt, & ex omnibus idem agunt eodem vsu, in alia analoga naturalia, sed recto & ordinato vsu semper, dum viget rei substantia. Diabolica incantationum & consecrationum præsidia, ne ex vno quidem indiuiduo, idem, nec semper, imò vix vno actu vero, nec in quoscunque agunt, sed in eos tantùm, in quibus ipse colludens ostendit hoc, quod incantator pollicetur, seu verè, quod rarius fit, seu lusu & fascino solo, quod frequentius. Denique à Deo veraci & omnipotente, qui, quæ scire nos, de sua voluntate arcana, voluit, verbo patefecit: cui & nos assentiri, ac fidem habere vult, eruditis ex verbo Dei, & illuminatis

luce noua Spiritus sancti, quæ sunt ex Deo, credere & decernere non est difficile. Qui fascina & ludibria Diaboli sequuntur, his regulæ, verbo Dei præscriptæ occinuntur, sicut surdo carmen bonum. Nihil addam, de morbis & curationibus Dæmoniacis, quorum exempla nimis frequentia versantur ante oculos. Regulam trado, qua morbi illi agnosci, & à naturalibus discerni debeant, ex doctrina Medica, quæ est donum Dei, vt Medicationes salutares sunt opus Dei. Quibus notis morbi, à causis naturalibus orti designentur, doctrina habet ordinata & canonica Medicorum: habet & methodicam rationem, ac viam, qua curari debeant. Dæmonum ludibria, nec causis, nec signis, nec medicandi ratione, cõprehendi ac definiri possunt, quia, vt confusiones, præstigiæ, & mendacia *ἀκατάληπτα sunt, comprehendi non possunt*. A diuinis autem operibus, in exortu, & sanatione, quomodo distingui debeant, etiam ostendi, qua potui breuitate, sed ex fundamentis veris, quæ rectè iudicantibus confido non esse displicitura, si non satisfecerint.

DE METEOROLOGIA.

SI qua habet natura rerum vera, firma, & perspicua argumenta sapientiæ Dei Architecti, (vt habet pænè infinita, quantumuis ea Epicurus derideat) inter ea profectò vel præcipuum sibi vendicant locum illa, quæ absolutissima omnium partium inter se coagmentatio, & *συμπάθεια, consensus naturalis*, atque *ἀντιπάθεια, discrepantia naturalis*, earundem, mirandæque vires, & distinctæ rerum formæ, ex diuersis rebus, atque earundem inter se vi & efficacia diuersimodè temperatis, validissimoque nexu, in vnam coactis ac colligatis massam, congruente forinsecus etiam exornatam specie, sensibus obtrudunt nostris, atque ingerunt.

Principia rerum materia & forma.

Principia omnium *τῶν φύσει ὄντων, rerum naturalium*, ex quibus composita constant primò, ac per sese, creata corpora omnia, sunt materia & forma.

Materia est tanquam *ὑποκείμενον πρῶτον, ἐξ οὗ γίγνεταί τι συνυπάρ-*

ἐνυπάρχοντος, μὴ κατὰ συμβεβηκὸς, & tanquam συναίτιον τῇ μορφῇ τῶν γιγνομένων, ὥσπερ μήτηρ, id eſt, *ſubiectum primum, ex quo fit aliquid, cùm inſit per ſe, & non ſecundum accidens, & tanquam adiuuans cauſa formæ eorum, quæ gignuntur, tanquam mater*, vt inquit Ariſtoteles. Forma tanquam ἐντελέχεια & τελειότης: id eſt, *agitatio perennis & perfectio.*

Ex materia enim, gignuntur res naturales vniuerſæ, quibus & ineſt ipſa, tanquam pars præcipua, cúmque intereunt, in hanc viciſſim occidunt: ipſa verò, nec gignitur, neque interit. Forma eſt ipſa materiæ expolitio, & velut vltimus rei, quæ gignitur, ornatus, quo illa talis eſt.

Hæc duo principia, adeoque ex his fabrefactum totius Mundi ſyſtema, Ariſtoteles primæ cauſæ coæterna eſſe credidit, perſuaſus argumentis Phyſicis, deſumtis ex hoc naturæ ordine, qui nunc eſt. ***Ariſtotelis error de æternitate Mundi.***

Sed refutat hæc argumenta hiſtoria creationis, quæ teſtatur, Deum ex nulla præcedente, vel, vt ita dicam, præexiſtente materia rudi & informi, diſtinctas ſimplicium corporum ſpecies finxiſſe, ſed principium vtrumq;, vnà cum ipſis corporibus condidiſſe ex nihilo, ſolo verbo.

Plato cœpiſſe quidem Mundum aſſentitur, ſed materiam primæ cauſæ falsò facit coæternam, & formam ita à materia ſeparat, vt huius primam, ceu cogitatione conceptam ac delineatam, informationem in eadem prima cauſa conſtituat, ὡς παραδείγματος εἶδος, τὸ ὅθεν ἀφομοιούμενον, νοητὸν καὶ ἀεὶ κατὰ ταυτὰ ὂν, id eſt, *tanquam exemplarem formam, vnde quid aſsimilatur, quod mente & intelligentia cernitur, & quod eodem ſemper modo eſt*: impreſſam verò expolitæ iam & conformatæ materiæ μορφὴν, *formam*, illius à prima cauſa concepti effectiq; παραδείγματος μίμημα δεύτερον, *exemplaris imitationem ſeu imaginem ſecundam*, ponat: quorum, vt hoc reprehenſione caret; ſic falſum eſt alterum, de materiæ æternitate. ***Platonis error de Mũdo.***

Ex his duobus principiis, arctiſſimo nexu inter ſeſe deuinctis, id eſt, ex vna communique materia, diuerſis formis veſtita, coagmentauit Deus Architectus naturæ prima corpora ſimplicia σύνθετα, *compoſita*, διαφανῆ, καὶ ἀδιόπτα, id eſt, perſpicua, & opaca, quæ ſacræ literæ vocant cœlum & terram: cœli nomine complectentes totam ſeriem atque compagem corporum διαφανῶν, *perſpicuorum*, aquæ, aëris, & ***Prima naturæ corpora.***

ætheris, in æquabilem & orbicularem rotunditatem, ceu tornatam & conglobatam.

Differentia inter Mundi corpora pellucida & opaca.

Differunt ergo illa perſpicua ac pellucida corpora, quoad primum exortum, ab his opacis, & viſui imperuiis, non tam materia ipſa, quam huius perfectione, & perſpicuitate, ac tenuitate fuſæ, explicatæq́; & extenſæ ſubſtantiæ, ac formis, quibus talia ſunt, viribusque, quæ formis reſpondent.

Totum autem perſpicuæ molis ſyſtema, initiò fuit quiddam, ex materia craſſiore terrea, depuratum ac defecatum exactius, & magis magisq́; διακρίσει, *ſecretione*, vera ſubſtantiæ totius fuſum atque extenuatum.

Nam ex terrenæ molis, ab obſcurioribus & craſſioribus fecibus expurgatę atq; emundatę, dilatatione ampliore, ſed vi omnipotente perfecta, aquam: ex huius diductione atq; expanſione maiore, aërem: ex aëris ſumma extremaq́; attenuatione & perpolitione, futuri cœli materiam produxit Deus conditor. Cœli enim materiam, ſacræ literæ dicunt eſſe aquam, idque & appellatio etiam indicat Schamaim.

Aqua materia cœli.

Hoc rurſus perſpicuum ſyſtema diremit in duas partes, quarum ſupremam, & à medio remotiorem, puriſſima ac ſplendidiſſima luce perfuſam, (quam itidem ſolo verbo accendit ex nihilo, in præformata cœli materia) & συστάσει, *conſtitutione*, ac ſubſtantia fixam & ſolidatam, firmauit in compagem diſtinctorum orbium, vnde hanc firmamentum appellauit: Alterius ſubſtātiam non mutauit. Hinc diſcrimen extitit corporum perſpicuorum cœleſtium & elemētarium.

Diſcrimen corporum lucidorum inter ſe.

Differunt autem illa ab his, prętet τὸ ἀγήρατον καὶ ἀναλλοίωτον, καὶ ἀπαθὲς, *præterquam quòd expertia ſunt ſenectutis, & alterationis, & paßionis*, de quo poſtea dicemus, primò, tenuitate ac perſpicuitate ſubſtantiæ, exactiſſimè perpurgatæ, & ſummè extenuatæ, ac perpolitæ.

Secundò formis ſubſtantialibus, & accidentibus propriis. Ætherea enim ſunt διαφανῆ ἐνεργείᾳ *pellucida reapſe*: Ineſt enim omnibus lux puriſſima, quæ ipſorum ἐντελέχεια, *forma*, eſt, & τελειότης, *perfectio*, & cōſtant materia perſpicua, ac luce, coactis denſatisq́; συγκρίσει, *concretione*, in vnum corpus, certa lege & proportione, ad paradigma præformatum in mente diuina. Elementaria δυνάμει, *facultate*, ſunt perſpicua, & lumine cœlitus refulgente colluſtrantur & fouentur, etſi ſuas habent formas.

Dein-

Deinde elementarium σύστασις, *constitutio*, mollis est, fusaq;, & fluens: cœlestium concreta fixaq; est, instar purissimæ ac nitidissimæ Crystalli, & firmata in orbium soliditatem.

Cœlestia δυνάμει *facultate*, calida, frigida, humida, & sicca sunt: Elementaria ἐνεργείᾳ, *reipsa*, quorum ex constituta diuinitus, cum cœlestibus corporibus, sympathia & cõsensione, talis est natura, vt, virtute demissi cœlitus luminis, hę in ipsis qualitates, aut commotæ augeantur, aut excitentur.

Differunt & motu locali, quem φορὰν, *lationem*, Græci vocant. Cùm enim duo sint motus simplices primi, κατὰ φύσιν, *secundum naturam*, nimirum, ἡ εὐθεῖα φορὰ, & κύκλῳ φορὰ, id est, motus, secundum rectam lineam, & circularis: cœlestia perpetuò, super polis fixis, circa medium centrum, conuertuntur in orbem δινήσει seu gyratione: Elementaria autẽ à medio efferuntur sursum, recto enixu, ductuq;, vt aër; aut ad medium tendunt deorsum, lapsu præcipiti, secundum rectam lineam, vt aqua. *Motus cœlestium corporum.* *Motus elemẽtorum.*

Lucis natura peculiaris est, nobisque imperscrutabilis, accensa initiò, in materia cœlesti, ex nihilo diuinitus, solo verbo, vt fieret principium formale, ἐνεργείᾳ, *reipsa*, cœlestium corporum, δυνάμει, *facultate*, inferiorum quæ quidem varie afficit, ac mirificè, mutando, atq; inter se miscendo, & velut informat. *Lucis natura peculiaris & imperscrutabilis.*

Cœli itaque, lucisque naturam cùm peruestigare & assequi Aristoteles non posset, nec perspiceret causas tantæ stabilitatis ac perfectionis materiæ, in cœlestibus corporibus, omissa indagatione vlteriore, censuit, cœlum quintã quandam essentiam esse, à quatuor Elementis distinctam. Inquit enim, concludens disputationem de cœlo: διόπερ ἐξ ἁπάντων ἄν τις τούτων συλλογιζόμενος πιστεύσειεν, ὡς ἔστι τι παρὰ τὰ σώματα τὰ δεῦρο καὶ περὶ ἡμᾶς, ἕτερον κεχωρισμένον, τοσούτῳ τιμιωτέραν ἔχον τὴν φύσιν, ὅσῳπερ ἀφέστηκε τῶν ἐνταῦθα πλέον: id est, *quapropter ex his omnibus, ratiocinando aliquis in animum inducet præter hæc, quæ nos attingunt corpora, esse aliquod seiunctum, ac secretum, tantò quidem præstantiore natura præditum, quantò ab his nostris longius est remotum.*

Hęc tria distincta corpora, perspicuũ ἐνεργείᾳ, *reapse*, seu lucidũ perspicuũ δυνάμει *facultate*, & opacũ, id est, ætherẽ, elemẽta perspicua, & terrã, seu, vt sacræ literæ loquũtur, firma-

mentum, cœlum, terram, tanquam futura principia reliquorum corporum inde componendorum, fabrefecit Deus ex nihilo, ſolo verbo.

Errat Plato in vtroque, quòd & coæternam fingit materiam primæ cauſæ, & ſimul *ἐνεργείᾳ, reipſa*, fuiſſe aliquid, non obſcurè innuit. Etſi enim ita eam deſcribit, vt vocet *ἀόρατόν εἶδός τι, καὶ ἄμορφον πανδεχές, ἕδραν παρέχον, ὅσα ἔχει γένεσιν πᾶσιν*, id eſt, *inconſpicabilem quandam formam, & figura carentem, & omnium tamen capacem, quòd ſedem præbeat omnibus iis, quæ generationem habēt*, & tale quidem, quod *μετ' ἀναισθησίας ἁπτὸν* ſit, *λογισμῷ τινὶ νόθῳ μόγις πιστόν*; *ſine ſenſus perceptione tangi poßit, ratione quadam adulterina vix credatur*: tamen facit eam *φύσιν τὰ πάντα δεχομένην σώματα*, & *ἄμορφον τῶν ἐκείνων ἰδεῶν, ὅσας μέλλει δέχεσθαι ποθέν*: *naturam quæ omnia ſuſcipiat corpora & immunem & expertem omnium illarum formarum, quas alicūde exceptura ſit.*

Ideoque his tantùm ſpoliat & nudat eam formis, quæ inductæ producant conſtituantque diſtinctas rerum ſpecies, & detractæ, eaſdem deſtruant rurſus: non autem abolet illam quæ eſt aliquid, & conſiſtit materia. Priore, in ſacræ ſcripturæ veritatem, redarguentem æternitatem, & Mundi & materiæ: altero, in Phyſica impingit principia.

Refutatio erroris Platonici.

Si enim fuit materia aliquid *ἐνεργείᾳ*, *reipſa*, non caruit ſua forma, qua conſtitit, quaque ſeſe ſuſtinuit & conſeruauit: Aut fuit ſecundum ſeſe forma; vel, ſi materia ſimul forma eſſe nequit, vt nequit, fuit aliquid iam perfectum & abſolutum, ex materiæ & formarum diuerſarum coalitu, ſed confuſum atque indigeſtum, quale fingunt Poëtæ ſuum Chaos. Quorum, ſi verum illud eſt, nihil aliud præſtitit materia, in creatione rerum, Architectrici primæ cauſæ, quàm argilla figulo, marmor lignúmve ſtatuario.

Si verum eſt alterum, prima cauſa nil effecit aliud, niſi quòd erutas & explicatas, ex confuſo agmine, res antè formatas ſeparauit, digeſſit, ſuis ſingulas locis compoſuit, & coaptauit inuicem, atque compegit in hoc, quod cernitur, Mundi harmonicum ſyſtema. Nam ſimul & *ἐνεργείᾳ, reuera*, eſſe aliquid, & informe, abſurdum prorſus eſt, & à ratione diſſonum, cùm, à ſola forma, res quælibet habeat *τὸ εἶναι ἐνεργείᾳ*, *vt ſit quod eſt reuera*. Viciſſim, ſi *ἄμορφος*, *carens forma*, & rudis, atque impolita, ornatu omni formarum caruit, non

extitit

extitit *ἐνεργείᾳ, reuera.* Nam res quęlibet, tum demum emergit, & exit in *ἐνέργειαν ἀπὸ δυνάμεως, in actum à facultate,* cùm forma applicata, & connexa materiæ absoluit hoc, quod, vna sola parte perfectæ substantiæ mutilum erat antea, & imperfectum.

Si extitit ergo materia *ἐνεργείᾳ, actu,* aut vnam quandam, certamque tota gessit, formam, & ipsi propriam, ceterarum verò rerum omnium ideas *δυνάμει, facultate,* continuit: aut vniuersis fuit simul ceu consignata formis, expolitaque *ἐνεργείᾳ, actu.* Si materia cum vna forma, eaq; ipsi propria, naturis *πάντων τῶν γεννητῶν ὁρατῶν καὶ αἰσθητῶν, omnium eorum quæ genita sunt, oculisq; cerni ac sensu percipi possunt,* præbuit sese, *ὡς μητέρα καὶ ὑποδοχὴν, tanquam matrem & receptaculum,* vt Plato inquit, tunc aut creatio, seu prima rerum constitutio, nihil fuit aliud, quàm diuersorum corporum coagmentatio, vel saltem duarum formarum *οὐσιωδῶν, essentialium,* in vno subiecto, compages quædam: Aut si quis vitaturus absurda, quæ inde sequuntur, hoc non admiserit, concedet tamen creationem, nō generationem, sed *ἀλλοίωσιν, alterationem,* fuisse, qua non mutata fuit substantia materiæ, sed solus exterior, qui in oculos incurrit, decessit ornatus, in aliū conuersus, vt cùm ex rudi marmore, sculpit Mercurium statuarius, aut Iouem, aut capram Amaltheam: concedet verò & hoc, vt vnam materiam, ita vnam communem formam esse rerum omnium, nec interioribus formis, sed externa effigie tantùm, res inter se discrepare vniuersas. Aut, si quis euidentia veritatis, quæ hoc absurdum redarguit, coactus, idipsum etiam reiecerit, & contenderit, in creatione, materiam prorsus abiecisse primam ac propriam formam, vt pateret nouis & differētibus: quæ fuit igitur illa prima forma, & materiæ propria, quóve abiit & euanuit de suo subiecto depulsa, & cur esse desiit? vt maximè cum Platone constituamus in prima causa, scilicet æterna mēte, *ὡς παραδειγμάτων εἴδη, tanquam exemplarium formas,* & velut alueum formarum contrariarum huic primæ formæ, à quibus generationum fit causa & origo, ne inficiemur, quòd constet ortus rerum contrariis.

Si itaq; cœperunt esse res inde, quòd prima causa excussa de materia illa, ipsius propria forma, quæ infuit *ἐνεργείᾳ, reuera,* aut iam denudatæ induxit simul totam congeriem for-

marum omnium, sed distinctarum, aut discerptas partes singulas peculiaribus vestiuit formis: remansit tamen illa prima forma, in suo subiecto, δυνάμει, *potestate*, quæ, vbi, circulo generationum & corruptionum peracto, sese rursus exeruerit, elidet inde has rerum diuersas formas: Vnde in primam redibit faciem, eamque vnam & simplicem, tota hæc rerum vniuersitas.

Id verò, præterquam quòd aduersatur sacræ doctrinæ testimoniis, per sese etiam absurdum est, & falsum, & Physicis principiis minimè consonum.

Si verò vniuersis simul illa fuit expressa formis ἐνεργείᾳ, *reapse*, & non vna propria, extiterunt res, antequam fingi formarique de materia cœperunt, &, sublatis initiis atque exordiis rerum, inuehitur æternitas.

Iure ergo reprehendit Aristoteles Platonis sententiam, etsi hanc Plato amplexus præ ceteris fuisse videtur, ne discederet à doctrina maiorum, de Mundi ortu, quorum censet assentiendum esse, & acquiescendum hac de re testimoniis, vt, qui exordiis rerum propiores, certiora & exploratiora, de suæ originis principiis, cognouerint.

Refutatio erroris Aristotelici de æternitate Mundi.

Rursus procul errat Aristoteles, dum æternitatem tribuit, & materię, & Mundo: huic quidem, contra Platonem; vtrique, contra sacrę doctrinæ euidentia & illustria testimonia. Etsi enim Platonica rectè reiicit, de materia existente ἐνεργείᾳ, *reapse*, non rectè tamen, & suam δυνάμει οὖσαν ὕλην, *materiam quæ est facultate*, de qua extruit res vniuersas, & ortum rerum inde ducit ab æterno, eò quòd rationi consentaneum non sit, materiam δυνάμει *facultate*, existentem, suo sese nixu, & viribus suis, absque formarum præsidio, & vi gubernatrice, ab æterno sustentasse: vel, si fota fuit, atq; conseruata à prima causa, congruum tamen non sit, illam huius ἐνέργειαν, *actionem*, ab æterno quieuisse, sine motu omni, ac mutatione, & abditas in ipsa, ac latentes formas rerum omnium, ab æterno pressisse atque cohibuisse: vel adeò ipsam primam causam, quam præstantissimam ac perfectissimam esse, necesse sit, ab omni sese effectione continuisse.

Falsum est vtrumq;. Nam neq; materia δυνάμει *facultate*, extitit ab ęterno, sed ex nihilo creata est, atq; affecta cum rebus ipsis. Ipse dixit, & facta sunt, inquit Psalmus. Et in Genesi dicitur:

dicitur: In principio creauit Deus cœlum & terram, id est, ex nullo prægrediente vel præexistente principio. Neque Deus est agens brutum, & naturale, sed omnipotens, sapientissimum, liberrimum, qui, cùm vult, agit, & rursus suspendit, aut inhibet, ac continet actionem, cùm vult.

Falsum est itaque & tertium, de Mundi æternitate, quam inde Aristoteles detexit. Estque rerum creatarum omnium causa *προκαταρκτική, antegressa seu antecedens*, libera, æternus Pater: *δημιουργική, opifex*, æternus Filius, ΛΟΓΟΣ *καὶ εἰκών, verbum & imago*, Patris: *τελειωτική perficiens & absoluens*, Spiritus sanctus, vt hæc in Ecclesia declarantur.

Cùm ergo dicitur, Deum condidisse omnia, *ἐκ τῶν μὴ ὄντων, ex iis quæ non erant*, sicut & Paulus ad Romanos inquit, *καλοῦντος τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα, qui vocat quæ non sunt, tanquam sint*, non intelligantur, ex Aristotelicis disputationibus *τὰ οὐκ ὄντα κατὰ συμβεβηκός, quæ non sunt secundum accidens*. Distinguit Aristoteles inter *οὐκ ὄν, καθ' αὑτό, quod non est per se*, & inter *οὐκ ὄν, κατὰ συμβεβηκός, quod non est per accidens*; & alibi inter *ὂν ἐνεργείᾳ*, & *ὂν δυνάμει: quod est reuera, & quod est potestate*.

Distinctio Aristotelica inter Non existens per se & Non existens per accidens.

Ex *τοῦ οὐκ ὄντος καθ' αὑτό*, & *ἐκ τοῦ ὄντος ἐνεργείᾳ*, id est, *ex eo quod non est per se, & eo quod est reuera*, nihil inquit gigni aut fieri posse, quòd illud prorsus nihil sit: Oportere autē, in generatione omni, & substantiæ alicuius constitutione, subiici aliquid, quod illud non sit, quod gignitur, sed mutationes sustineat omnes, & cū susceptis formis coalescat in illud, quod fit, & gignitur: hoc verò genitū & absolutum sit antè.

Sed *ἐκ τοῦ ὄντος κατὰ συμβεβηκός*, seu *ἐκ τοῦ ὄντος δυνάμει, ex eo quod est per accidens, seu ex eo quod est potestate*, qualem fingit esse materiam primam: vult, posse fieri aliquid: vt, hoc posito discrimine, astruat & tueatur veritatem principij Physici: Ex nihilo nihil fieri.

Non itaque intelligatur *τὸ οὐκ ὄν, quod non est*, de eo quod est *οὐκ ὂν κατὰ συμβεβηκός, aliquid quod non sit per accidens*, sed simpliciter intelligatur de eo, quod prorsus nihil est, vel per se, vel per accidens.

Quomodo intelligēdum sit hoc: Deus omnia cōdidit ex nihilo.

De materia creata, assentior rectè dici, quòd sit *οὐκ ὂν κατὰ συμβεβηκός, καὶ ἐγγὺς ἢ πῶς οὐσία, aliquid quod non sit per accidens, & prope atq; aliquo modo substantia*, vt loquitur Aristoteles, seu *ὂν δυνάμει, quod sit potestate*, & commune fundamentum, ac

ceu basis prima & perpetua, rerum nascentium atque occidentium, quæ & genitis rebus atque absolutis includitur ὡς ἐνυπάρχον τι, *vt aliquid quod insit*, &, destructis his vicissim, non simul extinguitur ad nihilum redacta, sed quasi suo cõsistens nutu fultuq; , dimissis formis, quas corruptio demolitur atque excludit, motu momentaneo protinus asciscit alias, quas generatio inducit.

Inde verò quomodo æternitas materiæ deducetur?

Nihil negatiuum, & nihil priuatiuũ.

Vulgò τὸ οὐκ ὂν καθ' αὑτὸ, *quod non est aliquid per se*, vocant nihil negatiuum: τὸ οὐκ ὂν κατὰ συμβεβηκὸς, *quod non est aliquid per accidens*, nihil priuatiuum, quòd significet defectum formæ in materia, quæ si absit, materia perfecta completaque substantia non sit, sed, cum forma coniuncta, primùm constituat & absoluat substantiam. Principium verò Physicum, quo dicitur, Omnia, quæ sunt & fiunt, ex aliquo ortum habere suum, &, ex nihilo non fieri aliquid, locum habet in natura creata, quæ ad eum est constituta modum, vt, quæ iam nascuntur & fiunt, non ex nihilo prodeant, sed ex materia aliqua conficiantur. Sed redeo ad principia.

Expressus est hic creationis ordo, & hæc corporum primorum formatio discretioque, in Genesi.

Ordo creationis, & formatio ac discretio in Genesi.

Cùm enim, absoluta terræ cœlique fabrica, dicitur Deus accendisse lucem, in æetherea perspicui tractus parte, quod firmamentum est, & discreuisse inter noctem & tenebras, significatur hoc discrimen, inter æthereæ regionis naturam lucidam, in quam initiò lux diffusa fuit, atque expansa certo modo, & inter elementarem luce carentem, cuius vna pars opaca tota, altera cœlesti luci tota remansit peruia.

Rursus, cùm dicitur in Genesi, fiat firmamentum, alterum exprimitur, inter æthéream regionem & elementarem, discrimen, quo indicatur, non tantùm τὸ πεπηγυμένον τῆς φύσεως καὶ συστάσεως cœli, id est, fluidæ mollisq; essentiæ concretio fixioq; , vt ita dicam, in consistentem soliditatem, sed & τὸ ἀπαθὲς καὶ ἀμετάβλητον, *immunitas à passione & mutatione*, quòd cœlum non debuit subiectum esse iis motibus & affectionibus, quas perpetua vicissitudine permutatim subeunt ac sustinent elementaria, quę & intereunt, & renascuntur, & in alias vertuntur species, & habitudines mutant suas, atque affectiones, accretionibus, diminutionibus, alterationibus,

leui occasione facilimè, vel ordine naturæ, vel, præter ordinem naturæ, aliis de causis.

Quare rectè & concinnè, inter principia rerum elementarium, Aristoteles collocat στέρησιν seu priuationem. Coniunxit hanc enim materiæ elementari Deus, vt esset caussa mutationum, quibus ordinatis, regularibus, & constitutis, non incertis, aut vagis, aut fortuitis ac temerariis, obnoxia esse voluit elementaria, sicut, in cœlestibus connexionē formæ cum materia ἀχώριστον καὶ ἀδιάσπαστον, *inseparabilem & non diuulsam*, esse voluit, & ab illis mutationibus immunem, quibus hic coalitus dissoluitur ac diuellitur.

Priuatio Aristotelica inter principia corporum elemētarium rectè collocatur.

Etsi autem priuatio, nec specie differt à materia, nec principium per se est, sed est in materia nuda & rudi, id est, exuta atq; expoliata formis omnibus, præter defectum & absentiam formarum, appetitus quidam earundem, & inclinatio, propensioque, atq; impetus ad has asciscendas & adipiscendas, & ἐπιτηδειότης, *habilitas*, seu aptitudo, ad adeptas & acquisitas formas suscipiendas ac complectendas, (δυνάμει, *potestate*, enim, omnium formarū capax est materia) nec manet priuatio, in corpore composito, nisi δυνάμει, *potestate*, sicut ab Aristotele hæc eruditè disputantur: tamen est principiū per accidēs, & causa mutationū, quę materię accidunt, non ποιητική, *efficiens*, sed στερητική, *priuans*, propter quam materia veteres formas dimittit & abiicit, nouas appetit, assumit & induit.

Priuatio Aristotelica principium vnum per accidens.

Cùm itaque, & in firmamento lux accensa, & huius natura, ab elementari materia distincta, & terra eruta esset, atque explicata ex aquis, intra destinatos alueos collectis, artificio & consilio admirando sapientissimi opificis, secuta mox est, & in elementari orbe distinctio reliquarum qualitatum, præter opacum & perspicuum, quarum contraria in sese mutuò actione cientur atque efficiuntur mutationes: commixtione verò, ac commoderatione mixtorum corporum constituuntur κράσεις, καὶ δυνάμεις, *temperamenta & facultates*, & cōseruantur.

Qui enim, de cœlesti luce refulsit splendor, radiorum proiectu terræ collustratæ ac fotæ, ceterisque contiguis elementis calorem impressit viuificum, quo caruerant illa, ante lucis communicationem, solis siccis humidisq;, & frigidis qualitatibus contenta.

Incaluit etiam, & velut efferbuit, ex rapidiſſimo motu & circumactu orbium cœleſtium, quos, ante ſtellarum corpora, cum ipſo firmamento, abſolutos fuiſſe, & ad motum continuum perpetuumq; incitatos, ex mentione diſtinctorum ſpaciorum diei ac noctis, primi diei creationis coniicio. Ex eo ergo motu efferbuit ſuprema pars aëris elemẽtaris, quæ, tenuitate ac perſpicuitate reliquum aërem, terræ & aquis propiorem, longè vincit.

Proprietates 4 elementorum.

Extitit ergo inde & eorum corporum, quæ, quadripartita diſtinctione elementa vocantur à Philoſophis, ignis, aëris, aquæ, & terræ: & primarum qualitatum, vt nominantur, calidi, frigidi, humidi, & ſicci diſtinctio: Vt terra eſſet craſſa, & opaca, arida, ſicca, & frigida: Aqua purior, & tenuior terra, perſpicua, frigida, & humida: Aër rurſus tenuior & limpidior aqua, &, propter tenuitatem ſubſtantiæ, tum humidior, tum calidior, vtpote qui calorem, à reflexis cœli radiis, coactiſque emanantem, promtius admittit & recipit: Tenuiſſimus omnium ignis, ac magis perſpicuus aëre, & calidiſſimus ὑπερβολῇ τινὶ τοῦ θερμοῦ, καὶ οἷον ζεσεῖ, *exceſſu quodam caloris, & veluti feruore quodam*, ex vicinitate orbium cœleſtium. Et, niſi acceſſiſſet calor opifex, nec, cum humore, terra res naturales reliquas corporaſſet, nec corpus eaſdẽ animaſſet.

Hoc modo præparatis atq; abſolutis, miranda varietate, primis & ſimplicibus elemẽtis omnium corporum, tandem reliqua inde comparauit & finxit corpora: cœlum ſtellis exornauit, conflatis ex lucida cœli materia, infinito numero, & varietate: Terram plantis veſtiuit, & compleuit animantibus, aquas piſcibus, aërem volatilibus: Et cum elementaribus cœleſtia coniunxit, tali ſympathia atque conſenſione, vt, cœli lumine, elementaria afficerentur, viuificarentur, vegetarentur, incitarentur ad ordinatos, ac velut ad numeros compoſitos motus, & planè abſoluerentur.

Cœli definitio.

Eſt autem cœlum corpus orbiculare & ſphæricum, à Deo omnipotente, immenſa ſapientia, verbo, ex ἐνεργείᾳ, *reapſe*, perſpicuo (id eſt, materia ſummè perſpicua ac tenui, & luce perfuſa) quod præformarat ex nihilo, concretum, denſatumq;, & politum exactè, ac leuigatum, tornatiliq; rotunditate formatum, ac ceu diſſectum in compagem ſolidiorem plurium ac diſtinctorum orbium velut excauatorum, inſtar

luci-

lucidissimarum ac firmissimarum membranarum, & exacta politura nitentium, expertem qualitatum elementarium, & immunem à motibus illis, & mutationibus, quibus obnoxia est natura inferior: hoc fine, vt distincti orbes, variatis admirabili lege & ordine motibus, affixa ipsis stellarũ corpora, sine cessatione circumagant: quod corpus, vt de omnipotentia fabrefactum est, & absolutum tali perfectione sic, vbi periodus circumacta fuerit, de qua Conditori constitutum est, ad ipsius iussum colliquescet rursus, instar fumi, vt inquit Esaias, & renouabitur.

Definitio corporum cœlestium.

Lucida cœli corpora sunt partes suorum orbium globosæ, perspicuæ, & lucidæ, densiores orbibus, cùm, mole coactæ materiæ perspicuæ, tum, copia complicatæ lucis, ideoq; visui, vt orbes ipsi non peruiæ: formatæ, ex eadem cœli simplicissima & purissima materia, & perfectissima politura nitente, contracta primùm, ad certas orbium partes, maiore copia & mole, atq; concreta, non eadem vbiq;, sed differente, & in solidiores orbes conglobata, cum certo demenso lucis: hoc fine, vt collectam hoc modo, & distributam certa proportione, magni opificis consilio, lucem primam spargant quoquo versus, tali discrimine, vt Sol fons sit primus ac præcipuus, & ὄχημα τοῦ πρωτογόνου φωτὸς, *vehiculum primigeniæ lucis*, & conceptæ lucis fulgore, cùm elementarem orbem collustret ac compleat, tum Lunam, & stellas reliquas, suæ quidem lucis certo demenso imbutas, sed rariore, magis illuminet ἀνακλάσει & διακλάσει, *refractione & penetratione*, aspersorum radiorum, &, motu suo ac lumine, diurna atq; annua dimetiatur & distinguat spacia: Luna verò solaris luminis defectum nocte compenset, & menstrua interualla definiat ac temperet: Cum vtroq; lumine reliquæ stellæ, errantes, & inerrantes, suis circumuectæ orbibus, variè afficiant orbem elementarem.

Sol primus fons lucis.

Finis corporũ cœlestium.

De hoc fine dicitur in Genesi condita lumina, vt sint in signa, in tempora, dies, & annos, vt luceant in firmamento, & illuminent terram: Et de stellis dicitur, vt luceant super terram, & præsint diei & nocti, & diuidant lucem & tenebras.

Horum lucidorum corporum, Solem quidem, & Lunam, φωστῆρας, *luminaria*, φῶτα & lumina: Reliqua stellas Deus vocauit.

Homo ex diuersis naturis compositus.

In hoc domicilium, hoc modo fabrefactum & distributum, collocauit Deus hominem, conditum ad imaginem suam, & ad vitam non fragilem & caducam, sed æternam, ex duabus diuersis naturis, miranda societate copulatis, corpore figurato ex elementis, & in hoc indita atq; inclusa alia multa præstantiore ac diuiniore natura spirituali, intelligente, libera, quam animam vocauit.

Omnia propter hominẽ condita, solus homo propter Deum.

Huius & vsibus accommodauit atque attemperauit præcipuè, & subiecit dominio atque imperio vniuersas naturas reliquas. Propter hunc enim, fabrefecerat reliqua, vt ab eo coleretur ac celebraretur vera obediẽtia, & vt vicissim suam illi bonitatem impertiret, & curriculo decurso ex hac vita transferret eum, ad æternam ipsius cõsuetudinem, in qua se coràm illi ostenderet, & communicaret. De his omnibus absolutis, dicitur in Genesi: Et vidit Deus omnia, quæ fecerat, & erant valde bona, id est, Deo placentia, absoluta, *εὔτακτα, bene ordinata seu* cõgruentia ad ordinẽ, in mente diuina, consentiẽtia inter se, & destinata ordinatis & necessariis vsibus.

Hæc bonitas rerum diminuta nunquam fuisset, aut labefactata, si in sua perstitisset homo integritate. Sed cùm is sua se voluntate, liberè, Diaboli persuasu, violata obedientia debita, à Deo auertisset, iratus Deus maledixit naturæ, & incidit in denunciatas antè pœnas & calamitates genus humanum.

Maledictio diuina causa ἀταξίας & ἀδυναμιῶν in natura.

Hæc maledictio, non destruxit quidem naturam totam, sed pulcerrimè constitutum turbauit ordinem, & dissoluit harmoniam, & fregit vires rerum, atque attriuit perfectionem. Hinc *ἀναρμοστία, euersio harmoniæ*, extitit rerum creatarum, quam consecutæ sunt mox, inter cetera, illæ *ἀντιπάθειαι, naturæ discrepantiæ*, & dissensiones, superiorũ & inferiorum corporum, & superiorum partim contrariæ prioribus, partim languidæ & imperfectæ, in deprauatam hominis naturam, actiones, atq; effectiones. Hinc, quicquid est, in orbe terrarum, *ἄτακτον, ἀκατάστατον, inordinatum, inconstans*, & confusum, ruensque sine ordine & modo: quicquid mutilum, vitiosum, enorme, prauum, & languidum emersit. Hæc materiæ elementari inflicta labes est, quam consecuta *ἀδυναμία, naturæ imbecillitas*, ciet impetus, & parit motus vagos, labantes, instabiles.

Huius

Philosophorum errores vnde nati.

Huius causas cùm non intelligerent Philosophi, aliqui ex illis, omnia nasci & interire, & ferri ac ruere casu & temerè, sine aliqua prouidentia, vt Epicurei: Alij, necessaria quadam & immutabili lege euenire talia, occulta aliqua causa, singula necessariò sic dispensante, contenderunt, vt Stoici: Alij saniores causam omnis ἀταξίας, in talem materiæ elementaris conditionem retulerunt, ac proprietatem, quam habuerit ab æterno, cùm vnde vel ipsa cœperit, vel hanc contraxerit labem, ostendere non possent, & nihil tale cœlo accidere animaduerterent, vt Platonici, & Peripatetici. Et discerni necesse est, inter naturam creatam, & hanc ἀταξίας, *confusionis*, labem, quæ pòst accessit, cuius à nobis causa orta est, quæq; crescit indies, aucta cùm senescentis naturæ inualescente imbecillitate, tum hominum malicia, & Diaboli impulsu.

Ordo naturæ turbatus quidem est sed non est penitus euersus.

Etsi turbatus est igitur pulcerrimus, & sapientissimè constitutus ac distributus ordo rerum, non euersus tamen est penitus.

Fiunt multa ἀτάκτως, & confusè: videntur, & casu, ac fortuito aliqua accidere: sed non omnia. Voluit reliquum esse aliquid, de primo & perfecto ordine, Deus, quod cōseruat, & prouidet, ac præstat, ne maior fiat labes, ac deformior. Multa corrigit & emendat, mutat multa, & plura longè, quàm quisquam nostrum animaduertat.

Cœlum mixtionis & pugnantium qualitatum expers.

Itaq; & nunc etiam totum hoc Mundi systema, ad globi figuram conformatum, non vna & simplici, sed duabus diuersissimarum naturarum partibus constat, quarum quæ conuexæ & extimæ superficiei propinqua, ambitu laxiore alteri circumducta, stellas, earumque complectitur orbes, ordine distributos pulcerrimo, ea expers est omnis mixtionis, & peregrinarum, aut inter se pugnantium qualitatum, nec vllis obnoxia mutationibus, aut affectionibus, sed vni perpetuæque alligata sorti, in qua, ex purissima & tenuissima luce, octo distincti orbes exactissima rotunditate velut tornati, ex eadem, sed copiosiore & compactiore luce conflata, sibique infixa stellarum corpora, perpetuis motibus circumuehunt.

Duplex motus cœli.

Eorum motuum vnus simplex, rapidissimus, & octo orbibus communis, eosdem, diei noctisq; spacio, omnes quo

tidie circumagens, ſtellas producit in conſpectum,& rurſus occultat ex conſpectu ſub occaſum demerſas.

Alter varius, & ſingulis orbibus peculiaris eſt, ac proprius, quo tùm ad Septentrionem ſcandunt, & per ardua enixi, ab ea meta flecti incipiunt, ac digredi ad Auſtrum: tum incitantur aliàs, atq; accelerant, aliàs. velut impediti lentius prouehuntur, aliàs in conſequentia feruntur, nonnunquam retorquentur, quandoq; ad aliquod tempus velut inſiſtunt, attolluntur alias in ſublime, & rurſus, ex alto paulatim per præceps aguntur deorſum.

Volutatæ his circa terram motibus ſtellæ concurrunt, & rurſus diſiunguntur, prætereuntibus illis, quarum orbes, vt arctiore includuntur ambitu, & breuius decurrunt curriculum, ſic conuertũtur velocius, in eoque circumactu, ſecundum interuallorum proportiones, diuerſimodè inter ſe copulantur radiis ſuis, ac configurantur: & lumine, ac motu, in ſubiectis elementis cient, miſcent, ac temperant primas qualitates: congreſſu verò, ac configurationibus diuerſis variant eaſdem, exacuendo & hebetando, vt infrà dicemus.

Elementa mixta conſtituunt corpora non confuſa, συγχύσει, *confuſione*, aut coagmentata, vel coacetuata συνθέσει, *compoſitione*, ſed vera & analogica μίξει, *mixtione*, complicata inter ſeſe, atq; coacta ὅλα δι' ὅλων, *tota totis*. Nam, & mutua ſuarum qualitatum pugna contentioneque, & cœli ſtellarumq; viribus velut retuſa, fracta, ac ſubacta, molleſcunt, depoſitaq; vehementia qualitatum, ſe mutuò complectuntur, ac velut coacta, & glutine aliquo coagmentata coaleſcunt, tum calore ſymmetro, qui cœleſti ἀνάλογος, *proportione & menſura congruus*, eſt, tum ſtellis ipſis, hanc copulationem τῶν οὐσιωδῶν, *eſſentialium*, partium in elementis gubernantibus & conſummantibus.

Corpora ex elementis inter ſe mixtis quomodo fiant.

His ſic iunctis ac glutinatis inter ſe partibus, quæ ſua ſubſiſtunt ſponte, mox ſimul, etiam quæ in iis inhærent qualitates, vt præcedentibus ſunt hebetatæ & exequatæ motibus ſic temperantur ac ſociantur ſymmetria mixto conueniente, materiæq; colligantur, & cohæreſcunt.

Ex vtriuſque tandem ſymmetrica nimirum qualitatum inter ſe commoderatione, directa ad certam formam, coali-

túq; cum materia, exit, ceu harmonia, οὐσιώδης, *essentialis*, forma specifica, quæ tanquam οὐσιώδης σύνδεσμος, *essentiæ connexus*, diuinus, abditus sensibus, νοητὸς, *menti & intelligentiæ obuius*, tum nectit, glutinat, ac continet temperatas inter sese, & coaptatas materiæ qualitates, tum, ceu vltimo ornatu accommodato, expolit, conformat, & absoluit mixtum: quam si perspiceremus, exactè naturas ipsas, actionum & virium mirandarum fontes, pænè stupendas consensiones, & dissensiones inter se rerum, intelligeremus.

Sed latet hæc abscondita à conspectu ingeniorum nostrorum, & obducta, atq; inuoluta qualitatum multiplicium varietate. E vestigio enim, cùm forma certa qualitatum, & congruens temperies velut agglutinatur mixto, immediatè comitatur, immò ferè præcedit, seu cum ipsa forma completur ac perficitur, κρᾶσις, *temperies*, primarum qualitatum, aut quæ absolutè exquisiteq; εὔκρατος, *attemperata*, est, κατ' ἀναλογίαν ἀριθμητικὴν, *proportione arithmetica*, vt nulla vincat & dominetur qualitas, aut respectu mixti proportione Geometrica.

Harum commoderationi ceteræ respondent, quarum quædam propiores materiæ, quod origo earum ἐκ τῶν παθητικῶν ἀρχῶν τῶν σωμάτων, καὶ τοῦ ὑγροῦ, καὶ τοῦ ξηροῦ, *ex principiis corporum subiectis mutationi, humido scilicet & sicco*, ab Aristotele σωματικαὶ, παθήματα & παθητικαὶ ποιότητες, *corporeæ affectiones, & qualitates subiectæ actioni ceterarum, vulgo passiuæ*, nominantur. Quædam formæ congruunt & seruiunt, quarum ministerio, efficax est illa, suasq; promit & exercet vires.

Latet verò & materia ipsa accidentibus obruta, nec, nisi ratione & intellectu cogitata, nimirum elementorum inter se transmutatione, quam in subiecto aliquo fieri necesse est, & consideratis artificum exemplis, quæ naturam imitantur, percipitur. Quare & Aristoteli tantùm est, κατ' ἀναλογίαν ἐπιστητὴ, *per analogiam sub scientiam cadens*, & Platoni, νόθῳ λογισμῷ *adulterina ratione*, comprehenditur.

At τῶν σωματικῶν παθημάτων, *qualitatum quæ corporum mutationi subiectæ sunt*, alia ἐντελεχείᾳ, *reuera*, existunt, quæ vel, ut habitus sunt corporum, ex varia humidi ac sicci commixtione, à calore producta, vt rarum, densum, graue, leue, asperum, lene, durum, molle, crassum, tenue, viscidum, *Qualitates patibiles.*

friabile: Alia tantùm κτ̓ δύναμιν ἢ ἀδυναμίαν, *secundum vim quandam naturæ, aut huius imbecillitatem*, quorum ratione, aliæ species aliter afficiuntur ab aliis causis. Huius generis illæ sunt qualitates, quarum ratione, mixta magis minúsve ad patiendum apta comperiuntur, vt πηκτὸν, ἄπηκτον, quod sistitur, aut concrescit facilè, aut non coit, τηκτὸν, ἄτηκτον, liquabile, non liquabile, καμπτὸν ἄκαμπτον, flexibile, inflexibile, & ceteræ.

Formæ adsunt Primæ qualitates, ipsi attemperatæ; & Secundæ, ex mixtione primarum propagatæ, multiplici discrimine. Aliæ enim propius accedunt ad primarum qualitatum vim: aliæ, etsi minus harum naturam referunt, tali tamen sunt vi prædıtæ quam ex primis ortam, euidenti ratiocinatione colligi potest. Tertiæ quoq;, & occultæ, quæ formarum substantiæ similiores & propiores, & immediatè annexæ, eò minus cognosci, explorariq; sensu possunt, quò à primis absunt qualitatibus longius.

De harum origine alij aliter disputant: quidam à stellis proficisci, quidam, è qualitatum primarum tali temperie, vnà cum formis ipsis produci, innasciq; mixto volunt.

Sympathiæ & Antipathiæ ex qualitatibus oriuntur.

A formis & qualitatibus Primis, Secundis, vel occultis, συμπάθειαι sunt, & ἀντιπάθειαι, *naturales consensus ac discrepantiæ*, rerum. Maior est occultarum vis, vt quæ propius formis adsunt, & exactius congruunt. Per has enim admirando modo, in res diuersissimis disiunctas à se interuallis, vires actionesq; suas diffundunt atq; extendunt.

Cognitio Sympathiarum & Antipathiarum imperuestigabilis.

Sed velle inquirere, quæ sit harum natura, qua vi cieantur, quomodo vim suam peragant, est rem tentare impossibilem. Sic Deus condidit naturas; & certis eas distinxit formis, quibus vires indidit certarum actionum effectrices. Atque, vt formas ignoramus, ita vix vnquam, quæ ab his fluunt ac dependent, occultarum qualitatum naturas peruestigabimus, & assequemur.

Mixtorum plura genera.

Porrò & mixtorum non vnum est genus. Alia, neq; ab omnium constituuntur elementorum coitu & commixtione, neq; eorum, quæ accedunt, immutatione, connexioneq; exacta & durabili: sed vt velut ex elementis duobus, terra & aqua, resolutis atque extenuatis in halitus, vi cœlesti, producta sunt leui conuersione, sic in eadem paulatim vicissim

ſim immutata reuertuntur. Huius generis Meteora ſunt.

Alia ex terreis & aqueis partibus, calore vel frigore concretis duratíſve exiſtunt, vt foſſilia corpora.

Alia ex omnibus mirificè temperatis in vnam maſſam ſpeciei σύμμετρον, *attemperatam*, vt plantæ, animantia, homines, quorum ex elementis conſtitutio conflatioq; etſi non apparet: formantur enim ex ſeminibus, tum ea vi formatrice, quæ ſeminibus ineſt, & locis accommodatis, tum cœli virtute: tamen ſeminum ex elementis origo eſt.

Hæc quamdiu tenorem eundem, aut modum ſeruant, notoq; nobis, & conſueto progrediuntur ordine, conſueta ſuiq; ſimilia pariunt ac producunt. Cùm (vt ita loquar) titubant, aut exorbitant, aut diuina, vt quæ vniuerſa regit, adminiſtrat, informat, efficit, aliáve valentiore cauſa, ad nouas inuſitatasq; effectiones cõmouentur, inſueta, nouaq; naſci conſueuerunt, quæq; admirationem, & quaſi fœditatem habent, eóque ipſo, quòd inſtare caſum rerum quempiam, pro illius nouitatis natura, in quamcunque partem arguunt, mentes noſtras, in ſingularem expectationem coniiciunt, aut metu perturbationibúsque replent.

Ex vtrorumque conſideratione, diuerſa nata diuinationum genera. Conſuetarum effectionum contemplatio, φυσιολογικὴν, *diuinationem ex rebus naturalibus*, inuſitatarum & nouarum, τερατοσκοπικὴν, *prædictionem ex monſtris & portentis*, peperit. *Diuinationes Phyſiologicæ & Teratoſcopicæ, vnde natæ ſint.*

Φυσιολογικὴν, *diuinatio ex rebus naturalibus*, ordinem connexionémque cauſarum Phyſicarum, remotarum & propinquarum, naturas, vires, effectiones, conſenſionéſque earundem inter ſe, aut repugnantias, & diſſidia, ac contentiones, inq; vtriſq; corporibus, ſimplicibus & mixtis qualitates vtraſq;, & harum inter ſeſe congruentiam, vel diſcrepantiam ceteráq; accidentia ſcrutatur & penſitat, indeq;, & ipſas rerum naturas æſtimat, & de ſecuturis coniectat effectionibus.

Nec ferè cognitiones noſtræ, quantumuis certò exploratéque comprehenſæ, quicquam ſunt aliud, quàm quædam, ex effectionibus, notisq; in ſenſus incurrentibus, de interioribus atq; abſtruſis viribus rerum diuinationes & coniectationes, & viciſſim, ex animaduerſis ſignorum effectuúmq; *Cognitiones humanæ.*

ductu atque indicio, compertisq; certò viribus, ratiocinationes, de secuturis effectibus, cùm velut de præuisis à longè censuram agimus.

Physiologiæ differentiæ.

Differentias tot ferè habet, quod obiectorum discrimina rerum natura continet. Stellas Astrologia, Meteora μετεωρολογικὸν, ἢ μετεωροσκοπικὸν, *diuinatio ex rebus sublimibus*, Plantas φυτοσκοπικὸν, *diuinatio ex plantis*, Animantia ζωοσκοπικὸν, *diuinatio ex animantibus*. Homines φυσιογνωμονική, *naturæ consideratio* appellata, μετωποσκοπικὸν, χειροσκοπικὸν, ἢ χειρομαντεία, *ex inspecta hominis facie, fronte, aut manibus addiuinatio*, & quæ expositæ sunt ὀνειροπολία καὶ σημειωτική, *coniectatio ex somniis & signis*, sed suo modo, & suas notas singulæ exquirunt ac contemplantur.

Ad μαντικὴν *artem diuinandi*, eatenus pertinent, quatenus, ex signis interiori rerum naturæ consentientibus, viribúsve obseruatis ac notatis, de perpetuo plurimarum effectionum consensu, impendens aliquod aut consecuturum prædiuinant, quod, vel indiciis certis res ipsæ præmonstrant, vel, sua vi conficiunt atq; exequuntur.

Definitio Meteororum.

Meteora vsitata vocantur corpora imperfectè mixta, nata præcipuè in sublimi, ex vaporibus vel exhalationibus, eductis eleuatisque astrorum vi & calore, de siccioribus terræ locis, aut humidis & irriguis, sed extenuatis, caloreque aut frigore in igneam, aeream, vel aqueam substantiam, commutatis.

Terra vaporum & halituum penus.

Terra, cum aspersis atq; infusis aquis in vnum conglobata corpus, mediam tenet Mundi sedem, atque infimam, in quam feruntur cuncta. Nam, & cœlestium corporum radij in eam, rectissimo procidunt lapsu, & quicquid diutius aer sustinere nequit, suopte impulsu relabens, vel procumbit in terræ conuexum, vel ipsi se insinuat. Vaporum ipsa est, halituumque, velut penu ac nutricula. Solis enim, ceterorumque fota, sucta, & mulsa radiis, quos ex aere demissos excepit ac combibit humores, quósve, aut sibi insitos, aut infusos extrinsecus celat, extenuatos in halitus, assidua vicissitudine remittit.

Aer receptaculum vaporum.

Eorum verò omnium, quæ è terra aquisque euaporant, halant, aspirant, sursumque perferuntur, receptaculum est aer, qui terram & aquas, ambitu suo complectitur. Tractus

ctus eius altiores feruent, in quem aridiores calidioresque perferuntur halitus: frigent humiliores, vbi crassiores resistunt, & humiliores. Vtrosque immutatos calore aut frigore, aut à Sole stellísve discussos, moxque dissolutos, terra rursus accipit, alterna vicissitudine, ad hunc modum, vltro citróque: nunc exorbens illos, nunc contrà expirans atque euomens. Constabitque hæc regerendi admittendíque alternatio tamdiu, quamdiu cœli circumactu, stellarum circa terram volutabuntur corpora. Ex hac terrarum disparili aspiratione, Meteororum origo, quorum ob materiam, locum, & efficientem causam, formæ sunt diuersæ. *Meteorum origo.*

Nam aut simplices sunt, aut compositæ. Simplices, aut ignitæ, aut aereæ, aut aqueæ. Compositæ his mixtis constant. Discrepant & materia, materiæque copia, vel paucitate, situ, qualitatibus, calore, siccitate, humiditate, crassitie, tenuitate, lentore, friabilitate, raritate, densitate, & compactione, pinguedine, ariditate, leuitate, grauitate, aliisque huiusmodi. *Differentia Meteororum.*

Quædam ex his incenduntur & ardent: Quædam non ardent, sed tantùm lumine perfundi, & lucere, aut, colore aliquo tingi videntur.

Differt ignis Elementum à flamma quæ est, vel πνεῦμα τ̃ξηρ̃ ζέσις, vel καπνὸς ἐκκαιόμενος, *spiritus aridi feruor, vel fumus ardens*, vt Aristoteles inquit, etsi verum is, & proximum flammæ subiectum non definiuit.

Omne enim, quod è mixto calore attenuatum & resolutum exhalat, vel ἀτμὶς est, vel ἀναθυμίασις, id est, halitus, vel expiratio. ἀτμίδα, *halitum*, edunt aquea, vel, in quibus aquea humiditas vincit & redundat: ἀναθυμίασιν, *expirationem*, terrea. *Exhalationum genera.*

Rursus ἀναθυμίασις, *expiratio*, omnis, aut est πνεῦμα, aut καπνὸς, aut λιγνὺς, aut κνίσσα, id est, spiritus, fumus, fuligo, vel nidor. In spiritu siccitas excedit, modico aqueo humido imbuta. In fumo siccum terreum crassius est, copiosiore aqueo humido dilutum. In fuligine siccitatem copiosiorem, rarius humidum, idque aereum, pingue, & lentum: In nidore rariorem siccitatem, humidum, aereum vberius, &, cum sicco exactius mixtum, complectitur. *Species Anathymiaseos.*

Ex his diuersis exhalationum generibus ἀτμὶς, *halitus*, &

πνεύματα, *spiritus*, atq; καπνὸς, *fumus*, si, aut siccitas insit ipsis nimia, aut exuberet aquea humiditas, φλογιστὰ, *inflammationi vel igni concipiendo exposita*, non sunt. Sed verum flammæ subiectum, & proximum, (quod quidem semper est mixtum) est ἀναθυμίασις vel λιγνυώδης, vel κνισσώδης, *expiratio vel fuliginosa vel nidorosa*, quarum exhalationum vtraque, cum sicco terreo, humiditatem pinguem, aëream, sed diuersam, & diuersimodè commixtam habet.

Flammæ subiectum.

Incenditur autem, & ardet talis exhalatio, cùm calor feruidus diuellit & separat in ea partes ἑτερογενεῖς, *dissimilares*, & perspicuas aereas, ex opacis terreis aliquantulum euolutas, atq; explicatas colligit, quæ quidem, & sua natura, post separationem sese diffundunt, ad ambitum extimum, terreis in imo residentibus.

Lucet autem ardens flamma, non ex sola perspicui ab opaco separatione, collectioneq;: sed inest omni mixto, δυνάμει, *potestate*, aliquid lucidi splendoris cœlo cognati, quem lumen cœleste subactæ à sese, ac temperatæ materiæ elementari imprimit, & ceu innectit: hic splendor per explicatas & solutas perspicuas partes refulget.

Materia ex qua fiunt, sunt ἀναθυμιάσεις, *expirationes*. Genera earum duo distincta: Humida vocata ἀτμίδες, halitus: Sicca ἀνώνυμα, *nomine carent*, sed à genere, ἀναθυμιάσεις, *expirationes*, sæpe vocantur.

Materia τῶν μετεώρων.

Aristoteles his generis nomen sæpe tribuit, vt cùm vtrasq; distinguit, inquiens, ἡ ἀτμὶς ὕδατος διάκρισίς ἐστι, ἀναθυμίασις θερμαινομένης τῆς γῆς, ὑπὸ τοῦ ἡλίου. Item, τῆς ἀτμίδος φύσις ὑγρὸν καὶ θερμόν: ἀναθυμιάσεως δὲ θερμὸν, καὶ ξηρὸν καὶ ἐστὶν ἀτμὶς μὲν δυνάμει οἷον ὕδωρ, ἀναθυμίασις δὲ δυνάμει οἷον πῦρ: *id est, halitus, aquæ secretio est, expiratio terræ calefactæ à sole dissolutio, item: halitus natura est, vt sit humidus & calidus; expirationis verò, vt calida & sicca: ac halitus quidem ea potestate præditus est, vt aqua esse possit; expiratio verò, vt ignis.*

Vtrumq; discrimen, καθ᾽ ὑπεροχὴν, *cum excessu seu exuperatione*, accipiendum: neque enim siccum ab humido, nec humidum à sicco abest.

Rursus ἀναθυμιάσεις, *expirationes*, aut pinguedinem iunctam habent, lentorémve viscidum, flammis concipiendis alendísque idoneum & accommodatum, qualis sulphuri inest,

inest & quæ κνισσώδεις, *nidorosæ*, sunt, aut λιγνυώδεις, *fuliginosæ* aut his carent, vt quæ καπνώδεις *flatulentæ*, tantùm, aut πνιγματώδεις *fumosa*, sunt.

Τῶν ἀτμίδων, *halituum*, multiplex secundum qualitates differentia. Exhalationes viscidæ incensæ, in ignita vertuntur Meteora: siccæ non accensæ, sed agitatæ, aërea cient. Halitibus seu vaporibus frigore aut addensatis, aut concretis, aut conglaciatis, aquea proueniunt. Vtriq;, sed seorsim quilibet, velut tincti & colorati, ἀνακλάσει, *refractione*, radiorum fulgoris ue emissi à stellis, aut, cùm lapsu ardentium exhalationum, velut fissi ac diuulsi in hiatus dehiscunt, & voragines, vel ipsi flagrantes tractus ceu dispescunt, nigri ceruleive coloris sese ignibus ingerentis specie, τῶν φασμάτων, *eorum quæ in sublimi apparent*, varias exprimunt formas. Iuncti vtriq; composita procreant Meteora.

Ignita, aut ὑπεκκαύματα *succensiones*, sunt, aut φάσματα *species seu imagines*, ὑπεκκαύματα, *succensiones*, ex inflammatis & ardentibus fiunt exhalationibus, in sublimiore aut calidiore aeris ceu promptuario. Modus inflammationis duplex ab Aristotele traditur, cùm inquit, ὁτὲ ὑπὸ τῆς κινήσεως ἡ ἀναθυμίασις ἐκκαιομένη γεννᾷ αὐτά, ὁτὲ δὲ ὑπὸ τοῦ διὰ τὴν ψύξιν συνισταμένου ἀέρος ἐκθλίβεται καὶ ἐκθλίβεται τὸ θερμόν: *id est, interdum expiratio motu inflammata, gignit ea, interdum ab aere, qui frigore concretus est, calor egeritur & eliditur.* — *Ignita Meteora duplicia.*

Ex hoc numero sunt, αἱ διαδρομαὶ τῶν ἀστέρων. ἢ διάττοντες, traiectiones, seu transcurrentes & euolantes stellæ, δαλοὶ faces, καιομένη φλὸξ ὥσπερ ἐν ἀρούραις καιομένης καλάμης, stipulæ ardentes, αἶγες capræ, δοκίδες trabes, σάλπιγγες tubæ, πίθοι dolia, Cometæ, ignes, quos antiquitas Castori consecratos, & Polluci, si solitarij illucescerent, inque malis nauium inhærescerent, aut deciderent in ima carinæ, vt grates noxiosque, metu, ac terrore: si gemini ferrentur, vt salutares, prosperique cursus prænuncios, lætitia excepit. — *Hypeccaumaton species.*

Differunt hæc, causarum efficientium vi atq; efficacia. Longè validior enim, potentiorq; vis stellarum, & plurium quidem fortius in suas actiones incumbentium, siue coeant in cœlo, siue, ex interuallis certis vires collatas iunctasque intendant, ac dirigant in rem eandem, materiam Come- — *Differentia Hypeccaumaton.*

tarum præparat, euehit, coaceruat, & intendit, impellitq́ue quàm ceterorum.

Differunt & materiæ copia, poſituq; eiuſdem, ac collocatione, prout, vel congeſta in aceruum conglobatur: vel fuſa, aut dilatatur, aut extenditur in longum, tota, aut aliqua parte ſui: vel continua coagmentatione, agglutinationéq; materiæ attractæ in corpus cohæreſcit continuum: aut in plures ſcinditur portiones: aut æquabili conſiſtit coaleſcitque craſſitie, aut alibi denſior compactiórque, rarior alibi, & ignibus plus peruia euadit. Qualitatibus denique ſuprà expoſitis, aut motu, prout velut impulſu raptúque ſiderum trahitur, vel ventis propellitur, vel agitatur aeris circumfluxu, vel ſua incitata fertur leuitate.

Phaſmatum ſpecies.

Et φασμάτων, *ſpecierum & imaginum*, genere, βόθυνοι ſunt foueæ, χάσματα hiatus, χρώματα colores, qui, aut informes ſunt, aut certis conformati figuris, & in exhalationibus, ac circa ſtellarum conſpicuuntur corpora, multiplici differentia.

Colorum origo & diſcrimina in aere.

Origo colorum, ex permixtione luminis ſtellarum, cum ſubiectis oppoſitíſve exhalationibus, aut vaporibus quandóque, & nubibus, aut concretis in nubium σύστασιν, *compactionem*, aut roridis, iamq; in aqueam eliqueſcentibus ſubſtantiam, & διακλάσει, *penetratione ſeu perfractione*, eiuſdem, ac refractione in eo corpore, cui miſcentur.

Refractio, aut tantùm colorat τὸ διαφανὲς, *perſpicuum*, corpus: aut figuram in eo, vel ipſius lucidi corporis effingit, à quo ſparſi ſunt radij, vel exporrectarum virgarum, arcúſve, aut integri circuli, prout, ſecundum æquales angulos, radij fracti ad idem centrum oculi reflectuntur, ac concurrunt. Fit enim, in omnibus, coloribus certa aliqua ſpecie figuratis, quę, vel ſub lucidis ſtellarum corporibus, vel ad latera, vel è regione conſiſtunt, διάκλασις *refractio*, geminata. Prior, qua radij fracti declinant à καθέτῳ ſeu perpendiculo, tingit nubem vaporémve. Altera, qua iidem ad perpendiculum retorquentur, formam coloratæ configuratæque nubis oculo exhibet.

Colores informes in aere.

Exhalationibus fumíſve, qualibus aerem αὐχμηρὸν, *ſqualidum*, refertum experimur, in magnis Solis ardoribus, & intenſo æſtu: illis, inquam, imbutis, colluſtratíſve, aut perſperſis fulgore ſuprà eniteſcentium ſtellarum, informes ferè co-

re colores emergunt: iisq;, & pro materiæ diuersitate ac varietate, & luminis inficientis penetratione, confusioneque cum materia diuersi, rufi, atri, liuidi, candicantes, pallidi, luridi, virides, atq; ex his mixti & temperati variè, ὅλως γὰρ ἐν τῷ μέλανι τὸ λευκὸν πολλὰς ποιεῖ ποικιλίας, οἷον ἡ φλὸξ ἐν τῷ καπνῷ: *id est, in vniuersum enim, in nigro album, multas efficit colorum varietates, sicut flamma in fumo.* Veruntamen iidem, si velut medium flagrantium exhalationum occupent, obscurentq; aut si in ipsos, clara velut ex alto flamma decidens, displodat caligantes fumos discedentis ac flammas expuentis cœli, profundarúmve fouearum speciem præbent.

Apparent autem colores eiusmodi vel sub ipsis stellarum corporibus, cum his ipsa videntur infecta earum corpora: vel in solis exhalationibus, vaporibus, nubibúsve.

Colores figurati in aere.

Figurati colores ferè in vaporibus fiunt, stellarum lumini, aut suppositis, aut è regione obiectis, aut collocatis ad latera. Huius generis sunt Irides, παρήλια, παρασελήνια, ῥάβδοι, ἅλως, *Solis imagines, Lunæ imagines, virgæ, areæ*: Quorum explicatio aliò pertinet, nostro sufficit instituto sola differentiarum enumeratio.

Meteora Aerea.

Impulso agitatóq;, calidis & siccioribus exhalationibus, aere: ventorum exurgunt flatus ac discrimina, quos, sub genus aereorum colloco meteororum. Exortu hi discrepant, mundiq; cardinibus, à quibus incitantur atque erumpunt: neque iisdem flant temporibus, aut eadem irruunt vehementia, natura etiam variante singulorum, atque effectionibus.

Ventorum genera ex ortu distincta.

Ab ortu solstitiali proflat ἀπηλιώτης, *Apeliotes*, Latinis Subsolanus. E contrario cardine ζέφυρος, *Zephyrus*, Latinè Fauonius procedit. Καικίαν *Cæciam*, qui & ἑλλησποντίας, *Hellespontias*, ortus æstiuus: huic in altero cardine, ex Diametro oppositus occasus hybernus, τὸν λίβα, *Libem*, seu Africum emittit. Ab ortu hyberno εὖρος, *Eurus*, Latinè Vulturnus, nascitur. Ex Diametro obuersus occasus æstiuus ἀργέστην, *Argesten* producit, qui & ὀλυμπίας, *Olympias*, & σκίρων, *&* *Sciron*, & ἰάπυξ, *& Iapyx*, Gellio, Corus ac Caurus Plinio. A Septentrione immugit βορέας, *Boreas*, Latinè Aquilo & Septentrio, Græcis etiam ἀπαρκτίας, *Aparctias*. Ex aduerso loco, prosilit leniore impetu νότος, *Notus*, Latinè Auster. Medius, inter Cæciam & Boreā, locus in ortiuo cardine μέσην, *Mesen*,

cognominatum ventum, qui Gellio Aquilo est: in altero cardine, ex Diametro contrarius λιβόνοτον, *Libonotum*, eodemque modo, qui Austro Euroq; intercedit medius εὐρόνοτον, *Euronotum*, cui & φοινικίας, *Phœnicias*, nomen: θρασκίαν, *Thrasciam*, contrarius efflat.

Etesiæ venti anniuersarij. Ex angulo Boreali ἐτησίαι, *Etesiæ*, prodeunt, quos anniuersarios Cicero vocat, μετὰ τροπὰς καὶ κυνὸς ἐπιτολὴν, *post solstitium & canis exortum*, & hos octiduo πρόδρομοι, *prodromi*, *quasi dicas præcursores, seu præuij*, antecedunt. Ὀρνιθίαι, *ornithiæ*, *quasi dicas auiarij*, leniores Etesiis, μετὰ τροπὰς χειμερινάς, *post brumam*, septuaginta diebus ex eodem spirant angulo.

Ἐκνεφίαι. Ἐκνεφίαι, *Ecnephiæ*, *procellæ*, *siue nubigenæ*, Autumno cientur maximè & Vere, flantibus Aquilone, Thrascia, aut Argeste, cùm in alios efflantes, hi velut ex aduerso simul incitati, occursu contrario illiduntur, atq; impingunt.

Fauonij. Fauonij Plinio hybernum molliunt cœlum, Sole Aquarij vicesimam quintam obtinere partem. Is tunc dies fuit sextus, ante Februarias Idus: hodie ad pridie Nonas Februarij ferè congruit. Eundem ad septimum Calendas Martij flantem, à quibusdam χελιδονίαν, *chelidoniam, hoc est, hirundinarium*, vocatum, ab hirundinum visu: & vno & septuagesimo die post brumam, per dies nouem, ab aduentu auium ὀρνιθίαν, *ornithiam siue auiarium*, nominatum, Plinius autor est.

Ardentissimo æstatis tempore, exoritur Caniculæ sidus, Sole primam partem Leonis ingrediente, qui dies Plinio est decimus quintus, ante Augusti Calendas, nobis circiter vicesimus. *Prodromi.* Huius ortum octo diebus fermè Aquilones antecedunt, quos προδρόμους, *prodromos*, appellant. Post biduum autem exortus, iidem Aquilones constantius perflant diebus quadraginta, quos ἐτησίας, *etesias*, vocant. Molliri eis creditur Solis æstus, geminatus ardore sideris, nec vlli ventorum magis stati sunt.

Post eos rursus Austri frequentes, vsq; ad sidus Arcturi, quod exoritur vndecim diebus ante æquinoctium Autumni Plinio, nobis pridie æquinoctij, cum 29 ferè parte Virginis. Cum hoc Corus incipit, qui autumnat. Sed πλεῖστοι, vt Aristoteles inquit: βορέαι καὶ νότοι γίγνονται τῶν ἀνέμων· καὶ ἔθελει, ὅτι μάλιστα ἀπ' ἄρκτων συνεχῶς πνεῖν ἄνεμος: *id est, Aquilo enim & Auster ex ventis soli nascuntur maximè, ac solet maximè ab Vrsis*

spirari

ſpirare ventus continuo tempore. Nam, circa æquinoctium vtrumque, multum Auſtri perflant, circa ſolſtitia Aquilones. De temporibus, quibus ſpirant, Ariſtoteles regulam tradit: *κατὰ τὰς ὥρας τὰς ἐναντίας, οἱ ἐναντίοι μάλιστα πνέουσιν, καὶ ἅμα πνεῖν τοὺς ἐναντίους οὐκ οἷόν τε, κατὰ διάμετρον γάρ: id eſt, contrariis temporibus contrarii flant maximè, ac ſimul contrarii flare non poſſunt, quippe cùm è regione quaſi ſecundum diametralem lineam oppoſiti ſint.*

Porrò, vt origine & tempore exortus atque aſpiratus, ſic natura & effectibus, non minus diſſident, ac ferè *ἐναντίοι, ἢ ταὐτὸ ποιοῦσιν, ἢ ἐναντίον, id eſt, aduerſi, aut idem faciunt, aut contrarium.*

Ventorum diſcrimina.

Frigidiſſimi, qui à Septentrione ſpirant, Boreas, Aquilo ſeu *μέσης, meſes,* & Thraſcias, cumque his Corus. Ii & reliquos compeſcunt, & nubes abigunt. Niuales, Aquilo & Septentrio. Septentrio, Thraſcias, & Corus *χαλαζώδεις, grandinoſi*, grandines important, & hyemant. Humidi Africus, Auſter, Italiæ maximè, Cæcias, qui in Ponto nubes trahere dicitur, & Subſolanus. Sicci Corus, & Eurus, ſeu Vulturnus, præterquam deſinens: Tunc enim humectat. Æſtuat Auſter: Tepidi Fauonius & Eurus: etſi hos *καυματώδεις, æſtuoſos*, Ariſtoteles facit. Iidem Subſolano ſicciores, & in totum omnes à Septentrione, & Occidente ſicciores, quàm à Meridie & Oriente.

Ventorum propria.

Nubibus cœlum turbant atq; implent, denſis confertiſque Cæcias, rarioribus Africus, autumnat vterq;. Expurgāt ac ſerenant aerem diſpioſis depulſiſq; nubibus, Septentrio, Thraſcias, Corus. Fulgetra cient cùm hi, tum Aquilo, adden ſato coactoq; aere, & expreſſis inde, atque eliſis violenter fumis, qui includuntur, ſed violenta excluſione incenſis.

Halitibus non mutatis, ſed agitatis in terræ concluſis meatibus, indéq; eluctantibus, terra conquaſſatur, ibiq; vel maximè, vbi (vt Ariſtoteles inquit) aut *θάλασσα ῥοώδης, mare fluctuans*, exiſtit, aut *χώρα σομφὴ καὶ ὕπαντρος, regio rara & concaua.* Nec ſimplici quatitur motu, ſed tremit, aut vibratur: hic *σφυγμὸς, pulſus; τρόμος, tremor* ille Ariſtoteli eſt. Præcedit verò, comitatúrque terribilis ſonus, aliàs murmur ſimile mugitibus, aut clamori humano, armorúmve pulſantium fragori, pro qualitate materiæ cohibitæ, luctantíſque, &

ad libertatem exire contendentis, formáque, vel cauernarum, vel cuniculi, per quem meat. Exilius resonat in angusto, raucus in recuruis resultat, in duris fremit, in humidis fluctuat, & stagnantibus. A concussione verò, aliàs ad infinitam altitudinem desidet terra, alibi mœnibus prostratis haustísve hiatu, alibi molibus egestis, alibi emissis amnibus, nonnunquam etiam ignibus, calidísve fontibus, alibi aduerso fluminum cursu: aliàs labes fit, aliàs, vel compresso ore, vel inducto rursus solo, ita exæquatur locus, vt nulla extent vestigia.

Aquea Meteora.

Aqueorum Meteororum, vel ex vaporibus origo est, vel nubibus, aut coactis, spissatísque, aut his, vel guttulis, quæ ex liquescente nube extillant, frigore conglaciatis. Variat hæc & ipsa vaporum natura, & vis frigoris constringentis, & regionum aeris diuersitas.

Species aqueorum meteororum.

Ex hoc numero sunt νέφος nubes, νεφέλη nebula, ὁμίχλη caligo, δρόσος ros, πάχνη pruina, ὑετὸς pluuia, ψεκάδες guttæ, ὄμβρος imber, ὕδωρ aqua, χιὼν nix, χάλαζα grando.

Fiunt hæc in media aut ima aeris regione, quarum hæc aliàs aliter temperata est, multis de causis, de quibus alibi disputatur: illa ferè, sua natura modicè calet, ex communicato infra supráque calore, qui, ob distantiam longiorem mediæ regionis, ab vtroque extremo, cœlo terráque, elanguescit. In hanc cùm perferuntur halitus calidi & humidi, euecti leuitate sua, & calore, quem qui resoluit eos calor impressit, paulatim deficiente hoc aduenticio & ascito calore, & succedente frigiditate, quòd imbecillior est calor mediæ regionis, quàm vt vel fouere vaporum calorem, vel augere possit, paulatim redeunt ad priorem naturam, & frigiditate sua ipsum etiam mediæ regionis aerem perfrigerant. Hæc à vaporibus infecta frigiditas ἀντιπερίστασει, *coarctatione seu compreßione vndiquaque circumfusa*, vtriusque extremæ regionis calidæ, supremæ & imæ, magis magisque repulsu & coactu frigiditatis intenditur. Adaucta itaque rursus, paulatim vapores ipsos magis magisque densat & cogit, vel congelat etiam, pro conditione & natura vaporum, & frigiditatis ipsius intensione aut remissione.

Diuersitas meteororum aqueorum.

Hinc illa Meteororum aqueorum diuersitas. Calidiores & ficciores terræ halitus, raras admodum, tenuésq;, & infirmas

mas densantur in nubes: in solidas, opacas, & compactas crassescunt humidiores, & magis terreæ.

Densitas earum haud dubiò coniectatur argumento, cùm Solem obumbrant: quantò plus obtegunt atque occultant lumen, tantò maior crassities ipsis, & soliditas. Crassiores itidem pondere inhibiti suo, ac depressi, ne eleuentur altius, prope terram, aut acriore frigore in pruinam concrescunt hyeme noctu: aut mitiore coguntur in liquorem roridum, Vere & Æstate.

Densæ compactæque nubes humorum fœcundæ sunt, & versæ in liquorem, comprimente frigore, imbres effundunt: Raræ tenuésque in roridas guttulas liquescunt. Quæ inter has mediæ, pluuias solutæ extillant, quæ pro ratione ac proportione nubium ad extremè crassas tenuésve imbribus guttulísve similiores euadunt.

Nubes rariores & pinguiores, frigore diuulsæ concerptæque, velut in lanarum floccos, & concretæ euolant in niuem: Hæc, si frigus liquescentem iam nubem, naturáque aquosiorem, priusquam in exactum cogatur liquorem, occuparit aquosior: si aeream, leuiorémque, & pinguiorem comprehenderit nubem, leuior fit, magisque aerea, & exertis, ceu è medio centro apicibus, stellarum instar radians nitensque.

Guttæ conglaciatæ repentino, validóque, & aucto ἀντιπεριστάσει, *coarctatione circumfusa*, frigore, inter delabendum, grandinum specie decidunt. Nebulæ fiunt, terra humentiore, aquísve vapores exhalantibus vberiores crassiorésq; quàm vt aut discuti vi siderum, consumíque, aut tam subitò eleuari in sublime vniuersi, cogíque in nubium σύστασιν, *coactionem*, possint. Caligat cœlum, in constitutione aeris αὐχμώδει *squalida*, cùm abundat vtriusque generis halitibus mixtim, sed siccioribus, atque ardentibus pluribus, quàm humidis & vapidis. Fit autem ὁ αὐχμὸς, ὅταν πλείων ἡ ἀναθυμίασις ἡ ξηρὰ γένηται τῆς ὑγρᾶς: *Squalor, cùm expiratio sicca humidam copia sua superauerit.* Columna vocatur, cùm spissatus, humor rigensque ipse se sustinet. Ex eodem genere, longa veluti fistula nubes aquam trahit.

Ex composita materia, seu arido siccóque terræ halitu,

vapori incluso, obductóq;, ceu nubium cute, βροντὴ, id est, tonitrua fiunt, flatúsq; repentini multiformes.

Tonitrua quo modo generentur.

Si in nube flatus vapórve vagus ruat, torrentium modo, luctetúrq;, & exitum quærat, agitatione illa incussus solidioribus nubis lateribus, impetúve traiectus, tonitrua edit, natura velut strangulante sonitum, dum rixatur cohibitus in nube vapor, atq; explicare sese nititur. Hæc incensorum ea agitatione vaporum impactorúmque plagæ sunt: ideóq; protinus, antequam plaga intonet, coruscant igneæ nubium rimæ. Si erumpat ardens, discussis lateribus nubis, fulmina, κεραυνοὶ, *ceraunus*. Si fissis iisdem, velut emicet flamma, & longiore nitatur tractu, ἀστραπαὶ fulgetra & coruscationes, existunt. Si maiore illatus vapor pondere incursúq; latè siccam disiiciat nubem, impetu validiore confertim proruens, procellam, quæ vocatur à Græcis ἐκνεφίας, *ecnephias*: Sin eandem rotatus arctius sinu effringat depressiore, vorticem facit, qui τυφῶν, *typhon*, vocatur, id est, vibratus ἐκνεφίας, *ecnephias*. Defert hic secum aliquid abruptum è nube gelida, conuoluens versánsq;, & ruinam suam illo pondere aggrauans, locúmq; ex loco mutans, rapida vertigine: idem illisu ipso repercussus, correpta secum in cœlum refert, sorbetq; in excelsum. Si maiore depressæ nubis erumpat specu, sed minus lato, quàm procella, nec sine fragore, turbinem commouet, proxima quæq; prosternentem. Idem ardentior accensúsq;, dum agitatur, abit in πρηστῆρα, *presterem siue igneum turbinem*, amburentem contactu pariter ac proterentem; Differt à fulmine, quod ignem habet, non concipit: Ex nube enim ardens eliditur, impetúq; conglobatur, Πρηστὴρ, *prester*, latè funditur flatu, & flamma, ex illo sui circumactu agitatúq; concepta, exardescit.

Cieri hæc, variaríq;, non meantium solùm siderum dispari ictu, radiorúmque multiformi iactu, sed multorum etiam adhærentium cœlo, quoties errantium accessu impulsa, aut radiorum contectu extimulata vires expromunt suas efficacius, aut cùm nascuntur, occumbúntve cum Sole, vel ex aduerso: longis, statis, ac consentientibus obseruationibus, etiam imperitorum doctrinæ Astrologicæ, adeò certum est, vt, si quis negare id vellet, videretur cum natura pugnare.

Quorum

Quorſum hæc cõmemoratio? Eo inſtituta eſt conſilio, vt, de quibus ex hoc numero coniectationes fiant, definiamus.

Sunt enim Meteororum alia σημαντικὰ, *ſignificantia*, alia ἀσήμαντα, *nihil ſignificantia*, quæ imminens nihil admodum, ſecuturúmve, neq; vllas effatu dignas mutationes præmonſtrant ſua natura, ſi moderata ſint, nec menſuram, quantitate aut tempore excedant.

Meteororum alia ſignificatiua, alia nihil ſignificantia.

Separo autem, & procul remoueo commenticias, & ab Ethnicis affictas tonitruis ſignificationes. Nihil enim iſtorum, ſua natura deſignant, ſed errore hominum, ſonitus fragoresque percuſſarum nubium, & ſcintillationes emicantium flammarum diuinitus ſuſcitari opinati, eo fine, vt, vel calamitatis aliquid, aut detrimenti incuterent, pro merita noxa atque culpa, qua nemo penitus vacaret, vel læta ſponderent: ne vtra portendant ambigerent, alios ictus, vibratusq; fauſtos; diros alios, prorſus abſq; ratione fecerunt.

Ἀσήμαντα, *nihil ſignificantia*, ſunt pluuiæ, niues, rores, pruinæ, tonitrua, & alia huiuſmodi. Nihil enim aliud, quàm de ſuis cauſis effectus, perhibent. Si ordine, & conueniente fiant modo, ac tempore, præſtant id terræ, quod debent: Pluuiæ rigant: Niues præſtant vicem ſtercoris, & operiunt eam, contra rigores hybernos, & aſperitatem flatuum. Sic de ceteris.

Σημαντικὰ, *ſignificantia*, vel cœli conſtitutionis, aerisque, & tempeſtatum mutationes, ventos, pluuias turbidum aerem, ſerenum, clarumque, calidiorem, humentem, aridiorem, gelidum, frigentemque, ſalubrem, peſtilentem, aut alio modo noxium, quibus continuò afficiuntur & illa corpora, quæ excitata Meteora, inductæve qualitates, tum contingunt, tum ſubeunt ac penetrant: vel priuatim ac peculiariter regnis ac Rebuſpublicis, clades, calamitates, bella, ſeditiones, conſpirationes, hoſtium irruptiones, mortes, exitia vitæ, earumque rerum, quam vitæ vſibus ac neceſſitati ſeruiunt, denunciant.

Vtriuſque generis quædam ſigna ſunt, & ſimul αἴτια ſignificationum, quædam ſigna tantùm, quędam diuerſorum ſignificatorum reſpectu, ſimul & ſigna ſunt tantùm, & ſigna, atq; αἴτια, *cauſæ*, & ſigna, atq; effectus.

Signa ſunt, & cauſæ mutationum, quę fiunt in aere, venti, halones, Irides, ignita Meteora omnia, & præcipuè Cometę.

Ventorum efficacia & significationes certæ.

Ventorum in ciendis tempestatibus, sedandísve, & amoliendis, atque aëre repurgando, quanta sit vis, obseruationum experimenta docent, non agricolis solùm, sed Medicis etiam notata. Nam attentè exquirere eas, indagare, & præcognoscere quantum referat, norunt, qui artis opera aggrediuntur & exercent, & toties Hippocrates inculcat. Hinc prædicta nata, quorum aliqua citat Aristoteles:

Εἰ δ᾽ ὁ νότος βορέαν προκαλέσεται αὐτίκα χειμών.

Protinus vrget hyems, Boream si prouocet Auster.

Item, Εἰ βορρᾶς πηλὸν καταλήψεται αὐτίκα χειμών.

Offendente lutum Borea, mox terra gelascit.

Item, οὔποτε νυκτερινὸς βορέας τρίτον ἵκετο φέγγος.

Tertia lux nunquam nocturno Aquilone laborat.

A Cæcia tractum prouerbium, ἕλκων ἐφ᾽ αὑτὸν ὥστε καικίας νέφος. Ad se trahens, perinde vt nubes Cæcias.

Serenant aërem Fauonij, & Septentriones: turbant obnubilantq; Austri: Eurus ζοφώδης, *caliginosus*, est. Sed hæc suprà exposuimus.

Halonum, Iridum, traiectionum, Cometarum, Physicos effectus exponunt Aratus, Ptolemæus in secundo τετραβίβλου συντάξεως: *quadripartitæ constructionis*, Plinius sparsim & alij.

Signa tantùm sunt colores varij, qui, in Solis, Lunæq;, & stellarum variantur conspectu ac lumine, quique, circa exortus decubitúsve cardines, Sole illucescente, aut euanescente, in vaporibus ibidem pendentibus, tinctisque Solis nitore, aut nubibus, quacunque cœli parte, & quouis tempore, ex admixtu luminis apparent, & παρασέληνα, atque παρήλια: *Lunam & Solem referentes imagines*. De colorum præsagiis lib. 18. cap. 35. Plinius, lib. 2. τετραβίβλου συντάξεως: *quadripartitæ constructionis*, Ptolemæus, Aratus in φαινομένοις: *phænomenis*, Virgilius, sub finem primi Georgicorum.

Colorũ in aëre præsagia.

Soles plures quid significent.

Plures soles ferè visos constat, cùm noua essent fœdera consuta, aut structæ adornatæq; conspirationes, vel ad rapienda imperia, vel eos, qui præsiderent, de fastigio deiiciendos: aut omnino, si aliqui res nouas molirentur, à quibus impenderent innouationes, turbationésve etiam in religione.

Velut indices hi occultorũ consiliorum, atq; in perniciem regno-

regnorum clam conciliatarum societatum, in cœlo emi- nent, nitentq; obuij omnibus. Vtque εἴδωλα, *simulacra* illa, quantumuis expressam Solis referant faciem, fulgeantque, Solis instar, clarè nitideq; adeò, vt, suo illũ splendore nonnunquã obfuscent, durentq;, quantumuis diu, tamen dissipantur tandẽ & dispereunt: ita ferè cõiunctiones, cõfœderationesq;, opprimendorũ eorum causa, qui rerũ potiuntur, initæ, in neruũ erumpunt ac dissiliũt, ipsisq; exitio sunt autoribus, quantũuis arctis deuinciantur ac muniantur vinculis, feliciterq; principio procedant. Vincit natiuus splendor, εἴδωλα asciticijs picta coloribus pereunt.

Bello ciuili, inter Cæsarem & Pompeium, finito, ante Octauij, Antonij, & Lipidi triumuiratum, conspecta Parelia, anno vrbis 710. Antonio & P. Cornelio Dolabella COSS. Itemque biennio pòst, M. Lepido & L. Planco COSS. significabant & coniunctionem illam, & non diu duraturam societatem, duobus idolis, ceu in ventum dissipatis, remanente & rerum potiente tertio: Exempla vidimus plurima, ætate nostra. *Exempla conspectorum Pareliorum.*

Recens, ante confœderationem Principum Germanicorum, cum Gallico Rege, anno 51. circa tertiam, à Solis exortu, horam: 21. Martij, conspeximus Parelia, quæ nitore propemodum Solem antecellebant. Erant arcu connexa Iridis variato coloribus, & in occasum vergente, quem consequebantur duo alij, corniculata specie, minores multò, & angustiores, iisdem insignes coloribus, seque exteriore contingentes ambitu: Eorum alter, conuersis in Solem cornibus, auersis alter, atque in occasum porrectis, diutius vnius horæ spacio, cernebatur. Quæ portenderint, euent⁹ ostẽdit.

Anno 41. circa tertiam à Meridie, aliam vidimus Pareliorum faciem. Sol velut in centro consistebat: eum duo cingebant circuli lucidi: in ambitu interioris vtrinque nitebat παρήλιον *solis imago*, ceu ad extremum terminum diametri, per centrum Solis traiecti, constitutum: exteriorem arcus Iridis colore varius, effigie falcis, cornibus in Septentrionem versis, inscindebat. Quæ coniunctiones Regum & Principum, qui motus sint secuti, notum est.

Ante bellum ciuile Ludouici Bauari & Friderici Austriaci, quo, de imperio dimicarunt, παρασέληνα, *Lunæ mul-*

tiplicatæ imagines in cœlo visæ, Anno 1314, & dissensionem Electorum,& studia partium portenderunt.

Signa tantùm, simúlque signa sunt, & causæ, sed relata ad res diuersas consideratione, cùm pleraque Meteora *ἀσήμαντα nihil significantia*, etiam, si præter naturam, prætérque vsitatum & consuetum morem, aut vehementius ingruant vrgeántque, aut alieno insolitóque tempore compareant: cuiusmodi sunt, hyberno tempore,sæuius excussa fulmina: impetuosæ, procellosæ,inundantes,&,rapidissimo fluxu,instar vorticum, ruentes aquæ pluuiæ: aut turgescentia flumina; violentius incumbentes, instantes, & concutientes, ventorum flatus ac turbines, terræ concussiones:tum verò vel maxime Cometarum ardores.

Inundationes quid portendant.

De aquarum inundationibus atque effluxibus, nota est vox sacrarum literarum, Aquæ multæ populi multi: Nec effusas vnquam impunè intumuisse aquas, aut frustra ventos, insolentiore tumultu increpitasse, suis nullæ non gentes experimentis, moxque insecutis cladibus didicerunt, etiam nostra, immò recentissima memoria, incursionibus peregrinorum exercituum, direptionibus, incendiis, cæde vastatis omnibus. Exempla sunt in conspectu.

Situs vrbis Budißinæ.

Vtrunq; hoc anno 52, mea patria experta est octidui spacio. Sita est ea ad radices montium, quos Sudetes vocat Ptolemæus, in aditu Lusatiæ superioris,Budissina nomine, duobus,ab exortu Sueui fluminis, miliaribus.

Sueui fluminis inũdatio.

Sub occasum Solis 13 Augusti,cùm fragmen nubis auulsum, præcipitiq; delatum motu, & rapido, in valles piscinis frequentes, tum obruisset compleuissetq; alueos, tum rupisset aggeres: aquæ, exitu patefacto, in vicinum vndatim decurrere Sueuum, qui subitò, & de improuiso prorsus,auctus his,eleuatusq;in altitudinẽ,nullis antè memoratam annalibus,cùm per decliuia, ex altis montibus, celeriore alioquin feratur vortice,incitatus ruentiũ aquarũ copia atq; impetu, spacio duorum miliarium, quicquid fuit pontium, ædium, hortorum ripæ vicinum, funditus subrutũ disiectumq; solo, æquauit,vt ne vestigia quidẽ ędium,hortorúmve reliquerit, & simul triginta duos merserit homines, prope oppidum abreptos: ceteri in vicinos euaserunt colles. Affirmant in toto illo tractu,plures centenis obrutos atq; extinctos esse.

Octiduo

Octiduo circumacto, turbines secuti sunt ventorum tanti, vt validissima ab imo mota conuulserint ac disiecerint ædificia, & proceras arbores, magno numero, aut radicitus euulsas prostrauerint, aut contortas fregerint, aut velut inciderint medias.

Octiduo ante diem natalem Christi, cœlum discedere, & crebris fulgere ignibus, moxque horrendo summum templum feriri fulmine visum est. Tota hyeme, pestis sæuiit violentissima.

Tremores cõcussæ terræ (quos magna bella semper, perniciosasq; seditiones denunciasse historiæ tradunt) eodem hoc anno Sudetes montes, atque in illis extructa senserunt oppida, non vnos binósve, sed plures ac continuos, tremiscentibus, ceu ad ventorum distinctos impulsus, & vibratus vehementiores, ædificiis. Minantur hæc dubio procul clades sænas, & calamitates, quas, vt Deus clementer mitiget, propter Ecclesiam, & parcat innoxæ atque insonti ætati, propter æternum Filium Iesum Christum oro.

Omnino, quæ vsitatam ac tritam naturæ viam excedunt, quacunq; in parte ea percellunt conterrentq; hominũ animos, quòd magnopere rebus humanis, non quidem adferre semper, atq; immittere, sed ferè portendere semper mala, non vnius aut definiti generis, verùm quicquid est calamitosum, soleant, à quibuscunque oriantur causis, vel naturalibus, sed supra naturæ mensuram auctis, vel Deo ipso, atq; Angelis, vel Dæmonibus, quorũ in aëre potentia præcipua.

Veteres sapientes, quò, vt ipsi dicebant, pacarẽt humanas mentes, & omni exuerent metu numinis, quo dum alligarentur, quietæ esse possent, omniũ, quæ fieri conspicaremur, rationem reddere euidentem conati sunt: scilicet, ne quid opinionis relinqueretur diuinitus aliqua suscitari, atq; ita irretiti metu numinis, in perpetuis versaremur horroribus. Quibus ne assentiamur, autoritas sacrarum literarum facit, quæ affirmant, præter consuetum solitumq; modum, multa à prima illa causa, rectrice & moderatrice vniuersæ naturæ incomprehensibili & infinita, quæ liberè seriẽ connexarum causarũ, quacunq; illa patet, perficit, tenet, gubernat, mouet, exacuit, reprimit, compescit, & mutat, excitari insolitorum & singularium casuum prænuncia: multa moliri & turbare

Veteres, quo consilio, rationem omnium, quæ fierent in natura, reddere conati sint.

Causæ insolitatorũ euentuum.

Diabolos,permissu Dei. Ergo,præter Physicas & in conspectu positas causas, aliæ etiam occultæ insueta efficiunt.

Sed hoc genere inusitatorũ euentuũ,non enormia illa,& tota specie,ab effectionibus causarũ naturaliũ discrepantia, de quibus in ostentis,verùm naturalibus specie cõformia intelligi volo,sed moderationẽ ac metas naturę egressa quãtitate, vel tẽpore, aut rara. In quo numero,comata sunt sidera minimè frequẽtia&cõspectu maximè admirabilia, de quorũ semper dubitatũ est origine,cùm incẽdi diuinitus, ꝓponiq; ad denũciandas clades alij, alij, ex coaceruata in aëre,instar amplissimorũ montiũ,lenta, tenaci, & inflãmabili materia, percussaq;, & inflãmata stellarũ radijs, nasci eos censuerint.

Origo Cometarum.

Coniecturæ tamẽ non leues ostendunt,aridis cõpactisq; in aëre halitibus flãmas constareCometarũ,quas percẽsere, hoc quidẽ in loco superuacaneũ iudico, & nimis foret longum, cùm de his eruditorũ extent prolixæ cõmentationes.

Nam, vbi terra aridorum calidorumque halituum maiorem ediderit copiam, & continua longi temporis successione:tunc in elatiorem aëris, tanquam promtuariam cellam rapti effumantes halitus illi pauciores primò, acrariores, mox accedente multitudine aucti cõglomeratique, pòst magis magisque cocti, & ariditate, ac spissitudine sua quodammodo in fuliginem versi, cœlestiumque corporum radijs flagellati atque incensi, exardescunt: proque materiæ suffumigatæ conglomeratione coalituque, non vnam semper sed aliam atque aliam speciem præ se ferunt. Si quæ ascendunt ab inferioribus, coalescendo inhærendoque, inferiore à parte ,longiore tractu propendeant deorsum: iubam in speciem prolixioris barbæ exerũt,& *πωγωνιῶν barbatorum* repræsentãt speciem. Si in vnum velut globata congerantur & coaceruentur cumulum, nulla dependente appendice:comarũ modo circumquaq; horrent, ceu villis hispidioribus cooperta, formantque comata & crinita sidera.

Species seu formæ Cometarũ vnde sint.

Neque vniuersa materia, eodem momento, vel subleuatur,vel, in tantæ molis coagmentatur corpus: sed paulatim effertur, sibique inuicem adhærescendo coit ac crescit, ac velut subacta siderum radijs,coctaque lentescit,donec concepta,ex illis stellarum radiis flamma,incendatur atq; illucescat:flagratque,donec, deficiente pabulo,ignis euanescat.

Rationes eorum, qui Cometas stellis annumerant.

Qui Cometas stellas faciunt, ex eadem cum ceteris materia conflatas, etsi, & hi dissentiunt inter se, tamen, vt hoc opinentur, adducuntur, argumentis tractis ab effectionum, significationumq; mirandarum experimentis. Nam οὔτις κομήτης ὅστις οὐ κακὸν φέρει: *non est Cometes, qui malum non enunciet*, vt præclarè Ioachimus.

Effectus & significationes Cometarum:

Non mortes tantùm infligere, atq; exitia, pestiferis aere infecto cõfertoq; halitibus, æstusq; commouere, ac procellas, & terræ motus, torrefacto aere, corporibus ceu vstulatis, & humore epoto, atq; in fumum soluto: sed bella seditionesque concitare, omneq; violentum, sæuum, exitiale, mortiferum, cruentum, incertum, varium, mobile, inferre, quotiescunq; enituerint, consensu gentium certum est.

Huiusmodi effectiones, nõ ab ardẽtibus fumis cieri posse, putant, sed requiri aliã vim maiorem. Idcirco quidã ex illis Cometas æternis stellis annumerãt, voluiq; circa Solẽ, instar Veneris & Mercurij, & latere volunt plerunq;, & rarò tantò disiungi à Sole spacio, vt præ fulgore eius cernantur.

Quidam diuinitus nouos fabricari, vt præuios magnarum cladium, & horribilium casuum, aboleriq; suo perfunctos munere, arbitrantur.

Alij has effectiones in materiam referunt. Ideò inquiunt, furores turbasq; exuscitari à Cometis, quòd, vehementia incendij humores torreant, atq; adurãt, cumulentq;, & acuant rubram bilem. Ea efferuescente, tum incandescunt animi facilius, leui quauis occasione irritati, tum exiliunt impotentius, atq; efferuntur, iisq; transgressi fines rationis, in scelera facinorum erumpunt, rapinas, iniurias, cædes.

Aliquid hi dicunt: Veruntamen neutri rectè, neq; hi vim omnẽ, in halituũ molem, & flammæ vehementiã conferunt, neq; illi propinquas, & ex elementis cõtractas causas tollũt.

Materia & causa efficiens Cometarum.

Fiunt comata sidera, siccis è terra aspirationibus, ad superiores aeris partes raptis, moraq;, & cõtinua eleuatæ materiæ successione adhæsioneq; cõgestis, tandemq; inflãmatis: sed accedit alia vis maior, quæ eductos in sublime fumos cogit, iungit, cõtinuat, radiis suis, velut flamma subdita, incendit, impellit etiam quandoq;, & ducit, nimirũ errantium siderũ congressus, configuratioq;, sub idoneis octaui cœli locis, atq; imprimis Martis, Mercurij, Saturni, & Lunæ, præ-

sertim si in luminum hi incidant deliquia. Marcescit humor corporum, isque, qui eum regit ac sustentat congenitus calor, Luna deficiente.

Si eodem momento ij, qui nominati sunt, Planetæ coëunt, exprimunt inde, magna copia lentos, viscidos, ac venenatos halitus, vel putrefacto, vel corrupto alioquin, vel velut assato humore: Calore eos Mars, natiua vi Mercurius gignit: Saturnus corpora, ne expirent illi, ac dissipentur, astrictione comprimit ac cohibet: Repleta tandem recludit Mars, euocatque inclusos & turgescentes fumos.

Nunquam ferè emicuerunt crinita sidera, quin tales errantium stellarum, vt fœdiores, magisque infaustæ, præcesserint constitutiones, quæ, vt terram & aquas ita multò magis tenera hominum atque animantium afficiunt corpora, exasperant humores, infestant præcipuas vires, omninoque in temperamentis mutationes efficiunt insignes, à quibus vehementiores, magisque feruidi oriuntur impetus, qui respondent impressis effectionibus.

Ceterum ad res communes siue publicas, decreta Cometarum potissimum pertinent. His enim fere vt insignes Planetarum coitus felicia spondent: sic infesti aduersique seditiones, tumultus, bella, præsidentium interitus, vastitates, & quicquid est huiusmodi, minantur, pro locorum, in quibus concurrunt, conditione, cumque terræ partibus, & regnis ac Rebuspub. congruentia & familiaritate.

In Cometarum consideratione quæ notanda.

Hæc cùm obseruassent illi, qui primi Cometarum considerarunt significata, præceperunt loca, in quibus primùm emicant, colores & durationem perpendere. Multum referre arbitrantur, in qua cœli quasi vncia effulgeant, sub quo octaui orbis sidere: an prope commissuras absidum, quas caudam & caput Draconis vocant, vel procul ab his: & quorum siderum, tanquam dominorum imperio subiacent, in quas abeant partes, quaque crines explicent, aut inclinent iubam: quo colore splendeant, sanguineóne, vel rutilo, pallidóve, aut lucido, vel liuido & cinericio: denique, an diu conspiciendos se præbeant, vel modico tempore. Vbi antegressæ hæ coniunctiones satis præpararunt atque immutarunt corpora, tandem suis cuncta flammis, Cometæ intendunt & absoluunt.

Si histo-

Si historiæ recentes & antiquæ euoluantur, incendia Cometarum nunquam sine terrore ingenti illuxisse, nunquam sine calamitatibus deflagrasse, apparebit. *Cometarum cōspectus semper infaustus.*

Eo tempore, quo Græciam Xerxes decies centum millibus hominum intrauit, Cometes fulsit cornu figura, qui & ipsi cladem, quam ad Salaminem accepit consilio Themistoclis, ac turpem fugam, & internecionem reliquo exercitui, quē Mardonio commendarat, ad Plateas, portendit.

Paulò ante initium belli Peloponnesiaci, ingens Cometes, post Solis occasum enituit, & continuos septuaginta quinque dies arsit. Mox tanta ventorum coorta vis, vt fragmen à monte auulsum in sublime abripuerint, quod vbi ad vrbē Thraciæ Ægospotamos decidisset, è cœlo præcipitatum fuisse, creditum est. Non ita multò pòst, bellū Peloponnesiacū exarsit, quod totos viginti octo durauit annos, & toti Græciæ exitiale fuit. In fine belli ad illū Thraciæ locum, Athenienses nauali prælio victi à Lacedæmoniis, Lysandro duce, cùm classe imperium Græciæ amiserunt.

Ante cladem Atheniensium in Sicilia, quæ accidit, Olympiade nonagesima secunda, Euclea Athenis Prætore, Cometa in Septentrionali parte cœli, Sole circa hybernas versante conuersiones, visus est.

Aristæo Athenis Prætore, anno quarto Olympiadis vicesimæ primæ, ingens Cometes, hyeme, cœlo sereno, & frigore intensissimo, vesperi ab occasu Solis, conspectus est, cuius splendor tertiam cœli partem occupauit: Ab occasu æquinoctiali, versus Austrum processit, &, cùm ad cingulum Orionis peruenisset, extinctus est. Hyemis illius reliqua pars fuit admodum sicca, & abundans flatibus Septentrionalibus. Postea, cùm contrarij venti simul spirarent, Aquilo in sinu Corinthiaco fluctus concitauit, extrā sinum verò Auster obluctans, cùm fluctus intra sinum cogeret, pòst aliquot terræ motus, quibus Achaiæ vrbes Helice & Bura corruerūt, accidit etiam diluuium, quod magnā Achaiæ vastitatem attulit. Anno secundo pòst, Lacedæmonij, à Thebanis ad Leuctra Bœotię victi, fractiq; vno prælio, nunquam amplius pristinam recuperarunt potentiam.

Lycomacho Athenis Prætore, anno quarto Olympiadis centesimæ nonę, Cometa visus est, iuxta circulum Æquino-

ctialem. Hunc secutus est ventus horribilis, prope Corinthum: & paulò pòst, Athenienses, Demosthenis suasu, cum Philippo Macedone congressi ad Chæroneam, cæsi sunt, amissis duobus millibus ciuium: desiitque, cum hac clade Græcorum potentia & libertas.

Anno Vrbis sexcentesimo septimo, arsit Cometes totos triginta duos dies: Carthago mox à Scipione capta & diruta est.

Ante Ciuile bellū Cæsaris & Pompeij, aliquot cōspectos Cometas, Plinius autor est, & Lucan⁹, cuius noti sunt versus:

Ignota obscuræ viderunt sidera noctes,
Ardentemq́ polum flammis, cœloq́ volantes
Obliquas per inane faces, crinemq́ timendi
Sideris, & terris minitantem bella Cometen:

vel, vt alij, mutantem regna Cometen.

Post Cæsarem interfectum, crebri itidem effulserunt, vt Vergilius testatur;

Non aliàs cœlo ceciderunt plura sereno
Fulgura, nec diri toties arsêre Cometæ.

Ex horum numero is fuit, quem tempore ludorum, per dies septem, in regione cœli Septentrionali, conspectum, & oriri solitum, circa vndecimam horam diei, legimus.

Anno 1 Imperij Vespasiani, supra Ierosolymam, Cometes annum integrū fulsit: altero anno vrbs capta est, & perierunt fame & gladio vndecies centena millia Iudæorum.

Antecesserunt Cometæ & Arianam hæresin, & Imperij Romani, sub Arcadio & Honorio, vastationem, distractionemq; à Vandalis & Gothis, & exortum Mahometis in Arabia, & Bulgarorum in Thraciam irruptionem.

Anno Christi 1109, arsit Cometes, secundo anno Imperij Henrici V. contra quem, cùm Pontifex armasset Saxones, funestissimum bellum in Germania accendit, quòd, quanquam quinquies multo esset depugnatum sanguine, & præstantes principes periissent plurimi, sedari tamen non potuit, donec Imperator victus pertinaci ambitione Pontificum, edictum aui Henrici tertij aboleuit, quo sanxerat ille, ne quis pro Pontifice agnosceretur, nisi Imperator electionem ratam habuisset.

Anno 1314, Cometa, horribili specie, tres continuos menses

ses flagrauit, post Hernici VII mortem. Is bellum designauit ciuile, quo Ludouicus Bauarus, & Fridericus Austriacus, dissentientibus Electorum suffragijs, simul electi, de imperio octo annos decertarunt, donec tandem Friderico in prælio capto, solus Ludouicus Imperium retinuit.

Eo regnante, mox alij effulserunt duo, alter, anno 1337; alter, biennio pòst. Secuta hos est, præter atrocem pestem, perniciosa dissensio Electorum, qui à Clemente Pontifice incitati, deposito Ludouico, Carolum IIII crearunt. Mox & eodem amoto, Guntherum Comitem Schwattzburgensem accersiuerunt: quæ res nouos peperit tumultus, & iterum ad arma concursum est: breui pòst tamen veneno sublatus Guntherus, Imperium Carolo concessit.

Vidit ætas nostra Cometas, anno quingentesimo, & pòst sexto, & rursus tricesimo primo, secundo, tertio, & octauo, quorum cùm extent descriptiones, & noti sint effectus, prætereo eos.

Nec innoxiè vnquam, citraq; cladem aliquam, ardentes in cœlo euanuerunt faces: quanquam illarũ, quas in historicis notatas reperio, non paucas Cometas fuisse, existimo. *Faces visæ futurorum euentuum omina.*

Anno vrbis 550, Setiæ fax conspicua, ab ortu Solis in occasum porrigi visa. Eo anno, Scipio, ex Sicilia, in Africam traiecit, &, agris peruastatis, Hannonem iuniorem occidit: Sempronius tum Consul, cum Cornelio Cethego, aduersus Hannibalem, primò infeliciter, secundò prosperè debellauit, cæsis Pœnorum 4 millibus.

Altero anno pòst, alia rursus visa fax. Eo Scipio Pœnorum castra ad Vticam incendit, & receperunt multas Romani in Brutiis ciuitates: Hannibalem, in Crotoniensi ceciderunt agro: Magonem Hannibalis fratrem, cruento vicerunt prælio: Castris Syphacis Regis, flamma expugnatis, cum ipso rege potiti sunt.

Anno 587, Lauinij conspecta fax, &, anno sequenti, altera Lanuuij: Eodem deuicti Gentius Illyriæ Rex, & Macedoniæ Perseus.

Anno 617, Præneste fax luxit & tonuit sereno: paulò pòst cœsus ad Numantiam Hostilius Mancinus consul.

Anno vrbis 654. Tarquiniis fax ardẽs flammã longè lateq; sparsit, subitoque præcipitata lapsu decidit. & orbis clypei

figura, sub occasum Solis, ab occidente in orientem protendi, visus est. Eo anno, in Sicilia, trucidati sunt fugitiui.

Anno 660, & totum arsit cœlum ignibus, & fax emicuit: paulò pòst, à Scipione rebelles Hispaniæ principes domiti, & supplicio affecti sunt.

Quæ fulsit noua stella nostro sæculo, anno 1572. à Christo nato in Cassiopeæ sidere, ad septimam tauri partem: respectu verò polorum Mundi, in Ariete: latitudine borea partium quinquaginta quatuor, motus proprij omnis expers, & sequenti anno tertio & septuagesimo, attenuata paulatim, corpore & lumine decreuit, donec euanuit: Cometes itidem, qui deinceps, sub finem septimi & septuagesimi anni arsit, circumq; solem voluratus, cauda in partem non soli directè, sed Veneris stellæ aduersam, motu initiò celeriore partium quinque, & lumine sensim deficiente, à nona Nouembris anni septuagesimi septimi, vsq; ad vicesimã sextam Ianuarij anni sequentis, in Pegasi asterismo expirauit. Hæc duo meteora, non immeritò viris eruditis totam à Peripateticis, de Cometarum ortu, materia, & situ, rationem labefactatam adduxerũt in dubium, cùm obseruationibus parallaxeon deprehensa sint, non in elementari, infra Lunam, sed stella illa in æthereo summo: Cometes in eodem tractu, sed positu humiliore, qua Venus circa solem vertitur. Elementares autẽ motus & mutationes inuehi in regionẽ ęthercam, non possunt, nisi τὸ ἀναλλοίωτον καὶ ἀμεταβλητον, *naturã alterationis & mutationis experiẽ*, tollere ex illa, & cũ Epicureis deliriis igneas stellas fingere, quæ pabulo halituũ elemẽtarium reficiantur ac foueantur, velimus, contra perpetuæ experientiæ veritatem. Neque, in hac sola parte de cometis laborat & hæret philosophia peripatetica, sed in multis aliis meteoris, vt in ventorũ, fulminum, grandinum, niuium, terræmotuum, æstuum marinorũ, tempestatum, & similium descriptionibus. quorũ si quis existimat, causas & rationes peruestigatas satis, & explicatas esse, meo iudicio, multum errat. In his, quid doctrina sacra Deo tribuat. Psal. & Prophet. testimonia docent. Psal. 18 104. 144. & aliis, de ventis expresse dicitur, quòd educat eos Deus de thesauris suis. Non fuisse autem ἄσημα meteora illa prædicta duo, satis docuerunt, quæ stellam nouã mox comitata est religionis per Germaniam

mutatio,

mutatio, & ab hac excitatus motus, quæ tamen paulatim impetu remittente cõsederunt rursus, sed repressa diuinitus victricis veritatis luce ac robore, quod & Cometes cursu citatiore initiò, sensimq; languescente deinceps declarauit. Sunt verò consequutæ & illæ, quę sæpe renouatæ sunt & exasperatæ persecutionum lanienæ, & armorum conflictationes in Belgio & Gallia. Dei opera talia sunt, & ad prędictum pertinent de signis apparituris in Sole, Luna, & Stellis, quorum crebriora & stupenda magis, sub vltimam mundi ætatem, Christus haud dubiè euentura denunciat.

Sub quo sit genere diuinationum reponendũ *τὸ μετεωρολογικὸν: id est, diuinatrix prædictio ex iis, quæ in aere cernuntur*, definiendum restat. Physicum esse nemo inficiabitur, cùm ex causis, de effectibus; ex signis, de significatis ac præmonstratis euentibus ceu ratiocinetur. *Meteorologia ad quod diuinationum genus referenda.*

De ventorum effectibus, quos experientia notare didicerunt etiam imperiti, eruditè disserit Aristoteles in Problematis.

Quantum Medico contulerit, ad præuidendos publicè grassaturos morbos, arteque prohibendos & amoliendos, aut, si prohiberi nequeant, meditandam aptam curationem, vel iudicandas corporum constitutiones, aut *τὰ ἐνδήμια* vocata *νοσήματα*, & *σποραδικὰ: id est, morbos patrios seu vernaculos & qui sparsim inuadunt*, cognoscenda, prænosse tempestatum ventorumque appulsus, naturas, effectiones, ad loca quæuis congruentias, sæpe & monet, & reipsa declarat Hippocrates.

Sed de illis ambigitur Meteoris, quæ signa tantùm sunt, cùm non semper significatorum causæ conspiciantur: vtrum Physicorum censeri signorum nomine debeant. Colorationes nubium, vaporum, luminum, stellarum, atque earundẽ scintillationes, vel occultationes, & figurati colores, vt Irides, areę, euidentes habent suarum designationum rationes. Etenim illis annexa cohęrẽs causis, quę, vel designatos effectus, vi sua moliũtur ac perficiunt, vel illis materiam prębent, aëris q; referunt constitutionẽ &, an is, vel purus sit ac quàm minimũ halituosus, vel halitibus abũdet, ijsq;, aut raris, tenuibus, dispersis, fluctuantibus, leuibus, fumosis, aut densis, crassis, confertis, humidis, aut mixtis.

Solis orientis & occidentis color notat certas tempestates.

Cur Sol purus oriens & non feruens, serenum diem nunciet, pallidus hybernam grandinem: Cur, si ante exorientem eum nubes rubescant, ventos: si nigræ rubentibus interueniant, pluuias: si occidentis atq; orientis nubes pariter rubeant, ciere pluuias iudicentur: Cur, si circa occidentem rubescant nubes, serenitatem futuræ diei spondeant: Cur, si vna Lunam area cingat, eaque sit pura, & paulatim dilabatur atq; euanescat, serenitatem: si duæ aut plures, vnaúe impura, hyemes: atq; has, cum ventorum turbulentia, si & subrubeant, & pluribus in locis rumpantur: cum niue, si quasi perruptæ appareant: sæuiora omnia, ac difficiliora præsagiant, si caliginosæ sint, ac spissæ: quæque sunt eiusmodi à Plinio recitata, Ptolemæo, & Arato, manifestum est. A desse enim copiam materiæ idoneæ & sufficientis talibus ciendis tempestatibus, declarant.

Quarta luna quare reliquorum dierum tempestatem notet.

Neq; illud obscurum, cur quarta Luna Vergilio, tertia & quarta Arato, secuturam, reliquis diebus tempestatem prænotet atq; explicet: Nimirum, quòd recens à coniunctione prodiens, alterutro ferè horum dierum primo sese conspiciendam præbet, exili adhuc, & incornua curuato lumine. Etsi enim primo quandoq;, quandoq; & secundo à coitu die, sese emersam profert: frequentissimè tamen tertio demum enititur, & euidentissimè hoc ipso, aut quarto cernitur.

Si ergo tunc tenue adhuc, & minutum Lunæ iubar nitet, puro lumine: & vacare aërem superfluis halitibus, & stellarum positus serenare aërem, discussis iis, quos terra exhalat, vaporibus, minimumq; halituum edere: Si rubet, affluere eundẽ siccis ac leuib⁹ aspirationibus: Si nigricat, coire plurimos vapores, ac consistere in nubiũ crassitiẽ: Si pallet, vaporũ copiã, qui in pluuias densantur: Si rutilat, ceu nigricans purpura mixtorũ vaporũ congeriẽ in aëre, & vim stellarum colligentium, fouentium, & augentiũ talem materiam, denotat. His conuenienter afficitur aëris constitutio, reliquis diebus. Neq; enim vno momento, quicquid est vaporum, aut cogitur, aut dissoluitur, aut consumitur in pluuias, ventos, vel incendia: sed, & durat longiore tempore, & alitur atque instauratur, si deficiat, stellarum vi, quarum idonei positus collectionem vaporum semper præcedunt.

Cur procellosi ventorum flatus, & insolitùm tumultuantes,

tes,aut impetuosæ pluuiæ,aut terræ concussiones,aquarúmve exæstuationes & effluxus, hominum generi portendant, præter clades,quæ inferunt, alia maiora damna & discrimina: Cur παρήλια aut παρασέληνα: *Solem aut lunam referentes imagines*, vel concertationes de primatu in Ecclesiis & Imperijs, vel, ad turbandū publicū statum, cōtractas societates insinuent, obscurius est, & explicatu difficilius; præsertim, cùm sit anceps ac dubium, origine ne naturæ prouenerint à Physicis excitata causis, an sint diuinitus immissa, vel artificio confecta ac producta Diaboli. Quòd & denuncient & apportent mala, nostris edocti malis nouimus.

Aquarum significata vox cœlestis interpretatur.

Cur pestem, annonæ caritatem, perniciem frugum, aliaq; huiusmodi, & aquæ, & cetera designent, cōspicuū est. Suffocant, aut alluuione exterunt semina, enecant, in floribus fructuum, hoc, quod est κάρπιμον, *fructiferum* vel decutiunt, aut flores, aut præcoces fructus, strangulant segetem, fœcunditatem terræ exhauriūt, efficiunt putrefactiones magnas, aut has à stellis excitatas, aliísve causis consequuntur.

At bella, seditiones, irruptiones hostiū externorū, cædes, aut quosuis Tragicos motus, si immittuntur diuinitus, ideo præsagiunt, quòd his, de statutis & iam ingruentibus pœnis commonefieri homines, Deus vult, vt aliqui conuertantur.

Si à causis cientur naturalibus, sed de coniunctis viribus validius auctis: ipsæ eadem causæ pariunt, quæ hi effectus designant. Si autor eorum Diabolus est: aut præuisa, atque impendentia humano generi pericula his præcinit, vt plus cruciet, calamitatibus cumulatis, & formidine iniecta: aut secuturum nihil præmonstrans, tantùm hoc agit, vt corpora lædat hominum, & sustentandis illis, tuendisque necessaria inuertat ac perimat.

In Pareliorum spectaculo, Sol regum gerit personam, eorúmve, qui præsunt: Cuius, vt & nitori insidiantur, & splendorem imitantur, atque vsurpant ascititio fuco Parelia: ita eos adumbrant, qui regna affectant, & principatus, eosque ad sese, detrusis legitimis dominis, transferre annituntur. Qui accedunt circuli, & circulorum colorationes, artes & machinationes, quibus, & struunt quod moliuntur, & ornant, atque excusant, referunt. *Pareliorū significata.*

Sed cùm reddi ratio omnium, quæ fiunt, quæque à Physicis indicantur signis, nequeat, vbi ratio deficit, consentientis experientiæ testimoniis insistere ac niti satis est, quæ vice demonstrationis sunt.

Nec abiiciendum ideo *τὸ μετεωρολογικόν: id est, diuinatio ex iis quæ visuntur in aere*, quòd qualia quæuis insueta raraq; in specie adferant, non pernoscit ac perspicit. Etenim non eruere ea omnia, ac peruestigare humana mens, quę assiduè oculis obuersantur, & certa consistunt lege, potest: quantò minus insolitè, noueq; accidentium casuum, aut perscrutabitur causas, aut prospiciet fines atque effectiones: nec præsciri Deus omnia voluit. Satis est de his nosse, quòd nec irrita sint, nec *ἄσημα. expertia significatorum.*

DE ILLIS SPECIEBVS, τοῦ φυσιολογικοῦ, *diuinationis ex naturæ consideratione, quas φυσιογνωμοσύνην, μετωποσκοπικὸν, & χειροσκοπικὸν, notitiam & considerationem naturæ, addiuinationem ex facie seu fronte hominum, prædictionem ex inspectis manibus, vocant.*

VT notarum, singnorumque, in corpore humano sensibus subiectorum plura sunt, ac diuersa genera: sic artium, quæ illa considerant, æstimant, atq; interpretãtur, nõ vnum genus. Aliæ notæ integram aut effectã valetudinem referunt, ac declarant. Aliæ congenitam toti corpori, vel præcipuis partibus temperiẽ, naturæq; robur ac firmitatẽ, vel languorem atq; imbecillitatem detegunt. Aliæ insitas à prima origine, inflexiones, propensionesq;, ad certa morũ, actionũ, studiorum, affectuũ genera, vel abditos animorum sensus, affectionesq;, & à natura constitutiones ac cõformationes, arguunt, & ceu aperiunt ac produnt. Aliæ, naturæ ductus atq; impulsus, ad felices euẽtus, ac prosperos, aut cõtrarios, præsensionésve, & vim futuri præsagam patefaciunt.

Plura genera artium Physiologicarum.

Singu-

Singularũ conditio peculiaris ac propria. *Σημειωτική, coniecta i exsignis*, quam absoluimus antea, sanitatis, aut inualetudinis signa pensitat & examinat, &, de temperie totius, ac partium singularium iudicium fert, ac sententiam, *ὀνειροπολία, somniorum interpretatio*, præsagientia declarat somnia, & quæ illa vaticinentur, scrutari studet, atq; explanare. De animorum moribus, constitutione, atq; inclinatione, coniecturam facit, ex notis exterioribus, in toto corpore, & singulis partibus. *φυσιογνωμοσύνη* seu *φυσιογνωμονία*, *naturæ notitia & consideratio*: Ex vultu habitúve faciei *μετωποσκοπικὸν*, *diuinatio ex inspecta fronte*. De corporum firma solidáque compagine & fabrica exquisitè coagmentata, aut imbecilliore & dissolutiore, déque naturis interiorum partium, & animi affectionibus, ac propensione, & procliuitate ad aliquam rem *χειροσκοπικὸν*, seu *χειρομαντεία*, *diuinatio ex inspectis manibus*: ex linearum positu, ductibus, permixtionibus, atq; incisuris in manu interiore.

Ergo τῆς *φυσιογνωμονίας*, *physiognomoniæ*, velut pars est *τὸ μετωποσκοπικὸν*, *frontis consideratio*. Huic enim sola facies, illi totum est corpus propositum, in quod, tanquam *ὑποκείμενον*, *subiectum*, intuetur. Vtriusq; finis idem, nimirum diuinare ex sensu perceptis indiciis, de insitis à natura affectionibus.

Definitio Physiognomoniæ.

Φυσιογνωμονία verò (vt ab Aristotele definitur) ἐστὶ περὶ τὰ φυσικὰ παθήματα τῶν ἐν τῇ διανοίᾳ, καὶ τῶν ἐπικτήτων, ὅσα παραγινόμενα μεθίστησι τῶν σημείων τῶν φυσιογνωμονικῶν: id est, Physiognomonia considerat naturales animæ affectiones, &, quæ interueniunt, ac Physiognomonica signa mutant, accidentia.

Plato tres facit distinctas animas; Aristoteles vnã.

In hac definitione primùm obseruandum, Aristotelem, τῆς διανοίας voce notare animam, quam ipse rectè vnam facit in homine, comprehendentem & regentem vires ceteras secus, quàm Plato, qui tres specie distinctas animas constituit, locis etiam seclusas, *λογιστικὸν* seu *ἡγεμονικὸν*, *rationalem seu principem*, in cerebro; *θυμοειδὲς*, *irascibilem*, in corde; *ἐπιθυμητικὸν*, *concupiscibilem*, in epate reponens. Eas Aristoteles vni animæ, tanquam *δυνάμεις*, *vires seu facultates*, subiicit atq; includit scilicet vt vniuersarum *ἐνεργείας*, *functiones*, expediat vna, diuersorum organorum corporis vsu & ministerio.

Hoc ergo vult Aristoteles, Physiognomoniam, ex signis

Physiognomonicis (quæ qualia sint, exponemus) æstimare ac constituere, de affectionibus naturalibus harum trium præcipuarum virium, quibus humanum administratur ac dispensatur corpus, deq; ascititiis & acquisitis, aut consuetudine contractis, quæ naturales, aut frangunt, vel emolliunt, vel limant, poliuntq;, aut exasperant, & acuunt, aut prorsus immutant atq; abolent.

Signa physiognomonica.

Signa quorum indicio ductuq; perducimur, ad cognitionem, affectionum ex oculis absconditarum, commemorat Aristoteles, inquiens: Ἔκ τε γὰρ τῶν κινήσεων φυσιογνωμονοῦσι, καὶ ἐκ τῶν σχημάτων καὶ ἐκ τῶν χρωμάτων, καὶ ἐκ τῶν ἠθῶν, τῶν ἐπὶ τοῦ προσώπου ἐμφαινομένων, καὶ ἐκ τῆς λειότητος, καὶ ἐκ τῆς φωνῆς, καὶ ἐκ τῆς σαρκός, καὶ ἐκ τῶν μερῶν, καὶ τοῦ τύπου ὅλου τοῦ σώματος: καθόλου μὲν οὖν τοιαῦτά ἐστιν, ἃ λέγουσιν οἱ φυσιογνώμονες περὶ ὅλων τῶν γενῶν σημεῖα; *id est, Nam, & ex motibus de natura cuiusq;, & ingenio coniectant, & ex figuris, tum ex coloribus, & ex moribus, qui in facie apparent, & ex leuitate, & ex voce, & ex carne, & ex partibus, & effigie totius corporis. Ac sunt in vniuersum huiusmodi, quæ dicunt physiognomones, de vniuersis generibus signa.*

Horum, in natura originem & fontes vt demonstremus, necesse est, si Physiognomoniam, Physicarum diuinationum catalogo inserere volumus, in quo quidem ipsa sibi iure locum vendicat.

Corporum enim nostrorum origo est, ex iunctis seminibus maris & fœminæ, quibus accedit sanguis menstruus, attractus ex prægnante per κοτυληδόνας, *orificia vasorum vteri.*

Ordo formationis membrorum in fœtu.

Ex his tanquam materia, vis διαπλαστικὴ, *formatrix,* quæ natura seminibus inest, hanc scilicet excitante matrice, vt loco natiuo, excipiendisq;, vegetandis, ac fouendis seminibus comparato, format ordine membra principalia, initio epar, ex sanguine substantia mediocri, sed intextis ex semine venarum plurimis riuulis; deinde cor, ex spissiore ac compactiore sanguine, implicito variè surculis innumeris tenuissimarum fibrarum: vltimo cerebrum, ex nobilissima seminum parte, & plena spirituum: & simul attexit administrantia his membra, alia ex sanguine, ex seminibus alia.

Absolutis singulis, circumdat ceu caueas & domicilia, quæ, magnitudine, figura, exteriorum partium his insitarũ positu, specie & quantitate, principalibus illis adaptat: cor-

di tho-

di thoracem ac vicina: cerebro caput cum iis, quas complectitur, partibus: & totum exteriorem corporis & cutis ambitum tingit colore, ex iis propagato humoribus, ex quibus præcipuæ sunt partes conflatæ.

Si ergo, & iusta est materiæ proportio, mole conueniens, copiaque, ac qualitatibus, & viget vis διαπλαστική, *formatrix* recte temperat ac conformat principalia membra, iisque mox accommodat & configurat exteriora domicilia, quæque illis inhærent partes: Vnde & συμμετρίαν, *proportionem concinnam*, inter se congruentem, ac venustam, & concinnam, debitamque magnitudinem, figuram, collocationem, & colorem floridum adipiscuntur. *Origo seu fons signorum physiognomonicorum.*

Rursus, si aut materiæ, aut suo vitio, vis διαπλαστική aberrat, in conformatione membrorum principalium: mox deprauat exteriora quoque. Ita, quæ in conspicuo ambitu trium distinctorum, ceu conclauium corporis visuntur notæ, magnitudinis, figurarum, positus, colorum, qualitatum primarum & secundarum, quibus lenitatem, asperitatem, duritiem, mollitiem, & quicquid est huiusmodi, complector, itemque carnis: ipsarum quæ intus latent, partium temperiem exprimunt, ac constitutionem natiuam, εὔκρατον, καὶ σύμμετρον, *bene temperatam ac commensuratam*, si ipsæ, σύμμετροι *proportione membrorum concinna*, sunt: δύσκρατον, καὶ ἀσύμμετρον, *malè temperatam ac inconcinnam*, si ἀσύμμετροι, *non debita congruentes proportione.*

At verò, quam quæuis ostendant notæ in specie, ratio docet, comprobat experientia, & petantur exempla ex libris τῶν φυσιογνωμόνων, *peritorum diuinationis ex habitu corporis.* Nobis enim non singulas eorum percensere regulas, & singularum exquirere causas: sed primos & generales signorum fontes commonstrare, statutum est, ex quibus deriuare riuulos, non magni laboris est.

Porrò, temperie partium edi ac perfici actiones, multis in locis Galenus: corporum temperamentis, atque inprimis trium præcipuorum membrorum, cerebri, cordis, & epatis, congruere animorum mores, in eo libello demonstrat, qui inscribitur, Animi mores sequuntur temperamenta corporum.

Ergo temperamentis cognitis de prioribus notis, mox & actionum innotescet natura, an perfectæ sint, & conuenientes, an verò languidæ, vel deprauatæ, & ingeniorum, iudicij, morum, affectuum perspicietur conditio, & vicissim certiora dant indicia, de partium temperamentis, viribus, affectionibus naturalibus, inclinationibus, actiones singularum, de cerebro, ingenij fonte, & corde, exteriorum interiorúmque sensuum, & corporis motiones, gestus, incessus, agitationes membrorum, affectus subiti, iique characteres, quos in oculis, fronte, & toto vultu natura effinxit, interioribus consentientes, qui ad ipsas animi sese inflectunt, accommodant, & mutant affectiones, & animi sensus, motus, cogitata, machinationes, proferunt, mirando naturæ consensu.

Signa Physiognomonica certiora.

Oratio mentis character. Cibi, potus, & Venereorum consuetudo, & quicquid est huiusmodi in vita, morum, atq; actionum. Hæc vt nascuntur ex tribus præcipuis in homine potentiis, ita earum adeò exactè naturam, ceu pingunt, & contuendam oculis exhibent, vt raro fallant. Quare & hæc morum indicia ceteris Aristoteles præfert: inquit enim, *ἰσχυρότερα δὲ τῶν ἐπὶ τοῖς μέρεσιν σημείων ἐστὶ, τὰ ἐν τοῖς ἤθεσι, τοῖς ἐν τοῖς ἐπιφαινομένοις λαμβανόμενα, καὶ κατὰ τὰς κινήσεις, καὶ τὰ σχήματα: id est, euidentiora autem ex signis, quæ sunt in partibus corporis, morum sunt indicia, quæ apparent ex motibus & figuris.*

Sed cùm multum referat, ad quæ quis studiorum genera, ad quam viuendi rationem sit assuefactus, quóve modo sit informatus à teneris: prudenter Aristoteles πρὸς τὰ φυσικὰ παθήματα, *ad naturales affectiones*, adiungit τὰ ἐπίκτητα, *ascitas siue acquisitas*. Nam & disciplina, cùm næui à natura insitie luuntur, aut corriguntur, aut retunduntur: tum, quæ eadem natura adiumenta largita est, augentur ac roborantur: etsi quæ corpori forinsecus impressa sunt lineamenta, exteri & amoueri nequeunt: &, consuetudine contracta ac durata, tam pertinaciter sæpe infiguntur atque insidunt, vt, ceu suppressis & obscuratis naturalibus, sola emineant ac dominentur: & consilio, arte, ac simulatione ascitis, naturæ indicia tegi possunt, atque occultari.

Zopyrus physiognomon.

Zopyrum Physiognomonē legimus, Socratem, cùm habitum corporis inspexisset, stupidum pronunciasse, & bardum,

dum, quòd iugula concaua non haberet obstructas eas partes, atque obturatas esse dixit, addidit etiam mulierosum: in quo, Alcibiades cachinnum dicitur sustulisse, cùm in eo nihil horum obseruatum esset. Nam, & errata naturæ emendarat, &, ex naturalibus causis, nata vitia edomuerat ac compresserat voluntate, studio, ac disciplina, ad eum modum, vt nemo vnquam in eo vllum eorum vestigium viderit.

Nouimus ipsi quosdam simulationum artifices, qui, cùm res poscit, exuere naturam pristinam, & assumere nouam, eamque, tanta fingere calliditate queunt, vt connatam quis non ascitam esse putaret.

Ceterum cùm hæc, aut consuetudine acquisita, aut consilio suscepta, impediant iudicia de naturalibus: rectè monet Aristoteles, ne, ex vno signo, quicquam temerè quis affirmet, sed, inquisitis collatisque pluribus, exploret, quæ consentiant, quæ discrepent, quæ idem arguant, quæ contrarium declarent. Si omnia, vel plurima vni significato suffragentur, certius pronunciari posse: Si vnius duorúmve monitis cetera refragentur, cohibendam esse assertionem. ὅλως τὸ ἑνὶ μὲν πιστεύειν τῶν σημείων εὔηθες· ὅταν δὲ πλείω συμφωνοῦντα καθ' ἑνὸς λάβῃ, μᾶλλον ἤδη κατὰ τὸ εἰκὸς ἄν τις ὑπολαμβάνοι ἀληθῆ εἶναι τὰ σημεῖα: *id est, Omnino vni quidem signo fidem tribuere, stultum est: si autem plura conueniant, ad vnius cuiusdam rei significationem, magis iam consentaneum fuerit autumare, signa illa vera esse.*

In Physiognomonia plura signa inter se conferenda.

Verùm hæc ad diuinationes ipsas pertinent. Nobis satis sit ostendisse signa φυσιογνωμονικά, *quæ ex naturæ notitia & consideratione depromuntur*, non commenticia esse: sed & formari vi seminali, & nasci ex natura partium iam formatarum, atque idcirco ipsam φυσιογνωμοσύνην, *naturæ notitiam & considerationem*, inter diuinationes Physicas, iure collocari.

Extant de hac, præter Aristotelis scripta, Polemonis etiam, & Adamantij Sophistæ, vsu, & obseruationibus comprehensæ præceptiones.

DE CHIROMANTIA.

Chiromãtia.

EIVSDEM cum Physiognomonia sunt generis τὰ χειροσκοπικὰ οἰωνίσματα, id est, vaticinia, de internæ manus constituta ac prodita characteribus, de quibus libros apud Græcos feruntur composuisse Helenus quispiam Syracusius, & versibus Eumolpus. Horum fontes & subiecta declarabimus propius.

Partes manus.

Manum Græci χεῖρα nominatam distribuunt in partes tres distinctas, βραχίονα, πῆχυν, & ἀκρόχειρα. vel ἄκραν χεῖρα, id est, brachium seu humerum, (sic enim Celsus vocat) cubitum, & extremam manum. Hæc vbi cubitus desinit iniens, ad extremum digitorum vsq; protenditur, & tres rursus habet distinctas partes. Earum prima, quæ octo ossiculis, duplici dispositis ordine, & cartilaginum, ac ligamentorum interuentu, arctissimè connexis, cubito coarticulatur, καρπὸς Græcis, brachiale Latinis dicitur. Reliquum omne à brachiali, ad finem vsq; explicatæ manus παλάμην, id est, palmam nominant: Cuius ea pars, quæ quinq; ossibus brachiali coagmentata, ad radices digitorum vsq; pertingit, μετακάρπιον Græcis, postbrachiale Latinis nuncupatur, huic prima digitorum committuntur internodia, his secunda, secundis tertia. Græcis ea σκυταλίδες, φάλαγγες, & φαλάγγια, *scuticulæ, perticæ, perticulæ*, dicuntur.

Media igitur extremæ manus pars, cui postbrachiali nomen, ex ossibus constructa quinq;, foris gibbis, intus simis aliquantulũ, atq; incuruis, carneq;, & cute tectis, quibus plurimi venarum, arteriarum, neruorum, chordarum, articulos digitorum mouentium, surculi subtenduntur atq; implicantur, vario ac multiplici contextu: acquirit figuram intus, cauam, foris connexam.

Chiromantiæ subiectum.

Cauæ regionis, quæ verum est τῆς χειρομαντείας, *diuinationis è manibus*, ac proprium ὑποκείμενον, *subiectum*, fabrica talis est.

Fabrica manus interioris.

Ex apice interioris tuberculi humeri ad ἀγκῶνα, *cubitum*, enascitur musculus, capite statim ab exortu carnoso, crassoq; & nerueo, qui, inter initia, ceu sese diducens latius, & versus vlnæ radiiq; prorepens medium, rursusq; in arctum coactus

& rotun-

& rotundū, vbi brachiale attigit, finditur in quatuor ramos, carnosos quidem, sed progressu in nerueam duritiem, quæ tendinum est, gracilescentes, & ad angulos inuicem acutos cohærentes, qui, cōmuni vestiti ac deuincti inter se mēbrana, eaq; tenui & mucosa, sub cute sensim, per brachi[illegible]d secunda quatuor digitorum feruntur internodia.

Ex eodem principio, sed decliuiore sede, alius prodit musculus exquisitè carnosus & teres, qui, vltra medium cubiti progressus, contractusque aliquantulum, vt prior, in quatuor dirimitur carnosa segmenta. Hæc, ante brachiale, in teretes degenerant tēdines, qui primi tendinibus subiecti, eoque positu, per totum postbrachiale exporrecti, ante internodia secunda, perforatis eminentioribus alterius musculi tendinibus, ad postrema digitorum internodia, excurrunt. Tendinibus his, in postbrachiali intexuntur musculi, qui digitos ceteros pollici adducunt.

Tertius alius vlnę ea propagatus sede, qua radij illi tuberculum, sinu peculiari admittit & complectitur, atq;, secundum radij situm, productus circa brachiale, in teretem cogitur, & finitur tendinem, qui peculiari obtectus membrana, in tertium pollicis contendit & defigitur articulum.

Præter hos, alij tredecim internam manum intexunt musculi, quorum, ad primos quinque digitorum articulos singulos, singuli vtrinque affiguntur: tres verò, ceu è transuerso, ex vola, qua, qui pollici subiacet thorus, circulari lineā circumscribitur, educti in secundum inseruntur pollicis internodium. Ex prioribus decem, octo qui quatuor seruiunt digitis, rectà eos adeunt, secundum postbrachialis longitudinem, omni propemodum ex parte, carnei & postbrachialis ossibus connati. Implantantur autem lateribus, in interna sede ossium.

Duo pollici additi inæquales magnitudine (amplior est enim multò superior, & eminentior altero subtus occultato) à ligamento brachialis *ἐγκαρσίῳ*, *transuerso*, expansi, primo pollicis ossi, interna regione attenduntur. Rursus, à quarto brachialis osse procedit musculus, muris seu lacertæ figuram eleganter exprimens, toto ductu carneus. Hic, à brachiali, per imam internæ manus sedem, ad minimum protensus digitum, externo lateri primi ossis digiti minoris annascitur.

Toti verò propemodum depili nudæque manus cuti musculus quidam substernitur, qui, neruoso teretíque principio, ex apice tuberis humeri interioris prodiens, atq; duobus brachiale flectentibus musculis, ex eodemque propagatis initio, medius incumbens atque annatus, ventrem impensè carnosum crassúmq; adipiscitur: vbi verò ad medium cubiti accessit, rursus gracilescens in tendinem, ceu ex tereti aliquantulum depressum coit. Hic ad radicem brachialis sensim sese explicans, summæ manus cuti, ad extremam vsque digitorum aciem, affigitur fibrosorum nexuum intextu, adeò validè arctéque, vt difficulter à cute, vel nouacula acutiore separari possit. Non toti tamen internæ manus cuti subducitur, verùm per os musculos, quorum, ex vna parte, aliqui ad radices pollicis consistunt, ex altera vnus, ad minimum digitum fertur, sub ipsa cute medius incedit, nihil fibrarum obductæ his musculis cuti impertiens: ad volam accedens dilatescit, & reliquam cutem totam subiens conduplicat.

Intra hunc tendinem & cutem, carnea continetur substantia, subalbida, duriori, neruosóque adipi similis, venarum, neruorumque ad cutem tendentium surculis confecta. Hæc, eminentioribus ossium processibus, ad radices digitorum, quà internodia prima digitorum ossibus postbrachialis iunguntur, eleuata in altum: distinctas ibi quatuor eminentias, ceu toros constituit, lineis seu incisuris diremtas.

Ex hac structura, ratio patet figuræ & inæqualitatis internæ manus, linearúmque, in summa cute apparentium. In medio cauitas visitur, eam circumquaque, ceu monticuli sepiunt ac circumdant. In tales toros seu puluinos, necessariò assurgunt atque attolluntur extremi internæ manus limites, ob instratos ossibus musculos, & carni tendiníque intextas carneas fibras. Carneam molem pollici attensam præcipuè duo, qui primum mouent internodium, musculi cum eo, qui pollicem abducit à ceteris, constituunt: vocatur ea θέναρ, *interius pulpæ manus*, παρὰ τὸ θένειν, id est feriendo, vt placet Etymologis, & στῆθος τοῦ ἀντιχείρου, *pectus pollicis*, Latinis χειροσκόποις, *manuum inspectoribus*, Mons pollicis. Decliuior eius pars linea recurua definitur, quæ à radice indicis orta,

Montes manus.

qui

(qui locus *μετὰ τὸ θέναρ, post planitiem manus*, dicitur,) curuoque ambitu circumscripta, in planitiem versus *καρπὸν, brachiale*, desinit. Lineæ nomen est, ex veteri instituto τῶν χειροσκόπων χρονικὴ, *chiromantarum temporalis*.

Ex altera internæ manus parte, versus imum terminum, è regione huius tumuli, alius eminet torus, depressior priore, quem, qui minimum digitum petit, musculus exaggerat. Vocatur is *ἄνδηρον*, quòd significat quiddam velut exaggeratum, vt in ripis & sulcis cernitur, & στῆθος χειρὸς, *pectus manus*.

Interstitium vtrorumque planis, intra montes duos, vallibus simile, *μεταστήθιον, cauum manus*, est. Qui ad digitorum radices, ceu congesti continent colles, interuallo triplici, vno Græcis nomine ὑποθέναρ dicuntur, quasi minutum θέναρ, *thenar*.

Linea, quæ in pluribus manibus τῇ χρονικῇ, *temporum lineæ*, principio, coniuncta sub radice indicis, inde procedit deorsum, versus cauam manum, & planitiem, veteribus *χειροσκόποις, manuum inspectoribus*, est ζωηφόρος, id est, vitifera. Vbi initia harum iunguntur, συναφὴ est, id est, connexio. In media manu, triquetram ambæ efformant figuram, cui *τριγώνου, trianguli*, nomen inditum. Supra *ζωηφόρον, vitiferam*, monticulis seu tuberculis trium digitorum, (nam indicis tuberculum hæc ferè non ambit) subiecta *ἀναγκαία, necessaria*, Latini vocarunt mediam naturalem. Ea, cum *ζωηφόρῳ, vitifera*, quadratum effingit: itaque ille locus *τετράγωνον, quadratum* dicitur.

Monticulis his inclusum in manu media, & instar vallium profundum, κοῖλον χειρὸς, id est, cauum manus, & *κοτύλη, vola*, appellatum.

Lineæ *γράμμαι*, & *τομαὶ*, id est, lineæ & incisuræ dicuntur. Earum conformatio, in summa cute, necessariò musculorum exortus, circumscriptiones, ac limites, insertiones, coalitus, & connexiones, membranarum circumductiones, fibrarum colligantium nexus, tendinum distributiones & ductus consequitur, cùm pertinaciter ipsa, contiguis & sibi subiectis partibus cohærescat, sitque omnium, in toto corpore partium, vel sola exquisitissimè temperata, adeò, vt ad exactissimum temperamentum ponderis, quo κατὰ τὴν ὀρθὰ

μητικὴν ἀναλογίαν, *secundum proportionem arithmeticam*, æstimatur, accedat proximè. Ergo afficitur facilimè proque subiectarum partium conditione, externam variat speciem, cùm vbi subtus diuersa, aut iunguntur, aut discedunt corpora, velut in canaliculos cauos subsidens, promtissimè fissuris illis, rimisve, aut nexibus sese insinuat atq; ingerit.

Planetæ monticulis in manu attributi.

Recentiores *χειροσκόποι*, *manuum inspectores*, tum monticulis singulis præficiunt Planetas, & de characteribus illis impressis, ea pronunciant, quæ sunt naturæ Planetarum: tum plures notant lineas, alio discrimine, quàm veteres. Pollicis tumulo Martem alij, alij Venerem imponunt. Sub indice Iouem, sub medio Saturnum: sub annulari Solem, sub auriculari Venerem, alij Mercurium collocant: *τὸ τῆς χειρὸς στῆθος ἢ τὸ ἀνδηρον*, *pectus siue montem manus exaggeratum*, quod ipsis est tuberculum manus ferientis, Lunæ dedicant: Trigonum seu triangulum, in vola, Marti alij, alij Mercurio assignant.

Differentiæ linearum in manu.

Lineas partiuntur bifariam, in principales, & minus principales. Vtrarumque differentiarum quinque species faciunt. Principales ab ipsis numerantur: *καρδιακὴ* seu vitalis: *ἡπατικὴ* seu media naturalis: *κεφαλικὴ* seu capitis linea: Thoralis, seu mensalis, seu media: Discriminalis, seu restricta, seu Draconis cauda.

Καρδιακὴ, *cardiaca*, pollicis montem includit & complectitur, *ἡπατικὴ*, *hepatica*, sub radice indicis, ab eodem cum Cardiaca principio exordiens, in mediam manum descendit. Cephalica, ad tuberculum ferientis vtiq; aptata trigoni figuram complet. Thoralis ab eo, quod indici & medio intercedit spacio, ferè ordiens, tuberculis trium digitorum medij, annularis, & auricularis, obliquè deorsum & transuersim procedens subtenditur, dirimensq; ad radicem minimi elatiorem eius thorum à tuberculo ferientis, in extremam manum, versus exteriora finitur. Restricta ad iuncturam *τοῦ καρποῦ καὶ μετακαρπίου*, *brachialis & postbrachialis*, descendentes terminat lineas, & finit *τὸ ὑποκείμενον*, *subiectum* artis.

Minus principales censentur, Via Solis, Via lactea, Via combusta, Cingulum Veneris, Linea Martis. Via Solis, à tuberculo annularis, cui Sol præsidet, de *χειροσκόπων*, *diuinantium*

ctum ex manibus, decreto, rectè deorsum in cauitatem protenditur. Lactea, à discriminali, sursum, secundum tuberculum ferientis porrigitur. Combusta, per medium volæ triangulum enitens conscendit sursum, in tuberculum medij; aut, priusquam eò pertingit, deficit. Eadem, si integra fuerit, & non intercisa, Saturnia vocatur, quòd tunc Saturno addictum collem occupat.

Cingulum Veneris, hemicyclij figura, ab interstitio indicis & medij, per Saturni collem, ad medij & annularis interuallum vsque obtenditur.

Linea Martis, in pollicis eminentia, vitali lineæ *παράλληλος*, *ex altera parte respondens*, est.

Vocantur hæ minus principales, quòd, nec omnium manibus insunt, nec ita conspicuæ existunt, cùm adsunt: & significatis multum cedunt illis principalibus, quæ, quòd euidenter in omnium comparent manibus, etsi specie variant, & significata non obscura habent, hanc apud artifices meruerunt cognominationem.

Præter lineas hasce, reperiuntur pænè, in singulis collibus, & alij characteres, à natura artium formatrice, ex minutarum linearum segmentis & ductibus variè positis, & commixtis inter sese, variis figurati speciebus, quorum insigniores notarunt atque explicarunt artifices: Singulas enim exquirere & persequi formarum differentias, curiosorum esset hominum, non naturæ vestigia, sed suas sectantium opiniones, cùm illæ pęnè, in singulis varient subiectis. De his consulantur libri autorum.

Signa chiromantiæ.

Signa ergo, ex quibus, de compage corporum, deq; præcipuorum membrorum constitutione, & moribus animi, propensionibúsque, atque euenturis in vita casibus, tanquam oracula promunt *χειροσκόποι*, *contemplatores manuum*, sunt incisuræ internæ manus conspectiores, tum in monticulis, ex lineis exilioribus & tenuioribus constituti characteres. An præstent hoc, quod de illis spondent & affirmant artifices, videndum.

Discrimina linearum in manu.

Variant, vt dixi, pænè in singulorum manibus plus minúsve, non specie, quæ in omnibus eadem est, sed accidentibus. Aut enim expressæ, amplæ, profundæ, in longum, tractu continuo productæ sunt, rubéntque, vel liuent, vel pal-

lent, vel nigricant, vel alium præ se ferunt colorem: aut contrà obscuræ sunt, minutæ, mutilæ, interruptæ, in fibras & capillamenta tenuia sparsæ, concisæ, plus in aliis, in aliis minus. Præterea cum ipsis sese corporibus proferunt, etsi in tenellis infantum manibus ferè, rugarum copia obscurantur, præsertim quæ natura exiliores sunt: certóque durant tempore, &, ætate ingrauescente, sensim attenuantur, tandémque à siccitate, cute tensa, &, ceu compage membrorum laxata, euanescunt, velut extritæ, aut obliteratæ: deniq; vehementioribus morbis, aut abolentur, aut comminuuntur, adeò vt sensum fugiant.

Lineas in manu non fortuitò fieri.

Ergo, cùm tot formentur discriminibus, non (vt ita dicam) specificis, sed accidentariis, statisque ac certis oriantur & intereant temporibus, & cum naturis corporum commutentur, absolutis iis emergant, vigentibus niteant, marcescentibus extabescant, vergentibus ad interitum exolescant, ægritudine oppressis afficiantur: non temerè existunt, aut fortuitò, sed à natura ceu insculpuntur cuti tunc, cùm hæc musculis tendinibúsque eorundem postbrachiali exporrectus arctissimè obducitur & coaptatur, ad eum modum, vt fissuris subiectarum partium, & coalitibus exquisitè incumbat, congruat, atque inhærescat.

Nec tam statis, fixis, & permanentibus, vlla alia pars corporis est consignata lineis, à primo statim exortu, illis exceptis, quæ, vel ad articulos digitorum his inflexis, cutis corrugationem insequuntur, vel in imo & concauo pedis conspiciuntur, præter internam manum, cùm ea sit omnium partium *ἀναρθροτάτη, maximè carens articulis*.

Vsus linearum in manu.

Fortasse dicet quispiam, ideo incisos, canalium instar, aut sulcorum, ductus illos, vt, cùm omni penitus careat articulo *μετακάρπιον*, *postbrachiale*, & creberrimis agitentur ac diuersissimis motibus digiti, manu compressa, inflexis, contractis inter sese, pollici admotis, aut in obliquum contortis digitis, cutis interna promtissimè cogatur, colligatúrq; in plicas, cedentibus in sese fissuris, ceteris partibus intermediis assurgentibus & eminentibus, velut inter sulcos striis. Complicationem enim manuum, cutis, si rigidius obluctaretur, impeditura esset. Rursus explanata manu exertis, diductísve digitis, expeditè tendatur, dehiscentibus fissuris, &

toris,

toris, qui in contractione intumuerant, sese submittentibus. Non derogo illis vsum hunc. Verùm si ad subiectarum partium formam, situm, distributionem, & coalitum, in obtensa his cute, annexáque, natura eas finxit, quod planè affirmo: vt illæ tanquam effectus, tum causæ efficienti, tum constructorum & subiacentium corporum compagi respondeant, necesse est, & qualis illa sit, firmáne compactáq; an laxior, & dissolutior, edoceant.

Astipulatur rationi experientia. Animaduersum est longo vsu, lineas in plures ductus confractas, decurtatas, incisas, aliarum linearum interuentu diuulsas, exiles, velut in surculos & ramulos fissas, *ἀσθένειαν, imbecillitatem*, præ se ferre corporis, & *βραχυβιότητα, vitæ breuitatem*, omniáque infirma & instabilia: Contrà *τὰς δι' ὅλης χειρὸς τομὰς, μακροβιότητα, incisuras per totam manum pertingentes, vitæ longitudinem.*

Aristoteles rectè causam refert in corporis fabricam, quòd abruptæ, concisæ, ac tenues lineæ, non solidum, nec bene coagmentatum, duratúmq;, sed molle, enerue, languidum, *ἀνάρθρον καὶ εὐμετάβλητον, incompactum & mutationi expositum*: integræ contrà, & eminentes robustum, *ἠρθρωμένον, καὶ δυσμετάβλητον, compactum & firmum*, corpus arguant.

Intendit natura formationem corporis absoluti, ad quam perfectionem, & harum ipsarum linearum integritas requiritur, non quòd corporis aliquid proferant constitutioni tale, quod, si absit, structuram mutilam reddat, aut imbecillem: verùm, quòd à natura viuida fortique, ordinatè procedente, consummatis perfectisque internæ manus partibus rectè accommodatæ, qualis sit corporis compages, ostendunt. *Fundamentum Chiromantiæ.*

Quòd si, aut materiæ, aut virtutis *διαπλαστικῆς, formatricis*, vitio, non præstat neq; assequitur ipsa, quod intendit, in minutis his linearum vestigiis: multò minus grandiorum partium absoluit institutam fabricam. Hinc imbecillioribus plerunq; in plures, minutiores, & obtusiores ceu plicas corrugatur cutis, quas, si riguisset vis *διαπλαστικὴ formatrix*, erugasset atque extendisset, eadem spaciis, inter grandiores lineas, mediis complanata.

Ceterum docet & hoc experientia, certas lineas certis congruere principalibus in corpore membris, déq; eorum *Lineæ manus certis in corpore membris respondere.*

constitutione, temperie, virtute, affectionibus, robore, vel imbecillitate, aptitudine, ad morbos argumenta continere non leuia. Alia cerebri, alia cordis, epatis alia, naturam refert atque exprimit, huius consensionis & fœderis, quæ sit alia causa, non video, quàm quòd venarum, arteriarum, & neruorum propagines, quarum ex principibus tribus membris origo, variè in summam cutem explicantur: Vnde & deferunt eò ex fontibus haustam atque acceptam vim, & ibidem constitutiones affectionésque eorundem promunt potius, quàm alibi, quòd ea sola pars maximè *εὔκρατον, temperatam,* & omnium exuperantiarum exquisitè mediam naturam habet, vt, canonis & normæ vice, à Galeno proponatur, ad quam, si reliquarum partium crases comparatæ pensitentur atque examinentur, deprehenditur, quanto absint interuallo, ab hoc exactissimo temperamento: quod ipsum, nec casu, nec sine causa factum.

Quæ de ceterorum characterum argumentis vsu comperta, & obseruationibus tradunt, etsi causas eorum non perspicio, tamen, cùm absque euidenti ratione, consentienti experientiæ refragari, temerarium sit, non sperno: quanquam vicissim, neq; omnes commenticias approbo interpretationes quarumlibet notarum. Sed experientiam voco, rerum designatarum, cum notis ipsis, regularem magna ex parte congruentiam, deprehēsam instinctu ductúq; naturæ attenta consideratione, secundum leges artis, longo vsu, ex plurimorum euentuum collatione, ab iis, qui natura valent & arte, qualem Coclitem Chiromantem fuisse, accepimus.

Præcellit enim, in hoc genere, artem longè natiua ingenij vis & *φυσικὸς στοχασμὸς, naturalis coniectandi facultas.* Hæc primùm ingenia idonea, &, ab ipsa natura, ad tales coniectationes feliciter instructa, in eam considerationem impulit, vt non temerè effictos linearum ductus cogitarent, & vnde nascerentur, aut quarum essent rerum notæ, vsu discerent causasq; explorarent, & congruas inter sese, rationiq; consentaneas, aut in eosdem euentus perpetuò recidentes *τηρήσεις, obseruationes,* redigerent in artis formam.

Quanquam igitur fateor, in hac parte, vt tota reliqua Physica, neutiquam omnium, quæ longus patefecit vsus, causas veras intelligi: tamen eruditæ experientiæ, quæ ratione

tione & arte euentus notatos examinat, non captat aut arripit fortuita, quæ uis & peritorum artificum consentientibus obseruatis assentior, & acquiesco: & *χειρομαντείαν, chiromantiam*, inter diuinationum Physicarum genera, colloco: nimirum, quatenus intra Physicas versatur metas, neq; his egressis, prolabitur in imposturas. Eas enim, ab omni diuinationum genere procul separo, & explosas volo in vniuersum.

Neq; aspernor his, quamuis tenuibus adumbrata vestigiis, non tenuia tamen sapientiæ diuinæ documenta, vtut rideantur. An quisquam leue hoc duxerit, tam varias particulas, tam specie & quantitate dissimiles, tanto numero, eo inter se fœdere colligatas ac deuinctas esse in vnam compagem, vt minuta etiam *τοῦ μετακαρπίου, postbrachialis*, interioris lineamenta, & toti fabricæ congruant, & principibus membris accommodentur. Adeò otiosum nihil esse voluit, aut fortuitum, in opificio omnium præstantissimo, sapientissimus Architectus.

DE CETERIS ΤΟΥ ΦΥΣΙΟΛΟΓΙΚΟΥ GENERIBVS, QVÆ RELIQVORVM MIXTORUM naturas, vt Animantium, Plantarum, Fossilium, considerant.

DIXI, inter cetera penè stupenda Mundi opera, vel præcipuam esse, mirificam inter sese consensionem omnium partium, & *συμπαθείας, concentus naturales & cognationes*, rerum, atque *ἀντιπαθείας, discrepantias*.

Cingunt & complectuntur, circumflexu suo orbes stellarum, regionem Mundi elementarem, quæque in ea, ex elementis conflata continentur atque existunt corpora: nec solùm afficiunt ea, motu & lumine excitatis qualitatibus primis, iisque aliàs, alia proportione iunctis coactisque in vnam temperiem: verùm etiam tanquam occulta vi influentes, quæ à reflexo lumine oritur, commouent.

Exempla Sympathiarum & Antipathiarum in natura.

Stellæ Poli Borealis ad se Magnetem conuertunt, de quo quidem obseruatum affirmant, perpendiculum in nauigatoria pyxide Magnete illitum, in nostro Hemisphærio, à Fortunatis Insulis ad Catygaram declinare dextrorsum, gradibus circiter nouem: in altero Hemisphærio nutare sinistrorsum, móxque, vbi peruentum est ad Meridianum Assorum vocatarum Insularum, exactè ad lineam congruere Meridianam, nec in alterutram nutare partem: inde verò inflectere sese idem perpendiculum à dextris Poli, versus sinistra.

Cum Sole circumaguntur Heliotropion, Tragopogon, Ornithogalum, Lupinum. Tripolium floris colorem ter in die ad Solem mutat: manè candidum, meridie purpureum, vesperi puniceum conspicitur.

Ipso die solstitij olea, populus alba, & salices, folia circum agunt. Oriente Sirio, Parra auis, ipso die non apparet, donec occidat, & Thynni marini œstro corripiuntur, occultatur Coccyx.

Certi positus stellarũ certos in humano corpore humores, partes, sensus, aut vegetant, aut hebetant, aut deprauãt.

At qualitatibus primis impressis aeri, ceterisque elementis, non eodem modo afficiuntur mixta omnia. In ipsa Bruma vulgò floret vocatum Veratrum. Fauoniis spirantibus, Thymelea efflorescit, móxque hanc insequuntur Viola alba, Narcissi, & Trissago, quæ primo Vere prodit. Faba florescens apiculam euocat, & hæc procedens fabam florere indicat. Vtraque finit frigoris indicium. Moro germinante, aut efflorescente rubo, à frigoris iniuria nihil amplius periculi.

Animantia omnia vniuersales temporum mutationes, & qui particulatim accidunt, tempestatum exortus, sagacissimè, priusquam inualescant, ceu odorantur. Propterea, magna ex parte, aut hyeme ingruente, vel, si aer infectionibus sordescat aut obtorpescat, calidius puriúsque cœlum, priori deserto, captant & quærunt: aut terra se condunt: aut exesas & excauatas arbores subeunt, quósve æstate construxerunt alueos, ac delitescunt tantisper, donec abeat frigus, &, tepidiore blandioréque aura renitescat cœlum: aut, ex syluis, ac horridioribus locis in habitata & culta

com-

commigrant, intraque domos, si exasperetur hyems, sese abdunt: aut manent in syluis, quarum paucæ sunt, vt Tetraones & Attagenes: aut ad aquas degunt. Quæ discedunt, ferè statis abeunt temporibus, statisque reuertuntur, vt olores, ciconiæ, feri anseres, coturnices, & aliæ.

Quædam, alia peculiari *συμπαθείᾳ, naturæ conuenientia*, occultantur æstate, vt, inter aues, γνάφαλος seu fullo cognominatus: quædam hyeme, vt mures Alpini, glires. Vireo auis χλωρίων dicta, tota delitescens hyeme, ipso die solstitij prouolat. Noctuæ, sexagenis diebus hyeme cubant.

Quædam alio modo afficiuntur. Caniculæ exortu mutant vocem, & canere desinunt pariter Luscinia & Coccyx. Milui à solstitio podagra afficiuntur. Corui itidem ægrescunt, sexagenis diebus, siti maximè, antequam fici coquantur autumno. Septem, ante Brumam, diebus Halcyones nidificant, & totidem sequentibus pariunt.

Maturitatis hordei, & sationis milij, ac panici signa præbent, circumuolantes vesperi Cicindelæ, quas λαμπυρίδας Græci vocant: & plurima Aristoteles & Plinius annotarunt.

Formica minimum animal interlunio quiescit, plenilunio etiam noctibus operatur. Habent obseruationes similes plurimas, agricolæ.

Exuberant atque effluunt, in corporibus elementaribus, humores, Luna augescente: eadem senescente, defluunt & marcescunt: deficiente ea, in Solis opposito, etiam arescunt ac torrentur.

Eodem modo eas, quæ in dies horasque accidunt, mutationes qualitatum, aliæ naturæ aliis citius atque euidentius percipiunt. Argumento his sunt præsensiones, aut oborientium iam, aut paulò pòst secuturarum tempestatum, contagionum, & aliorum huiuscemodi, in animātibus & plantis.

Pulmones marini, in pelago, plurium dierum hyemem portendunt. Delphini tranquillo mari lasciuientes, flatum, ex qua veniunt parte: spargentes aquam turbato, tranquillitatem. Lolligo volitans, conchæ adhærescentes, Echini affigentes sese, aut arena saburrantes, tempestatis signa edunt: Ranæ quoque vltra solitum vocales: & Fulicæ matutino clangore. Mergi anatesque pennas rostro purgantes,

ventum indicant, ceteræque aquaticæ aues concursantes, Grues in mediterranea festinantes: Mergi in maria aut stagna fugientes.

Grues, silentio per sublime volantes, serenitatem: sicut nocturna in imbre garrula, vt sereno, tempestatem nunciat.

Corui, singultu quodam latrantes, seque concutientes, si continuant, ventos: si verò carptim vocem resorbent, ventosum imbrem: Graculi, serò à pabulis recedētes, hyemem, & albæ aues, cùm congregantur & cùm terrestres aues, contra aquam clangores dant, perfundentes sese, sed maximè cornix: Hirundo tam iuxta aquam volitans, vt eam stringat, aut percutiat penna: Anseres, continuo clangore intempestiui: Ardea, in mediis arenis tristis: Pecora exultantia, & indecora lasciuia ludentia: Boues cœlum olfactantes, seque lambentes contra pilum: Turpes porci, alienos sibi manipulos fœni lacerantes: Segniter, & contra industriam suam absconditæ formicæ, vel concursantes, vel oua progerentes. Vermes terreni erumpentes, eandem tempestatum significationem habent. Præsagiunt tempestates Sciuri, obturatisque, qua spiraturus est ventus, cauernis, ex alia parte fores aperiunt.

Trifolium quoque inhorrescere, & folia, contra tempestatem subrigere, certum est. Et montium sonitus, nemorumque mugitus, & sine aura, quæ sentiatur, ludentia folia, lanugo Populi, spinæue volitantes, & aquis innatantes plumæ, prænuncia tempestatum obseruata sunt. Ægrè de arboribus defluentia folia, & excisa fagis frusta lignea, si madeant, asperā hyemem, & intensam præsagiunt: nimirum, quòd occulto sensu secuturi frigoris, tanquam de futuro cogitantes, seq; necessariis instruentes, priusquam terra gelu constringatur & duretur, abundantius succos attrahunt. Aëris infectionem passeres, & ceteræ sentiunt aues. Quare, contagionibus grassantibus, si vis veneni amplificetur in tantum, vt aërem occupet & inficiat, abscedunt.

Rosas etiam, & violas, si sub autumnum secundò floreant, pestilitatem adferre compertum est. Non enim iterato prodeunt, nisi constitutio aëris præcedat Austrina *καὶ αὐχμώδης, & squalida*, quæ longo duret tempore, qualem hoc anno 52, experti sumus cum læua lue, & vidimus rosa-

rum

rum ſub autumnum copiam, violas aliquot ſatis odoratas.

Ceterum τῶν συμπαθειῶν καὶ ἀντιπαθειῶν: *ſympathiarum & antipathiarum*, quæ ſunt conuenientiæ atq; coniunctiones, vel contrà diſcrepantiæ atq; aduerſationes rerum inter ſe: harum ergo in mixtis varietas pænè infinita, & nulli hominum ſatis, vel explicatè cognita, vel certò perueſtigata. Hoc conſtat, præcipuas maximeq; inſignes ab iis oriri qualitatibus συμπαθείας & ἀντιπαθείας: *ſympathias & antipathias*, quæ & congruunt formis, & harum vi cientur. Illæ enim agunt aliquid, & efficaces ſolæ ſunt: earum ſeſe ope & miniſterio forma exerit atq; oſtendit, nec aſpici, aut agnoſci poteſt propius, quàm in hiſce.

Sympathiæ & antipathiæ in natura inſignes oriuntur ex mixtione formalium qualitatum.

At formalium qualitatum, quibus inter ſe, aut conſentiunt, aut diſſentiunt, ac pugnant intrinſecæ rerum formæ, gradus in vniuerſum ſunt quinque, qui quibuſdam omnes, aliquibus non omnes ineſſe reperiuntur.

Quinq; gradus formaliũ qualitatum.

Primum gradum primis tribuo qualitatibus, calido, frigido, humido, & ſicco, quas omne perfectè mixtum habet, ſed ſuæ attemperatas ſpeciei. Ex harum inter ſe commixtione & commoderatione, in materia, vel craſſa, vel tenui, vel media inter vtramque proximè oriuntur ſenſuum obiecta, colorum, ſonorum, odorum, & pręcipuæ ſaporum differentiæ, vt dulce, amarum, acre, acidum, auſterum, acerbum, ſalſum, pingue. Nihil enim hîc, de materiæ dicam qualitatibus, quarum ſuprà memini.

Rurſus vtræque, primæ nimirum & ſecundæ, ſua inter ſe temperie, pro diuerſitate materiæ ſuſtinentis & excipientis commixtionem, producunt ac conſtituunt diſcrimina tertij generis qualitatum, quæ ſunt ἀραιωτικαὶ, πυκνωτικαὶ, μαλακτικαὶ, σκληρυντικαὶ, ἐμπλαστικαὶ, ῥυπτικαὶ, ἑλκτικαὶ, ἀποκρουστικαὶ, χαλαστικαὶ, συντατικαὶ, ἀναστομωτικαὶ, συνακτικαὶ, παχυντικαὶ, λεπτυντικαὶ, ἀνώδυνοι, ὀδυνηραὶ, πεπτικαὶ, ἐκπυητικαὶ, διαφορητικαὶ, ἱδρωτικαὶ, καρωτικαὶ, ναρκωτικαὶ, ὑπνωτικαὶ, ἐκστατικαὶ, σηπτικαὶ, καυστικαὶ, διαβρωτικαὶ, ἐσχαρωτικαὶ, χυτικαὶ, πιλητικαὶ, κακόχυμοι, ἐπικεραστικαὶ, καθαρτικαὶ, σταλτικαὶ, τραχύνουσαι, λεαίνουσαι, ἐκφρακτικαὶ, ἐμφρακτικαὶ: *rarefaciendi, condenſandi, emolliendi, indurandi, illitu ſuo inferciendi, detergendi, attrahendi, repellendi, laxandi, contendendi, ora venarum aperiendi, contrahendi, incraſſandi, attenuandi, do-*

lores sedandi, dolores efficiendi, concoquendi, pus mouendi, digerendi per halitum, sudores prouocandi, soporem inducendi, stuporis accersendi, somnum conciliandi, animum alienandi, putrefaciendi, adurendi, erodendi, exulcerandi, fundendi, densandi atque cogendi, succum prauum gignendi, attemperandi, expurgandi, sistendi, exasperandi, leniendi, farctu liberandi, infarciendi vim habent.

Quarti generis qualitates, ex his tertiis, cum præcedentibus duabus contemperatis, in idonea materia, in congruam & formæ *ἀνάλογον, proportionalem* crasin, emergunt: è quorum sunt numero, quæ à Medicis vocantur *οὐρητικαὶ, ἐμετικαὶ, ὑπακτικαὶ, λαπακτικαὶ, ἔρρινοι, ἀποφλεγματικαὶ, ἐμμήνων ἀγωγοὶ, ἢ ἐπισχετικαὶ, ciendi vrinas, vomitiones proritandi, aluum subducendi, lubrificandi vim habent, per nares & os purgandi, menses mouendi aut sistendi vim habent.* lactis aut seminis *γεννητικαὶ, ἢ σβεστικαὶ, ἢ προκλητικαὶ, ἢ ἐπισχετικαί: σαρκωτικαὶ, ἐπουλωτικαὶ, κολλητικαὶ, καθαιρετικαὶ, gignendi aut extinguendi, aut prouocandi, aut reprimendi: carnem in vlceribus procreandi, cicatricem obducendi, glutinandi, purgandi, exedendi carnem inutilem, vim habent.* nimirum quæ abstergendo, aut lubricos reddendo meatus, aut comprimendo, aut aperiendo, laxandoque, aut attrahendo, euidentibus, non occultis qualitatibus vacuant: *ἡπατικαὶ, ὠτικαὶ, ὀφθαλμικαὶ, ὀδοντικαὶ, ἰσχιαδικαὶ, νεφριτικαὶ, σπληνικαὶ, ποδαγρικαὶ, ἀρθριτικαὶ, πλευριτικαὶ, βηχικαὶ, λίθων θρυπτικαί: epati, auribus, oculis, dentibus, coxarum dolori, renibus, spleni, podagræ, arthritidi, laterum dolori, tussi medendi vim habent, calculos comminuendi.*

De causis harum omnium, ex mixtionum proportione, & materiæ subiectæ conditionibus, prolixè & eruditè disserit Galenus in libris, de simplicium Medicamentorum facultatibus.

Qualitates specificæ vnde sint.

Sub quinto genere, specificas vulgò vocatas qualitates colloco, de quibus, etsi quid affirmem, certi non habeo, ab opinione tamen superius exposita non abhorreo. Indidit Deus naturæ conditor quibusdam rebus: peculiares vires, à prima origine, quæ cùm plantarum atque animantium seminibus, potentia insint, in enata inde propagantur corpora: atque, (vt opinor) ex quatuor antè commemoratis generibus, temperatis inter se exactissimè, secundum ordinatam primitus analogiam, in materia conueniente, & ad formam

mam directis, atque accommodatis, ordine & lege naturæ suæ, proximè formæ constitutionem antecedunt, ad cuius & essentiam proximè accedunt.

Hoc modo, vt existimem, produci ac propagari specificas qualitates, & non à peculiaribus stellis innecti, tunc, cùm mixtione ceterarum qualitatum, absoluta forma introducitur, moueor & serie præcedentium qualitatum, & quòd seminibus, potentia quoque illas inesse res ostendit: Procreatur enim simile ex simili. Ad rationem verò similitudinis absolutæ, pertinent & specificæ qualitates, quæ adeò propinquæ sunt formis, vt ab eis diuelli nequeant.

Qualitates specificæ vnde sint.

Nec singulis speciebus certas cõsentire ac præsidere stellas, ordinato aliquo & familiari dominio, demonstrari vlla ratione firma potest, tali nimirum, cuius vi, & formæ constituãtur, & his virtutibus instruantur: quamuis in Septentrionem Magnes inclinet, & Solis imitentur circumactus Helitropium, Lupinum, & alia: totam tamen, & imam, seu elementarem mundi regionem, quam circumfluxu suo cingit cœlum, atque complectitur, & inclusa huic, infinita varietate corpora mixta, & mixtionem ipsam, cõformationemque corporum nascentium atque intereuntium, lumine motuq; cœlesti gubernari, non casu, aut fortuitò, sed certis ac statis legibus, quas Architectus, in prima creatione instituit, & singulis imposuit, nemo sanus inficiabitur, de qua, quid sentiam, & quomodo, pauca exponam, vt illustretur hæc, de Sympathiis & Antipathiis rerum quæstio, quæ per se tota obscura, & procul à conspectu nostrorum ingeniorum remota est. Omnino fateamur necesse est, inferiora vim aliam, & ab elementari diuersam haurire, ex motu corporum cœlestium, concursuq; luminis ac virtutis æthereæ, & cœli fotu, inferiorumq; conceptu generari atq; absolui elementaria vniuersa: collustratur lumine cœlesti, aut radiorum vibratu, si ad lucendũ sunt imbecilliores, saltem percellitur orbis elementaris, indeq;, & lumen, & calorem opificem vniuersorum, proximum concipit, per se, aut obscurus, *ἀδιόπτος, visui non peruius*, vt terrena sunt omnia, aut lumini quidem peruius, sed illius tamen, sua natura expers, vt quæ sunt *διαφανῆ perspicua* ac pellucida, ignis, aer, aqua, quæq; ex his conflata sunt, aut, ex terrena etiam aliqua par-

te, sed modica, multoque aereo, & aqueo perspicuo diluta, vt Crystalli, vitrum, gemmæ pellucidæ.

Aetherei luminis vis & efficacia.

Hoc cœlesti lumine, non tantùm, vt vulgus iudicat, cogitemus fugari ac depelli tenebras, sed alia inest vis lōgè præstantior ac diuinior, qua, elementaria omnia, tam simplicia, quàm cōposita, excitato calore viuifico, afficit, mirificè temperat, miscet inter se, ac subigit, subacta cōnectit, coagmentat, continet, secundū leges, à Deo opifice & Architecto præscriptas, & intra definitas ab eodē metas. Non putem' enim illā, qua reguntur ac sustinentur elemētaria vim, ex elementorum tantùm concretione conflatam esse, ac propagatam, aut ipsa sese elementa, inter se mutuò, contraria vi, ac repugnante ita ceu hebetare atq; obtundere, vt quasi defatigata ac repressa contētione longa, de effreni & indomita vi remittendo aliquid mitescant, ac tandē amico complexu coalituque in vnum corpus coeant. Neutiquam hāc tam stabilem, & in nulla secula perdurantē amicitiam sola parit vehementia inimici aduersiq; certaminis. Sed est alia vis superior, è cœlesti profecta lumine, & vi huius accensa, quæ certamen hoc gubernat atq; moderatur, & domitis, fractisq;, atque ad cōcordiam redactis imponit ac præficit, ceu custodē nexus illius, atq; coalitus, accensum nimirum certo & analogo demenso luminis & caloris, in tota illa massa, æthereum, diuinum, & lucidum spiritum, qui, ceu flāma in elychnio, præcipua pars concreti, ex elemētis corporis, vires illius vniuersas ciet, vegetat, acuit, moderatur, ac perficit, ceu opifex actionū omnium, aut formæ opificis proximū ac præcipuum organum. Ardet enim, lucetq;, in omni corpore cōposito, æthereus quidam, & lucidus spiritus, quod in viuentiū corporibus illæ ipsæ micantium in venis, & arteriis, totoq; corpore flammulæ demonstrant, & in homine maximè vitales spiritus, & animales, qui iis, quibus insunt partibus, respondent: in aliis corporibus, vbi, igne concepto exarserunt, erumpentis flammæ lumen splendorq; conuincunt.

Flammam conspicamur esse fumum ardentem, quem calor vehemens, ex inflammabili corpore attenuato aut dissoluto, penitus elicit atq; educit, non simplicem, sed compositum, quale scilicet est subiectū, è cuius substantia quasi exprimitur. Hic, si ad flammam concipiendam & alendam

sit ido-

sit idoneus,(Non sunt enim omnia φλωγιστὰ, *ad flammam concipiendam idonea*)non prius tamen efflagrat, quàm calor vincens dissoluat mixtionem, & pellucidas partes,ex opacis terreis quasi eruat atq; explicet,quod vbi fit, medium flammæ,tanquam centrum obtinent opacæ partes, natura terreæ & graues:eis pellucidæ leuiores circumfunduntur, eadē,qua in elementis,serie:per has enitescit & effulget splendor lucidus,qui repente,cum impetu quodam,eoq; momentaneo,fumo perrupto ac disploso, ceu coagmentationis nexu ac vinculo diuulso, prosilit & diffunditur. Ardetq; , & lucet eo vsq; , donec pabulum è corpore inflammato suppetit, cuius partes terreæ tandem in cinerem rediguntur ac dispergunter:perspicuæ,in fumum simplicem & sterilem euolant. Is verò splendor vnde emergit? A cœlesti ne lumine Solis subitò accenditur? An verò ex eo enitescit corpore, de quo fumus exilit? cœlestem esse,fateri cogimur. Sola enim cœlestia,luce non aliunde petita vel hausta, sed insita ac propria lucere conspicamur. At momentaneo forinsecus insultu luminis externi flammam accendi, & atrum atque caligantem fumum collustrari,tunc,cùm exardescit,qua ratione euincemus? quomodo,& qua vi sese inseret & admiscebit lumen externum, & in quo figetur subiecto, & quo fouebitur atque aletur pabulo, cùm alienum sit à natura mixti? Prius ergo lumen illud corpori inest, impressum certo demensò luminis ætherei,cùm formaretur,& tenui, puroque, & pellucido spiritu vehitur, qui vehementi calore diremtis ac separatis partibus mixti dissimilibus, obscuris & perspicuis, quasi vi effractis carceribus, quibus cohercetur & obscuratur,cum impetu quodā effertur.& explicatus mixtè vinculis,sibiq; redditus,redit ad naturā suam,ac lucet. Talis æthereus spiritus, & in omnibus est inferioribus naturis, & lucis ætheree propago est,atq; particula,& corpora terrena, cœlo cognata efficit ac copulat. Ex hac cognatione cū cœlo oritur admiranda inter se consensio ac ceu conspiratio elementarium ac cœlestiū,quam in se quisq; experitur. Nemo non est,qui in seipso non sentiat,& radiorum solarium, viuificiq; caloris vim,& variantē sese,cum cœli siderumq; cursu ac positu,temperiē circumflui aëris. Viget animus,alacritate quadā incitatus,cœli moderatione: Recreantur corpora,

& spiritus quasi perpurgati, collustrati serenantur exortu Solis, debilitati eiusdem occasu illa torpescunt, hi velut obtenebrati caligant. Commutatione temporum quadripartita temperantur naturæ. Accessu Solis vegetantur vires, velut resuscitatæ excussæque veterno: discessu eiusdem, ceu destitutæ adminiculis necessarij præsidij, elanguescunt. Effundimur in repentina gaudia, exilimus, gestimus: rursus conturbamur, deiicimur animis, mœremus: sunt & sensus cogitationesque acriores, aut hebetiores, vno magis, quàm alio tempore, non ex vlla causa obuia aut nota; sed vt vis illa ætherea, in corporibus nostris, à cœlesti lumine incitatur aut retunditur. Inde sunt & illæ in plantis, heliotropio, ornithogalo, Cichorio, tragopogo, ad Solis circumactus conuersiones: & lingulę scioterici, aut nauigatoriæ pyxidis magnete illitæ, inclinationes perpetuæ, directæque ad boream. Hanc à cœlo communicatam elementaribus ætheree naturæ particulam, quæ præcipua est pars substantiæ elementarium, & formas complet atq; absoluit, si cõiungamus iisdem, cùm reipsa, absque omni dubio insit, certius paulò explicari demonstrariq; Sympathiæ & Antipathiæ ratio potest, quàm nasci ac proficisci, vel ex ordine nexuq; corporũ, & inter se continente cohæsione, vel ex cognatione ac familiaritate ipsarum naturarum, aut earundem dissimilitudine ac repugnantia, nec dubium, nec obscurum est, etsi non perinde obuia est, atq; conspicua ipsa similitudinis aut discrepantiæ ratio, abdita penitus atq; abstrusa, in analogia mixtionis, de qua, quantum sciri potest, inuestigare atque considerare, & dulce est, & vtile.

Elementorũ amicitiæ & inimicitiæ.

Elementorum inter se amicitiæ, inimicitiæq;, & contentiones, sicut eas nominauit Empedocles, conspicuæ sunt, & in sensus incurrunt. Ex harum genere sunt, quæ primæ qualitates vocantur, natura, ac per se ποιητικαὶ, *actiuæ*, omnes, ac παθητικαὶ *passiuæ*, si elementorum in seipsa actio mutua cõsideretur, qua vnum ex alio, & quodlibet ex quolibet gignitur. Respectu mixtionis verò, ad quam concurrunt, à principatu agendi, ποιητικαὶ, *actiuæ*, sunt, & vocãtur, atq; ab actione describuntur, calidum & frigidum. A subiecti verò, & materiæ conditione, patiendiq; ratione, παθητικαὶ *passiuæ* sunt, vocantur, ac describuntur, humidum & siccum. Hæ, non in

mixtis

mixtis tantùm, sed simplicibus etiam, & impermixtis, differre gradu & viribus deprehendũtur. Siccissima autẽ omnium est terra, ac frigidissima. Aqua frigida est, & humida, sensu humidior aere, non gradu & efficacia. Aër humidus est, & calidus, calore, quàm ignis, remissiore ac blandiore. Ignis calidissimus omnium, ac siccus, effectu siccior, quàm terra, non etiam sensu. Non his autem solis qualitatibus inter se distant ac discrepant elementa, sed & qualitatibus motiuis, secundum locum: leuitate, qua sursum nituntur & euolant: grauitate, qua feruntur deorsum, ac subsidunt: & subiectorum proprietatibus, modóque substantiæ, quæ sequuntur dominium primarum qualitatũ. Alia enim διαφανῆ sunt, *id est*, perspicua, seu pellucida, tenuia, rara, fluida, vt ignis, aer, aqua. Ignis, vt perspicuitate, sic leuitate, tenuitate, ac raritate superat aerem & aquam. Aer rursus aquam, quæ, sua natura quidem grauis est, perspicuitate tamen, leuitate, ac raritate aerem refert, sicut ad terrenam grauitatem ac soliditatem accedit eo, quòd multò, quàm aer densior atque obscurior, minusque lumini ac visui peruia, ac ponderosior est. Terra ἀδιόπτος, *opaca*, prorsus, ponderosissima omnium, densissima, solidissima, maximeque opaca est. Sed nec διαφανῆ sunt elementa ἐνεργείᾳ, *reapse*. Non lucet enim ignis elementum in se, multóque minus aer & aqua, sed δυνάμει, *facultate*, tantùm, id est, lucem peruia transmittunt. Nec pura reperiuntur, & impuritatis gradibus, cùm ipsa inter se tota, tum partes etiam inter se singulorum differunt. De calore etiam in Elementis, siue à motu cœli est, siue ab emissi radij reflexu, vnde & splendor luminis, quæri potest, vtrum per se elementis insit, an verò à cœlesti lumine accendatur: &, si radius, nec illuminat, nec calefacit, nisi ex reflexu, lumine, & viribus auctus, quod Optici demonstrant, quomodo vtrumque lumen & calor in elementis supremis inflammetur, à quibus, propter tenuitatem ac raritatem substantiæ peruiæ, resultus fieri nullus, & replicatio radij potest. Sed hanc quæstionem præcido, nõ abhorrens tamen ab illorum sententia, qui lumen & calorem in inferioribus, à cœlesti luce proficisci sentiunt.

Ex his igitur elementis mixta conflantur, prius diffractis tamen in partes tenuissimas, atque comminutis, & certa at- *Ex elementis mixta.*

que analoga mixto mensura iunctis inter sese, subactisq; & coagmentatis, concretionem illam omnem, cœlo moderante ac temperante, & certum quasi demensum luminis caloris q; viuifici, ad nexum illum firmandũ ac continendum affundente, æthereũ illum, & lucidum, quem dixi, spiritum in corporibus compositis, terrenæ molis opacitate obfuscatum, perpetuò tamen, donec sunt illa, inhærentẽ ac flagrantem. Ita autem, ex accessu luminis cœlestis, coalit⁹ elementorũ perficitur & absoluitur, vt, iuxta leges generationis seu propagationis rerũ institutas à Deo Architecto, in creatione seu vi, & facultate, secundum has leges, rebus omnib⁹ insita, procreentur corpora composita cùm, pro mensura analoga elementorum, atq; eorundem concretione inter se diuersa, tum certis exornata distincta formis, in vna communi materia, ceu subiecto, & virib⁹ instructa peculiaribus, quas confectas ex temperamento diuerso ætherei luminis, cum elementaribus qualitatib⁹, & concretionis modo etiam variatas, cient & exercent formæ, actionum mirandarũ opifices, ceu ope & ministerio illius temperamenti, cui, vt toti mixto, haud dubiè iungitur vis maior ac diuinior, è luce cœlesti, tanquam organicum præsidium, in æthereo, diuino, ac lucido spiritu, qui, in tota mixti massa, ardet ac lucet.

Ex mixtione varietas specierum & qualitatum.

Inde est igitur illa tanta varietas, non tantùm rerum, ac specierum dissimilium, quas Deus initiò condidit ac discreuit; sed & mensuræ, atq; concretionis elementorũ, in corporib⁹ mixtis: quòd opaca sunt alia, & obscura, alia perspicua, & quidem perspicuitatis, multiplici discrimine & gradu differente, cùm in aqua, aëre, igne, & cœlo, tum in compositis, vt vitro Crystallo, quæ terminata sunt, cùm simplicia illa sint interminata: quòd alia rara sunt, mollia, leuia, friabilia, porosa, sed variata pororum forma, magnitudine, positu, ductuq; in rectum, transuersum, obliquum: alia verò sunt densa, crassa, dura, aspera, viscida, compacta, & solida. Hinc est illa colorum, saporum, odorumque, & virium, ac facultatum admirandarum, affectionumque diuersitas ac discrepantia, in duas classes distinctas separata, è quibus omnis sympathiæ & antipathiæ, seu consensionis dissensionisque scaturit ac promanat ratio: Sympathiam & congruentiam, cognatione ac similitudine: Antipathiam & discordiam, efficien-

ficiente dissimilitudine naturarum, aut viriū aduersantium sibi inter se repugnantia. Diuersa analogia elementorum in mixtione, & concretionis varietas dissimiles corporum habitus gignunt, &, vt ita dicam, substantiæ modū in aliis aliter constituunt ac definiunt.

Iisdem in aliis alia respondet qualitatum temperies, quarū aliæ principes sunt, aliæ ex iis ortæ: Principes sunt vniusmodi, & simplices: Ex his ortæ variæ sunt, & quasi multiformes, vt ostensum est, sed duobus, si libet, generibus cōprehendi possunt, vno euidentium, altero occultarum. Quin & euidentes, perspicuitatis causa, licebit, in duo diducere ac secernere genera. Vnum commune, alterum proprium. *Qualitatū aliæ principes; aliæ ex illis ortæ, & hæ, aut cōmunes, aut propriæ.*

Principes caloris, frigoris, siccitatis, & humiditatis sensu distinguuntur, & quanquam sunt simplices, gradibus tamen distant quàm maximè, & acuuntur, aut hebetātur conditione subiecti. Non est enim, in omni mixto, idem gradus caloris. Et idem calor, ex tenui subiecto, celeres quidem, acres, & feruidas, sed citò euanescentes: ex denso solidoq; tardiores, sed validas ac pertinaces infe t vstiones. Ex principū qualitatum temperatione, in tenui aut crasso, raro aut denso, molli aut duro subiecto, emergit euidentium, seu virium, seu qualitatum vtrumque genus, tam proprium, quàm commune: Ad illud eas referimus medicamentorum vires, quas cephalicas, cardiacas, stomachicas, spleneticas, hystericas nominamus: hoc, reliquas complectimur vires attenuandi, incidendi detergendi, aperiendi, digerendi, & alias istiusmodi: vtrorumque originem temperamenti ratio moderatioque docet. Sed proprias iam imbuit aliqua cognatione formarum spiritus æthereus, hac à communibus seiunguntur: cum occultis communicant, quæ, vt cognatione, sic exortu formis proximæ sunt: propagatæ quidem ex temperatione opaci, terrei, & sicci, cum perspicuo aereo, aqueo, & humido, sed perfusæ tamen vi excellentiore ac diuiniore, cuius, in mixtione non spectantur vestigia. Ideo cum formis, quibus associantur, & à quibus immediatè pendent, extra sensus humanos positæ, nullo horum percipi, in suo subiecto, aut deprehendi possunt, sed ab effectis cognoscuntur, vna obseruatione & experientia quæ attentione erudita, multa exercitatione, & vsu longo constat.

Harum ergo inter se viriũ, ceu præsidio & ope, amicitias exercent, & inimicitias rerum naturæ. His alliciunt ad sese, & quasi manibus rapiunt cognata: nihil rapacius est enim, quàm sui similis vnumquodque: aduersa repellunt, his, aut complectuntur ac fouent, aut infestant ac perimunt sese mutuò: quædam, propinquo tantùm contactu; nonnulla, fomite; aliqua, ex interuallis. Neque id faciunt, si intercedat distantia, vibratu, traiectúve Atomorum ad res cognatas, aut eorundem obuiantium inter se concursu ac recursu, etsi ἀποῤῥοίας, *effluuia*, & defluxiones halituum perpetuas, ab iis corporibus, quæ nutriuntur, non inficiamur, sed vis, continente quasi alteratione medij, diffusa, vbi pertingit ad rem similem, aut contrariam, vim similem, sed lædentem sustentat: contrariam oppugnat aut destruit: aut aliter etiam afficit, pro naturarum & virium ratione & conditione. Nam, vt Sympathia sese, aut Antipathia exerat inter res cognatas aut differentes, analogia vt interueniat, necesse est, ex facultate agentis, aptitudine patientis, & applicatione, quæ rursus, & medium conueniens, & opportunum situm, & contactum, seu materialem, seu spiritualem & adminicula organorum requirit.

Sed, & inter ipsas qualitates plurimùm interest, & occultarum, longè acrior ac penetrantior vis est, seu formalem illam nominemus, seu spiritualem; quàm euidentium, quæ materiæ propior est, similiorque, & propterea crassior, & ignauior.

Ex his igitur omnis Sympathiarum & Antipathiarum manat & constat ratio, cuius penitiores causas cùm neutiquam introspiciam, fateor, sapientiæ diuinæ thesauros, in rerum natura, ampliores esse, & abstrusiores, quàm vt acumine ingenij humani peruestigari, viribus erui & exhauriri possint. Nec confidentia moueor eorum, qui hæc irrident. Queritur Socrates apud Platonem, se ex Physicis hoc consecutum esse, vt dubitare cœperit de iis, quæ pro certis habuerit. Et, reuera de multis planè τυφλὰς δόξας, *cæcas opiniones*, tenemus, vt est apud Platonem. Agnoscamus igitur & amplitudinem atque immensitatem sapientiæ diuinæ, & angustias intelligentiæ nostræ, iisque, quæ vtcunque pernosci possunt, & explicari, acquiescentes, neutiquam, aut stolido,

lido & in Deum contumelioſo errore, nihil eſſe imperueſtigabile, ſomniemus: aut, vano temerarioque conatu quiduis audeamus & aggrediamur: aut cæca, & inani perſuaſione blandiamur inuentis noſtris, ac ſi conſecuta ſint id, quod inueſtigatur: aut aſſumamus etiam, ad rationes detexendas ac tuendas noſtras, falſa, abſurda, aliena à vero, & iam olim graui iudicio, è Scholis exploſa, quales ſunt Atomi Democriti & Epicuri, ſed innixi veſtigiis & argumentis veræ Philoſophiæ, reuocemus ad cauſas ea, quorum cauſas comprehendi ac monſtrari poſſe tales iudicamus, quæ, & res obſcuras vtcunque illuſtrant, & veritatem quærenti ſatis faciunt. Interiora ac recondita attingamus, ac tractemus verecundè. Nec puſilli, abiecti, anguſti, ignaui ingenij eſſe ducamus, aliqua ignorare, aut ita de eis diſſerere, vt Dei ſapientiam, vimque omnem ac poteſtatem anteferamus contemplationi ac proſpicientiæ noſtræ, quæ ſæpe impingit, labitur, errat, hæſitat: ſæpe prorſus inſiſtit, ac deficit. Fugiamus arrogantiam, aut profitentē maiora viribus, aut oſtētantem etiam, ac iactantem inuentiones rationeſq;, vanitatis ac futilitatis non expertes: ac gloriosius eſſe ducamus, ad abdita abſtruſaq; in natura confugere, vbi ſe nihil *ἀξιόλογον, commemoratione dignum*, offert, quàm pro veris falſa, pro explicatis inuoluta, & nō cohærentia, pro firmis lubrica, pro ſolidis ieiuna, frigida, ficticia cōminiſci, & obtrudere. Cur, ringimur, aut cur laboram⁹ anxiè, vt monſtremus cauſam, quare in ſeptentrionem ſe Magnes cōuertat: aut quare inter ſe diſſideant braſſica & vitis, cùm reddi ratio nequeat alia, calido cur frigidum aduerſetur, niſi, quia natura ita condita eſt.

Ad ſympatheias & antipatheias antequam reuertar, pauca aſpergam de coloribus & ſonis, quorum perplexior ratio eſt.

De luce, vtrum qualitas ſit eſſe habens in corpore naturali, an verò ſit ipſa forma, in cœleſtibus actu lucidis, quæ luce, vt ſpecie ſpecialiſſima diſtinguuntur, & inter ſe, & ab elementari luce, diſputari video, explicari non reperio. Si tamen ipſa ſtellarum forma non eſt, (etſi eam ego eſſe planè ſentio,) qualitas certè proxima eſt, atque inſeparabilis, qua & differunt, & diuerſimodè agunt. Lumen, imago eſt lucem repræſentans, & vibratu ſubito diffunditur, ſecundum *Lucis & colorum ratio.*

lineas rectas, quas radios vocãt. Color extremitas perspicui terminati esse dicitur. Id non de rei veritate intelligi debet, sed de emphasi seu apparentia: Non, quia superficiei reuera insit, sed quia in ea apparet. Per se enim, ac primò inest corpori ac substantiæ; per accidens autẽ, ac secundariò, superficiei. Color enim passio mixti est, ex perspicuo, quod lucis actu particeps est, tincto ac terminato ab interfuso & admixto opaco. Inde omnis varietas colorum existit, qui quantò perspicuũ & opacum, vtrumq; scilicet attenuatũ magis, & à terrenis ac tenebrosis sordibus atque vmbris secretis fuerit, exquisitius perpurgatũ, & lucis etiã purioris copia maiore imbutũ, tantò euadunt candidiores, aut candido propiores, siue in ipso mixto τὸ διαφανὲς, *perspicuũ* exuberet, vt in vitro, Crystallo, gemmis pellucidis, siue τὸ ἀδιαφανὲς, *opacum*, ex terrena soliditate. Ad nigrũ rursus propius accedunt contrarij. Concurrunt enim ad coloris effectionẽ necessariò; Lumen, perspicuum, & opacum. Lumen quidem, vt principium formale: Perspicuum actu, vt materiale, id est, adeptum suam formã & perfectionem a lumine, quo illustratur. Opacitas perspicuũ actu, id est, lucem implicatã cum ipso perspicuo, soliditate ac tenebrositate sua cohercens ac terminans, vel tanquam per accidens, cùm se velut priuatio habeat ad formæ procreationem, respectu luminis ac perspicui, vel vt causa, sine qua non. Prima enim coloris forma est, ab interno atque insito lumine. Vltima ἐντελέχεια, *absolutio*, ac perfectio à lumine externo, quæ facit, vt color appareat ac videatur, perinde vt calor σύμφυτος, *insitus*, seu complantatus formæ quidem mixti, in animantibus & plantis proximus est, non sufficiens tamẽ actionibus formæ perficiendis: ab influente autem ex corde, vel à Sole accenso perfectio est, qua forma, per insitũ, sese, & vires suas exerit, quod sine influente ἔμφυτος, *innatus* solus præstare nequit: Sic color, etsi à congenito lumine formam acquirit, vi tamen illius, quòd opaci contraria vi vinctus, vt lumen imperfectũ, deficit ac hebet, nec diffundere se potest, nec, aerem penetrando atq; illustrando visum ferire, sed externo lumine, vt omnia simul perfusa collustrentur, ac velut actuentur, necesse est.

Color sequitur motũ lucis

Sequitur autem color omnis, lucis, tanquam suæ formæ & perfectionis, in vibratu ac radiatu, motum, vnde species visibi-

visibiles omnes, quæ colorum imago sunt sicut lumen lucis, secundum lineas rectas diffusu excursuq; subito per medium illuminatũ, in partes omnes efferuntur. Perspicuitatis causa est, materiæ puritas, quæ, quia in cœlestibus exactius est defecata, cum fusione atque expansu attenuante, ideo ætherea regio liquidior multò est elemẽtari, & in hac, suprema cœloque propior, rursus limpidior multò est ima, terræque & aquis proxima. Lumen Aristoteli est actus perspicui, quatenus perspicuum, quia sine luce διαφανὲς, *perspicuum*, potentia tantùm, non etiam actu pellucet, nec species vllas transmittit, perspicua autem alia ingenitã habent lucem, alia ἐπίκτητον, seu acquisitam. Ingenitam habent cœlum, cœliq; partes, vt stellę, quæ non est solius depuratæ materiæ διαφανὴς, *perspicuæ*, qualis initiò creata fuit: sed cum luce in ea deinceps accensa diffusaq; conglomeratio, & coagmentatio conferta, velut in massas distinctas, vnde stellarum corpora formata sunt. Sola ergo cœlestia actu lucent, refulsu luminis, ex illa cum materia copiosiore coacta atq; compacta luce, quæ prius erat dispersa. Elementaria sua natura, δυνάμει potestate tantùm lucida, hauriunt & acquirunt lumen è cœlestibus, exertu vibratuq; radiorum emissum. Ignis enim elementum, vt dixi, sua natura non fulget, sed fulgoris capax est in transitu, cum aërem permeat. Flamma splendet, fumo enim ardente, & in corpore mixto lumen emicans, est actus perspicui vi caloris explicati, ac separati à partibus terrenis opacis, quæ medium flammæ obtinent, perspicuo extremo circumlucente, siue lumẽ illud ab insito & intrinseco, siue ab externo accẽdatur, in fumo inflãmabili, siue ab vtroq;. Tenebrarum autẽ, quas Aristoteles lumini opponit, tanquã formæ priuationẽ, quę duo inter se cõuertuntur, causæ sunt luminis defectus, & corporis opaci interuentus, pariens vmbrã, quæ à tenebris gradu discrepat, quia non ab extincto lumine oritur, sed obiectu solidi excluso. *tanquam forma.*

Sonorum differentiæ corporibus sonoris natura insunt, materiæ, mixtionis, & conformationis ratione, sed δυνάμει facultate tãtùm, quoad sensum, vt colores coloratis corporibus. Eliciuntur autem, & proferũtur in actũ, vt colores, lumine externo illuminati medij, sic soni ictu, aut impulsu. Ictu, ex collisione corporum inter se solidorum, aere fracto,

vt cùm pulſantur tintinabula, campanæ, organa aut vaſa aurea, argentea, ænea, ſtannea, vitrea, fictilia, inuitreata, lignea etiam, ſed tinnula aut ſonora natura: aut, cùm in organis ἐντατοῖς, *quæ neruis intenduntur*, tenſæ chordæ, vel tactu feriuntur, vel quaſſantur vibratu, in quibus durities, ex renixu chordæ tenſæ, ſoliditatis vicem præſtat. Impulſu verò, ex impetu aeris, aut adacti ad afflata corpora, aut per inflata, ac perflata eliſi, ſicut vox hominis formatur ac variatur aere, ex afflatu è pulmonibus, in aſperam arteriam expreſſo eliſoque per γλωττίδα ſeu lingulam in larynge, quòd imitantur ἐμπνευστά, *quæ flatu complentur*, per rimulam tranſuerſam, aut foramen rotundum inflata, erumpente cum ſonitu aere, per ea, quæ patent foramina, & tonum, pro ſitu & ordine hiatuum, à principio inſpirationis variante, quod in organis, ex geminata fiſtula compoſitis, vna fixa, altera mobili, huius tractu ductúq;, vltro citróq; diuerſo ab ore, etiam efficitur, vt in βαρυτόνοις, *barytonis*.

Hæc ſenſui patent, & à quouis, imperito etiã, agnoſcuntur. Sed tanta cùm ſit varietas in ſonis, maiorque in tonis ſeu tenoribus, de formali ratione ſoni cuiuſque primùm ex tactu ſeu plaga, deinde, de tonorum ſeu tenorum à plaga reſonantium, in ſonoris corporibus, progreſſu continuato diffuſoq; tam repentè, multò tamen tardiore motu, & multùm anteuertente ſpecies viſibiles emiſſas, ab impactu ferientis, quæritur. De forma ſpecierum in ſonis, non diſputo, quos graui & acuto diſtinguunt generatim, & ſub his generibus, Græci & Latini: in ſpecies plures ac diuerſas, ſecundum varietatem cauſarum & ſonorum. nominibus etiam dirimunt. Sed Græcis præter ἦχον καὶ φωνὴν, πάταγοι καὶ κτύποι, *ſonum & vocem, ſoni ex percuſſione & fragores*, ex qualitate plagæ: Ex ſonorum verò diſcrimine, ψόφοι, τρισμοὶ. συριγμοὶ, βρόμοι, δοῦποι, βόμβοι, κλυδωνισμοὶ, κλαγγαὶ, *ſtrepitus, ſtridores, ſibili, fremitus, ſonitus, bombi, fluctuationes, clangores*, quas differentias cauſæ diuerſæ pariunt diuerſas, ex commixtione acutorum ſonorum & grauium. Latinis ſunt plagæ, ſibili, tinnitus, ſtrepitus, crepitus, bombi, fragores, fluctuationes, clangores, &c. Græci ἦχον vſurpant pro ἠχοῖ, ſeu ſono reflexo, qui eſt μακρὰ φωνὴ ἀνακλωμένη, ἀπὸ στερρῶν καὶ ἀντιτύπων, ἐπὶ τὸ πρόσθεν πάλιν ἐπανιοῦσα: *vox longa, repercuſſa à corporibus ſolidis & reni-*

renitentibus, ad id quod eam emisit reciproca. Horum omnium varietas non foret explicatu difficilis, si de principio consta-ret, ac fundamento, id est, de ratione formali soni.

Vt fiat sonus quicumque, docet experientia, semper con-currere duo corpora solida, inter se collisa, seu verè sint soli-da, vt in tintinabulis, campanis, bombardis, &c. seu duritie ac renixu, ex tensione, vt chordæ seu fides, natura tamen ali-cuius soliditatis participes, in organis, quæ ἐντατὰ, *quòd ner-uis intenduntur*, vocantur, & expansæ pelles in tympanis: seu aeris impulsi, coarctati, & vrgentis copia, impetusq; vehe-mentia expressi, aut adacti ac traiecti per caua ac conclusa solida, vt in organis, quæ sunt ἐμπνευστὰ *sic dicta quòd flatu com-pleantur*, & ventorum spiratu rapido ac concluso, per hiatus aut rimas. In his omnibus, alius esse obseruatur sonus, ex tactu & plaga: alius tonus & tenor, qui plagam sequitur, à vi-bratu corporis sonori, nusquam impediti a solidi cuiuscum-que occursu, & contactu. Vnde sit igitur sonus, vnde tonus, qui perdurat, plaga cessante, quæritur. Vtrum ex contactu, quo concussa committuntur inter se? An verò ex attracto confertim, interceptoque, ac refracto, & attenuato, ac ra-refacto aere, & eo impetu rursus diffuso, cum impulso cir-cumfusi aeris à collisione? Tonus verò, vtrum à corpore ipso sonoro exiliat, & ictu eliciatur? An verò ab aere, confertim ac cum impetu incusso cieatur, sic, vt sonum quidem plaga: tonum verò adactus, & allisus aer commoueat, haustumq; vicissim ex eo contactu vehat, ac diffundat eo vsque, quous-que perculsu propellitur, seu quousque se impetus effert, at-que extendit? Corpora dura & solida, quæcumque commis-sa inter se, ipso conflictu sonum edunt, qui tantò maior eua-dit, quantò duriora & solidiora illa sunt, & plaga, quantò ex collisu fuerit vehementior: tonum tamen seu tenorem non emittunt simul omnia procul resonantem. Ad hunc enim, vt exeat, requiritur primò, vt corpora sint solida, & ex ma-teria comparata sonora, seu tinnula, qualia sunt, quæ fiunt ex humidi, tenacis, ac glutinosi, subactu forti, pertinacique cohæsu cum terreo sicco, cuius partes, etsi ex infarctu con-nexuq; humidi interfusi, arcto coagmentatu, sic inter se de-uinciuntur, vt, in continuata soliditate, videantur interius expertia esse hiatuum omnium, ac meatuum, suis tamen

singula sunt pertusa poris, etsi rarioribus, angustioribus, & obscurioribus, quàm alia, soliditate tali destituta, iiq; pori aere pleni sunt semper, qui, perculsu ac vibratu corporis impellitur, & agitatur.

Deinde, vt sint dura, siue sua natura, ex terreni valde desiccati exuberantia, siue, vt *ἀντίτυπα*, *renitentia*, vel ex tensione ac renixu, vel ex irruentis cum violentia aeris impetu. Tertiò, vt ambitu externo ac superficie sint glabra, leuia, lubrica, ex inductis & oblitis poris, leuigatuaut politura, ne scilicet aer discerpatur. Quartò, vt sint caua ac rotunda, aut euidenti cauitate, aut obscura, in quam impulsus aer adigatur, ne prius dissipetur, aut diffluat, quàm sono imbuatur. Si angulosa sint, angulis continuitatem aeris agitati interrumpunt ac diuellunt, sonumq; hebetant, ac languefaciunt. Quintò, vt, quæ perculsu aut vibratu tinniunt, sicut chordæ & tintinabula, sint libera vndiq; ab omni allisu, aut compressu solidorum: & in aere perflabili ac libero, nec à solidorum occursu vsquam impedito, vt vibrentur tactu vel impulsu. Sextò, eo vsq; cauitate elaboratum, atq; attenuatum esse oportet sonorum corpus, vt, quando feritur, aer impulsus permeare remeareque, seu edi resorberiq; libero transitu possit.

Si corpora solida quidem, duráq;, ac *δυνάμει*, *facultate*, sonora, sed reliquis destituta, cauitate præsertim feriantur à solido alio, materia & magnitudine analogo, conflictu ipso sonum quidem edunt, sed, qui soliditatis tantùm, ac plagæ qualitatem refert & exprimit, absq; tenore. Si sonora sint insigniter, pulsata tamen, aut percussa premantur, ad ictum, aut nullus exilit, & consequitur tonus, aut tenuis & obscurus, subitóq; concidit, & euanescit. Si verò in solidum impingant obstaculum, mox cõsilescit. Sæpe etiam organa, ex eo percussu rumpuntur. Nec tantum finduntur ab incussu, vel tactu solidi, sed in aliud esse multò mollius obstaculum, si ferantur aut impingant quemadmodum campanæ dissiliunt, si inter pulsandum, fune tenui, aut filo etiam vinciãtur. Si libera sint ab omni impedimẽto aeris impulsi interni, qui intra poros cõcluditur, & externi ictus, tonum etiam exprimit, pro natura & quantitate organi, & pro quassatus vehementia, acutum aut grauem, magnum aut paruum, in longum

gum durantem, aut citò deficientem, quem, non tantùm obstructæ ædificiorum cohercent atq; continent fores atq; fenestræ, sed & aduersi ventorum flatus, densiorq;, & compactior aer reprimunt, & intermediarum aquarum confertim emissi immissique in sonantem aerem, halitus intercipiunt atque abrumpunt.

Plagæ sonus intercepto rarefactoque conflictu mutuo corporum, atque attenuato & refracto aeri imprimitur, inque contiguum aerem, concursu corporum attractum collisionis aerisque refracti & impulsi impetu, à loco tactus, tanquam centro, in orbem diffunditur, quemadmodum à puncto illapsus, si in aquas lapis coniiciatur, commotæ illæ gyrantur in orbem. Sono plagæ, tonus coniungitur, qui perculsi aeris impetu progressuque procul defertur, sensim tamen deficit, quo fertur longius, impetu scilicet remittente & elanguescente. Sed, si prædictæ illæ conditiones adsint, causa toni seu tenoris est ab eodem ictu, quo sonus plagæ, sed non sequitur, nisi totum organum sic quatiatur ac percellatur ictu illo, & qui includitur aer simul, vt pariter & ipsum totum commoueatur ac vibretur, quasi tremat, & aer simul impulsus atque agitatus exeat ac remeet, motu reciproco. Vibratus ictus tonum elicit, ex ipso percusso corpore: Hunc primò concipit & induit aer internus, cúmque impetu expressus secum egerit, in externum maximè, intra cauitatem attractum atque conglomeratum, quo cùm effunditur. Tam sonus, quàm tonus cietur ab vna plaga, sed non eodem modo. Ille enim in refracto attenuatoque, ex conflictu, & impulso aere externo ad locum contactus: hic vibratu totius corporis, quod & continuitatis solidæ ratione totum percellitur, & ita pertusum tamen est, vt sit aeri impulso peruium, ex eodem expressus, perq; internum aerem elisus, in eundem exteriorem, tanquam vnum & commune subiectum, cum illo iunctim vno profertur ac propagatur impetu & fluxu, emergitque tonus à communicata per consensum, ratione continui, plaga cum toto, &, secundum organi naturam, aeri interno primùm, móxq; per hunc etiam obuio continuóve externo impressa. Non tinniunt sonora, aut parum tinniunt si premantur, quia vibratus totius & agita-

tio interni aeris libera, quæ toni ſubiectum primum ac proximum eſt, intercipitur, ac cohibetur. Idem, in magno impetu pulſatæ campanæ, quoquo vinculo conſtrictus, aut preſſu detentus, ratione penetrationis dimenſionum facit dehiſcere ac crepare campanam, quia aer, eo impetu confertim agitatus, ac traiectus, libero, laxóq;, ac diffuſo tranſitu permeare, atque ire, rediréque prohibetur. Rumpitur igitur, & ictus, & aeris confertim irruentis, ſed exitum non reperientis, impetu & copia. Cauitates autem, quantum ad ſonorum formationem conferant, oſtendunt campanæ, & *ἐμπνευστὰ, quæ flatu complentur*, ex anguſto cauo paulatim dilatata, tandémq; extremis oris, velut labris, diductis, cauitate in orbem expanſa amplo hiatu. Nec *ἐντατὰ, quæ neruis intenduntur*, organa, tonum tam argutum redderent, pulſatis chordis, niſi caua eſſent, & magades perforatæ, niſi aeri vibrato ſubtus paterent, & analoga tenuitate, alliſo reſponderent. In *ἐμπνευστοῖς, organis quæ flatu complentur*, & omnibus, quæ perflantur, aer ſimul, & impetus ſui vehementia: qua perrumpit alliſus, atque erumpit, ſolidi alterius, & ſubiecti ſonum ſuſcipientis, vicem obit ac præſtat. Fit enim quidam quaſi attritus mutuus aeris, cum impetu penetrantis, & organi coarctantis. Vnde naturæ etiam, formæque organi, ſuiq; impetus vehementiæ, ſonus eliſi aeris reſpondet. Hæc de coloribus & ſonis volui intexere.

Sympathia & Antipathia rerum in natura iuxta ſeriem qualitatum. In primis qualitatibus.

Reuertor ergo ad *συμπαθείας & ἀντιπαθείας, naturæ conſenſiones & diſsidia*. Congruunt inter ſe rerum naturæ, aut diſſident, ac pugnant, ſecundum has qualitates, aut omnes, aut aliquas. Quoad qualitates primas, conueniunt hominum naturæ, ex ceteris mixtorum generibus, quæ temperata ſunt: aduerſantur eidem, quæ mediocritatem excedunt, tantóque infeſtius lædunt, quantò qualitatum à mediocritate receſſus eſt longior. Plus lædunt, quæ, tertio quartóve gradu frigoris aut qualitatis medium ſuperant, vt, Opium, Mandragora, Arſenicum, Thapſia & quicquid eſt huiuſmodi, ceteris mitioribus & moderatioribus. Inflammatis frigida, perfrigeratis calida congruunt. Cicuta hominibus venenum, ſturnis nutrimentum. Veratrum hominibus medicina, coturnicibus alimentum eſt. Aqua frigida, Salamandra, ſerpentum oua, flammam extinguunt, etſi oua viciſſim comburuntur.

Mani-

Manifesta etiam est, & συμπάθεια vel ἀντιπάθεια, *naturæ conuenientia vel discrepantia*, quæ à secundis oritur qualitatibus, & tertiis. Temperata naturæ conueniunt, immoderata, & naturæ, & sibimetipsis, repugnant: occlusis vel aliquo obfractis humore contraria sunt, quæ aperiunt: viscidis, quæ incidunt: crassis quæ attenuant: duris, quæ emolliunt: laxatis, quæ astringunt: glutinosis, quæ deterunt & abstergunt: exasperatis, quæ leniunt. ***In secundis & tertiis.***

Eadem ratio quarti generis qualitatum. Capiti conueniunt Maiorana, Betonica, Saluia, Pæonia, Acorum, Cubebæ, Castorium, Moschum, Ambra, Rosæ, Violæ, Camphora. Thoraci Glycyrrhiza, Amygdalæ dulces, Iris, Marrhubium, Hyssopus, Helenium, Crocum, Mel, Zacharum, Tragacantha, Adiantum, Hordeum, Violæ. Cordi, tum ex his quædam, tum alia, Cinamomum, Echion, Buglossum, Cirsion, Rosmarinus, Corallia, Vniones, Os de corde cerui, argentum, aurum; semen Oxalidis. ***In quartis qualit.***

Stomacho præ ceteris Mentha, Mastiche, Cariophylla, Zingiber, Acorum, Macis, Absynthium, nux Moschata, Aloe. Epati Absynthium, Spicanardi, Eupatorium, Rhabarbarum. Lieni, Asplenum, Phyllitis, Hemionitis, Teucrion, Chamædrys, Scordion, Epithymum. Venenis aduersantur Scordium, Lemnia, sphragis, Bolus Armenus. Conuenientiæ ratio, ex quarto qualitatum genere, euidens est. Sed longum esset, & genera omnia, & causas pertexere, de quibus, in Medicorum libris disputatum est copiosè.

Occultæ συμπαθείας & ἀντιπαθείας, *consensionis & dissensionis naturalis*, exempla innumera habet rerum natura. ***Occultæ Sympathiæ & Antipathiæ exempla in natura.***

Tota substantia, lupinum epar, & vuæ passæ conueniunt humano iecinori. Iaspis virens roborat stomachum. Smaragdus epilepsiæ, tota natura contrarius est, admotusque corpori illi obnoxio, aut vincit & profligit morbum, retinetq; vim suam, ac nitorem: aut morbo superatur, móxque amittit vim omnem & rumpitur. Sistunt sanguinem Hæmatites & Hieracites. Arcent & excludunt hydropem tres cochleæ multum tusæ, cum vini nigri cyathis tribus, & calefactæ atq; epotæ. Cinis cancri fluuialis medetur morsui canis rabidi.

Occulta vi trahunt bilem Rhabarbarum, Scammonea,

Euphorbium, Aloe: Phlegma, Coloquinthis, Agaricum, semen Carthami: Melancholicum humorem, Myrobalani Indi, Epithymum, Polypodium, Helleborus.

Insanus ac furens Elephas, ariete conspecto, mansuescit. Taurus, quantumcunq; ferox, mitescit alligatus ad ficum. Ouium à lupo admorsarum carnes fiunt teneriores, sed lana earum, neta etiam, textaq; pediculos gignit. Equi, vbi vestigia luporum contingunt, obstupescunt, & totis conuelluntur pedibus. Lupus ex contactu bulborum Scyllæ, resolutus fathiscit.

Homo, quem lupus prior viderit, obmutescit. Cancer, Polypodio obiecto, callos pedum & vngulas exuens abiicit. Vespertiliones, hederæ suffitu necantur. Vipera, fagi ramulo tacta stupet.

Ciconiæ platani foliis à nidis vespertiliones arcent: Hirundines Apio silphas & blattas: Noxias bestias corui Aro: Vpupæ Adianto: Cornices supina verbenaca: Perdices arundine: Galerita gramine. Aquilæ galli cantu terrentur: earundem pēnæ ceterarum auium pennas deuorant. Echeneis remoratur naues. Ad Torpedinis contactum etiam ex longinquo prævalidi obstupescunt artus.

Ruta, ad ficum consita lætius prouenit, & ficum fœcundat. Brassica inimica est vitibus. Magnes ferrum ad se trahit & vicissim abigit, si allio confricetur: Extinctam vim recipit prolutus hircino sanguine. Adamas & succinum alliciunt arripiuntq; paleas, pilos, festucas omnis generis, succinum solum respuit Ocimum. Adamas, de solo hircino mollescit sanguine. Astroites aceto impositus vertitur in orbem. Sapphyrus scorpionum ictibus medetur. Argentum viuum auro amicum, cetera metalla non transmittit, sed sustinet, auro cedit, vt subsidat: auro item illitum, mox vbi ignem senserit, auolat. Exanimata ferè iumenta, & extincti pænè virium deliquio homines, obiectu panis reuocantur. Nec canum eiulatu, aut ferociore equorum hinnitu, editas euentorum præsensiones rideo, quibus animalibus nullum homini familiarius.

Innumera rerum natura suppeditat omnium consensuum & discordiarum exempla. Hæc scrutatur in mixtis, &, quantum potest, ostensis causis explicat φυσιολογικὸν, *natura no-*

Vænotitia & consideratio. Quatenus verò ex euidentibus consensionum ac dissidiorum notis ceu diuinat, aut de quibusuis mutationibus elementorum, ceterorúmve mixtorum, aut de oborituris tempestatibus, aut de abditis atque abstrusis rerum naturis: in classem concedit diuinationum Physicarum. Insunt enim, vt hominibus, ita ceteris mixtis, notæ sensibus subiectæ, quarum ductu, aliquo modo interiores naturæ pernoscuntur: & comprehenditur, quid cuiuis aptum sit, accommodatúmque, quid noxium & aduersum.

Pertinent autem ad rationem concordiæ discordiæq; nō tantum, actiuæ formales qualitates, sed & illæ, quæ, ex analogia mixtionis comitantur concretionis modum, quorum apud Aristotelem in 4 Meteorolog. duplex genus. Vnum eorum, quæ *ἐντελεχείᾳ, reuera*, insunt mixtis; vt, durum molle: densum, rarum: crassum, tenue: viscidum, friabile: asperum, lene, & similia: Alterum eorum, quæ κατὰ δύναμιν καὶ ἀδυναμίαν, *naturali vi & imbecillitate*, existunt; vt liquabile non liquabile: fragile, & non fragile: sectile, insectile: ruptile, non ruptile: &c. Oleum aquæ non miscetur, quia vnctuosa, cum pertinaci lentore cohæreant, porosq; aut raro, aut pinguedine oblitos habeant, nec in minimas partes facilè comminuantur, alienos liquores non facilè admittūt. Butyrum contrà, quanquam vnctuosum sit, feruorem sachari tamen restinguit. Auget enim lentorem sachari rarefacti, & extendi in ampullas, à copia agitatorum, vi caloris, halituum, partes attenuatas ac diuulsas prohibet. **Ad Sympathias & Antipathias rerum pertinent materiales qualitates.**

Est igitur obiectum huius generis φυσιολογικοῦ, *physiologici*, omne genus qualitatum materialium & formalium in plantis, animantibus, & fossilibus, atque earundem vires, effectiones, conuenientiæ inter se, aut repugnantiæ. Φυτοσκοπικὸν, *phytoscopicum*, ergo de plantarum; ζωοσκοπικὸν, *Zooscopicum*, animantium; ὀρυκτοσκοπικὸν, *oryctoscopicum*, fossilium coniectat naturis interioribus, déque qualitatibus, & qualitatum gradibus, ac discriminibus. **Physiologiæ species.**

Ad φυτοσκοπικὸν, *phytoscopicum seu diuinationē ex plantis*, pertinent illæ antea cōmemoratæ, exempli gratia, in plantis aliquibus notæ, indicantes initia, finésve, aut cōditiones qua-

Virgula diuina à Metallariis vsurpata.

tuor vniuersalium anni temporum. Eodem diuinationes pertinent Metallariis vsitatæ, quæ fiunt Sciotericis, & virgula diuina. Est ea ex corylo decisus bifidus surculus, quo venas illi auri argentíve feraces explorant, inclinante sese eò virgula, qua, sub terra, venæ feruntur atque incedunt. Qua vi id soli corylorum præstent surculi, & non item ceterarum arborum, quæ in iisdem prouenerunt locis, eodem terræ altæ refectæque succo, obscurum est: nisi, quòd coniicio, συμπάθειαν habere corylos ad Metalla connatam & occultam: eam augent roborantque succi cognatæ cum metallis naturæ, quos, ex aggesta radicibus terra, nutritionis causa sugunt & hauriunt. Sciotericis, vias ductusque venatum profundissimos, miro artificio peruestigant & designant, dirigúntque operarios, ne deuient, ex planorum triangulorum natura.

Desino recitare exempla: quippe tota mihi percurrenda esset, & exhaurienda rerum natura, si vellem integrè persequi partes singulas: & quantùm, in hac re, humana nauare potest, atq; assequi industria, doctorum monumentis descriptum extat. Hæc recensui, vt earum diuinationum fontes, quæ, vel ex animantibus & plantis petuntur, vel de ipsorum instituuntur occultis naturis, ostenderem Physicos esse, non commenticios.

Si à Meteoris prænuncia tempestatum signa, in aere, aquà, & terra separamus, distincta hîc quoq; genera constituere, & ὑδατοσκοπίαν, *aquarum præsagia*, signorum præcedentium tempestates in mari, qualia sunt, si tranquillum mare murmuret, aut littora, ripæque tranquillæ resonent, spumæve dispersæ & aquæ fluitent bullantes: ἀεροσκοπίαν, *aeris contemplationem*, eorundem, quæ præeunt mutationes quasuis τῶν καταστάσεων, *constitutionum*, cœli, in ipso aere: γεωσκοπίαν, *terræ considerationem*, in terra apparentium signorum notationem, vocare possumus.

Iudicium de natura & ingeniis hominũ ex elementorũ qualitatibus.

Cúmq; pænè in singulis locis varient hæc tria elementa qualitatibus, non leuia, de hominum ingeniis & naturis, argumenta præbent, ideo, quòd necessariò corpora afficiunt atque immutant.

Aer forinsecus haustus in tres partes distribuitur.

Aerem quouis sorbemus momento. Is è vestigio, vbi attractus est, subitò fertur in totum corpus: pars eius euolat in ce-

in cerebrum,& animali permiſcetur ſpiritui: pars à pulmone hauritur, quæ deriuatur in cordis ſiniſtrum thalamum, iungenda vitali ſpiritui: pars ſemper deglutitione abripitur in ventriculum, vnde in epar fertur, ex epate in venas diſtribuitur. Ex quo fieri nequit, vt non ſuis imbuat qualitatibus ſpiritus tenuiſſimos, & immutatu facilimos, humoresque ob mollitiem, alterationi obnoxios plurimum,&, continuo alliſu inhæreſcendo, ipſis etiam ſolidioribus partibus aliquid ſuæ naturæ imprimat.

Aqua præcipua nutrimenti ſolidioris eſt portio. Adhibetur enim tum coquendo alimento, quod aſſumimus, tum corporibus, iisque, quibus vtimur, veſtimentis eluendis: & quanquam coctura rerum impoſitarum concipit qualitates], tamen ſuas non prorſus exuit; immò viciſſim iis rebus, quas feruefacta coquit, eas infigit, dum crudas penetrat, ſubigit, attenuat, & digerit, donec, ſuperfluo humido exhauſto, ac craſſioribus terreis partibus comminutis & emollitis, vtraſque iunctas ac temperatas in ſicciorem, ſed tenuiorem multò, atq; exactius elaboratam redigat ſubſtantiam. Quapropter, cum ipſo ſimul alimento vertitur in ſpiritus, humores, & membrorum eſſentiam. *Aqua præcipua nutrimenti ſolidioris portio.*

At terra, ſuis, tum vtrumque elementum, aerem, & aquam, tum res ex ſeſe natas, quibus victitamus, imbuit qualitatibus. Quippe in aerem, ſingulis momentis, plurimum egerit atque effundit halituum, quos, calore ſiderum, & ſibi incluſo fota emittit.

Aquæ fontium ſuæ retinent ſcaturiginis naturam, vnde emanant: Puteorum aquæ contrahunt terrarum qualitates, per quas deriuatæ, & ceu colatæ in puteos, vt humiliores ac profundiores hiatus, confluunt & conſidunt. Flumina variant: alias enim, atque alias ſubinde, ex terræ, per quam fluunt, contactu & alluuione, diſſolutarum partium admixtu, qualitates acquirunt. Terra nata ipſius prorſus naturam induunt: quippe eo refectæ auctæque alimento, quod circumſita terra radicibus ſugunt, adoleſcunt, & maturantur. *Fluminum qualitates, pro ratione terrarum, quas alluunt variant.*

Non abs re igitur fuerit, immò multum retulerit, aut mores, & ingenia hominum exploraturo, aut naturas corporum, quales illæ ſint, quibúſve obnoxiæ morbis perſcruta-

turo, accuratè qualitates horum elementorum exquirere.

In aere considerandum, an crassus sit, pinguisq;, vel subtilis: an purus, magna ex parte, aut turbidus, & fumosus, vel putridus, aut fœtens, salubris, aut pestilens: an temperatus, vel calidior, frigidiórve, aut aridior etiam: vel humectior, & quicquid est huiusmodi. Nascuntur enim, sub cœlo pingui, ingenia hebetiora plerunque: acriora gignit tenuius & purius cœlum.

In aqua itidem obseruandum, an crassa vel tenuis sit, pura & limpida, vel alio infecta colore, aut fæculenta, aut sordibus inquinata insipida, vel dulcis, vel Metallicum referens saporem, nitrosum, aluminosum, sulphureum. bituminosum, salsum.

In terræ natura pænè omne, aut præcipuum omne situm est, ac plurimum interest, pinguis ne sit, an macra, an mediocris, an lapidosa. Si pinguis, an argillosa, aut glareosa, aut vliginosa, aut limosa, aut cretosa: an nigricet, vel rubeat, vel niteat, vel flauedinem præ se ferat, aut virorem. Si macra an arenosa, aut puluerulenta, aut sabulosa, aut cinericia. Si lapidosa, an marmorea, aut silicea: an sit grauis vel leuis: an subsint metallorum venæ, vel sulphuris, nitri, salis, aluminis, bituminis, margæ. Denique qualitates sensiles expendendæ omnes, & occultæ etiam, si quas habet. Plurimum enim ab his, & hominum corpora, & terra nata, quæ alimentum fiunt hominibus, assumunt. Horum considerationem, si antè positis nominibus & generibus tribus comprehenderimus, non errabimus.

DE ASTROLOGICIS PRÆDICTIONIBVS.

In corporibus cælestibus duo notanda motus, ac vires propria.

AB Elementis & mixtis corporibus, ad lucida cœli corpora venio, quæ, in elatiore & ætherea Mundi regione, suorum circumactu perpetuo orbium, circa imam & elementarem regionem reuoluuntur, & velut gyrantur constãtissimè, nulla sui vnquam parte affecta, vel immutata. In his,

his, aut motus, qui singulis octo orbibus peculiares sunt, ac proprij motuumq; leges immotas, certas vices, ac reditū cō-stantē in idem, vbi vnum, ceu stadiū decurrerūt, periodo exacta: aut vires atq; effectiones obseruamus, eas, quas in elementarem promunt regionē, demissis eò, defixisque radiis.

Duo distincta doctrinarum genera ex corporum cœlestium considratione.

Inde duo nata distincta doctrinarum genera: Quarum illam, quæ describit motuum cœlestium leges & varietatem: & distantias metitur, atque interualla & magnitudines corporum lucidorum, & orbium, obseruationibus eruditis vsa, & plurium artium adminiculo, vocarunt Astrologiam, & Astronomiam: Hanc, quæ vires & effectiones considerat & explicat, quæque, expositu motúque corporum, & radiorum coniectu vibratúque diuerso atque inter sese commixtione, peruasuras in elementaria corpora, quæ illis subditam ac subtensam Mundi partem incolunt, mutationes, solerti coniectura, & ratione congrua, vel longa constantíq; experientia ratiocinatur ac prædiuinat. Hanc ergo, *προγνωστικὴν δι' ἀστρολογίας*, *diuinationem astrologicam*, vocatam inter eruditæ, & probatæ, atq; concessæ *οἰωνιστικῆς*, *aruspicinæ*, species reposuerunt. Illa præcedit, hæc sequitur, & priori tum ceu appendix cohæret, qua, ad quos vsus admiranda motuum varietas comparata sit, atque constituta, declaratur: tum illi, velut basi innititur atque insistit.

Illa exordiens *ἀπὸ τῶν φαινομένων καὶ τηρήσεων*, *ex apparentibus in cœlo, & obseruationibus*, quæ sensu partim, partim ratione & animaduersione erudita, organis certis adhibitis, notantur atq; explorantur, conuenientium hypothesium accommodatione, Geometricis demonstrationibus, & Arithmeticis numeris absoluitur, consensúq;, & congruentia obseruationum, vt sibi inuicem respondentium, & nascentium atque occumbentium ad definita momenta siderum, aut hæc, illáve cœli loca adeuntium, luminúmque ad constitutos terminos, deficientium euentu, comprobatur. Ideo certissima semper, omnium consensu est habita. Hæc, ab eruditæ experientiæ argumentis ac documentis ordiens, veræ Physicæ exemplo & modo, cùm eiusdem experientiæ suffragiis, tum rationum etiam, ac demonstrationum Physicarum fundamentis consistit: quibus, quod deest, hoc indubitatæ experientiæ consensus supplet, vt in vniuersa Phy-

ſica fit, in qua minimà omnium cauſæ oſtendi, aut rationes reddi poſſunt, quæ experimenta proferunt.

Quáre, vt Aſtronomiæ rectè, inter diſciplinas Mathematicas decernitur locus, & illas quidem, quarum τὰ ὑποκείμενα αἰσθητὰ καὶ ἔνυλα, *ſubiecta ſenſibus expoſita & materiata*, ſunt, quæ Ariſtoteles φυσικώτερα μαθήματα *mathemata phyſicæ cõſiderationi magis propria*, facit, è quorum ſunt numero μηχανικὰ etiam, ὀπτικὰ, κανονικὰ, λογιστικὰ, γεωδετικὰ, *mechanica, optica, canonica, logiſtica, geodetica*: Sic προγνωστικὸν δι' ἀστρολογίας, *diuinatio aſtrologica*, iure ſibi, inter doctrinæ Phyſicæ genera locum vendicat. Scrutatur enim, & inueſtigat, & quantum imbecillitas retuſæ aciei mentis humanæ concedit, vel præmonſtrat, vel demonſtrat cauſas mutationum ac motuum, itemque δυνάμεων καὶ ἀδυναμίας, *naturalium facultatum & imbecillitatis*, in his, ex elementorum coalitu conflatis corporibus, remotiores, & quarum è cœlo origo eſt, atque à virtute luminis cœlo delapſi, & ad quos vſus ac fines tot cœli lucidiſſima corpora, tanta luminis, molis, & motuum varietate, tanta perfectione atque conſtantia ſint condita, exquirit ac declarat, quæ, vel ocioſi ornatus cauſa, vel, vt vacuam Mundi immenſitatem, ocioſo infarctu explerent tanta ſapientia fabrefacta eſſe, ac diſtributa, Cyclopum, imò furioſorum hominum eſt dicere.

Duæ diſcrepantes ſententiæ de Aſtrologia ſeu prognoſtico δι' ἀστρολογίας.

Etſi autem, ex affectionibus cœleſtium corporum plurimæ, adeò ſunt euidentes & notæ, vt ne imperitos quidem lateant: tamen de huius doctrinæ certitudine, omnibus temporibus variæ fuerunt, diſcrepantéſq; ſententiæ. Aliqui derogata ei omni veritate, atq; artis detracto titulo, totam artium numero excluſerunt, imò, ex rerum natura relegarũt, tanquam quæ ſeſe præſtigiis, ad veritatis quidem ſpeciem ſcitè adornatis, ſed alienis tamen à veritate, venditet atq; inſinuet. Nonnulli contrà, eò delapſi ſunt amentiæ, vt omniũ humanarum rerum publica & priuata fata, quæ quiuis ſcire deſideraret, in hoc oculis noſtris obtenſo cœlo, & illi affixis ſideribus, conſignata eſſe tanquam tabella, & inde depromi ac proferri ab eruditis poſſe, affirmarint, nihilq; tentandum inchoandúmve cenſuerint, niſi conſultis aſtris, nec ea, quæ gerenda ſuſciperentur, procedere, ſortiríq; optatos euentus, niſi aſtra annuerent, ac ſuffragarentur.

Illos,

Illos, vt in eleuanda & abiicienda arte proueherentur longius, permouerunt fortasse, cùm horum falsa & stolida promissa, quibus ita ad astra alligarunt animos, vt hos ex illis, tanquam numinibus pendere voluerint, aut spe suspensos, aut captos metu: tum vatum crebræ aberrationes, & iudicia dissentientia toto cœlo ab euentibus, autorúmq; quorundam recentiorum & veterum superstitiosa commenta, nullis firmata rationibus, atq; ad vsus, nec veros, nec legitimos, vel superstitione, vel spe vberioris lucri, vel studio nouandæ artis structi adornatíque Canones, quibus metas illi Physicas egressi, artem cumularunt & obruerunt adeò, vt, inter aceruos commenticiorum Canonum, vix obscura Physicæ alicubi vestigia emicuerint. Hos, ad præstigias excogitandas ac coaceruandas, atq; artem in immensum extollendam atque amplificandam, vel superstitio impulit, vel spes lucri ac quæstus, vel ambitio, aut naturæ vanitas. Errare autem vtrosque, ac decipi, facilè intelligent sani, & principiis, à quibus orditur, quibusque sese fundat ac stabilit, & metis, intra quas continetur, perpensis.

Astrologia à primis parentibus tradita.

Certè veram Astrologiam, quæ pars est Physicæ, inuestigans cœlestes & remotiores causas mutationum, naturæ inferiori euenientium, à primis obseruatam, ac posteris traditam esse parentibus, mihi dubium non est. Cùm enim perspicerent illi, consequerentúrque quamuis hebetata, acutiore tamen ac vigentiore mentis acie, rerum naturas, in toto Mundi systemate, quàm nos, quorum caligant oculi, ætate Mundi, ceu senio hebescentes, & aliis de causis, diligenter, & quo consilio cœlestia corpora hac condita substãtia, his expolita formis, hoc collocata essent ordine, & quibus conuerterentur motibus, quantóq; tempore, periodos obirent ac conficerent suas, notarunt. Motibus deprehensis, conuersionúmq; perceptis ac definitis temporibus, naturas deinde, vires, atq; effectus scrutati sunt, Sympathiásque, cum natura inferiore, qua lege, deuincta cœlestibus inferiora cohærerent, quòd è cœlo vis motrix, in elementa deriuaretur: Iter Planetarum signarunt, idque, collectis in duodecim imagines stellis insignioribus, atq; effectu differentibus, quæ eum tractum obsident, in duodecim partes, duce & magistra Luna dispescuerunt, atq; vniuersim in toto conspi-

euo, ac noto hæmisphærio, singulares stellas, positu vicinas & insignes viribus, in certas coegerunt ac digesserunt effigies, vt obseruari agnoscique possent.

Astrologiæ abusus quando ortus.

Procedente ætate, cùm sua culpa petulanter degenerarent homines, & à maiorum deflecterent vestigiis, vt cetera ab iis, & ex natura, diuino acumine eruta atque expressa, & sapienter alioquin instituta, vel neglexerunt, vel deprauarunt: ita hanc quoque pulcerrimam Physicen corruperunt, abusu pænè deformi, cùm, sine Deo, dubiis animis, spéque ancipiti fluctuantes, suæ imbecillitatis cogitatione, & reformidarent aduersa omnia, ac pertimescerent, & suspirarent prospera, quærerêntque quæuis harum solicitudinum, ac perturbationum παραμύθια, *alleuamenta & solatia*, seu vera, seu falsa. Nec destitit autor superstitionum Diabolus, iacta semina, pabulo suppeditato, fouere & amplificare.

Quanquam igitur ea, quæ à primis fuerunt obseruata ac tradita patribus, amissa, & ingeniorum nostrorum aciem ita retusam atque attenuatam fateor, vt non amplius ipsas stellarum penitiores naturas peruideamus: tamen nondum tota est mutata rerum natura. Cient, gubernant & dirigunt mutationes stellæ, in elementari natura, eadem vi, qua initiò, à lapsu primorum parentum, aut, si languidiore (vt omnino existimo) non tamen ex toto mutata. Languet vis mentis nostræ, stupent sensus, torpet intellectus: attamen tantum adhuc reliquum nobis, vt quos, quouis positu stellæ, effectus edant, prænotare, & similes ex similibus constitutionibus ratiocinari ac prædicere possimus; & alius alio sagacior est, atque argutior in coniectando.

Quòd ergo sint efficaces stellæ, & quòd sit προγνωστικόν, *prognosticum*, aliquod ex Astris affectuum, cùm eorum, quos elementis impressos inclusa illis mixta corpora suscipiunt: tum ceterorum, qui minus euidenter in eadem influunt, primùm ostendemus.

Demonstrationes, quòd stellæ sint efficaces, & quod prognostica.

Huic demonstrationi præbet exordium aptissimum, vox cœlestis, in principio libri Geneseos scripta: Dixit autem Deus: Fiant luminaria, in firmamento cœli, & diuidant diem & noctem, & sint in signa, stata, tempora, dies, & annos, vt luceant in firmamento, & illuminent terram. Decretum

ita,

ita, atque ſtatutum eſſe, ait, à Deo, vt ſtellæ, inter quas præcipua luminum vis, diſtinguant, varient, temperent idoneis qualitatibus, & naturæ mixtorum conuenientibus, diurna, menſtrua, & annua ſpacia; ſintque in ſigna, id eſt, antè conſpecta ac conſiderata, de initiis, progreſſionibus, ac metis temporum, déque illis, quæ incidunt variationibus, vi ſtellarum excitatis, moneant atq; edoceant homines. Ergo & tribuit eis hoc, quòd aliàs aliter elementaria cuncta afficiant, & eas affectiones ſuo poſitu præmonſtrent attendentibus. *effectuum ex aſtris ſumi poßint.*

Neque conſentaneum eſt, maxima illa, fulgentiſſima, incredibili ſapientia abſoluta corpora, tanta lucis varietate, tanto numero, & certa atque immota lege conſiſtentia, nec erroribus obnoxia, nec labem vllam, inde vſque ab initio: affectionémve vel minimam perpeſſa, quorum perennes motus, ac perpetuos, cum admirabili incredibilíque conſtantia, & conſenſu inter ſe, atque conuenientia immutabili cernimus: hæc ergo ocioſi tantùm ornatus cauſa comparata eſſe, & non ad alios vſus longè potiores.

Et diffundi vim quandam à cœlo in omnia, quæ ſub orbe Lunari, elementis dedicato tractui inſunt, vt Dei nutu decretóque conſtitutum eſt, atque ſancitum initiò, perpetuæ experientiæ argumenta conuincunt. Nam, vt inde ordiar, quod, vel indoctis notiſſimum eſt, Solis circuitu, acceſſu, receſſúque diurno & annuo, gratiſſimas, & naturæ neceſſarias temporum vices, hyemis, veris, æſtatis, & autumni, dierum & noctium effici, variaríque, pro ipſius ad terram habitudine, atque à punctis verticalibus diſtantia, quis non intelligit? etſi cauſas rationémque non peruident omnes. Quis non in Solis poſitum refert, quòd terræ rotundus circumquaque ambitus & medius, Tropicis vtrinque definitus, quem Zonam torridam nominant, perpetuò, ceu deuſtus aret atque æſtuat: Extremi contrà limites, vtrinque Mundi ſubnixi verticibus, glacie rigent, horréntque niuibus & frigore, aut illuuie ſqualent, & ſitu: Reliqui duo medij, & his extremis incluſi tractus, variant: Abundant frigore, quà vltimos attingunt limites: ardoribus infeſtantur maioribus, in confinio itineris Solaris: Verſus medium, *Solis effectus.*

temperatam habent constitutionem, plus minúsve, prout ad alterutrum limitum extremorum propius accedunt?

Neque (vt opinor) quisquam inficiabitur, ex quotidiana Solis, circa terram, vertigine, ortúque & obitu, atque ad medium cœli delatione, quo motu, alias atque alias subinde stellas secum effert, alias, è regione, sub occasum vrget ac præcipitat, aut turbari aerem, obnubilaríque, aut serenescere, atque inclarescere, aut concalescere plus nimio: aut contrà perfrigerari, aut humectari, aut arefieri, alitérque, atque aliter mutari, pro stellarum coorientium, occumbentium, vel in Solem radios proiicientium, natura & conditione: siquidem hoc quoque rusticis, Astronomicæ doctrinæ ignaris, notum est, atque confessum.

Lunæ effectus.

Luna, quæ terris proxima est, manifestius assensu atque approbatione omnium, in terrena influit: Crescens humiditates, & commouet, & affundit corporibus, quas repetit & resorbet marcescens.

Quòd afficiantur vtriusque effectionibus, quæ, sub lunari orbe, continentur, conspicuum est. Sole propius accedente, elementa, quæ fuerant frigore hyberno coacta quasi, & addensata, aut constricta, calore tepediore soluuntur rursus, ac funduntur: Aer rarescit, & fit subtilior, glacies gelatarum aquarum liquescit ac diffluit, terra aperitur ac dehiscit, conclusósq; exudat, digerit, ac diffundit humores, quos frigore compressa cohibebat. Mox & plantæ, eodem calore vegetatæ ac fotæ, tum in germina erumpunt, gemmásque protrudunt, tum abundantius, ex emollita atque affluente terra, succis haustis, luxuriant. Animantium corpora, quorum meatus ac poros frigus constiparat, laxantur, ac veluti panduntur, solutóque & libero motu agitatos ventilant ac perpurgant humores, separatis, atque vel in halitus resolutis, vel alioquin expulsis recrementis.

Luna augescente, liquores in plantis & animantibus exuberant, pleno orbe fulgente, vigent: deficiente, minuuntur, interlunio, cùm ipsa lumen omne à terris auersum cœlo regerit, arent. Hæc cùm vsu didicissent agricolæ, aptissimè tempora sationum, admissionis pecudum ad coitum, incubationis auium domesticarum, sectionis lignorum, vel vrendorum, vel ad structuras adhibendorum distribuerunt.

Eadem

Eadem supra horoscopum conscendente, maria tãquam impulsa exæstuant atque intumescunt, decumbente, considunt rursus, & conquiescunt: idque, cùm in ipso mari percipitur, tum vicissitudine exundantium, & refluentium, ac residentium fluminum, ostenditur oculis.

Luminum cœlestium vis in commouendis aquis marinis.

Euidentissimè, in hac commotione & agitatione aquarum marinarum, vtriusque sese luminis vis exerit. Primùm enim de Luna pro confesso habetur, & indubitato, impulsa ceu efferuescere maria ab imo, & insurgere, atque intumescere, Luna sese, cum Mundo, attollente paulatim ad culmen cœli, aut ab occasu præcipitata, subter ima cœli: cumque cœli fastigium infra suprave terram attigit, ceu insistere, represso diffluxu. Eadem ad occasum, à cœli fastigio vergente, vel ab imo paulatim assurgente, sese contrahere rursus, atque recipere ceu resorpta, inter duos exortus, bis permutatim effluentibus his, bisque remeantibus, vicenis quaternisque semper horis.

Animaduersum & hoc est, interlunio, & plenilunio, cùm Soli, Luna subijcitur vel obiicitur, maria incitari vehementius, & diffundi, ac ruere impetuosius, ternis antè diebus, & pòst totidem: contrà languescere æstum, ac ceu lentescere, circa Lunæ dimidiationes.

Plures obseruationes addunt Strabo ex Posydonio, & Plinius: nimirum, quòd æquabiliores fiant effluxus ac refluxus, cùm signa Tropica Luna pererrat: instabiliores contrà, & incertiores, cùm æquinoctialia: Denique ingrauescere æstus, atque intendi, cùm Luna in Austros digressa, propiore nisu vim suam exercet, & ab æquinoctiis, ad solstitia, ab his contrà, ad æquinoctia: &, cùm Aquilonia est Luna, vel à terris longius recessit, leniri rursus eosdem, & mitescere: vt tumeant maximè æquinoctiis, bruma solstitioque inanes sint.

Sentire hunc sese ceu aperientis, atque expandentis, & vrgentis maris impetum, retroacta, & inhibita, ac detenta flumina, antè dixi. Ad Londinum Britanniæ, Tamisim quinquaginta, à mari, Italicis milliaribus: ad Hamburgam, quæ veterum Gambriuiorum sedes est, Albim octodecim, ab Oceano, milliaribus: Ad Antuerpiam Scaldim itidem milliaribus circiter octodecim, regurgitari atque augescere, & ef-

fluere, mari accedente, &, hoc reciprocante, diminui & relabi intra alueos, iisdem, quibus mare, vicibus, accolis notum est. Vehementissimos habet æstus Oceanus mitiores, mare mediterraneum: nullos Hellespontus, & Pontus Euxinus, Ligusticum, Balthicum & Caspiũ, maria. Bis die noctéque effusum resorptumque alternat Siculum mare, ad Scyllæ & Charybdis cauernosos scopulos. Septies Chalcidicum, ad Eubœam, Euripi alternantibus refluxibus notum ac celebre.

Nautarũ experimenta de motu quodã marũ peculiari.

Præter æstum, alio minus euidenti motu, eoq; perpetuo, agitari maria, nautæ compererunt nimirũ, tum Oceanum ipsum, qui, extra columnas Herculis latè fusus, alluit, interluit, & ambit terram vniuersam: tum mediterraneum mare, quod per angustias freti Herculei infusum, amplo patentique alueo, orbis habitati medium inundat.

Experiuntur nautæ, si soluerint à Nerito promontorio Hispaniæ, & vela fecerint Britanniam versus, ad orientem Solem, longè se tardius prouehi, quàm, si inde reuertantur in Hispaniam.

Eodem modo qui ex Hispania, Insulas, recens à Columbo Genuense in Oceano occidentali peruestigatas adeunt, iter illud viginti quatuor dierum spacio in accessu, secundo mari deuecti, conficiunt, quibus Hispaniam repetentibus vix trium quatuórve mensium spacium sufficit, etiamsi flatus nulli aduersentur. Et Lusitani, qui Africæ oram, & promontorium Bonę spei præternauigant, vt Taprobanem Insulam petant, allatum merces Indicas, etiam secundis aspirãtibus ventis, tardius multò, ac difficilius accedunt, quàm inde reuertuntur domum.

Causam huius rei, nullam aliam esse affirmant, nisi quòd Oceanus, perpetuo, ac continente, & rapidissimo orbium cœlestium ab ortu in occasum circumactu, in eandem impellitur, ac velut cogitur, & contorquetur partem, non manifestè quidem, & conspicuè, sed sensibiliter tamen. Hunc occursantis & aduersantis, ex cœli impulsu, marinæ molis renixum, inhibere aiunt, & tardare vel concitatissimarum nauium impetum.

Eodem cœli impulsu, mare mediterraneum, quod angustioribus littorum ceu repagulis cohercetur, in gyrum circumagi,

cumagi, obseruatum est. A Palæstinæ enim scopulis, qui orientem Solem respiciunt,incitatum, &, secundum Phœniciæ, Pamphyliæ, Hellesponti, & Græciæ oras, littora lambendo prouolutum,dehinc Dalmatiæ, Histriæ, & Illyridis legit continentem, atque in intimo recessu maris Adriatici eum angulum, in quo Venetiæ sitæ sunt, obiens, in oppositum littus Italiæ, Flamminiam versus, reflectitur: indeque, per Piceni seu Anconitanæ Marchiæ, Apuliæ, Magnæ Græciæ, & Siciliæ limites, ad orientem Solem reuolutum, moxque & Tyrrheni maris oram vniuersam circumiens, & Narbonensem Galliæ, Beticam Hispaniæ prouincias,fretique Herculei angustias præterfluens, & Mauritaniæ, Africæ, & Ægypti littora perlabens, redit ad ortum. Exæstuationis, etsi obscurior ratio, tamen in Sole Lunaque causa est: Cùm mutuis Horizon & meridianus intersectionibus totum cœlum, in quatuor diuellant plagas quarum duabus contrariis vecta lumina affluxus faciunt, accessusque inundantibus aquis, ab exortu, ad cœli fastigium, & ab occasu, ad imum cœli: duabus aliis recessus ac refluxus, sorbentibus sese iisdem. *Causa exæstuationis marina.*

Luna noua aut plena, largius exundare maria, vtroque sidere, aut simul nascente, & simul occumbente aut eodem tempore, altero nascente, altero defluente, in iis cœli plagis, quibus impellere maria consueuerunt: Contrà minus feruere, eadem Luna diuidua, ob contrarios impulsus, altero sidere incitante, reuocante, & retrahente altero, ex plagis contrariarum virium, obscurum esse non potest.

Ergo, vtriusque sideris circumactu quotidiano, effectuque commouentur maria, & variantur hæ commotiones, congressibus ipsorum inter se, & mutuis aspectibus, incessuque, per diuersos zodiaci tractus, & in diuersa tendentes ac propendentes, & ad ipsos marium tractus, luminum dissimili inclinatione. Præcipuam tamen vim Lunæ esse, inde conspicuum est, quòd incipiunt æstus, exoriente hac, & occidente, tantoque tardius incipiunt, quantò longius prouecta illa prodit serius.

Sed, qua vi trahant maria, an solo radiorum vibratu, an interueniente alio quopiam adminiculo, non ineptè quæritur. Etsi, mirando consensu, vim radiorum Solis Lunæque,

in terrenis corporibus, humores afficere, & agitare, tota hęc inferior natura euidenter demonstrat: tamen, cùm videantur æstus similes esse feruori calentis ad ignem aquæ, moueor, vt existimem, sicut aqua feruet, cùm resolutorum ardoris vehemētia tenuiorū halituum copia, & leuitate ac tenuitate sua, & vi caloris impulsa diffusaque, exitum quærit, quem, nisi turbatis & agitatis aquis, & ab imo ad summum, à medio ad extremos aheni ambitus dispulsis, non inuenit: Sic maria exæstuare, cùm, vi radiorum magna copia extenuati, impulsique, aut tracti ab imo fundo, marini terrenique halitus, & inclusi in profundū, luctantesq; cum circumfusis aquis, atq; erumpere, exitu patefacto, annitentes, displodunt, ac velut discerpūt, ac distorquent aquas, quæ, dum vrgentibus halitibus cōcedunt exitum, dehiscendo ac discedendo adigūtur ad littora, & fluminum ostia, vbi his repressa flumina primò sistunt, mox retro vertunt cursus, eleuataque ex reciprocatione effunduntur, & proxima quæque inundant atque integunt, cùm quidem ad littora ab imo maria ipsa res varias ceu reuomunt, atque expuunt.

Oceanus sæuos habet æstus: mare mediterraneum paulò mitiores.

Oceanus æstus habet sæuiores, leniores mediterraneum mare, quòd isthic aperta magnitudo, siderū vim laxè grassantium efficacius sentit: hìc eandē arcent angustiæ. Quapropter & Balthicum, & reliqua maria, angustis coarctata alueis, atq; à radiorum efficaci proiectu, longius dissita, &, propter profunditatem, radiis luminū minus peruia, æstus nullos experiuntur: Et tum, propter easdem angustias, tum, quòd fundus saxeus in halitus resolui fundiq; nequit agitationi accommodos, mare Ligusticum.

Solis & Lunæ præcipui effectus & significationes.

Quanquam verò præcipui sunt effectus, & significationes illustriores Solis ac Lunæ, quòd ille, & mole corporis antecellens ceteris, & natiuæ lucis copia, fulgore, atq; efficacia, accessu coniectuq; radiorū, reliquas stellas, aut moderatur, aut extimulat, aut obtundit: hęc, & Solis luce imbuitur, &, vt terris proxima, quicquid à ceteris deriuatur, exceptū colligit, atque aceruatim demittit: tamen adeò non fallit attentam animaduersionem etiam ceterarum vis, tam errantium, quàm adhærentium cœlo, vt à nautis & agricolis sit deprehensa: etsi euidentior fixarum est natura, quarum

Stellarum fixarum certior significatio.

effectiones, statis anni recurrunt temporibus, & tunc sese

promunt.

promunt, quando nascenti illæ, vel assistunt Soli, vel ex aduerso cedunt, aut, cùm defluente Sole se condunt, prodeúntve, illo abeunte.

Longioribus dissident interuallis Planetarum effectiones quod interea, dum Sol circumit obliquum signiferi orbem, aliàs occultantur, aliàs vicissim se proferunt in emersum, discedunt in latitudinem aliquam, ab Ecliptica accelerant, aut moram trahunt, in aliquo loco, aut incedunt con trario itinere, extolluntur, & rursus sese demittunt, conserunt & complicant radios suos inter sese: & cum Sole ac Luna, dissimiliter. Solem quippe vires stellarum fixarum, quas adit, & diurni assumit comites itineris, quasve aduerso ferit pulsatq; radio excitare: Planetarum contrà obtundere præsentia sua, radiorum verò inflictu acuere, minimè obscurum est. Et consideretur illustre testimonium prouidentiæ, in fabrica Solaris itineris expressum.

Cùm obliquo Solem circuitu oporteret quatuor anni cardines distinguere & temperare, quo variaret illos qualitatibus, & attemperatis, & necessariis toti inferiori naturæ particulatim, & tantam, sua vi varietatem efficere nequiret solus: Deus naturæ conditor, totum iter eius, ex diuersarum naturarum stellis, non confusis sine ordine & discrimine, sed, miranda sapientia, alternatim distributis construxit, & huic vicinos vtrinque tractus similium naturarum stellis compleuit, vt excitæ à vicino Sole, ceu aperirent atq; exererent sese, præstarent operam Soli, & auxilium, in temperanda vicissitudine conueniente. *Testimonium prouidētiæ in motu Solari.*

Frigidam cœli constitutionem, squalidam, inimicam nascentibus adfert Sol, vbi limitem sui à nobis recessus occupat remotissimum in Capricorno, quæ durat, dum, & hoc signum, & Aquarij priora peruagatur. Inde, versus Septentrionem, cursu inuerso procedens, circa mediam Sagittarij regionem & Piscium *ἀστερισμὸν, asterismum*, quæ signa humidiora sunt, &, natura flatuosa, cùm directiorum, in subiectas terras radiorum allisu, tum stellarum, & in his signis consistentium, & coorientium, Pegasi, Persei, Andromedæ ope, teporem afflat aeri blandiorem & euidentem, fusisque, qui constiterant, humoribus, ac terra laxata, & illis diluta, aut ex niuibus pluuiísve liquore asperso, fœcundorum Fauo- *Solis cursum per Zodiacum vicissitudines temporum rebus nascentibus gratas efficere.*

niorum crebriores elicit ac producit flatus, quibus terram vegetat ac fœcundat.

Vbi hæc emensus transiit in Arietem, superata Zodiaci & Æquatoris sectione, propius subiectæ terræ incumbens, radiis eam suis premit vrgetq; fortius, acuentibus vim eorum signi stellis calidioribus natura. Quare: dum redundantes noxiosq; terræ liquores, validiore depastu exhaurit, atque absorbet, reliquos, cùm aridioribus glebis miscet exactius, tum subsolanos ventos aridiores prouocat, qui superfluum humorem absumant ac dissipent, vt proscindi terra, conseri, & occari possit. Nam & inundati aquis agri exerceri nō potuissent, & innatans aquarum copia, cùm mandata terræ semina, tum fœtus arborum, enectura fuisset.

Rursus, ne terra, caloribus continuis & flatibus arefacta, semina destituat, & plantas: Pleiadum Hyadumq; in Tauro, & à Septentrione Hœdorum, à Meridie vicini Orionis, atq; ex aduerso decumbentis Arcturi extimulat vires, quæ sidera turbulenta natura, tum Austrinos, ac humidos flatus exuscitant, tum aliquot dierum continuis pluuiis & condita semina, & enatam segetem, plantasq; vniuersim omnes rigant. Quia verò, non ex solo humore, sed humido calidoq; mixtorum origo, (absq; calore enim fouente, digerente, ac sustentante, humor putresceret) è vestigio, à Tauro digredientem Solem excipiunt Geminorum stellæ, quæ cum eo calorem, non vrentem, sed temperatum fœcundū, & conuenientem nascentibus atq; augescētibus rebus procreant.

Postquam creuerunt in festucam herbæ, iamque aristas exerunt, & granorum formant initia: cumq; arborum flores in fructum abierunt paulatim grandescentem: humore rursus opus est, qui si deficeret, iustam nunquam adipiscerentur magnitudinem. Eum Cancri pluuiosæ stellæ, quasi euocatæ Solis accessu, promunt ac suppeditant.

Ne his omnibus absolutis, maturatio deesset (quæ si non accederet, perirent naturæ opera, quātumuis exquisitè elaborata) ideo Cancro Leonis æstuans atque vrens succedit sidus, cui, ceu satellites præstò sunt Canis vtriusq; flammeæ stellæ, quæ, vibratu radiorum propinqui Solis ictæ incensæque exardescunt, & augent, atq; intendunt Solis ex propinquo verticibus imminentis ardores. His, quicquid est reli-

quum

quum superflui humidi in terra ipsa,& terra natis, exugitur ac discutitur,reliquum maturatur.Hi ipsi ardores luxuriem minuunt vitium, & vuas excoquunt, &, si nimij sunt, exustis,ceu quodam vredinis carbone vitibus,malum infligunt illud quod carbunculum vocant: Vnde Canicula,vt decretorium vuis sidus carbunculare vocatum est.

Ne verò animantium corpora nimium vrant, prolicit Sol Etesias vocatos ventos, qui, cum ipso nascentes atque aspirantes,leniunt interdiu æstus, moderato flatu, & frigidiusculo, Soleque rursus abeunte, desinunt.

Post demessas, perceptas, & reconditas fruges, tempus appetit sationis leguminum, milij, panici, item raparum, & aliorum huiusmodi, ac vindemiæ, in regionibus calidioribus. Verùm, quia præcedentibus æstibus terra torrefacta, si araretur non cohæreret, sed comminueretur ac spargeretur in puluerem, iniectaque semina, aut non admitteret, aut admissa, contectaque non vegetaret: exucca enim esset, ac retorrida: idcirco, extremo à Leone digressu mox commouet Sol, tum Virginis signum natura humidum, aquosum, & ventosum, tum Arcturi vicinum sidus, tempestuosis effectibus insigne ac celebre, &, de congregatis,horum vi, nubibus fundit aquas pluuias, quibus puluerulenta terra permadescens glutinatur, arentes, ac corrugatæ vuæ reficiuntur,atque augentur.

Consitis leguminibus, calore temperato opus est, vt germinent & maturescant: in frigidioribus regionibus eodem vina indigent, & fructus: celeriorem enim ὀπώραν, *autumnum*, calidiora loca habent, fructuumq; alij aliis citiùs,& propemodū, sub ipsam messem, ad maturitatē perueniunt. Talē præstat Sol, euocatis flatibus fœcundis & temperatis, Libræ stellis in auxilium accitis, mox vbi alteram vtriusque circuli sectionem conscenderit, & ad mediū eius accesserit.

Excipit leguminum messem, ac tardiorem vindemiam hyberna satio, cui terram, & fatigatam, atq; exhaustā æstiuis laboribus, & desiccatam multo æstu, emolliunt, subigunt, ac præparant cum Sole Scorpij stellæ, & contrarij atque orientis Solis aduersis radiis depressæ sub occasum, irritatæq; Hyades, Pleiades, & Orionis, Hœdorumque ἀστερισμοὶ, *asterismi seu constellationes*.

Ne verò ſubruta occultataque ſemina repentinum frigus occupet & perimat, auxilio calidi Sagittarii, Sol id arcet ac ſuſpendit, donec, actis firmatiſque radicibus, contra cœli & frigoris iniuriam, ſe muniant. Adeò euidens eſt, ac certum, ab his ſtellis Sole extimulatis hanc, quam annuatim experimur, viciſſitudinem effici, vt colonis etiam, & nautis, obſeruationes temporum Pleiadis, Hyadum, Orionis, Hœdorum, & Arcturi, in ore ſint, & vſu.

Viciſsitudo temporũ animantibus neceſſaria.

Nec terra prouenientibus ſolùm, ſed & animantibus ea neceſſaria fuit viciſſitudo. Non enim, aut continuos ardores, aut vrgentia acrius & inſtantius frigora, aut ſine intermiſſione, vel delabentes aquas, pluuias, vel exundantia flumina, vel vniuerſim madentem vberius aërem, arentemve, perferre poſſent, ac perpeti. Conſumerentur æſtu, frigore enecarentur, vberiore humore perfuſa & obruta putreſcerent, deficerent ariditate, quod experientia docet. Quare variatis vicibus, ſi quid illatum nocumenti eſt animantibus antegreſſo exceſſu qualitatum, id corrigitur ac reſtituitur contraria vi ſequentium.

Lunæ efficacia.

Eaſdem vices, menſtruo ambitu Luna parit, iiſdem excitis, atque in auxilium aſſumtis ſtellis. Potiſſima eius vis in Tauro Cancroque, quæ ſidera permeans, niſi fortes admodum, validæque renitantur atq; obſtent cauſæ, efficaciſſimè educit, cogit, ac denſat nubes, indeque aquas pluuias extillat. Quàm variè, mutatis ſubinde hoc circuitu ſedibus, & in alios atque alios ſex Planetarum radios poſitusque incurrens, terrena afficiat omnia: vel ſola ratio dierum monſtrat Criticorum, eorumque, quos ἐπιδήλους, *indices*, vocant. Quanquam enim quæſita ſemper ratio eſt, quî fiat, quòd in ipſis pæne articulis dierum ſeptimorum accidant in ægris, ſubitæ morborum conuerſiones; quæ, aut oppreſſos eos perimunt, aut ſolutos morbos profligant: cur, qui præcedunt quarti, ſecuturam ſeptimo conditionem declarent: tamen in Lunæ motum cauſam plerique referunt.

Criticorũ dierum ratio ex motu Lunæ.

Etenim ſeptimo quouis die, ad ſignum defertur illi aduerſum, quo morbus cœpit. Si, eo poſitu, morbo quoque aduerſatur, & ceterorum Planetarum conſentientia, ſeq; roborantia adipiſcitur ſuffragia: naturã ægri cõtra morbũ incitat atq; inſtruit validiſſimè, cumque ea vnà diſcuſſum e-

uictum-

euictumque exterit, ;adeo, vt ne vestigia quidem morbi relinquantur: Si cum morbo consentiens, ceu in naturæ conspirat perniciem, acuit eum, vt fractam contusamque extinguat: Si conanti naturæ tentantiq; morbi abactum opitulatur languidius, solo natura morbo impar, partem eius excutit, reliqua, aut infestat denuo, sine intermissione, aut ex interuallo recidiuas facit.

Quartus septimi prænunciat conditionem, quod eo fere de signo, aliqua ex parte contrario, primo transit in aliud cognatius ac similius: sique illud, vt signo primo, sic morbo contrarium fuit, nec in eo transitu, infestum ipsa Luna aliquid, aut hostile experta vel perpessa est, auxit naturæ robur, morbi viribus attenuatis, & accisis, idq; se promit quarto. quo sedē mutat: Si morbū armauit in naturam, aut debiliori præsidio naturæ subuenit, contrarium euenit.

Eodem modo, ceteræ partes huius Mundi inferioris experiti fatentur Lunæ vim & conditionem, cùm perpessarum mutationum notas edunt, sterilescentibus agris, rubigine, vel vredine fruges, carbunculo vites occupante, decidentibus floribus, proueniente vbique vermium diuersorum magna copia, venenatis in aerem expirantibus halitibus. *Lunæ vis in partibus Mūdi inferioris.*

Quàm præclarè cōmendato sibi diuinitus perfungitur munere, cum gratissimis vicibus nocturna variat spacia, vt Sol diurna? In pleniluniis enim, quibus totas supra terram noctes eminet æstate, gelida aura impressum aeri arcet atque elidit feruorem lenitque ex æstu contractas molestias: hyeme, tepidiore aere mitigat rigorem frigoris, scilicet, quod æstiuis pleniluniis procul abit aduersa Soli, hybernis, per æstiuum circulum accedit propius, cōstitutione diuina.

Errantium siderum, quæ peculiaribus, supra infraque Solem volutata orbibus, eum antecedunt, comitantur, adeunt, ac salutant, intuentur aduersum, supremа præsertim, & aduentantem, velut ex fastigio suorum epicyclorum, repentia deorsum excipiunt triquetris, tetragonis, & sexangulis radiis, abeuntem prosequuntur iisdem, paulatim ab imis ad altiora scandentia. Eorum (inquam) vires colonis & nautis, motus dissimiles ac varij obscurant. *Planetarum effectus.*

Idcirco, ex eruditorum obseruatis, ostendenda efficacia est, quam illi motibus, motuumq; temporibus, ac mo-

mentis numeratis & designatis, collatisq;, quę oboriebātur in tractu elementari mutationibus, ad motus, atq; inter sese, cùm congruere non semel atque iterum, sed crebrò, & ferè semper, nisi vbi euidens obstaret necessitas, deprehendissent, canonibus regulisque descripserunt, vt, cùm prognostica de stellarum positu excudenda essent, coniecturas dirigerent & gubernarent.

Variant omnino luminum effectus Planetæ euidentissimè, cum & terræ propiores sint stellis cœlo inhærentibus, eosque aut reprimunt, aut compescunt cum iunctis corporum radiorúmve commixtione viribus, ex signis luminum sedibus contrariis struunt contrarium, vi validiore, oppugnantque, & retorquent conatus illorum, atque opera inchoata abolent, vel hebetant, si idem, potentia imbecilliore agunt aut intendunt, cùm ex similibus signis, vires illis suas, corpore coniectúve radiorum, accommodant.

Etenim diuersos effectus euentusque tum sequi, ad diuersas & insignes errantium siderum, sub octauo orbe, congressiones & configurationes, prout, vel faustis se mutuò, felicibusque complectuntur radiis, vel feriunt infestantque minacibus ac hostilibus, proque habitudine ad subiectas terras, cumque iisdem familiaritate & congruentia, ratione signorum, in quibus consistunt: tum gubernari, ductu imperioque illorum, quorum aucta vis, positu consensuq;, & inerrantium siderum, & Planetarum, vel assistentium, vel radios applicantium suos: tum, qua se vi his inferioribus ingerant & misceant: non elementa solùm, plantæque, atque animantium corpora, &, in primo sui ortu egressuque in hunc Mundum, & posterius, toto vitæ tempore, sed Regna etiam, Respublicæ, & totæ gentes, experiuntur.

Feruet aër, & aridis cōpletur halitibus: Terra nata flaccescunt, & in rugas contrahuntur: crispantur arborū folia: animantium corpora æstuant & arent, calidioribus Planetis, sub cœli octaui sideribus feruidis, coeuntibus.

Impetuosius venti irruunt, vique maiore in terras incumbunt, præcipuè eas, quas, aliqua familiaritate Zodiaci sidera complectuntur, Planetis flatuosis, flatuosa sidera occupantibus.

Rursus, turgescunt flumina, & aquarum cœlestium aut

maior

maior decidit copia, pluribus diebus, aut affatim cōfertimque ruit cum impetu, simul aquea signa, humidioribus Planetis, aut permeantibus, aut, vibratu radiorum pulsantibus: Cuius exemplum vidimus, anno vicesimo quarto.

Interlunio nata pleraq; imbecillia sunt, arida, exuccaque, & calorem, non temperatum, nec blandum, mitemque, sed acrem atque excedentem adipiscuntur, membraque præcipua affecta habent omnia. Hoc cùm agricolis exploratum sit, studiosè vitant, ne matricibus gallinis oua incubanda interlunio subijciant. *Interlunio nata nō sunt viuacia.*

Est enim Sol πηγὴ τῆς ζωτικῆς, *fons vitalis*, Luna τῆς φυσικῆς δυνάμεως, *naturalis facultatis*. Cùm ergo in coitu, Luna lumē omne à terris auersum cœlo tegerat, nō destituit tantùm humores inferiorum corporū, sed & arefacit ac desiccat. His siccescentibus, mox calor aridiori infixus materiæ, intemperatior, aridior, acriorq; euadit, vritque, & consumit, cùm insitum, quo continetur, vehitur, & alitur, tum aduenticium omne, ac, depasto absumptoque, ceu glutine solidiorum partium, senium interitumq; accelerat: & leui occasione, si idonea concipiendæ flammæ adhibeatur materia, incenditur & efferuescit adeò, vt ignescat.

Ortus nascentium, tanta vi & efficacia, Luna moderatur, vt, eodem positu, in eiusdem, vel oppositi signi puncto, quod tempore conceptus tenuit, absolutos & maturos fœtus ad exitum commouere, penè certò compertum sit. *Luna moderatur ortus nascentium.*

Si Solem, Arietem peruagantem, aut Scorpium, aliquo nascente, Luna adeat, ei cerebrum adeò affligit, vt Melancholica πάθη, *mala*, paululum adultis oboriantur. *Siderum certorū effectus in ortu nascentium.*

Si cuipiam nascenti concurrunt Mars & Venus, τὸ ἡγεμονικὸν quidem, *partem animi principem*, ad percipiendam tractādamq; artem Medicam, & artis opera dextrè feliciterq; exercenda, instruunt, præsertim, si in Arietem congressus incidat: sed ἐπιθυμητικὸν, *partem, quæ voluptate alitur*, fœdè contaminant, fomite immoderatarum atque inordinatarum appetitionum subdito & aptato, eoque magis, si in Capricorno conueniant, & adsit Mercurius.

Sapientes naturas cum Saturno Iupiter format, sed ἐφεκτικούς, *cunctatrices, seu retinentes assensionem*, quæ dum omnia in omnem partem accuratè deliberant, & pensitant, raro

certi quid concludunt: rarius, quod conclusum est, exequuntur. λογιστικοὺς, *ratiocinandi facultate præditas*, & facundas, sed mendaces, instabiles, ac leues, cum Venere Mercurius, atque imprimis, si sub aliquo consistant sidere, cui præsideat Mercurius: Musicos eorundem σύνοδος, *congressus siue coniunctio*, in Venereo signo gignit, & ad poeticen idoneos.

Elegantiam, suauitatem, venustatem, & gratiam in omnibus actionibus præstant Venus & Iupiter.

Impedimenta iniicit, atq; ἀταξίᾳ, *confusione* ingrata & molesta turbat institutas, in quouis vitæ genere, rationes, Saturnus Veneri copulatus.

Saturni & Martis cõiunctio infausta.

Nunquam fere congressos inter se Saturnum & Martem, præsertim, si viguit vterque, & languerunt ceteri, horum oppressi robore ac potentia, nec aduersarentur, aut cõsenserunt etiam: quin nouum aliquid, & exitiosum pepererint illis gentibus, in quas sese, sideris ratione, sub quo consederunt, virtus extendit, toties compertum est, vt ferè conspectum horum pertimescamus. Si quibus nascentibus coëant, eos mira calliditate, & simulandi dissimulandique artificio, in omnes casus expeditò armant.

Saturnus, Mars, Venus, Mercurius, & Luna, si, vel corpore cohæreant, vel ex diuersis sideribus, radiis, aut amicis, aut contrariis hostilibusque consocientur: quàm venenatas, ex omni parte deprauatas, ac distortas naturas pariunt, quicunque horum, dominio complexus suo ceteros, effectiones dirigat?

Quàm arguta, excitata, & acria, sed subdola, fraudulenta, atque ad nocendum fallendumque, exquisitissimis modis parata, & vagabunda, ventóve quouis leuiora gignunt ingenia, Martis, Mercurij, & Lunæ coitus connexúsve inter se, si nihil intercedat, quod ea vitia corrigat?

Turbant vitiantq; ratiocinationes, & intricata, perplexa, errorum fœcunda, pugnacia, Sophistica ingenia, Martis ac Mercurij coniunctæ in Scorpio vires, aut, si ibi hærentem Mercurium Mars intueatur, producunt.

Argutam vim, dextram, explicatam, rectè ratiocinantem, &, methodica via, in abstrusissimarum & implicatissimarum rerum indagatione declarationeque incedentem, Mercurij Lunæq; positus conferunt, si in Geminis, Libra,

Aquario

Aquario,&Capricorno,sed permutatis collocētur sedibus, vt,si Aquarium Mercurius habeat, vel Capricornum,Luna Geminos aut Libram possidente, vel contrà.

Si in Aquario constituto Mercurio aut Soli, aut cum astante Luna, Iupiter & Mars, ex Geminorum sidere, Libráve: vel eidem Geminos obtinenti, iidem ex Libra Aquarióve: vel Libræ inhærenti, ex reliquis duobus, triquetro occurrant ac deuinciantur radio, vel sexagono etiam, ex propioribus signis plane absoluunt hoc positu ingenia, vt ad summum, sagacissimum,& dexterrimum acumē nihil requiri posse videatur: Ea, quacunq; intendantur, valent.

Non minorem multo, aut imbecilliorem vim, præstant Mercurius in Capricorno aut Ariete solus, vel, cum socia Luna triquetros sexagonósve Iouis, & Martis excipiens radios. Faciles, agiles, expeditas, elegātes manus, Iouis, Veneris, & Mercurij, sub Geminorum ἀστερισμῷ, *constellatione siue sidere*, congressus præbet, aut si collocatum ibi Iouem vel Venerem, ex vicinis & cognatis signis vterque, reliquorum trigonis sexangulísve radiis circumdet & roboret.

Prolixū foret nimis, & recitatis iam obseruationes exemplis demonstrare, declarare causis, quas Astrorum periti intelligunt, &, ex artificum annotatis, repetere, quibus terris, qui Planetæ, quo positu, quos euentus significent: attamen, nec vana esse, aut temere cogitata, sed hoc, quo exposita sunt, modo à stellis procedere, considerati docent euentus.

Quid de Luminum dicam deliquiis? an horum, Planetarumque his, aut assistentium, aut radiis accumbentium, effectiones inficiabimur, & significata, quorum tristi deformique aspectu, omni tempore, hominum animi conterriti expauerunt trepidaruntque occulto scilicet sensu naturæ præsagientes secutura damna. *Eclipsium efficacia.*

Neque innoxiè vnquam, vel suam abscondit Sol faciem Lunæ contectam interuentu, vel iacturam facit Luna luminis hebetati vmbra terræ. Nec veterum vt citemus annotata, opus est: vsurpemus ea exempla, quorum recens, in hominum animis viget memoria. *Exempla noxiarum Eclipsium.*

Quantos incendit æstus, quamdiu flagrantes, Solis sub Ariete, anno quadragesimo? Quos motus, in orbe terra-

rum commouit, cum hæc Solis, tum altero anno pòst, Lunæ Eclipsis? Nata ex illis, & propagata sunt semina malorum omnium, quæ nunc cum nostras vrgeant ceruices, & vitæ, fortunisque minitentur, immo intentent atque inferant perniciem, euidentius sentimus, & ferimus, ac deploramus acerbius.

Quantas lites, quam superba dissidia, & occulta odia, insidiasque, quam violenta consilia seuerint struxerintque, quæ bella indixerint, quæ pericula nocumentaque frumento fructibusque crearint, deliquia anni quadragesimi quarti, cum Luna tota, atra caligine, ter fœdum in modū deformaretur, Sol plus de unce sui orbis obfuscaretur, adeo, vt in quibusdam locis interdiu stellæ illuxerint, ac conspectæ sint: eo ipso, & sequentibus annis, ex euentu didicimus.

Conspicuis admodum, sese declararunt effectibus deliquia luminum, quæ in annum inciderunt quinquagesimum. Tota Luna, in terræ vmbram deuoluta, euanescebat, Februario mense, cum Piscium sidus haberet Sol, & ibidem adessent Soli ὁμόδρομοι, *cursu æquales*, Venus ac Mercurius, omnes triquetro feriret radio Mars ex Cancro. Vix eluctata ipsa ex vmbra, lumen amissum recuperarat, cum subito flumina, velut ab imo scaturientibus & vrgentibus aquis aucta, vicina quæque opplerent longe latéque: nec statim defluebant, aut subsidebant, rursus, sed duos propemodum integros consistebant menses.

Augusto mense, Sol occultabatur besse propemodum sui corporis. Mox tanta sequebatur ariditas, vt, & profundæ sicco transirentur paludes, & terra nata labascerent, & fructus, vuæque, marcescente humore, corrugarentur. Quas attulerint Imperio vicissitudines, quosq; concitauerint tumultus, quos portenderint religioni opinionum motus ac dissensiones, vtrique defectus, conspicamur oculis, Solis præsertim, quem ad occasum, à cœli culmine inclinatum, deductumque in ἐπικαταφορὰν: *domum succedente septima, quæ Astrologis domus mortis est*, sub Virginis sidere, è vestigio consequebatur Libra, in cœli loco vocato θεὸς, *Deus, seu nona domus, quæ religionis est*, vehens Martē ab vna parte quadratis Iouis, ab altera trigonis Saturni expositum radiis. Vterque locus religioni præficitur, & cœli, & Zodiaci, sed

Libra religioni præsidet.

Libram

Libram peculiariter Christianæ religioni præsidere volunt.

Denique, nisi superuacaneum statuerem, in manifesta, & omnibus confessa re afferenda laborare: possem seriem Eclipsium memoratarū in historiis, & artificum libris percensendo, referendisque, qui secuti sunt, euentibus, ostendere, nullas vnquam, sine insigni aliquo præteriisse effectu.

Sed fortasse obiecerit quispiam, cur portentosa faciam deliquia, & singulares casus, euentaque tristia præire affirmem, cùm, nec contra obseruatum, notum, & vsitatum naturæ cursum, nec secundum insuetiorem, minusque ordinariam rationem, accidere ea luminibus constet, sed ex lege & consecutione motuum necessaria. *Eclipses ordine naturæ fiunt.*

Luna, quia non proprio, sed commodato à Sole refulget lumine, non potest non hoc exui ac priuari, cùm è regione Solis facta caligine circumfunditur & obuoluitur, terra ipsa, soliditate sua, arcente atque excludente Solis radios, à Lunæ contactu. Nec sui occultationem euitare Sol potest, si Luna sibi directè, in eodem puncto subtensa, nostrisque opposita oculis, excipiat ac repellat sursum demissos ex alto radios. Nam quòd elementa, deque horum mixtione constituta cætera corpora, sentiant defectum luminis vtriusque, minus mirum esse. Nec videre se causam, cur deliquia, aut aliis terræ locis atrocius minentur, parcant aliis pro sideris, sub quo contingunt, & ad subiectas terras, locaque Signiferi, reliqua habitudine, quorum alia, in alias regiones, dominium habent aliquod, & potestatem: aut producant decurténtve effectiones, pro ratione durationis: vel intendant remittántve easdem, in principio medio, aut fine designati temporis, pro habitu erga cardines: aut, cur hæc illáve euentuum genera inferant, de natura signorum, formaque, tum cardinalium, tum in quæ loca deliquiorum incidunt, deque potestate dominatricium stellarum, cùm vagantium, tum fixarum, & cęterarum his, vel assidentium, vel dominantium, vel configuratarum.

Fateor, ex constanti motuum lege, eripi oculis nostris alterutrius luminis splendorē, quotiescunq; circa suarum absidum cōmissuras, coëunt, vel inter se opponūtur, tam certò, tamq; necessariò, vt, sex mensium interuallo, alterutrum :-

Solis verò conspectum etiam, intra septem mensium periodum, vni terræ tractui bis adimi posse, & ratio doceat, & compertum sit. Fateor & hoc, τὸ διότι, *causam propter quam*, significationum effectionumque, à priori, seu ex primis, & naturæ notis principiis exactè, vt Geometrica, ostendi non posse. Quare, cùm ea desint, insisto reliquis duobus κριτηρίοις, *indiciis*, eruditæ ac veræ experientiæ, & verbo Dei. Obseruatione longa euentuum consecutorum ad Eclipses, atque inter sese congruentia eorundem deprehensum est, quas clades, quibus gentibus minitentur, quouis positu & quauis habitudine, atque applicatione ad cetera cœli sidera vaga fixaque, ac cardines.

Cumque hæ ipsæ effectiones ceteris viribus stellarum, simili exploratis notatione consentiant: detrectare eas, aut contemnere, audacis est, atque improbi.

Nec dubium est, ad deliquia pertinere præcipuè, quod in Genesi dicitur: Erunt vobis in signa. Cùm hoc munus luminibus attribuisset Deus, vt præessent diei & nocti, Sol, tum fugatis abactisque tenebris, grata, ac diurnis operibus necessaria luce, terras perfunderet: tum interdiu vegetaret, & afficeret terrena cuncta lumine, & calore viuifico: Luna, tum caliginem noctis nimiam discuteret, tum ceu rigaret, diurno calore plusculum desiccata corpora: si quid functionem hanc impediret, extincto vel obumbrato lumine alterutrius, id signi loco accipi voluit, ac considerari, non Epicureo contemtu rideri atque exibilari.

Nam si ἄσημον, *signorum expers*, esse voluisset, ad eum modum cursus luminis vtriusque dirigere potuisset, nequid tale accidisset vnquam: sed, vt quouis interlunio, longo interuallo. Solē Luna præterueheretur, quouis plenilunio declinaret vmbram terræ, quod quidem, & nunc sæpe fit, ideoq; deliquia rarius recurrunt: Quanquam frequentiora multò, tetrioraq; aspectu nos cernimus, quàm vidit vetustas, quæ ob raritatem, quotiescunque alterutrum euanuit subitò, obstupefacta, atque in solicitudinem anxietatemque redacta, tota tremuit horruitque metu offensi numinis, &, posthabitis rebus omnibus, tota exquirendis placationibus Deorum, eluendis noxis, amoliendis, quæ intentarentur, cladibus, dedita fuit, atq; intenta. Nobis ita obstupuerunt & occal-

occalluerunt animi, ad conſpectum ſenſumque pœnarum, ac minarum cœleſtium: ita obſurduerunt aures, vt, cùm & comminationes diuinæ aſſiduè aures circumſonent, & acerbæ triſteſq; clades, ac cladium præuia ſigna, oculos & corpora feriant, animoſq; nulla tamen ex illis oboriatur cogitatio, de ſeria reſipiſcentia. Idcirco, & ſigna repetuntur crebrius, & cumulantur pœnæ. *Eclipſes hodie frequentiores minus curantur.*

Chriſtus, inter extrema ſigna, quæ fatiſcentem, nutantemque, & diſſolutioni vicinum ſunt anteceſſura Mundum in Lunæ, Soliſq;, & ſtellarum etiam apparitura corporibus indicia commemorat, quibus etſi fortaſſe aliqua nondum viſa hactenus, aut animaduerſa notat: tamen & crebriora deliquia, & fœdiores, tetrioreſq; ſtellarum poſitus complecti eum ſentio, præſertim, cùm adiiciat expreſſè. Et virtutes cœlorum mouebuntur.

Ceterum an illa aſpernabimur obſeruata eruditorum, quæ etſi non tam euidenter, craſſeque, at verè tamen, & ſatis conſpicuè, mediocriter animaduertenti, conſenſiones mirandas certarum regionum, gentium, partium, humorum, & temperamentorum humani corporis cum ſtellis diſſenſioneſque, & ipſarum inter ſeſe ſtellarum, tam inerrantium, quàm variè circumeuntium, concordes vires, aduerſaſve, ac repugnantes, demonſtrant teſtimoniis ſuffragiiſque conſtantis experientiæ? *Obſeruationes ſtellarum & effectuum earundem non contemnendæ.*

Cogimur fateri vel inuiti, euentu aſſertionem aſſeuerationemque extorquente, ſub aliis octaui cœli locis, alios Planetas, aut plus valere, velut ſubſidio cognatarum ſtellarum armatos, aut languere, contraria vi repreſſos. Propius verticibus imminet noſtris, radioſque in nos directius vibrat, Sol Cancrum perreptans: ex eo diſcedens in Leonem, longius abit, & obliquiori ferit radio: Longè tamen potentius vrit, ex remotiore Leonis, quàm propinquo Cancri ſidere: ita manifeſta ſe vi in Ariete exerit. *Planetæ aliis in locis octauæ Sphæræ, plus minúſve valent.*

Cur non eadem virtute, ex reliquis Zodiaci locis, Luna quatit mouetq; humiditates corporum, qua ex Tauro & Cancro? Aut cur ceteri Planetæ viribus conſtant integrioribus conſpectioribuſq; & intenſioribus ſeſe inſerunt effectionibus, ſi ὑπολειπτικοὶ, προσθετικοὶ, *directi; aucti numero*, aucti lumine tres ſuperiores ἑῷοι, καὶ προηγούμενοι, *matutini ſeu*

orientales, & antecedentes Solem: inferiores ἑσπέριοι, καὶ ἑπόμενοι, *vespertini siue occidentales, & sequentes Solem*, suis vehantur, vel οἴκοις, vel ὑψώμασι, vel τριγώνοις, vel ὁρίοις, *domibus vel exaltationibus, vel trigonis, vel terminis seu finibus*, inter quæ loca præcipua vis domiciliorum καὶ ὑψωμάτων, *& exaltationum*, aut sexagono triquetróve συσχηματισμῷ, *aspectu siue configuratione*, sese mutuo cognati Planetæ, ex cognatis & similibus signis, complectantur? aut, cur eorundem potestas, velut freno restringitur, tardatúrque, & vrgetur in contrarium, si στηρίζοντες, *stat onarij*, sint: προηγητικοὶ, ἀφαιρέται, ὕπαυγοι, *retrogradi, minuti numero, sub radiis*, tres superiores ἑσπέριοι καὶ ἑπόμενοι, *vespertini siue occidentales & sequentes Solem*, inferiores ἑῷοι καὶ προηγούμενοι, *matutini siue orientales & antecedentes Solem*, infringitur & conuellitur prorsus tetragono radio aduersantium Planetarum, aut συζυγίᾳ κατὰ διάμετρον, *configuratione diametrali siue oppositione*, & si in ταπεινώμασι, *casus seu deiectiones*, deiiciantur? deniq;, cur Sexagono Trigonóve dissita Signiferi sidera congruunt, contraria vi pollent, & infestis pugnant radiis Tetragono disiuncta, aut Diametro, si cognatio siderum, aut nulla est, aut nihil confert?

Gentium mores respondent stellis, quibus subiectæ sunt.

Gentes regionésq; certis subiici & consentire sideribus, si quis dubitat, mores earum, naturásq; comparet ad stellarum naturas, quarum attribuuntur dominio, non casu, aut fortuita sortitione, sed ratione ac iudicio. Et καταστάσεις, *constitutiones cœli*, consideret, vel salutares & commodas, vel noxias & aduersas, quales sunt λοιμικαὶ, *pestilentiales* infectiones & bellorum tumultus, quas excitant familiari positu consensuque, cum regionibus certis.

Saturnus certa sidera peruagatus, pestilentiam affert certis locis.

Commoueri ἐπιδήμια, λοιμικὰ, καὶ ὀλέθρια, *in populo grassantia, pestilentialia, & exitiosa*, eáq; sæua, in hoc nostro circa Witebergam tractu, Saturni per Leonem aut Aquarium decursu, & exasperari eadem, atq; intendi Martis, aut adhærentis Saturno, aut ex aduerso obiecti accessu: mitiora spargi contagia eiusdem per Taurum aut Scorpium transitu, quæ duo signa priora quadrato positu respiciunt, multorum annorum obseruatione didicimus. Noribergensibus, eundem Saturnum easdem minitari & intentare infectiones, ex Geminorum aut Sagittarij signis, eodem modo compertum est: vt de familiaritate, quæ Triangulis Zodiaci, & asterismis, ac stellis si-

lis fixis, cum totis gentibus, & terræ diuersis partibus intercedit, taceam.

Stellæ corpora humana variè afficiunt.

Quo verò iisdem sint iure, sociata & subdita corpora nostra, ipsa nos docent, si inspiciantur & considerentur. Velut vstulantur, temperamenta, iecinora, ac cerebra, & vitiligine fœdatur facies ferè præsertim, si sanguinea sit constitutio corporis, aut biliosa, vel etiam melancholica, editis interlunio magna ex parte, nisi validior alia constitutio expleat, quod auersa Luna negat.

Tetragono prægrauata lumina à maleficis, oculos affligunt. Luna nebulosis assistens caliginem oculis offundit. Eiusdem transitum per sidera membris imperantia, non sine doloris intensione, laxati artus, vel sauciatæ partes sentiunt: Sentiunt ægri, & metuunt Lunæ cum Sole σύνοδον, *congressũ siue coniunctionem*. Vulnera faciei infligit Mars, in horoscopũ conscendens: Pericula, ex lapsibus culminans interminatur Saturnus: idem in κακὴν τύχην, *malam fortunam, hoc est, sextam domũ*, aut κακοδαίμονα, *malum genium, quæ est duodecima domus*, delatus coaceruat ægritudines, in illis membris, in quæ ius ac potestatem cùm habet sua vi, tum acquirit cum signo, cui subest. Splenem ipse, Vesicam, & melancholicum humorem suo comprehendit & regit imperio.

Quibus lumina cardinibus insidentia Mars & Saturnus quadratis impetunt atq; oppugnant radiis: ij ferè βραχύβιοι, *breuis vitæ*, sunt, raróq; nutritionis annos excedunt, aut, si hos superant, & adolescunt, nunquam tamen ad ἀκμὴν, *ætatis vigorem*, perdurant.

Sic ceterorum Planetarum, signorúmq; singuli, sua sibi, in partes humorésq; corporum, vendicarunt ac stabilierunt dominia, quæ recensere superuacaneum duco.

Sunt igitur efficaces stellæ, & quidem suam vim, in hunc elementarem orbem, quem, & circumductu suorum orbium includunt, &, quotidiano periodicóq; cursu ambiunt, extendunt, ac defigunt.

Stellæ agunt in terrena emißione & reflexione radiorum.

Si quæris qua vi, tanta distantia afficiant terrena, qui, ceu internuncij contineant, vehant, ac deferant emissam virtutem, ne delabatur in transitu? Exerti porrectique in terram, & reuerberatu coacti, duplicatique hoc præstant radij, quorum, ex resultu, duplicationéque intenditur atq; inualescit virtus: idque non tantum in Solis & Lunæ, verùm

etiam Veneris, Iouis, Martis, Sirij, radiis, conſpicuò cernitur. Eos ego pluries noctu, in mei conclauis pauimento, non ſine admiratione, primò refulgere, ſiquе nitidiori parti gnomonem inſigerem, aut digitum, vmbram parere obſeruaui, cùm per patentes illaberentur feneſtras.

Etſi autem delatio reflexióque luminis, de ceteris, non ita percipitur oculis, quòd, vel diſtantia nimia attenuantur, vel ob exilitatem hebeſcunt radij: tamen, vt eodem modo ferri per aerem eos, atque, vbi in ſolidum impegerunt obſtaculum, reſilire exiſtimem, geminaríque, moueor, quòd ſingulæ ſtellæ, ſuis diſtinctiſque coloribus, ſeſe in oculos ingerunt noſtros. Si, deſcenſu longiore comminuti deficerent ac diſpergerentur, nec ſeorſim ſinguli ad oculos porrigerentur ac pertingerent: non diſtincta contueremur corpora, ſed in confuſum quoddam, compactum, & copia auctum aſpiceremus lumen, quale in γαλαξίαν, *viam lacteam ſeu orbem lacteum*, diffuſum conſpicamur.

Deferunt ergo radij vim à ſtellis, qua terrena afficiunt. Cùm enim ſint ſoboles illius lucis, quæ corpora ſtellarum conſtituit, naturam ſuæ originis eiecti retinent, ac referunt. Vt verò Solis radij, nec lucent, nec calefaciunt, niſi replicentur, quantóque propius reſtringuntur in ſeſe tantò vehementius vrunt: ſic ceteros tum demum, & lumen explicare ſuum; idq; obſcurius aut euidentius prout teneros, exileſque, aut fortiores fundunt radios, & cum lumine, proferre, ac ceu inurere vim ſuam: cenſemus, cùm ex alliſu repercuſſi geminantur. Nam puriſſima luce ſtellarum, corpora conſtant, quam ſparſis in terram demittunt radiis.

Neque eſt à lumine alia vis diuerſa, quæ, vel qualitates primas excitat, vel, occultò perrepens, corpora ferit ac percellit interiora: ſed radiis illa ineſt, roborataque, & adaucta reflexu, fortius agglutinatur & inhæreſcit. Idque, Planetarum exemplo manifeſtum eſt, quorum propiore ad nos interuallo radij perferuntur, ac præcipuè Lunæ & Solis.

Stellarum aliæ aliud habent lumen & alias vires.

Vtque lucis varietas infinita, & ſtellis ſingulis propria: ſic vires ex luce, vt fonte, cum radiis propagatæ, atq; in aerem impreſſæ, & dilatatæ, variant. Lucis enim ſpecies diſſimilis, formas differentes arguit, à quibus mox, & diuerſæ manant ac profluunt vires atq; effectiones. Cùm alio micet fulgore Sirius, alio Palilitium ſidus, alio βασίλισκος, *Regulus qui &*

tor Leonis, aut Capella, vel Arcturus, aut Fidicula vel vocata στάχυς, *spica*: alia etiam, vt insit singulis vis atque efficacia, necesse est. Cur enim tanta, tamque diuersa luminis varietate conformasset eas Deus naturæ conditor, si idem præstare voluisset omnes?

Quàm multiplex discrimen stellarum quoad luminis copiam, atque amplitudinem? plus lucis egerunt, radiósq; intendunt & eiaculantur fortiores primæ magnitudinis, ex copioso, fulgido, confertóque coagmentatæ lumine, è quorum numero sunt, quas antè commemorauimus. Quàm obscurè scintillant Pleiades, Hyadesque, & Aselli in Cancro de genere stellarum quintæ magnitudinis? His præfulget, cedunt ceteris; secundæ, tertiæ, & quartæ magnitudinis stellæ. Vix, ceu è caligine quadam sexti generis, quæque νεφελοειδεῖς, *nebulosæ*, vocantur, & ἀμαυροί, *obscuræ*, emicant. *Stellarum discrimina ex lumine.*

Ex diuersitate luminis effectionum: ex copia vel paucitate, roboris debilitatisque diuersitas. Vrit & torrefacit Sirius: Tempestates, pluuias, cum circumsitis Suculis, Palilitium commouet sidus: Intonat & ferit grandine Arcturus: Fundunt aquas Pleiades & Aselli. Sed longè se fortius exerunt primi secundíque generis stellæ, sua vi, etiam non flagellatæ Solis, Lunæve, aut ceterorum Planetarum radiis.

Minutiores stellæ tunc se promunt, cum subiuncti ipsis Planetæ effusam desuper, ac delapsam vim excipiunt, colligunt, suisque implicatam radiis perferunt vlterius: ita iunctis & commixtis vtrisque, virtus vtrorumque, aut exasperatur & aggrauescit, si congruunt: aut impeditur ac retunditur, si discrepant & pugnant.

Planetæ orbi elementari propius imminent, cúmq; suis & velocioribus vectentur motibus, cùm ad alias atque alias octaui orbis stellas subinde, mutatis sedibus, deducuntur: tum, pro ratione interstitij, aut congressus, suos fixarúmq; quas subierunt, radios, variè inter se conserunt. Sol fulgenti splendore, quicquid habet obuium, intra graduum quinque interuallum obtegit & abscondit, eóque contectu stellas fixas excitat, Planetas hebetat: Eleuatus, quicquid supra Horizontem eminet, occultat, moderatúrque in vniuersum vt cursus, ita effectiones ceterorum corporum. *Planetarum effectus pro ratione interstitii aut congressus cum aliis stellis.*

Luna, imo loco subtensa ceteris, quæcunque, vel supra

ipsam, ex alto directo procidunt lapsu, vel, ex latere obliquo se inferunt accessu, ea contracta colligatáque simul in terram contorquet, annixu validiore: sique qui concurrunt, radij similes sunt, eundem effectum validissimè intendunt atque absoluunt: si contraria vi inter se luctantur, lacerum quiddam, diuulsúmque, ac malè cohærens producunt: Tantóque euadunt effectus perfectiores, compactiores, & stabiliores, quantò plures, congruentibus & collatis viribus, in eundem potentius incumbunt. Coniunctum enim robur plurimorum vrget efficacius, idque tunc comparatur, cùm planetis, ex cognatarum stellarum lumine, conueniens radiorum accedit præsidium, & ipsi instructi fixarum auxilio vicissim sese non noxiis aduersisve conficiunt radiis, sed excipiunt ac firmant amicis.

Præcipuum igitur præstant radij stellarum, vel suo robore delati, vel excepti deductique à Planetis.

Radios stellarum & vires variat Planetarum motus, quo aliis sociãtur sideribus.

Vires radiorum, effectionésq; motus variat, quo vt dixi, Planetæ, tum aliis atque aliis sociantur Signiferi sideribus, tum coniunguntur quandoq; inter se, & distrahuntur vicissim, præcurrentibus velocioribus; insequentibus, qui lentiore gradu incedunt, inque se mutuò dissiti, pro intercapedinis ratione, aliàs alios intorquent & coniiciunt radios: tũ in suis orbibus, aut concitato festinant cursu, aut eodem compresso insistunt, vel retorto remeant: aliàs ad fastigia suorum Epicyclorum vel Eccentricorum conscendunt, iisque emensis, reuisunt ima περίγεα *puncta circumferentiæ eccentrici vel epicycli terris proxima, seu infimam absidem*: aliàs præeunt orientem Solem, vel occidentem comitantur, vel in eius merguntur radios: aliàs commissuras suarum occupant absidum, vel inde in Austrum expatiantur, aut Septentrionem.

Nihil ex sese effectionibus confert motus, nec putemus, assidua orbium conuersione, nouum aliquid aeri imprimi, diuersum à radiorum effectu: nisi fortè quis contiguum Lunari globo aerem, ex circumactu vicinorum corporum rapidissimo, incalescere existimet.

Accidentarium prorsus est, quod motus præstat: huic debetur, quòd quandóque propius, aut punctis verticalibus admoti Planetæ, aut ad terram subducti, ex propinquo fortiores

tiores aut rectiores infligunt radios, languidius ingruunt procul positi: aut ad ea Signiferi deuehuntur loca, in quibus adiuti præsidio, sociarum stellarum vires roborant, vel contraria vi retundunt: quódque, & miscent inter se radios variè, permutatis locis, & Sol oriens occidénsque alias atque alias stellas aufert secum, & remittit alternis vicibus: denique, quòd cursu incitato vires incitant, fixo sistunt, retorto infrenant. Vis effectrix Solis inest radiis: vt hi acuantur, aut impediantur assultu, & adiunctione aliunde emissorum radiorum, à motu oritur.

Quæ igitur sit, & luminis ad effectiones, & motuum ratio, velut in caput vnum conferam.

Stellæ agunt in elementarē orbem, lumine, per se: motu, per accidens.

Agunt stellæ, in hunc elementarem orbem, per se, & propriè ac præcipuè lumine, quod directo radiorum, instar linearum rectarum, proiectu, ceu eiaculantur ex sese, & traiiciunt in terram, vbi resultu replicatum colligitur, ac ceu conglomeratur: Et; perpendiculari quidem illapsu restringitur in sese, quod cùm fit, repulsus à terra radius directo coniungitur. Obliquè incidens, directo nòn coniungitur, sed vim illi suam ex interuallo communicat tantò efficacius quantò minori intercapedine disiunguntur & dissident radius vterque, vibratus & repulsus. Quæ, ex vtriusque ceu coalitu exilit & emanat virtus, cùm terræ ceu adhærescens, deducentibus eam halitibus subterraneis, qui continente huius progressu, ac propagatione alterantur, penetrat ad interiora terræ: tum funditur & dilatatur in circumfusum aerem. Per accidens verò motu agunt.

Lumen stellarum duplex.

Lumen stellarum omne, aut connatum est ipsis, aut ascitum est, & mutuatitium. Connatum, natura, singulis inest peculiare & proprium, cuius demensum certum sortitæ sunt singulæ in creatione. Hoc rubent aliæ, aliæ pallent, aut liuent, aliæ nitore fulgido micant: hoc naturas & vires distinguit proprias, quas non accipiunt aut acquirunt aliunde, sed, sua vi promunt. Alienum seu ascitum lumen, vel à Sole hauriunt, vel etiam aliarum fulgidarum stellarum radiis perculsæ concipiunt intra se, partim reflexione, quæ fit à nitida, tersáque, & polita ipsarum superficie, partim fractione, qua penetrantium radiorum, & soliditate corporum contractorum, ac velut contortorum fulgor cogi-

tur in vnum, & adaugetur. Id suo commixtum complicatúmque lumini refundunt, emissorum radiorum vibratu.

Sed præcipuum est Solis lumen, & efficacissimum, quod, pro habitudine ad Solem diuersa, copiosius concipiunt, aut rarius. Crescit id enim, Sole discedente, vel stellis ipsis Solem, celeriore cursu anteuertentibus, donec, vel ex aduerso Solis, ceu pleno confertóque orbe refulgeat, vt fixæ omnes, Luna, & Planetæ supra Solem collocati: vel deferantur ad præfixos sui à Sole discessus terminos, vt sub Sole positi Venus & Mercurius.

Decrescit rursus appropinquantibus ad Solem, tantóque magis, quò, ex interuallo propiore Solem respiciunt, & ipsius subeunt radios propius.

Motus loca stellarum mutat, & sedes, ex quibus stellæ, vel Solis lumen diuersimodè recipiunt, vel sese mutuò dissimiliter suis petunt, ac ceu pulsant, ac percellunt radiis, vel exertos dispersósque, quoquo versus, radios, aut in aere conserunt inter sese, aut, in subiectas terras, iaculatu contortos, iisdem allidunt aut imprimunt aliter.

Motus stellarum duplex.

Est autem motuum vnus communis omnibus. Alter singulis, id est, stellis octauo orbi adhærentibus, & septem Planetis proprius. Ille, assiduo & rapidissimo circumactu, intra spacium horarum viginti quatuor, omnes stellas, per quatuor Mundi volutat cardines: quo fit, vt, ex aliis Mundi cardinibus, & spaciis, quæ his intercedunt, aliter respiciant, &, vel obliquiore, vel rectiore traiectu radiorum feriant terram: vel non feriant, sed, velut transcursu præteruecti stringant saltem, & lambant, extrema conuexi ambitus, quod sub terram præcipitatis, & in profundum demersis stellis euenit.

Nec dubium est, fortiores esse vibratus, & validiores, ac celeriores impressiones radiorum, qui, ex eminente loco, vtpote cœli fastigio, decidunt, rectissimo & breuissimo lapsu, quàm ex affulsionibus obliquis: Et efficacius agere radios, qui figuntur in terra, aucti roboratíque reflexu, iis, qui præteruolando eandem tantùm attingunt, ostendunt cœli & tempestatum mutationes, quas nascentia aut occidentia sidera afferunt.

Alter motus varius est, & obliquus, qui, longioribus temporum

porum interuallis, ac dissimilibus, stellas errantes præcipuè, & circumducit per Zodiacum, &, in ea conuersione, interdum abducit ab Ecliptica, & propius ad vertices adigit nostros: vel reductos ad eandem, indéque in meridiem detortos, remouet à nobis longius, & eleuatos in sublime attollit à terra, rursúsque deiectos ex alto, demittit ad terram propius: & incitat antrorsum, móxque, inuerso cursu agit retrorsum, & inhibet ac sistit, ceu vinctos, atque astrictos ad aliquem cœli locum: & coniungit inter se propiore aliàs, aliàs longius dissito interuallo, & disiungit rursus diductos in diuersa loca: Inde fit, vt & Solem, & se inter se mutuò, & terram, aliàs aliter respiciant.

Hæc, qui aut frustra contendit esse facta, contra doctrinę sacræ testimonium, aut negat ea parere, & commouere, de quibus immenso tempore obseruatis, ipsa longinquitas temporum, memoria excipiente, prodendisque monumentis artem effecit, eosdem sæpissimè effectus, iisdem antegressis causis animaduertendo ac notando: is, aut alios nos vsus tantæ varietatis luminum ac motuum, & vires atque effectiones alias doceat: aut, si reperiet nullas, hæc ex natura depromta, & ab antiquitate repetita principia, exagitare & conuellere desinat.

Quòd ergo afficiant hunc elementarem orbem stellæ, & quà vi, satis liquidò patere puto. Si afficiunt: quid homine dignius diligenti impressarum effectionum & causarum, quæ illas pepererunt, obseruatione, quæ est diuinorum operum consideratio? Si hæc conceditur, vt negari à nullo sano potest: qua fronte, quo animo, quáve de mirandis Dei operibus, opinione, aliqui tam rabiosè exagitant, tam iniquè prægrauant, tot execrantur & deuouent diris, aliqui verò etiam iculariter, immò scurriliter eludunt *προγνωστικὸν δι' ἀστρολογίας*, *prognosticon astrologicum*, quod est ex præuisis & comprehensis, beneficio Astronomicæ doctrinæ, stellarum motibus, positu, configurationibus, atque applicationibus inter se, ortu atque occasu, exploratísque viribus, ceu ratiocinatio secuturorum effectuum?

A tribus hoc generibus hominum, trifariámque triplicibus telis, iisque diuersis, petitur atque impugnatur. Eruditiores fundamenta conuellunt: Religiosuli sacrarum lite- *Tria hominū genera quibus oppugnantur*

rarum quædam interdicta falsò, ad prohibitionem τῦ προγνωστικῦ, *diuinationis astrologicæ*, detorta, nescio, qua religionis specie, opponunt: Vulgus & imperiti ineptas cauillationes congerunt. Quid argumenta quæuis momenti ac roboris habeant, excutiemus, &, an his confixum prostratúmq; τὸ προγνωστικὸν, *vaticiniū ex astris*, cogamur assentiri, videbimus.

Refutatio eorum, qui damnant obseruationes Astrologicas.

Negant tribuendum aliquid προγνωστικῷ, *diuinationi astrologicæ*, eruditiores, quòd, si quid sit, leuibus incertisque, & sese in momenta variantibus nitatur coniecturis, careat verò demonstrationibus, quibus solis contineatur veritas. His antequam respondeam, obiter fontes demonstrationum perstringam.

Domonstrationum fontes

Omnis demonstratio orditur & procedit à duorum principiorum alterutro, quorum vnum, φαινόμενα, *manifesta*, à Galeno appellata complectitur: quæ sub sensum cadunt & apparent. Alterum, τὰ κεκρυμμένα, seu recondita.

Principia φαινόμενα.

Τῶν φαινομένων, *principiorum quæ manifesta sunt*, quædam primo statim se occursu sensui declarant, quæ percipimus ac diiudicamus instrumentis, nobis à natura ingeneratis, cuius generis sunt alba, nigra, amara, dulcia: dura, mollia: Quædam propriis quibusdam notis se exhibent, sensúque inchoantur: sed perficiuntur obseruatione & vsu: in hoc genere συμπαρατήρησις, *congruens multorum obseruatio*, principatum obtinet.

Principia κεκρυμμένα.

τὰ κεκρυμμένα, *occulta*, aut à natura animis sunt nostris infixa, nataq; nobiscum, & præscita, atq; approbata, communi omnium hominum intelligentia, quæ, eam ob causam, ἐνεργῆ, *euidentia*, vocata sunt, nimirū ἀξιώματα, προλήψεις, seu κοιναὶ ἔννοιαι, *axiomata; anticipationes, id est, antecepta animo rei informationes, seu cōmunes noticiæ*: aut affirmata & demonstrata.

Hæc demonstrationem gignunt, τῦ δι' ὅτι, *eius quod causam rei explicat*, appellatam: Illa alteram τῦ ὅτι, *eius, quod res sit*. Vtraque ἀρχὰς, *principia*, Græci vocant. Vtrorumque ad cognitionem vsus adeo necessarius, vt, si alterutra desinit quæcunque, in errorem continuo prolabamur, versemúrque perpetuo in ignoratione plurimarum rerum. Rectè de sensu Aristoteles ait, εἴ τις αἴσθησις ἐκλέλοιπεν, ἀνάγκη καὶ ἐπιστήμην τινὰ ἐκλελοιπέναι: *id est, quod si sensus aliquis defecerit, necesse est, & scientiam aliquam desiderari.*

Præteo

Præter has sensuum perceptiones notionesq; consignatas in animis aliam quandam, ceu inchoatam cognitionem itidemque à natura inditam, mox nascentes afferimus, quam idcirco, & προγνωσιν & γνῶσιν aliqui, id est, prænotionem, vel cognitionem, Aristoteles πρὸ ὑπάρχουσαν γνῶσιν, quasi anticipatam & præsumtam notionem vocat: nimirum intellectum ordinis, connexionis, & cohærentiæ partium, in Inductione & Syllogismo.

Nam, vt eruditè Aristoteles inquit, μανθάνομεν ἢ ἐπαγωγῇ, ἢ συλλογισμῷ *discimus aut inductione, aut ratiocinatione.* Ἐπαγωγή, *inductio*, à sensu comprehēsis, progreditur ad vniuersalia. συλλογισμὸς, *syllogismus seu ratiocinatio*, ex vniuersalibus, aut natura notis, aut antè demonstratis, vel Inductione, vel Syllogismo conficit conclusiones.

Intellectus vtriusq; natura inest. Cognitionem à sensibus exorsam, & ἐπαγωγῇ, *inductione*, acquisitam ac confirmatam tali, quam regit γνῶσις, *cognitio*, πεῖραν, *experientiam*, Galenus. Alteram ex vniuersalibus, vel insitis natura, vel demonstratione comparatis, vel inductione constitutis, Syllogistica ratiocinatione texentem eruditas conclusiones, tali etiam, quam regit γνῶσις, *cognitio*, λόγον, *rationem*, nominat Hæc duo artium omniū constituit κριτήρια, *iudicandi organa seu normas.*

Duo artium principia à Galeno tradita, πεῖρα καὶ λόγος.

Quanquam igitur concedo & fateor, pauciores habere τὸ προγνωστικὸν, *diuinationem astrologicam*, demonstrationes τοῦ διότι, *eius quod causam rei explicat*, Physicas: non tamen destituitur altero genere ἀποδείξεων τοῦ ὅτι, *demonstrationum eius quod est*, inchoato quidem ἀπὸ τῆς συμπαρατηρήσεως, *à cōsentiente obseruatione*, absoluto autem, ac stabilito consentiente experientia & rationibus à posteriori collectis, quæ duo, λόγος καὶ πεῖρα κριτήρια, *ratio & experientia, iudicandi organa, & certitudinis normæ*, sunt artium omnium ac disciplinarum. His vires stellarum, effectionesque, & intensiones, aut remissiones, variato positu commixtuque radiorum, aut exortu, vel decubitu, accessu, recessúve, conscensu ad cœli culmen, vel demersu in profundum, deprehensæ ex effectibus collatis ad motus & positus, adeò certò talibus instructas viribus stellas demonstrant, vt si cui nullæ hæ ἀποδείξεις, *demonstrationes*, videntur, is veratro expurgandus potius, quàm demonstrationibus conuincendus videatur.

Astrologia demonstrationes habet τοῦ ὅτι.

Explicatiores, illustriores, & firmiores sunt ex caussis ex-

tiones ex effectis, non negligendæ in Physicis.

tructæ ἀποδείξεις, *demonstrationes*, sed his cùm, aut destituimur, aut non abundamus, cur ex effectis textas aspernamur? Eas si quis negauerit, & tollet πεῖραν, *experientiam*, omnem, & magna τ̃ ἐπιστήμης, *scientiæ*, parte nos priuabit, & ferè omnem abolebit Physicam.

Etenim, vt seminibus inest vis earum rerum, quæ ex his progignuntur: sic, in causis cœlestibus conditæ sunt vires effectrices mutationum, in elementari natura, quas prospiciunt & intelligunt ij, qui motus numeris primò persecuti, mox cursum rerum, euentorúmq; consequentiam, diuturnitate pertractata, notarunt.

Argumenta contra diuinationem ex astris.

Sed quem inquiunt, potest habere locum πεῖρα, *experientia*, in tanta effectuum incertitudine? Quid demonstrationi cum coniecturis, quibus regitur, ducitúrque, & consistit τὸ προγνωστικὸν, *ratio diuinandi ex astris*?

Caligo mentium nostrarum secuta lapsum.

Magna laborant caligine mentes nostræ, qua consideratio mirandarum virium naturæ impeditur. Non intelligimus naturas rerum, quæ in conspectu, & ante pedes obuersantur, quasque gustamus, quas contrectamus versamusq; manibus, & pedibus proterimus: Quantò minus vires illorum sublimium comprehendemus corporum, quæ à longè pænè lippientibus contemplamur oculis?

Si ex effectibus vires æstimamus, quos in nobismetipsis experimur, aut in aliis naturæ inferioris obseruamus corporibus: quid inde (inquiunt) certò statuere, de viribus stellarum, possumus, cùm tam vagis, támq; instabilibus materia elementaris leuiter irritata erret & feratur motibus, nec mutationes, quæ huic accidunt, è solis oriantur stellis?

Configurationes stellarum hodie non eædem, quæ olim.

Præterea stellarum configurationes, quas tradiderunt veteres, quibusq; iudicia nos accommodare consueuimus, pronunciantes de iis, quæ nunc sunt, veterum exemplo, vt de suis illi, nunquam omnino congruunt.

Nam magis quidem, aut minus concordare possunt, atq; id quidem, in immensis temporum ambagibus: prorsus autem conuenire nullo modo: cùm, aut nunquam, aut saltem, non intra illud tempus, quod humano intellectu comprehendatur, fieri possit, vt redeat idem positus siderum, & eadem terræ constitutio.

Mutantur puncta Æquinoctiorum & Solstitiorum, anteuer-

reuertendo ſtellas fixas: Mutantur ἐκκεντρότητες, *eccentricitates ſeu centrorum rationes diuerſæ*, Planetarum: non omnibus temporibus eadem eſt orbium à terra diſtantia, neq;, in iiſdem ſedibus, Apogea permanent,& ſtellæ errantes.

In Genethliacis verò quot concurrunt, præter iſta, quæ difficultatem coniectandi,etiam de certò exploratéque cognitis facultatibus ſiderum, augere, & fallere iudicantem poſſunt, vt ſemina, atque ipſius circumfuſi cœli, & definiti omnibus terris hemiſphærij ambitus, alibi aliis inſtructus viribus, non à cœlo ſolùm, ſed terrarum aquarumque effumationibus: Regionum item diuerſitas,Educatio, Conſuetudines: quæ, ſi præmiſſa omnia paria faciamus, vel ſolæ, quod inſtitutum ab illis,& propemodum abſolutum eſt,detorquere aliò,aut,aliqua ex parte, ſaltem immutare queũt.

Aſſentior & amplector commemorata omnia, eáq; oppono iudiciis eorum, qui, vel euentus omnes ex Aſtris deriuant,vel ſignificatis Aſtrorum nos, tanquam Prætoriis edictis, aut decretis diuinis obligant. Addo & eas cauſas, quarum ſæpe antea memini, Deum, ſanctos Angelos, Diabolum,externam violentiam.Nondum labefactata tamen,aut ſublata certitudo eſt τῆ προγνωστικῆ,*diuinationis aſtrologicæ.*

Cæcutiunt mentes noſtræ, & neutiquam vel inferiores naturas,ac mirandarum virium fontes perſpiciunt, vel immenſam virium effectionúmque conſequi poſſunt varietatem.Manent tamen certa ea,quæ certò,duce teſtéque experientia,didicimus,ex effectuum conſenſu perpetuo inter ſe ſe,& cum motibus. *Refutatio argumentorum quæ omnem certitudinem prædictionum ex Aſtris tollere videntur.*

Neque inuertitur ordo naturæ, aut labefit certitudo actionum, quas Deus condidit ac conſeruat, etſi nobis non omnes exquiſitè innoteſcunt.

Neq; inficior plurima in hoc genere συμπαρατηρηθέντων comparatorum,probabilia eſſe,quibus plerunq; euentus reſpondent; quæ ipſa tamen aſpernanda non ſunt,cùm exigua momenta, in natura, ſæpe effectiones non contemnendas habeant.

Fluida eſt, & inſtabilis materia tractus elemẽtaris. Quid tum? An propterea prorſus,ſine omni ordine,ſineq; lege certa,Phyſicæ cauſæ vagantur, incertóſq; gignunt promiſcuè effectus,prout in hanc illámve partem, vaga motu inclinãt ac decumbunt?

Est aliquid vitij in materia elementari, quod in eam, ex maledictione diuina, lapsum primorum parentum consecuta, peruasit. Id verò tantum non est, vt destruat aut conturbet prorsus ordinem colligationemque causarum, suo institutóque primitus tenore progredientium, qua, causa causæ nexa rem ex se gignit: Quam constanti, stata certaq; lege, circumactis periodis, eædem reuertantur constitutiones, magna ex parte: Quam certò, ex iisdem seminibus, eædem nascantur species rerum, cernimus.

Neque ideo, aut nihil conferunt astra elementis, aut nullas edunt actiones, quòd aliquid intercidit quandoque, materiæ culpa, prohibens, ne protinus illata vis inhærescat. Magnam inferunt explorationi difficultatem, quæ annuatim fiunt mutationes configurationum, de quibus nihil aliud pronũcio, quàm, si quando in prædicendo erratum fuerit commissum, ex eo vt visu venisse cogitemus, quòd subiecta exempla discordarint inter se.

Disputatio de vi Astrorum.

Deniq; has causas omnes, quæ cum Astris conincidunt, aut omnes, aut aliquæ: has, inquam, complexi perpendamus apud nos, quousque, se vis Astrorum extendat, quæ causæ, ne procedant inchoati designatíve effectus, impedire possint, &, qua verecundia, Astrorum præuisos conatus, monitáve prospecta edere & asseuerare nos deceat.

Nondum video, quo pacto ordinarias hæc Astrorum labefactent actiones, aut infringant veritatem obseruationum, quibus illæ innotuerunt. Consistet durabitq; instituta à Deo series causarum, connexioq;, & retinebunt inditas sibi facultates res creatæ, agentque instinctu earum, ductúque, ad finem mundi vsque, Deo iuuante, & vim conferente, neq; aduersante, aut permittente Diabolis, vt actionum effecta elidant vel deprauent. Agent suis, nobisq; exploratis aliquantum, & consuetis viribus Astra, ad idem momentum vsque. Quare orituras inde actiones, quas easdem gignunt *ἀναγκαίως, necessariò*, motibus numeratis ac comprehensis, confirmare certò possumus. Effectus ad actiones, in elementari orbe, secuturos certò edicere atq; asserere nequimus, quòd, quæ possent interuenire impedimenta, non simul ex Astris discimus. Idcirco horum prædicta moderanda sunt, verecunda mentione ceterarum causarum.

Si sic

Si sic ratiociner: Natura nihil agit frustra. Ergo, ad vsus ac fines certos, creaturæ sunt omnes conditæ. At, quicquid in tota rerum natura, consilio, & sapientia opificis constitutum, ordine & lege naturæ suæ, idem agit constanter, illius finis est & vsus, hoc ipsum, quod agit. Stellæ hoc agunt, ordine & lege naturæ suæ constanter, quod experiundo compertum, & rationum suffragiis comprobatum, profitetur vera doctrina τῆς προγνωστικῆς, *artis diuinandi*. Ergo hæc stellarum actio effectióque, finis ille est, ad quem stellæ sunt conditæ.

In hac ratiocinatione, neq; maiores propositiones principia esse, neq; argumentationes inde extructas ἀποδείξεις, *demonstrationes*, negauerit sanus aliquis, quòd naturæ vis & effectio, aut exclusa aliis causis, aut languefacta, non semper assequatur & compleat finem, quem appetit, & ad quem contendit. Hoc enim negato, euertentur & ruent demonstrationes Ethicæ & Physicæ omnes, eo, quod inflicta naturæ labes, vocis diuinæ maledicto, inuexit ἀταξίαν, *confusionem*, deformem ac deplorandam.

Sed manet noticiarum certitudo: manet euidentia & firmitas demonstrationum, quicquid in ipso rerum cursu, & ordinato mutationum progressu impressa labes turbet aut labefactet.

Tam certum est, Solem calefacere, quàm ignem vrere: etsi minus calefacit Sol, procul remotus à verticibus nostris afficit euidentius, ex propinquo feriens. Aut si impediatur, non eadem efficacia etiam, cùm propinquus est, calorem infert, quod & igni accidit. *Luna in Tauro aut Cancro ciet humiditates.*

Tam certum est, Lunam, ex Tauri & Cancri sidere, commotas ceu effundere humiditates, quàm aquam humectare: etsi, nec eductæ humiditates semper coeunt & globantur in nubes, nec in pluuias semper exundant, quæ confluxerunt, & constituerunt nubes, prohibitæ scilicet interuentu causarum repugnantium, &, vi validiore, contrarias effectiones opponentium.

Tam certum est, Martis cum Venere congressum gignere naturas salaces, & in libidinem procliues, quam certum est, ciere Venerem pharmaca αὐξητικὰ aut προκλητικὰ σπέρματος, *quæ vim habent augendi & proliciendi semen genitale*: etsi *Martis & Veneris congressus gignit naturas salaces.*

nonnunquam aliarum causarum vis harum impetum frangit, aut, ceu freno iniecto compescit, aut restinguit ardorem vel assuefacto δυνάμεις, *facultates seu vires*, & inclinationes naturæ retundit & moderatur.

Instructæ sunt viribus certis cœlestes causæ, quibus idẽ, eodem modo semper agunt, nisi à prima causa prohibeantur, & quidem multo certius, quàm Physicæ & naturales propinquæ, quòd, & perfectiores sunt, & potentiores, & Physicas, virtute sua complexæ incitant & gubernant. Multò itaque maior est certitudo noticiarum de harum actionibus, quàm de actionibus causarum naturalium.

Sed, inquies, non adhærescunt semper elementari materiæ effectiones stellarum, neque absoluunt semper, quod intenderunt. Nec Physicæ propinquæ causæ effectus in materia subiecta, eodem modo complent omnes; idque, vel perspicere, vel affirmare, perdifficile est: Non tamen idcirco aut obseruationes in natura, docentes, quæ res, quamque causam plerunq; consequatur, incertæ sunt, etiamsi id semper fiat, aut Medicorum prognostica, aut aliæ eruditæ coniecturæ Physicæ, & commentationes, de ortu atque interitu rerum, déque mutationibus aliis, quarum causas efficientes natura continet, nulla sunt.

Sed manent certæ noticiæ, quòd, tali positu, stellæ talia cieant, in elementari orbe, quæ, cùm sint, experientia duce, & ratione magistra, acquisitæ, demonstrationum vim habent.

Sed, cum ad elaborationem & consummationem alicuius operis, in materia elementari, præter stellarum effectiones, plures aliæ causæ, dispensatione diuina concurrant, nec eadem sit omnium subiectorum conditio: qualis sit futurus effectus, ex particularium causarum consideratione, non demonstratione, sed coniectura æstimatur, &, de effectu tantum pronunciatur, quantum, & pollicentur, & præstant causæ: quæ non solæ adornant institutum opus, sed ex parte aliquid conferunt, quod ipsum tamen maximi momenti est cum à causis proficiscatur καθολικωτέροις, *vniuersalioribus*, quæ particularium vim excitant & dirigunt.

Agunt idem, eodem modo, causæ cœlestes, omni tempore, in materia elementari, sed in accommodata & viribus ipsarum

ipſarum congruente, &, vt inter cauſas particulares, *αἴτια ἰσχυρότερα, cauſas validiores*, & pænè *κύρια αἴτια, proprias & principes cauſas*, effectuum. Perficiunt etiam idem, eodem modo, pro virium ratione & menſura, ſuo, inter ceteras cauſas, loco, ſi non obiectu & aduerſatione pluriũ aliarum cauſarum, aut elidatur prorſus, quod rariſſimum eſt, aut hebetetur impreſſa vis, & effectio.

Ergo verum manet hoc, cœleſtes cauſas, eodem poſitu, & eadem conditione, eaſdem ſemper idoneo ſubiecto, in quod vires intendunt, *δυνάμεις, facultates* inferre ac miſcere: &, quantum ad ipſas attinet, genitum omne tale futurum, & habitu tali, atque conſtitutione, qualem aſtra pariunt atque informant.

Hoc ipſum ergo, qui curſum rerum, euentorumq; conſequentiam obſeruando notarunt, diuturnitate pertractata, cœli & aſtrorum accurata contemplatione inquiſitum, & præuiſum, præcognitumq; exploratè, coniectura præſentire ac edicere poſſunt, quoad ipſas cauſas efficientes, quarum, etſi vim occultam ac latentem non cernunt, ſigna tamen & notas cernunt, repetitas ab experientia.

Sed, ad hanc cœli effectionem, quantum, vel materia, vel cum materia coniuncta *συνεργὰ αἴτια, adiuuantes cauſæ*, contulerint, hoc, cõiectura aſſequi & definire certò, nequit. Quę enim de materia inſtituitur conſideratio omnis, *στοχαστικὴ, coniectatrix*, eſt, & ducitur nititurq; coniecturis, eò quòd, vt Ariſtoteles inquit, *τὰ ἐν τοῖς φυσικοῖς ἀεὶ οὕτως γίνονται, ἐὰν μή τι ἐμποδίσῃ: quæ à natura pendent ſemper ita vſu veniunt, niſi quid impediuerit*. Multa autem intercidere poſſunt, quæ, vel naturas ipſas, ante actionem inchoatam, languefaciant atque eneruent, vel interceptam *ἐνέργειαν, actionem*, regerant ac repellant, vel in rem aliquam iam defixam conficiant.

Conſideratio de materia nititur cõiecturis.

Eſt verò, & naturarum elementarium non vnum genus, ſed diuerſum & multiplex, & cœleſtium cauſarum, ad eas ipſas diuerſas naturas, non eadem ratio eſt, aut analogia. Propterea, & prædictionum certitudo eſt diſpar.

Elemẽtarium naturarũ genus multiplex.

Maiore enim quadam vi, & ab efficacioribus cauſis commouentur atque afficiuntur vniuerſæ gentes, quàm homines ſinguli, quorum imbecilliorem naturam illi valentiori ſubmitti & includi, neceſſe eſt, quòd vniuerſalia illarum

fata, horum particularia sæpe perimunt, & valentior causa languidiorem frustra reluctantem proterit, conculcat, atque elidit.

Causæ vniuersales potētiores singularibus.

Quæ enim cœlitus intentantur totis regionibus, aut harum partibus, vel grauiores casus, maioresq; mutationes, ex interuallo, statis temporibus recurrentes, vt pestilentiæ, terræ motuum, diluuiorum, & similium: vel leuiores ac minores, vt annuę tempestatis intensio aut remissio, hyems horridior aut mitior, flatus ventorum, æstus, vbertas, sterilitas, & fœcunditas, ac similia. Hæc ergo vniuersa cientur vi validiore, & causis κυριωτέροις, *magis propriis & principalioribus*, quibus pauciores aliæ accedunt, quæ & minus conferunt, ideoq; actiones earum, effectionesq; minus, aut roborant, aut infirmant, aut destruunt.

Talium ergo præuisa prædictaq;, certiora sunt fatis singulorum hominum. Multa enim conueniunt & coeunt, ex quibus ἰδιώματα, καὶ ἰδιοτροπίαν, *proprietates ingenij & morum singulares rationes*, hominum, vt ingenia, mores, animus, corpus, actio vitæ, casus cuiusq;, euentusq; finguntur, quorum quædam cœlo defluunt, quædam ipsi inhærent materiæ, quædam προαιρετικαὶ, *consilij & propositi*, iudicio mentis intelligentis, & liberæ voluntatis motibus continentur.

Causarū cœlestium distinctio.

Cœlestes causæ, aut communes omnibus eodem cœlo natis, omnes simul complectuntur & afficiunt, aut singulorum temperant ac moderantur constitutiones.

Causæ communes.

Communes rursus, aut se habent, vt καθολικὰ αἴτια, *vniuersales causæ*, aut, vt μερικὰ, *particulares*: Καθολικὰ αἴτια, *vniuersales causæ*, comprehendunt positum, & inclinationem, seu habitudinem, καὶ σχέσιν, *rerum inter se comparatarum affectionē*, cùm parallelorum, tum angulorum, plagarúmve Mundi, ad orientis & occidentis Solis cardines, & ad solare iter, quo decurrit ille perpetuò, circuitum obliquum, nunc in Boream, nunc in meridiem cōtorquens: ad quod iter, etsi nō sequuntur præcisè vestigia Solis, referunt tamen, & dirigunt motus suos, vltra citraque discurrendo cæteri Planetæ.

Vis particularis, quæ ad certas sese effert atque extendit terrę partes, proficiscitur ex mirifico, & penè familiari consensu terrarum, cum digestis in quatuor Triangula, cognatione naturarum, Zodiaci δωδεκατημορίοις, *duodenis partibus,*

sine

siue signis duodecim, & stellis vtrisque errantibus & inerrantibus. Imitantur enim, & exprimunt naturis & moribus totæ gentes, proprietates certorum signorum Zodiaci, quibus, situ, & cognationis familiaritate subiiciuntur: adeoque, tum Planetarum, qui eodem cognationis iure, & triangulis ipsis præsident, & subditas his terras complectuntur: tum stellarum inerrantium, quæ, vel quasi verticibus incumbunt locorum, tanto disiunctæ ab æquatore interuallo, quantum est τὸ ἔξαρμα, *altitudo poli*, vel ibidem ortuum atq; occasuum alternatas vices subeunt, vel quæ in eodem cōsistunt τῷ τῆς θέσεως κύκλῳ, *positionis circulo*, aut, quauis diurna cœli conuersione, traducuntur per Horizontis & Meridiani commissuras, dissitæ ab æquatore tantum, quantum deest arcui exaltati poli ad completionē integri quadrātis.

Vim particularem etiam cōferunt positus astrorum, qui, in singulis terrę partibus anniuersarias, menstruas, diurnas, horarias, & penè momentaneas, aeris ventorumque mutationes pariunt & variant.

Propriæ singulorum causæ sunt, illę cœli constitutiones, quæ, vel formationem fœtus adiuuant, vel orienti cuiuis affulgent primò, & prodeuntem ex vtero excipiunt ac complectuntur. *Causæ propriæ singulorum.*

Physicas causas distinguo in remotas & propinquas. Ad remotas refero familiares & consuetas singulorū locorum tempestates, ex Lunæ stellarumq; temperatione & moderatione cœli: terræ conditionem & positum, quæ, vel montosa est, vel plana, vel syluis consita, vel ad mare vergit, vel redundat fluminibus, stagnis, paludibus, lacubus: naturam denique, & qualitates aquarum, & terræ, quæ, aut argillosa est, aut salebrosa, aut arenosa, aut metallica, aut salsa, aut aliis prædita qualitatibus, quibus rerum nascentium respondent temperamenta. *Causarū Physicarū distributio.*

Propinquas rursus diduco in προκαταρκτικὰς, *antegressas extrinsecus*, seu externas, & προηγουμένας, *intrinsecus præcedentes*, seu antecedentes, coniungens cum materia causas efficientes. Externæ causæ sunt victus & diætæ, exercitiorum, somni, & vigiliarum, euacuationum, & retentionum, ac similium ratio, quæ vocantur res præter naturam à Medicis. Internæ & antecedentes sunt ipsæ, & corporum gignentium,

& partium, in quibus, vel ſemen excoquitur, vel formatur atque animatur fœtus, & ſeminum, ac materiæ horum διαθέσεις, *affectiones*, & conſtitutiones vegetæ & ſalubres, vel contrà languidæ, *καὶ νοσώδεις, & morboſæ.*

Vim horum, ad gignendum procreandumque, valere plurimùm, & à parentibus liberos ſæpe formas, mores, & pleroſq; ſtatus ac motus effingere, nemo eſt, qui negauerit.

Προκαταρκτικὰ αἴτια, cauſas extinſecus antegreſſas, nomino conditionem generis, totam educationem, inſtitutionemque primam, ac priuatam, & publicam, leges publicas, receptos conſuetudine mores publicos, quæque ſunt iſtiuſmodi.

Tot cauſæ cùm concurrant, &, præter hæc omnia, ſit homo natura non bruta, neq; addicta ad eum modum impulſibus naturæ, vt his cogatur, ſed ſit agens liberum & intelligens: facilè iudicari poteſt de iis, quæ aſtra naturis hominum indiderunt, & ceteras cauſas mutare aliquid, & multa, vel naturam, quæ deprauata habet, reſtituere atque corrigere, cùm ſeſe reuocauit, vel *προαίρεσιν, conſilium & propoſitum*, meditatione atque exercitatione tollere, aut ſaltem emendare poſſe, atque ideo aſſeuerationem de iis, quæ ex aſtris homini denunciatur, modeſtiorem eſſe debere, quòd, vt maximè ſit certa talis impreſſio aſtrorum, cohibere ſe tamen, & naturæ vitia, aut tegere atque occultare, aut polire ac limare ſtudio atque induſtria homo queat.

Si quis colligationem cauſarum omnium perſpiceret animo ordinemque, ac ſeriem, & vim omnē, qua, cauſa cauſæ nexa rem ex ſe gignit, illum profectò nihil falleret. Qui enim cauſas tenet rerum futurarum, idem neceſſe eſt, vt omnia teneat, quæ futura ſunt.

Conceſſis igitur omnibus, eo, quo declarata ſunt, modo, reſpondeo, veras, certas, firmas eſſe demonſtrationes, ex notorum euentuum conſenſione, conuenientiaq; cum motu & poſitu, collectas, de viribus ſtellarum, & effectionibus, quas, cum experientia conſtanti, ratio gubernat, procedens ex primis, & natura inſitis notionibus, etſi neque integrè omnes illæ perueſtigatæ ſunt, nec, in elementari materia conficiunt ac complent perpetuò, quod intenderunt.

Veræ ſunt etiam, & certæ prædictiones actionum, ex motu, poſituque, atque inter ſeſe applicatione, quatenus Deus

Deus naturæ Dominus non aduersatur actionibus.

Sed certitudinem prædictionum, quas, de secuturis ad stellarum effectiones, in elementari orbe mutationibus instituimus, restringunt ac determinant illæ, quæ sæpe repetitæ sunt causæ. Idque vel eo prodest considerare nomine, vt eximatur quorundam animis falsa persuasio, qui astrorum significata sanciri existimãt, inuiolabili & diuino quodam edicto, proposito singillatim, vt nulla alia vis obsistere valeat, quin ita grassentur, atque ex illis spe metúve, tanquam diuina voce, declaratis oraculis toti pendent.

Astrorum significata non sunt immutabilia.

Qui religionem allegant, vel, vim omnem astris detrahunt, vel contemni, ac pro nihilo haberi prædicta volunt, vel considerationem Astrorum interdici autoritate diuina, prohiberique, ne scrutemur futura vlla, contendunt.

Negat Basilius ex astris, vel accedere quicquam constitutioni temperamẽtorum, vel vllam intexi inde demissam δύναμιν, *facultatem*, incitatricem ad actiones, eo argumento, quòd si instinctus incitationesque ad libidines, cædes, odia, fraudes, & quicquid est huiusmodi, indi nobis, ingenerarique ab Astris consentiamus, peccati causam conferamus in Deum naturæ Architectum, tanquam is non exigat tantùm, & probet scelera, sed impellat ac cogat ad ea, impulsricibus causis constitutis, atque in voluntatem efficienter directis & adornatis.

Basilij argumenta contra vim astrorũ.

Chrysostomus exclamat Tragicè, in oratione quinta, περὶ εἱμαρμένης. Εἰ γένεσίς ἐστιν, κρίσις οὐκ ἔστιν. Εἰ γένεσίς ἐστιν, πίστις οὐκ ἔστιν. Εἰ γένεσίς ἐστιν, θεὸς οὐκ ἔστιν, οὐκ ἔστιν ἀρετὴ, οὐκ ἔστι κακία. Εἰ γένεσίς ἐστιν, πάντα μάτην, πάντα εἰκῆ καὶ ποιοῦμεν καὶ πάσχομεν, οὐκ ἔστιν ἔπαινος, οὐκ ἔστι ψόγος, οὐκ ἔστιν, αἰδὼς, οὐκ ἔστιν αἰσχύνη, οὐκ εἰσὶ νόμοι, οὐκ εἰσὶ δικαστήρια: *de fato: Si genesis siue prædictio est, ex cuiusque in hanc lucem exortu iudicium non est. Si genesis est, fides non est. Si genesis est, Deus non est, non est virtus, non est vitium. Si genesis est, omnia frustra, omnia temerè, & agimus, & patimur: non est laus aliqua, non vituperatio, non est pudor, non turpitudinis verecundia, nullæ sunt leges, non iudiciorum fora.*

Chrysostomi exclamatio, contra prædictiones Astrologiæ.

Hic nodus Ethnico Philosopho explicatu perquàm difficilis, aut omnino vix possibilis: Homini Christiano solutu est facilis. Si natura hominis nulla fuisset affecta labe, neque vlla ex parte, vel dotibus diminuta primis, vel saucia-

Responsio ad argumẽta Basilij & Chrysostomi.

ta: fulsisset in ea lux diuina, gubernatrix omnium virium, & moderatrix: congruissent & interiores inter se vires hominis, harmonia exactissima, eucrasia membrorū accommodata: & vtraque natura superior atque inferior humano corpori fuisset *ἀνάλογ© καὶ σύμμετρ©, proportione & mensura conueniens.*

Elementaria exquisitissimè, crasi absolutissima corporum attemperata, & exacta immutatione omni modo conformata, non modò non excrementicij quicquam, aut alieni noxiíve corporibus inflixissent, sed integerrimè absumta calore instaurassent.

Cælestia *συμμέτρῳ, attemperato*, lumine *καὶ πάνυ ἡρμοσμένῳ, & omnino congruente*, fouissent, vegetassent, ac roborassent, prima formatione confectam *σύστασιν, compagem corporis & membrorum.*

At post mutatum ac deprauatum statum humanæ naturæ, cùm coniunctionem interiorum virium fœda, dissoluisset *ἀναρμοσία, inconcinnitas*, absolutam omnium partium, ac duraturam in perpetuum temperiem conturbasset atque aboleuisset *δυσκρασία ἀσύμμετρ©, intemperies immoderata*, priori: mox cæterarum quoque naturæ partium *ἀναλογία καὶ συμμετρία, proportio & mensuræ congruentia*, cum humano corpore, conuersa in *ἀσυμμετρίαν, proportionis & mensuræ incongruentiam*, desiit.

Terra, autoritate vocis diuinæ, suo orbata vigore, tribulos nunc gignit, spinasq́;, id est, deteriora omnia, & incongrua: Stellarum sunt actiones, in his corruptæ & contaminatæ naturæ sordibus, infeliciores: Extincta est illa lux, quæ rexisset vires cæteras, languefacta potentia voluntatis, quæ præest, & vires cæteræ auulsæ ab ea, atque efferatæ, euaserunt *ἀνάρμοστοι καὶ ἀνυπότακτοι, discrepantes & rebelles.*

Hæc deploremus in Basilij ratiocinatione, & exclamatione Chrysostomi, non bellum Astris inferamus, non deiicere de cœlo sidera tentemus: cogitemus, quantum humana natura perdiderit decus, quàm triste, atrox, & sæuum malum sit peccatum, propter quod hæc nostra temperamenta beluinis euaserunt similia. Quæ Deus condiderat, illa erant bona, rectè constituta, labe carentia, conformia ordini diuino, congrua inter se, *καὶ εὐάρμοστα, bene conuenientia.*

A ma-

a maledictione, quam inobedientia nostra conditori expressimus, prouenerunt, quæ sunt *ἀνάρμοστα, inconcinna*, languida, vitiosa. Inde talis, in corruptam hominum naturam, extitit stellarum effectio.

Quanquam autem, ob dissolutam harmoniam, & compagis, ac fabricæ ipsorum corporum, & cæterarũ cum corporibus creaturarum, infelicius cùm vitiatam afficiunt materiam Astra, tum formant crases: tamen ne nunc quidem integræ quarumcunq; actionum causæ dici queunt. Quippe voluntas actionum domina, Astris ingenerata ac tradita vitia, meditatione atque exercitatione tollere potest, aut corrigere, & frenare.

Astra inclinant, non necessitant.

Non enim, aut primam causam compedibus vinctá cœlo affigimus, aut Astrorum statutis irrefragabili lege voluntates hominum obstringimus: Non illud Poetæ probamus,

Fata regunt homines, certa stant omnia lege.

Nec cogi Neronem à stellis ad tanta scelera dicimus: sed accersiuit ipse sibi hos furores volens: Pòst indulgentem cupiditatibus, magis magisq; incitauit Diabolus. Ac multò fuit deterior Nero, quàm qualem natura, quamuis infausta, finxerat.

Procul absit à nobis Stoicorum delira Necessitas, qua illi, & Deo imperiũ naturæ eripiunt, & pecuino seruitio premi, voluntatem volunt.

Stoicorũ necessitas.

Fata mouere Deus, tollere fata potest.

Potest & voluntas, cùm sua vi retundere ac compescere impulsus naturæ, multaq; Astrorum monita euitare, tum vel maximè adiuta diuinitus.

Cumq; non ignoremus, subitis & inopinatis aduersitatibus animos magnopere percelli, extolli successibus: si præstitimus, quod fuit in nobis, præuisione futurorum animos componamus atque adaptemus, meditatione absentium, tanquam præsentium, & ad futura quæuis expediamus subeunda, cum tranquillitate, constantia, & petitione, atq; expectatione gubernationis diuinæ.

Qui eleuant & abiiciunt Astrorũ significata, detractoq; metu securitatem in animis confirmant: dictũ Ieremiæ obiiciunt, A signis cœli nolite timere. Quàm inconsiderate hoc fiat, cuiuis planum est. Siquidem signa nominat, por-

Refutatio eorũ, qui Astrorũ significata abiiciunt, Ieremiæ dicto abutentes.

tendi his aliquid affirmat, nec contemni vult, aut Epicureo risu iis illudi.

Quantum prodigiorum, Eclipsium, fædarum coniunctionum, antecedebat excidium Hierosolymæ? quæ profectò, non casu prouieniebant, nec ἄσημοι erant, sed denunciabant populi illius & Politiæ deletionem. Non erunt ἄσημοι, *expertia certarum significationum*, horrendi orbis terrarum motus, Imperiorum inter se tristissimæ collisiones & ruinæ, quæque has præcessura sunt indicia, de quibus vaticinatur Christus.

Fatendum est, res malas esse ac sæuas, mortem, euersiones vrbium, destructiones ac dilacerationes regnorum, spectare cædes coniugum & liberorum, abduci in exilia, quæ tristibus portenduntur signis.

Sententia dicti Ieremiæ.

Nec, aut signa sperni, aut denunciatas clades, Ieremias: sed præmunitos vult esse pios, ac confirmatos testimoniis de voluntate Dei, ne, cùm impendent tales calamitates, aut sunt in conspectu, aut iam incumbunt, frangantur animis, & desperent.

Sapientia est, contemplari & intelligere naturam compellantem nos, signorum obiectu, & præmonstrantem futura: sed magis necessariam censeamus esse sapientiam, in naturæ obtutu, complecti cogitatione & fide Deum Architectum, & præsidem naturæ, qui se mitigaturum calamitates pœnitentibus promittit.

Hæc sapientia, tum regat naturæ considerationem, & interpretationem præuisarum causarum: tum præeat ac præluceat actionibus omnibus, mente defixa in Deum, voluntate menti subiecta, ita, ne freta voluntas Astrorum positu, moliatur aut suscipiat contraria ordini & vocationi. Non ergo Epicureum contemtum signorũ cœlestium præcipit, neque aspici ea vetat: sed animos, fide in Deum collocatos, &, aduersus omnes casus, armatos esse vult, qua petant subsidia è cœlo, eaque, si differantur, præstolentur pertinacius, instando precationibus: si denegentur, non fremitu & indignatione flatigent, sed immissas calamitates patienter, cum sancta quadam animorum moderatione, & constanti spe liberationis, ferant.

Religiosi fu-

Tertij illi, quos inter religiosos proposui, interdicta coaceruant,

seruant, in Leuitico & Deuteronomio memorata. Profe-runt& illud Esaiæ: Stent & saluent te augures cœli, qui contemplantur sidera, & supputant menses, vt annuncient tibi ventura. His nō prohiberi *ἀστρογνωστικὸν, diuinationem astrologicam*, adeo conspicuum est, vt mirer, qua cogitatione huc detorqueant.

rũ refutatio.
Esaiæ locus.

Superstitiosi & impij abusus artes taxantur, & reprehenditur ac condemnatur, cùm peruersitas illorum, quorum quidam, quæstus gratia, huius scientiæ nomē & dignitatem aliis artibus prętexere consueuerunt: quidam errore, aut, alia de causa, omnes in Astris euentus peruestigari, et tempora momentaque pernosci posse, asseuerarunt: tum impia ac superstitiosa solicitudo, qua multi salutaribus præceptis, & promissionibus firmis atque illustribus, verbo Dei commendatis, anteferunt Prognostica, ex Astris petita, ea opinione, vt nihil inchoent, nisi perquisitis Astris, nec processura putent, quæ inchoarunt, nisi iisdē assentientibus.

Corruptela arti aspersæ non tollunt artem.

Sceleratè peccant, qui artem corrumpunt, & commenticiorum signorum figmentis, vel elidunt, vel obruunt veritatem doctrinæ, de veris actionibus & effectibus stellarum, atque ab earum consideratione, ad nescio quotum signorum perscrutationem mentes agunt. Maius admittunt scelus, qui persuasionem in imperitis, de euentuum omnium ex Astris præscientia cōfirmant, & abductos à Deo, & verbo, in quo se Deus patefecit, ad quærenda in Astris consilia atque auxilia, perducunt.

Vtrosque damnamus, & execramur. Non enim constituimus humanam Philosophiam, quę occurrat aut medeatur malis omnibus, & periculis. Sit rectrix omniũ actionum nostrarum lux verbi diuini: Ad huius præscriptum, officia vocationis nostræ instituamus, & administremus. Mens agnoscat, nos esse massas inquinatas peccati sordibus, ac, propter iram Dei, singulos, tum priuatorum lapsuum pœnas ferre, tum societate tangi publicarũ calamitatum, quarum partem aliquam singuli attrahimus, nostris peccatis. In hac consideratione, rursus erigatur agnitione, & ardenti fiducia Filij Dei, à quo mitti Spiritum sanctum petat, cuius ductu regatur. Hæc non impediunt considerationem Physicam effectuum orientiũ à stellis, vt non impediunt medi-

cationum vsum, aut diuinationes Medicorum, ex signis, de secuturis morbis, aut conualescentia, vel propinqua morte.

Meminerimus igitur his dictis, & similibus, corruptelas, temere arti interspersas dānari, & abusum ordini diuino cōtrarium, eorum, qui, sine Dei agnitione, &, sine fide Deum intuente, ex astris, vt numinibus pendent, & præscita inquirunt omnia: non προγνωστικὸν, *diuinationem astrologicam*. Sed desino hæc prolixius persequi.

Vulgi refutatio.

Refutanda restant vulgi iudicia, quæ cùm pleraque declararim superius, obiter ea, hoc in loco, & strictim percurram. Exagitant aliqui errata coniectorum atque interpretum, qui parum accuratè, in re magnæ & multiplicis considerationis, versantur, atque, ob ea, toti scientiæ fidem derogant, & fortuita faciunt etiam, quæ veritatem complectuntur, atque ab ordinariis, vsitata lege naturæ, procedunt causis: Quod non rectè fit.

Errata interpretum non sunt imputāda ipsi arti.

Nam, siue inscientia artis peccent, ij qui προγνωστικὰ, *prognostica*, condunt, siue negligentia affectata, quòd, auiditate lucri, non satis attentè scrutantur ac circumspiciunt περιστάσεις, *circumstantias*, concurrentium causarum, sed fortuita quæuis monita arripiunt & consuunt, siue rei natura, & infirmitate, atq; infelicitate ingeniorum: non scientię tamen, sed professorum illa sunt, quorum quidem, si ignari prædictionum, atq; imperiti tantæ professionis onus suscipiunt, reprehendenda audacia: si, cæco lucri desiderio negligunt, quod præstare possent, vituperanda peruersitas, qua, priuata emolumenta indagationi explicationiq; veritatis anteponunt: si, ob rerum difficultatem, ex causarum ancipiti perplexoq; contextu, impingunt alicubi, & aberrant, conatus potius laudandus est, & adhibita in iudicando diligentia ac circumspectio, quàm euertenda scientia.

Mirum enim non est, vel diligentissimos, & summo studio in Mathematis versatos, hac in parte falli quandoque: præsertim, cùm non sit minor profitentium dissimilitudo, quàm difficultas cōiectandi de materiæ qualitatibus, actionibus voluntatum, & cæteris euentibus fortuitis.

Vt verò, aut Philosophiam ipsam non censemus è medio tollendam, quòd dissimiliter ea sit ab aliis tractata ac disputata, à paucis illustrata, à plerisque erroneis falsisq; deformata

mata opinionibus: aut gubernandi artem non respuimus, quòd gubernatores sæpe offendant: sic cogitemus, quàm simus peruersè facturi, si, ob quædam errata professorum, totam abolere velimus rationem: siquidem malè coniecta, maleq; interpretata falsa sunt, non rerum vitio, sed interpretum inscitia.

Cumq; difficultas coniectandi omnis sit, à causarum intercidentium varietate: vt, Medico turpe non est, si de morbo, & ægrotantis natura percontetur, sic, in hac professione, non pigeat exquirere genus, regionem, alimoniam, & alia huiusmodi sæpe antè recitata.

Argumentum contra vim astrorũ, ex dissimilitudine eorum, qui eodem tempore nascuntur.

Obiiciunt alij vniuersim & publicè grassantes pœnas, statusque differentes vno momento editorum in lucem. Vno eodemq; temporis puncto, vnoq; astro nati, dissimiles, & naturas, & vitas, & causas habent. Vnus est exitus multorum, cadunt in vno prælio plurimi, vel terræ motibus obruuntur, vel seditionibus implicitì pereunt, vel ruinis opprimuntur, vel conflagrant incendiis, vel pestifera lue conficiuntur, quibus nascentibus dissimilima affulserunt sidera, & quibus nihil eiusmodi Astra inferunt. Prodeunt, vno momento, in lucem Regum & seruorum filij: hi seruitutem agunt perpetuam, illi parentibus, in Regnorum fastigio, succedunt. Nihil ergo concludunt accedere natis, ex temperatione Lunæ, cœliq; moderatione: sed formas omnes, mores, status plerosque, ac motus, effingere à parentibus liberos. Alioquin enim, aut simul editos pariter afficerent, aut destinata singulis fata, ad eum confirmarent modum, ne secus caderent.

Etiam eruditorum nonnulli, his se ratiocinationibus putant, omnem vim astris adimere: quos miror, aut non attentius seriem causarum in natura, & totius naturæ gubernationem considerare: aut adeò cæcutire, in contemplatione mirandorũ operum Dei, vt, ob euentuum effectionúmve dissimilitudinem, ac diuersitatem in subiectis diuersis, negent δυνάμεις & ἐνεργείας, *vires & effectiones* causarum.

Si, in eam partẽ, hanc accipiunt scientiã, ac si profiteatur, omnes eodẽ tempore ortos, vbicunq; sint nati, & ex parentibus quibuscunq;, eadẽ conditione nasci, eaq; tali, quam mutare res nulla queat: & excludat semina, quæ ad gignendũ,

procreandumq; valet plurimùm: itemq; dissimilitudinē locorum, quæ dissimiles hominum procreationes habent: & mutationes cœli, vt serenitates, perturbationesque, ac ceteras causas: iniquè eam, & falsa calumnia prægrauant. Nihil tale verum Prognosticon profitetur. Non enim patrocinor impostoribus, qui arti falsò asscribunt, ab arte aliena.

Si incogitantia, aut artis ignorantia, in has erumpunt cauillationes: odio, non venia digni sunt. An nihil interesse censent, ex regia quis stirpe nascatur, an humili: claro loco, atq; excelso, an obscuro, aut quibus parentibus? Aut non referre, omnes ne causæ, quarum opus est præsentia, ad effectus alicuius constitutionem, coëant, an verò adsint aliquæ? Aut, non discrepare vniuersales causas à particularibus? Aut, non longè præualere vires vniuersalium particularibus? Et, ex vniuersalibus, non præpollere præstareque omnibus numeris primam causam ceteris, quas illa complexa omnes sustentat, afficit, & gubernat liberrimè? Hæc qui, aut non agnoscit, aut cognita atque intellecta non admittit: eum rudem admodum, atq; imperitum naturæ, aut insulsè pertinacem esse, iudico. Nimis ineptæ sunt, & pueriles hæ cauillationes, dignæ vt refellantur non eruditis rationibus, sed catellorum trium exemplo, qui sub Lunæ defectu editi, posteaquam adoleuissent, deliquij effecta significataque complebant, interitu misero, cùm vnus eorum, à canibus venaticis discerperetur, alter aliquoties ex alto lapsus crura primò, tandem ceruicem frangeret, tertius combureretur.

Vniuersales causæ potentiores partialibus.

Quid mirum multos, aut natura viuaces, peste corripi, vel contagiis, cùm, in magnam aëris partem, sparsum venenum afflatúmve halitu concipiunt: aut opprimi, cùm ab imo mota & subruta ædificia corruūt: aut igne latè vagante deuri: aut in præliis interfici, cùm furiosa rabie incensi æstuant. Cùm hæ propinquæ, tum quæ antecesserunt remotiores Physicæ causæ, Diabolus his occasionibus sæuiēs, permissu Dei, Deus ipse scelera puniens, quarum causarum omnium maior vis partialibus Astrorum viribus elidunt frustra repugnantia eorundē decreta: ὑποπίπτουσι γὰρ αἱ ἀσθενέστεραι φύσεις ταῖς δυνατωτέραις, καὶ αἱ κατὰ μέρος ταῖς καθόλου: subii-

ciun-

giuntur enim naturæ imbecilliores potentioribus, & partiales vniuersalibus. Sed de his prolixè disputatum à me superius est.

Satis autem demonstratum puto hactenus commemoratis, & affici à stellis terrena, & προγνωστικὸν δὲ ἀστρολογίας, *prognosticum Astrologicum*, Physicum, non commenticium, scientiam esse extructam, de consentientibus experientiæ eruditæ ac veræ testimoniis: quæ si cui non satisfaciunt, aut firmiora opponat, aut desinat Epicureo more illudere his sapientiæ diuinæ vestigiis: aut, si delectatur contemtu verarum obseruationum, perfruatur sanè illo suo affectu. Nunc definitionem ex his demonstratis extruemus, & differentiis constitutis, à Physicis commenticia separabimus.

Προγνωστικὸν δὲ ἀστρολογίας, *prognosticum Astrologicum*, seu (vt nunc vsitatè loquuntur) Astrologia, est doctrina, quæ ostendit vires stellarum, cognitas perpetua experientia, & qualitates, temperamenta, & inclinationes, in elementis & corporibus hominum, ortas à luce & motu stellarum: quibus qualitatibus, temperamentis, & inclinationibus respondent suæ quædam actiones, nisi, aut diuinitus, aut aliis causis fortioribus impediantur. *Definitio Astrologiæ.*

Est ergo pars veræ & eruditæ Physiologiæ, quæ ex notata colligatione ac cohærentia causarum, remotiores ac cœlestes, sed physicas tamen, scrutatur atque explicat causas motuum mutationumque, his inferioribus accidentium, non quidem ex primis deriuatas principiis, neque omnes, sed ab effectionibus tamen ea comprehẽsas scientia, quam longinqua obseruatione vetustas attulit, & plurimas.

Nunquam has causás excluserunt à mutationibus partis elementaris Philosophi saniores, quòd euidenter affici eam cœlitus viderunt, etsi causas non perspexerunt. Aristotelis testimonia nota sunt, ἐν δ' ὕλῃ ἄνθρωπος γεννᾷ ἄνθρωπον καὶ ὁ ἥλιος: *in materia autem homo & Sol generat hominem*: & de motu Planetarum, sub obliquo Signiferi orbe decurrentium ait, τῆς γενέσεως καὶ φθορᾶς αἴτιον εἶναι τὴν κατὰ τὸν λοξὸν κύκλον φοράν: *generationis & corruptionis rerum causam esse motum per obliquum circulum.* *Causæ cœlestes partẽ orbis Elementarem afficiunt.*

Hippocrates admonitiones & præceptiones, de obseruandis momentis orientium atque occidentium siderum, præmetiendisque secuturis tempestatibus, sæpe sparsim, in *Obseruatio siderum Medico necessaria.*

præmetiendisq; secuturis tempestatibus, sæpe sparsim, in suis repetiuit voluminibus, & sedulò iis inculcauit, quos ex Schola aliò, ad exercenda faciendaq; opera artis ablegauit, tanquam rem magni momenti, & planè necessariam prænoscendis, anteuertendis, depellendis, si inuasissent, morbis. Dioclem Caristiū Galenus citat testem, qui affirmarit, non recentibus solùm, sed & veteribus Medicis obseruationes siderum vsitatas fuisse.

Chaldæorum commenta de Astrologia.

Non artis complector nomine Chaldæorum inania & apertè conficta commenta, quibus, & artem, & cœlū ipsum repleuerunt, dum, præter lucentes stellarum globos, commenticia alia insculpūt orbibus signa, vt, quòd ambitiosè & falsò iactitant, omnium hominum fata, quæque quis nosse desiderat, quantumuis celata & condita, inde excudant ac proferant, omniumq́ue, quæ eueniunt, rationes protinus è cœlo deducant.

Diuisio Astrologiæ secundū Chaldæos.

Falsò illi, in quinque distincta genera περὶ γνωστικὸν, *diuinationem astrologicam*, diuulserunt, quorum vno ἐναλλαγὰς τῶν ἐτῶν, καὶ μηνῶν, *conuersiones annuas & menstruas*, altero μεταβολὰς τοῦ ἀέρος, *mutationes aeris*, tertio ἐπιλογὰς, *electiones*, quarto γενεθλιολογικὴν, *prædictiones ex natiuitate*, vltimo, ἐρωτήσεις, *interrogationes*, pertractant, explanatione longa ἀποτελεσμάτων, *iudiciorum astrologicorum*, & Canonum multiplicium, egressi limites Physicos, vel superstitione, quæ fusa per gentes, mentes mortalium oppresserat, atque imbecillitatem hominum occuparat, vel ambitione, aut spe quæstus.

Refutatio Chaldæorum.

Ἀποτελέσματα περὶ ἐρωτήσεων, *iudicia astrologica de interrogationibus, siue responsa astrologorum ad quæsita*, prorsus, nec ratione explicari vlla, neque ad naturam reuocari queunt. Qua vi enim, quáve de causa, ea cœli constitutio, qua exquiritur aliquid, vel occultam rem promit ac producit, vel futuram præmonstrat, vel incertam atque ambiguam soluit atque explanat? An prospiciunt, ingenito naturæ sensu, futura, cernúntve, quæ geruntur, aut gesta sunt, quouis terræ loco, sidera? An verò ita coniuncta sunt rebus humanis, ac consociata, vt cognatione coniunctioneque naturæ, aut quodam quasi concentu & consensu, eas ceu notis effigurent, mox vbi recitata interrogationū verba insonuerunt? An eadem est nascentium corporū conditio, & rerum quæsitarum,

ſtarum, vt, quemadmodum refert multùm, quo modo, cœlo affecto, compoſitisq; ſideribus, quodque animal oriatur, ſic interſit, ad rerum occultarum aut futurarum formas, ſtatus, conditiones, momenta, ex Aſtris effingenda, quo cœli ſitu, res deferatur ad inquiſitorem? O deliratıonem incredibilem & abominandam.

Quot rerum minimè ſubiectarum Aſtris, quàm anxias & ſuperſtitioſas conſtituerunt ἐπιλογὰς, *electiones*? adeoq; ſiderum dominio parere falsò finxerunt, quicquid hic orbis habet, vt vetuerint ſuſcipere quicquam, vel publicè, vel priuatim, domi, foris, niſi inſpecto perquiſitoque cœlo, tanquam fatalium legum tabula, aut magiſtro, atque architecto euentorum omnium, deque præſcripto cœleſtium edictorum geri, quæcunque inciperentur: vrgeri, ſi aſpirarent ſtellæ: deponi, ſi refragarentur, voluerint. *Cœlum fatalium legũ tabula ſecundũ Chaldæos.*

Genethliacis verò conſtitutionibus, quot ſigna à ſiderum numero, & natura aliena, quantum numerum partium inſuerunt temerè? quorum quidem vim amplificarunt tantopere, vt penè maiorem ſtellarum viribus fecerint, ſcilicet, ſi ad Aſtra reuocarent omnia, nequid deeſſent vſpiam, quo euentus propoſitos, quauis ſpecie pingerent & excuſarent.

Quid de certitudine dicam rerum præuiſarum, quas naturæ ſiderum, & vires effecturæ ſint? Eas tam certas eſſe volunt, vt à rebus retro ad efficientia eas ſidera redire ſe poſſe profiteantur.

Vt enim vitæ curſum & fata præcinere ſe poſſe glorientur, ſi natale tempus indicatum ſit: ſic viciſſim, ſi vitæ curſus demonſtretur, relegendo reuoluendoque effectiones ſiderum, natale momentum comprehenſuros ſe aſſerunt.

Sicut factitaſſe L. Tarutius Firmianus inprimis Chaldaicis literis eruditus traditur, qui ex Romuli rebus geſtis, vita, morte, inuenit illum ſatum Olympiadis ſecundæ, anno primo, Menſis die viceſima tertia, eius, quẽ Ægyptij Choeac vocant, hora circiter tertia, qua quidem totus Sol obſcuratus fuerit: Natum autem viceſima prima die Menſis Toth, ſub ortum Solis. *Firmianus Romuli Geneſin inquiſiuit ex vita ante acta.*

Vrbis Romæ etiam natalem repetiuit diem, ab iis pari- *Romæ Geneſis*

libus, quibus eam à Romulo conditam proditum est, Romamque, cùm esset in iugo Luna, Sol cum Mercurio & Venere in Tauro, in Piscibus Iupiter, Scorpio Saturnus cum Marte, natam esse dixit, fundamentis murorum auspicatò iactis, vndecimo Calendas Maij, hora post secundam ante tertiam. Vnde Palilitium appellatum Hyadum sidus, quod eo die exortum cum Sole repetiti ostenderunt cursus.

Eodemq; progressa fuit vesana audacia Chaldæorum, in prædictis natalitiis extollendis, vt non minus referre iactitarint, qua cœli facie, quóve modo dispositis sideribus fundamenta struerentur ædificiorum quorumcunque, aut texerentur, consuerentur, induerentur primò vestimenta: quàm ex qua cœli affectione nati primum pueri spiritum ducerent.

An idem in latere aut cemento vis stellarum præstat, quod in molliusculis, nullo antea contactis aut afflatis aëre, nullo vibratis lumine corpusculis? An institutas deliberationes, inchoatas operas, res geri cœptas, moderantur & dirigunt astra?

Non magis profectò, vel inchoatis ædificiis conferunt, vel actionibus, quas, re deliberata, spontè & arbitrio nostro deligimus & auspicamur, quàm imagunculis, quæ ad certos positus ex lignea ceréave fabricaptur materia.

Corpora nostra diuersimodè affici cõstitutionibus cæli.

Illud verò & ego assentior, & nemo inficiabitur, quod quisque penè in singulos dies experitur: affici aliàs aliter, diuersis cœli constitutionibus, principes corporum nostrorum partes, quiq; his adsunt & seruiunt humores ac spiritus. Languemus quandoque, aut contrà rectius commodiusq; valemus, lætamur, aut subitò in mœstitiam labimur: Celerius, alacrius, expeditiusq; cõficimus, in quo elaboramus, aut, magna cum molestia, operas aggredimur, nec sine difficultate exercemus: Vigemus sensibus, & cùm ad cogitandum animos cõponimus, facilè subitoq; inquisita percipimus, immò affluimus copia rectarum & bonarum cogitationũ: aut contrà vires intendimus omnes ingeniorũ, desudamus, ringimur, nihil quicquam tamẽ, quod sit aptũ conueniensq; proposito eruimus: eaq; absq; vlla cõspicua nobis causa, accidere fatemur, scilicet, quòd alij positus, nobis non aduertẽtibus, alias effectiones imprimunt, vel cõcitatis turbatisve

batísve humoribus, vel ſedatis ac perpurgatis, vel ſerenatis ac colluſtratis ſpiritibus, vel excitatis ac roboratis principum membrorum facultatibus.

Ergo ab Aſtris oriri interdum minimè nego, vt ſimus aliàs ad cogitandum gerendúmve aliquid alacriores & expeditiores, aliàs minus idonei.

Cur hoc poſitu inchoata, facilius ſint proceſſura, firmius perſeueratura, felicius exitura, quàm alio quopiam, non video: niſi quis ad deliberationes referat, quod excitata mente & vigente rectius circumſpiciantur omnia, ac decernantur, prouideatúrque, quid intercidere aut obſiſtere poſſit, quàm eadem languente aut turbata.

Verùm has nimis anxias & ſuperſtitioſas obſeruationes non probo, & explodo impoſtorum commenta, quæcunq; ſunt præter rationem falsò introducta atq; infarcta arti.

Sed ratione hæc conſtituta ſunt, inquiunt, & fidem adferunt iiſdem conſentientia euentorum documenta. Rationes, cùm nullo prorſus nitantur fundamento, reiicio, nec dignas refutatione duco, vt quas ipſa infirmat & refellit argumentorum abſurditas. Conſenſui euentorum, quem allegant, non plus fidei tribuo, quàm fulgurum, auguriorum, extorum, ſortium euentibus, quæ Ethnici veritati rerum falsò oppoſuerunt. Non enim maior veritas aut certitudo his, abſque ratione excogitatis præſtigiis ineſt, quàm, illa ſuperſtitione acceptis indiciis.

Experientiam magiſtram ſequimur, & ducem, quæ demonſtratis ſenſui effectionibus rerum conditarum diuinitus, non arbitrio noſtro effictarum, perducit mentes, ad cognitionem mirandarum virium in naturis, atq; earundem coniunctione inter ſeſe, & conuenientia. Commenticia, vt non exiſtunt in rerum natura, ſic nullis prædita ſunt viribus, neque effectiones gignunt vllas.

Non magis, inter ſidera, locum habẽt Chaldæorum numeroſæ partes. quàm, inter terrena Chimæra : Nec magis interrogatis Aſtra congruunt, quàm veritati mendacia.

Faceſſat igitur quicquid eſt huiuſmodi, non ex natura ortum, neque à motu ſiderum & lumine effectum, ſed ab impoſtoribus confictum: quo, & vis Aſtris infertur, & arti ſuus honor eripitur, adimitúrque nitor, & infirmatur veritas:

quòd in præstigias ferè plus imperiti, quàm res ipsas intuentur, & veritatē imposturis delusi paruipendunt aut negant.

Stellarum vires, per eiectos deferri radios, & variari effectiones, positu diuerso, qui motuum dissimilitudinem comitatur, radiorúmque ex differentibus locis, permixtione, suprà demonstratum est.

Stellarum discrimen duplex.

At stellarum discrimen duplex. Alias enim errantes & vagas vocamus, quæ septem numero, suis singulæ orbibus, motibus, & periodis, sub octauo cœli orbe, variatis cursibus multipliciter circumaguntur, tantò velocius, quantò terræ propius suos obducunt orbes. Alias inerrantes nominamus & fixas, quæ numero mille viginti duæ, magnitudine inæquali, & sex variante discriminibus, luce dissimili, sparsim octauo orbi adhærentes, quotidie quidem, viginti quatuor horarum spacio, primi cœli concitatissimo impetu & raptu semel conuertuntur, sui verò orbis motu, lentè admodum in aduersum prouoluuntur. Quare, qui iis subtenduntur orbes, cùm sua velocius multò curricula absoluant, inhærentes sibi errantium lucidos globos, in eo circuitu, nunc his, nunc illis octaui orbis sideribus, adducunt & subigunt.

Planetarum maior vis, quàm stellarum fixarum.

Vtrarumque vis maxima, sed maior & absolutior errantium, quòd propius incumbunt terræ: Minor inhærentium cœlo, interque eas, quæ magnitudine præstant ceteris, ac fulgore, viribus etiam prædominantur.

Motus stellarum necessariò cognoscendi.

Vtræque diuinaturis de mutationibus naturæ inferioris ac conclusorum in ea corporum Physicorum, considerandæ atq; exigendæ: quod quia fieri, citra motuum doctrinam, nequit, singularum motus quàm exactissimè comprehensos, & ad quæuis momenta numeratos habere oportet, quos Astronomia suppeditat, quæ τὸ ἀποτελεσματικὸν, *prædictionem astrologicam*, ordine naturæ antecedit, & fundamenta ei præstruit: hac aberrante, illa labitur continuò.

Omnium naturæ, vires, effectiones, & proprietates, cognoscendæ sunt diligenter, sicut explorata hæc sunt, & industria artificum perscripta, & ea inprimis, quæ sunt maximi momenti.

Ordienda contemplatio ab inerrantibus, quas in quadraginta octo sidera, artifices digesserunt, collectis illis, quę ad certæ

ad certæ alicuius imaginis conformationem, situ se accommodarunt: exclusis ac separatis remotioribus, quæ adaptatæ configuratis sideribus speciem deformassent: quibus seorsum numeratis, prout quæq; vicino alicui adiacent sideri, cum bipartito τ͂ γαλαξίας, *via lactea*, tractu, septuaginta duo conficiuntur ἀστερισμοὶ, *asterismi*, atque eò allusisse Plinium existimo.

Signa cœlestia.

Præcipua vis duodecim est signorum Signiferi, quæ ζώδια & δωδεκατημόρια, *signa & duodecimas partes*, Astronomi nominarunt, eorúmque siderum, quæ vtrinq; his, minore interuallo assistunt, vt Orionis, Bootis, Procyonis, Canis maioris & ceterorum.

In singulis expendendum primò, in quibus cœli versentur spaciis atq; interuallis, cardinibúsne insideant, aut intercidentia illis expleant spacia.

In singulis stellis quæ notanda.

Secundò exquirenda, cùm integrorum siderum partiúmque præcipuarum vis, quam vsus docuit, vt antecedentium, mediarum, desinentium: in Austrum vel Boream vergentium, cognatioq; inter se, & conuenientia: tum singularum stellarum, & maximè illustrium atq; insignium, vel splendore, vel effectibus, quibus eæ sunt facultatibus præditæ, quibus Planetis respondeant.

Non parum momenti iudiciis adferunt pensitatæ signorum differentiæ: quæ masculina sint, vel fœminina: quæ æquinoctialia, cardinalia, aut solstitialia: quæ mobilia, fixa, aut communia: quæ auersa & disiuncta: quæ obliqua & recta: quæ præcipientia & obedientia: quæ aliena & inconiuncta: quæ fœcunda & sterilia: quæ muta: quæ pulcra & deformia. atq; imprimis, quæ ignea, aerea, aquea, & terrea.

Ab exploratis viribus collatio inuestiganda, habitudóq; & affectio erga Planetas, sed Solem præcipuè, ac Lunam, secundum nouem modos σχηματισμῶν, *aspectuum seu cõfigurationum*, quos tradit Ptolemæus octauo libro μεγάλης συντάξεως, *magnæ constructionis*, qui sunt πρώϊνος ἀπηλιώτης, πρώϊνος λίψ, ὄψινος ἀπηλιώτης, ὄψινος λίψ, μεσημβρινὸς ἀπηλιώτης, μεσημβρινὸν μεσουράνημα, μεσημβρινὸς λίψ, πρώϊνον μεσουράνημα, ὀψινὸν μεσουράνημα, id est, *matutinus orientalis, matutinus occidentalis, vespertinus orientalis, vespertinus occidentalis, meridianus orientalis, meridianum medium cœli, meridianus occidentalis, matutinum medium cœli, vespertinum medium cœli.*

Planetarum modi.

Complectitur hæc consideratio collationem stellarum inerrantium ad Solem: vtrum cum Sole vnà emergant occumbántve, vel Orientem antecedant aliquantùm, exortúmve mox insequantur.

Aut illuscente condantur, vel aliquantò antè abscedant, mergantúrve, vbi iam effulsit: Aut deficiente Sole, nascantur, vel antè, aut paulò pòst.

Aut culminante, vel euehantur, vel præcipitentur sub Occasum, vel Soli ipsi assistant, vel iaceant sub imò terræ, depressæ, aduersi, & in fastigio consistentis radiis: Aut sese proferente eodem, vel euanescente, emineant in cœli culmine, hæreántve in profundo terræ.

Intenduntur enim vires radiorum, qui ex cardinibus, rectiore traiectu appulsi figuntur fortius & efficacius longè imminentes vertici suo stellas, & vel coorientes, vel *συμμεσουρανησάσας*, vel *συνδυσάσας, vnà mediantes cœlum, vel simul occidentes*, aut è regione sese abscondẽtes, aut in cœli constitutas culmine, Sol ferit incitatíq;, quàm ceteras, idque vsu didicimus, si mediocriter ad motus Solis attendimus, & momenta orientium occidentiúmve stellarum obseruamus.

Eadem Lunæ ratio, & ceterorum. Non negligenda, & integrorum siderum, & singularum stellarum, cum subiectis terræ partibus, cognatio coniunctioque.

Fixis perquisitis, considerentur errantes. Post exploratas Planetarum vires ac naturas, quas annotatæ suggerunt obseruationes, prima, in ea consideratione, cura sit videre, in quo cœli spacio volutẽtur, an cardinibus inhæreant, an verò extra cardines, *ἐπαναφορὰς, succedentes cardinibus*, habeant, aut *ἀποκλίματα, domos cadentes à cardinibus*.

Cardines Planetarum. Cardines *κέντρα, centra ceu anguli*, nominantur, quatuor numero: Qui orientem Solem excipit & producit, *ἀνατολὴ* & *ὡροσκόπος, exortus & horoscopus*: qui decidentem atque euanescentem occultat, *δύσις* & *διάμετρος δυτικὸς, occasus & ex aduerso orientis occidens*, in quo eminet *μεσουράνημα, medium cœli*, huic oppositus, *ὑπόγειον, imum cœli*, nuncupatur.

Cardinibus *ἐπαναφοραὶ* succedunt, quarum quæ contigua Horoscopo est & sequitur, *ἀναφορὰ*, inferna porta, quòd ceu reclusis portis, properantem ad ortum Solem transuehit: quæ imum cœli sequitur, *ἀγαθὴ τύχη*, bona fortuna: quæ Occa-

Occasum ἐπικαταφορά, superna porta, quòd inclinatum, & ad Occasum contendentem Solem deducit: quæ culmen cœli, ἀγαθοδαίμων, *bonus genius*, dicitur.

His adiacent ἀποκλίματα, quorum quod contiguum infernæ portæ, θεά, *dea*: Bonæ fortunæ, κακὴ τύχη, *mala fortuna*: Supernæ portæ, θεός, *Deus*: Bono Genio, κακοδαίμων, *malus genius*, cognominatur, ab iis effectibus, quos ex illis locis, Planetæ procreant.

Cœli quadrantes.

Non negligenda est etiam cœli distinctio in quatuor τεταρτημόρια, seu quadrantes, quorum duo ἀνατολικὰ sunt, & orientalia: duo δυτικὰ, & occidua. τῶν ἀνατολικῶν τεταρτημορίων, *orientalium quadrantum*, vnum est ὑπόγειον καὶ κάτω, *sub terra & deorsum*, ab imo cœli, vsque ad Horoscopum, quòd stellas ad exortum traducit: Alterum est ὑπέργειον καὶ ἄνω, *supra terram & sursum*, ab Horoscopo ad cœli culmen, quod transuehit stellas ab exortu enitentes ad summum: Sic & δυτικῶν, *occidentalium*, vnum est ὑπέργειον, *supra terram*, à cœli medio, ad Occasum, per quod, ex alto sese demittunt stellæ ad Occasum: alterum ὑπόγειον, *sub terra*, per quod depressæ sub Occasum, deuoluuntur ad imum.

Τρόποι οἰκοδεσποτικοί.

Secunda cura sit, videre quæ sidera Zodiaci possideant, an suis cognata naturis, aptaque viribus, an verò dissentientia à sese, & aliena. Cúmque τρόποι οἰκοδεσποτικοὶ, *modi dominatus familiaris*, quinque ex obseruationibus constituti sint, οἶκοι seu domus, τρίγωνα seu triangula aut triquetra, ὑψώματα seu exaltationes, ὅρια seu fines, φάσεις ἢ σχηματισμοὶ, quas Facies vulgò vocant: pensitetur, an in eo signo, sub quo decurrunt aut ἐπικρατήτορος, id est, dominatoris, ius habeant, & prærogatiuis pluribus, vt robore, dominio, & principatu, quem ἐπικράτησιν vocant, præcellant ceteros: aut οἰκοδεσπότου vel κυρίου, quem dominum domus vocant: aut τριγωνοκράτορος, quod nomẽ præsidibus triangulorum tribuerunt: aut ὁριοκράτορος seu præfecti finium: aut an exaltati sint. Si nullo harum conditionum signo sint addicti, nec vllo iuuentur suffragio loci: an non detrimento afficiantur, sintque abiecti in ταπεινώματα, *seu deiectiones & casus suos.*

Tertia impendatur animaduersio iis, quæ, tum quotidianas & accidentarias errantium vertigines, ad primi motus circumactus perpetuos, tum proprios eorundem in partem

contrariam incessus comitantur: Scilicet, an *αἱρετικοὶ φωστῆρες*, vel *πλανῆται αἱρετικοὶ*, quorum illos conditionaria lumina, hos Planetas conditionarios vocant, interdiu supra terram versentur, si conditionis sint diurnæ: noctu infra, si nocturnè. An *ἀπόγειοι* sint, vel *περίγειοι*, *à terra remotissimi, an terræ maximè propinqui*, in Epicyclis suis, vel orbibus Eccentricis: Procedántne incitato cursu in consequentia, vel retroferantur, vel gradum sistant, idq; in prioribus ne fiat, vel posterioribus *τῶν στηριγμῶν* limitibus: Quippe hos prætergressi, sea repedatione, ad rectam dirigentes progressionem, iter instaurant: ab illis regressus inchoant. An enitantur sursum, vel deorsum repant: suarum ne teneant commissuras absidum, quas *συνδέσμον ἀναβιβάζοντα καὶ καταβιβάζοντα*, *nodum ascendentem & descendentem*, nominant, an verò ab iisdem discesserint, & versus quem Mundi se converterint verticem.

Planetarum συζυγίαι.

Quartò considerentur, vel *συζυγίαι*, *coniunctiones*, inter se Planetarum, vel *συναφαὶ καὶ ἀπόρροιαι*, *contactus & affluxus*, id est, accessus seu applicationes ad Synodos, vel *σχηματισμοὺς*, *configurationes siue aspectus*, & recessus, ipsæq; inter se *σχηματισμοὶ*, *ἑξάγωνοι*, *τετράγωνοι*, *τρίγωνοι*, *διάμετροι*, *configurationes, sextiles, quadratæ, trigonæ, opposita*: An intueantur sese vel cardines, vel sint prorsus *ἀσύνδετοι*, *nullo aspectu seu configuratione sociati*: Idque à Sole inchoetur, ac Luna.

Conferantur ad Solem errantes, eodem modo, quo fixæ, exquiratúrq;, an Solem antecedant vel consequantur, id est, an *ἑῷοι* sint, vel *ἑσπέριοι*, *matutini vel vespertini*, vel fulgore perstringantur Solis, hebetentur, & tandem obtegantur (*ἀφανιστικοὺς*, *συνοδικοὺς*, *ὑπαυγοὺς*, *euanescences, coeuntes siue combustos, sub radiis occultatos*, tunc nominant:) Acceleratísne tribus superioribus, motu citatiore Sol appropinquet, an verò euictos ac superatos iam à tergo reliquerit, tanto interuallo, vt tanquam *προδρόμους*, *præcursores*, ante exortum præmittat. Ab inferioribus verò, vel præuertatur, vel non acceleretur: An sint *ἀκρόνυκτοι*, *sub initium noctis orientes*, vel *ἑῷοι*, *matutini*.

Pòst Lunæ inspiciatur circuitus positúsq;. Tandem inter se comparentur omnes, atque obseruetur, qui coeant, & sub quibus octaui orbis sideribus: qui dissideant.

Ex disiunctis, qui radios conferant ac complicent suos, quo

quo interuallo Trigonóve, an Tetragono, aut Hexagono, aut opposito, & ex quibus locis Signiferi: An sit hospitator alter alterius, vel plurium, qui Trigono præsidet, finibúsve in quibus versatur alter.

Ex coniunctis, qui viribus & autoritate præemineat, id est, qui breuiore atq; eminentiore circuli sui parte feratur, quod Græcis est *καθυπερτερεῖν*, id est, superiorem esse, & extolli, vulgò eleuari dicunt: An congressis luminibus, Sol obscuretur, è regione collocatis, Luna: An, qui distant Planetæ, tanto dissideant interuallo, quantum ipsorum domiciliis interiacet, quod se aspiciendi, contuendiq; ac inter se distandi genus Græcis est *ἰδιοπροσωπεῖν*, *de facie ad faciem se contueri*, Arabibus Amulgea. Nec id contemnendum esse, antiquæ ac pænè confirmatæ, inter cœlestium significationum perscrutatores est sententiæ.

Pensitetur etiam, in quas partes vtrobique, vltra citráq; sedes, quas obtinent, seu in præcedentia & consequentia, procidant radij sexagoni, triquetri, quadrati, contrarij: Cuius sit præcipua potentia, qui in Schemate dominium occupet, quem in Genethliacis *κύριον γενέσεως*, *dominum natiuitatis seu genituræ*, aut *οἰκοδεσπότην*, *dominum domus*, vocant, (nam & hoc nomen domino figuræ natalitiæ accommodant, cùm idem alioquin hospitatori tribuant, seu illi, qui domicilium in aliquo suum signo constituit, ceu paterfamilas) in ceteris Schematibus *ἐπικρατήτορα*, *obtinentem dominium*, quod inter alios Planetas dominatum obtineat, sitque in tota figura ceteris pollentior, & præferatur.

Οἰκοδεσποτίαν, *natiuitatis dominium*, deferunt alij ex erraticis stellis præfecto finium Solis, in diurnis Genesibus, Lunę in nocturnis. Alij prę̨sidi latitudinis Lunę: Alij, inter quos Iulius Maternus est, *οἰκοδεσπότῃ*, *domino domus*, seu *κυρίῳ*, *domino*, signi, quod illi proximum, in quo Luna genituræ tempore reperta, inde discedentem continuo excipit: Alij *ἐπικρατήτορι*, *dominium obtinenti*, locorum *ἀφετικῶν*, *prorogatorum vitæ*, *siue*, *vt Arabes appellant*, *Hylegialium*. Ptolemæus, de deligendo constituendóque eo, nihil tradit. Idcirco, cum varient sententiæ, sequatur quilibet, quam probat maximè.

In Genethliacis, signorum & Planetarum cum corpo-

ris humani partibus consensio, præter hæc videnda. Ab his *πρὸς τοὺς ἀφετικοὺς τόπους, ad locos prorogantes vitam*, accedēdum, quæ loca, ad vitæ spacium percensendum, aspici debent.

Ptolemæus quatuor ponit, *ἥλιον, σελήνην, ὡροσκόπον, κλῆρον τύχης, καὶ τοὺς τούτων οἰκοδεσποτήσαντας: solem, lunam, horoscopum, partem fortunæ, & qui in horum locis dominium obtinent.* Qui horum præferendus & constituendus *ἀφέτης, apheta*, quem datorem aut prorogatorem vitæ nominare possumus, Arabes Hylech vocant: quíve, si nullus horum muneri conueniat *ἀφετικῷ, prorogationis vitæ*, de ceteris assumi debeat, Ptolemæus ipse explicat.

Ἄφεσις ineptè directio, melius profectio dicitur.

Hinc *ἄφεσις* est, & *περίπατον*, quam directionem ineptè vocant: Latinè inambulationem, permeationem, progressionem, peragrationem, & profectionem, rectè censet dici Pontanus. Ea tempus percensemus, id est, annos, menses, dies, quibus ad locum illum, quem quærimus, cui Planeta quispiam, vel spondet ac condicit faustum aliquid, vel minatur dirum ac noxium, corpore aut radiis, decurso spacio interiecto is peruenit, à quo significatio petitur, cui propterea Significatoris nomen inditum, vt Promissoris alteri.

Planeta *ἀφέτης, apheta seu prorogator*, vitæ significat, vt eidem & valetudini ac peregrinationibus *ὡροσκόπος, horoscopus*, facultatibus *κλῆρος τύχης, pars fortunæ siue sors*: Animæ moribus & conuersationi Luna: Dignitatibus, honoribus, & gloriæ Sol: Ceteris vitæ actionibus, procreationi liberorum, amicitiis, *τὸ μεσουράνημα, medium cœli.*

Momenta euentuum, & conditionum eorundem, malam vel bonam, cum *περίπατον, significatoris progressum*, demóstratum status conditióque Significatorum, iisdem momentis, & locorum, in quos incurrunt. Intelligo autem ea tempora, quæ elabuntur, dum Significatores interiecta spacia permeant, donec suis sedibus, quos in Themate natalitio obsederunt egressi, *πρὸς τοὺς πλανήτας, ἢ σωματικῶς, ἢ κατὰ διάμετρον, ἢ τρίγωνον στάσιν ἀπαντῶντας, ἤγε πρὸς τοὺς κατὰ τρίγωνον, ἢ ἑξάγωνον, σχηματισμὸν διακειμένους, id est, ad planetas, vel corpore suo, vel radio opposito, vel trigono positu obuiantes: siue ad configuratos, ab initio, aspectu triquetro aut sexangulo*, deueniant, quos cùm transeunt, dicuntur *διέρχεσθαι*, quod abscindere vulgò vocant.

Περίπατον generis nomen est, ἄφεσις speciei, ἀφέσει profectione, deducitur ἀφέτης, *vitæ prorogator*, περίπατον, *progressione* ceteri, ad obuios Planetas aut aspectus eorundem: vel numeratur spacium temporis, quo arcus, qui intercedunt, emensi, sint ad obuia quæuis accessuri.

Inter ea, quæ ἀφέτῃ, *apheta seu vitæ prorogatori*, obuiantia, mortem mortisve periculum adferunt, ἀναιρετικαὶ μοῖραι sunt, quas lethales, & interimentes, perniciosas, noxias, ab effectus malignitate nominamus: Eas cùm ἀφέτης διέρχεται, *vitæ prorogator pertransit*, aut cùm ipsæ τὸν ἀφετικὸν τόπον διέρχονται, *per locum prorogatorum pertranseunt*, vel insignia nocumenta infligunt, vel interimunt.

Tradit autem ἄφεσιν, *profectionem*, duplicem Ptolemæus, ἀκτινοβολίαν, *radiorũ proiectionẽ*, vocat, cùm, sine alia aliqua obseruatione, ex sola profectione progressioneq; radij, directa ad situm τοῦ ἀφέτου, *prorogatoris vitæ*, similem, tempora colliguntur euentuum: fitque tantùm in consequentia: & hac diriguntur in orientali tractu consistentes Aphetæ, inter cœli medium, & Horoscopum, secundum ordinem signorum, qua per ἀναφορὰς seu ascensiones Aphetæ deducitur ἀναιρέτης, *planeta interimens, vulgò abscissor*, ad locum Aphetæ.

Ἄφεσις duplex secundũ Ptolemæum.

Alteram ὡριμαίαν vocat εἰς τὰ προηγούμενα, *quæ fit per horaria tempora in præcedentia*. Vtitur hac, cùm Significator, inter cœli medium & Occasum consistit: quod cùm fit, vel eadem directione, cum priore, secundum ordinem signorum, ἀναιρέτης, *interemptor*, deducitur ad ἀφέτην, *prorogatorem vitæ*, per ἀναφορὰς, *ascensiones*, Aphetæ: vel contra seriem signorum, ἀφέτης, *prorogator vitæ*, vice versa ducitur ad ἀναιρέτην, *interemtorem*, per ascensiones τοῦ ἀναιρέτου, *anæretæ seu interemtoris*.

Prior ratio communis est omnibus Aphetis, vbicunque sint constituti, ab angulo Occidentis, vsque ad finem primæ domus: nisi quòd positu Apheta, in quadrante orientali, huius ἀναφοραὶ, *ascensiones*, in quadrante occidentali, καταφοραὶ, *descensiones*, vsurpantur, quæ æquales sunt arcuum oppositorum ascensionibus. Posterior propria est Aphetæ collocati, inter cœli medium & Occasum.

Quærit autem Ptolemæus horaria tempora Aphetæ, acceptis cum arcu semidiurno, quando supra terram Anæreta fuerit horis æquinoctialibus dimidiæ diei: cum arcu

ſemidiurno, quando infra terram fuerit, horis æquinoctialibus dimidiæ noctis: & his in ſexaginta multiplicatis, diuiſiſque, per viginti quatuor, elicit tempora æquinoctialia vni horæ inæquali cedentia: In hæc diuidit diſtantiam Aphetæ, à medio cœli: quod exit inde, continet numerum horarum temporalium diſtantiæ Aphetæ à cœli medio.

Si ſupra terram Apheta fuerit, ſumit differentiam aſcenſionis rectæ Aphetæ à cœli culmine, & hanc diuidit per *χρόνους ἰσημερινούς*, *tempora æquinoctialia*, horæ inæqualis, vt fiant horæ temporales. Si infra terram fuerit, ſumit differentiam aſcenſionis rectæ, ab imo cœli. Si fuerit ergo Apheta, inter medium cœli, & aſcendens, fiunt horæ temporales diſtantiæ ſequentis: Si inter cœli medium, & occidens, diſtantiæ antecedentis: Si inter aſcendens, & imum cœli, diſtantiæ antecedentis: Si inter imum cœli & occidens, diſtantiæ ſequentis.

Inuentis horis temporalibus diſtantiæ Aphetæ à ſummo vel imo cœli, quærit & horaria tempora Anæretæ: diurna, ſi ſupra terram fuerit Apheta: nocturna, ſi fuerit infra terram: hæc multiplicat in horas diſtantiæ Aphetæ, à cœli medio. Id, quod de multiplicatione exiit, aufert à differentia rectæ aſcenſionis Anæretæ, & medij cœli, cùm Apheta inter aſcendens & cœli medium conſiſtit: Addit eidem differentiæ aſcenſionis rectæ Anæretæ & medij cœli, cùm Apheta inter cœli medium & occidens, Anæreta inter cœli medium & aſcendens conſiſtit. Detrahit è conuerſo differentiam aſcenſionis rectæ vtriuſque, & Anæretæ, & medij cœli, ab eo, quod de multiplicatione emerſit, cùm vterque, & Apheta, & Anæreta, eſt inter cœli medium. At nihil addit differentiæ, cùm Apheta eſt, in ipſo cœli medio. Cum Apheta ſub terra eſt, vſurpat diſtantiam ab imo cœli, & differentiam rectæ aſcenſionis ad eiuſdem cardinis aſcenſionem rectam.

Hæc Ptolemaicarum *ἀφέσεων*, *profectionum*, Methodus eſt, à quibus, & *ἀφετικὰ*, *prorogatoria*, tempora denominationem acceperunt, quibus pernicioſi Planetæ ad loca *ἀφετικὰ*, *prorogatoria*, progrediuntur, in quibus res cœpit: aut ad loca hoſtilia & minacia, hoc eſt, quadrata vel oppoſita, quæue tunc

mina-

minacibus feriebant radiis. Eadem κλιμακτηρικὰ, *climacterica*, vocantur, quòd ex aſcenſionibus Planetarum, ſecundum climatis rectum vel obliquum circulum, recenſemus ac dinumeramus tempora, quibus ad interimentia & noxia loca ſint peruenturi, in ſingulos gradus, ſingulos annos computando: Sicut Ptolemæus tradit, cùm inquit, ἰσχύει ἕκαστον τῶν χρόνων ἐνιαυτὸν ἵνα ἡλιακὸν εἰκότως: *id eſt, vnumquodque temporum, ſiue ſinguli gradus diſtantiæ annum adæquant ſolarem.*

Quæ verò coniectori de vita morteque prædicturo, ex profectione Prorogatoris vitæ, aut Interemtoris, conſideranda ſint, antequam de vitæ termino pronunciet, quantum addatur vitæ ſpacio, dematúrve, bono malóve aſpectu, collocationéque benefici aut malefici Planetæ, Ptolemæus explicat.

Eadem ratione, ceterorum euentuum perquiruntur tempora. Non enim περίπατον ab ἀφέσεως, *progreſſio à profectione*, alio differt, quàm, quòd hæc perfectionem Prorogatoris vitæ ſignificat, illud ceterorum Significatorum, quos περιπάτους generatim Ptolemæus nominat.

Alia inueſtigat ratione permeationum tempora Iohannes de Regiomonte, quæ ex ipſius libris petatur.

Quanquam autem Deo ſoli fata ſingulorum deliberata, decreta, & definita, non aſtris inſculpta, neq; cuiquam communicata ſunt hominum, nec à quoquam perueſtigari queunt: tamen, cùm ſecundarum & ordinarjarum cauſarum miniſterio vtatur Deus, nec ſemper, aut actiones earundem impediat, aut prohibeat effectiones, etſi multa peragit, non adhibitis illis, immò excluſis: impium non eſt conſiderare, quid Phyſicæ cauſæ apportent & conferant, ſed, eo ſeruato ordine, quem vox cœleſtis præcipit & conſtituit. *Phyſicarum cauſarum obſeruatio non impia.*

Præter ea, quæ enumerata ſunt hactenus, præterq; conſiderationem euentuum, tota vitæ periodo expectandorum obſeruationes habet artifices τῶν ἐναλλαγῶν τοῦ ἔτους, ſeu conuerſionum anni, profectionum annuarum, menſtruarum, diurnarũ, τῶν χρονοκρατόρων, *chronocratorum ſeu præſidum temporis*, τῶν διεπόντων, *gubernatorum*, ſeu horarum præſidum, τῶν ἀντισκίων καὶ δωδεκατημορίων, *antiſciorũ & duodenarũ partium*, τῶν δεκάδων ſeu decuriarũ, quarũ præfecti δεκανοὶ & decuriones,

τῶν παρανατελλόντων, seu simulacrorum aut imaginum cum decuriis enascentium.

Has etsi dissimiles sunt: non enim omnino contemnendæ conuersionum annuarum videntur indicationes, nec progressionum, testimonio experientiæ: tamen, cùm ipsorum etiam autorum & professorum confessione, leuia præbeant argumenta, præsertim si natalitia Themata imbecillia sint, & posterius commemoratæ obseruationes, aut vim exigui momenti habeant, aut paruam fidem, iis asserendas tuendasque relinquo, qui, longiore vsu certius quasque perdidicerunt.

Siderum effectiones duobus modis considerantur.

At veró effectiones siderum, ad subiecta relatæ corpora, duobus modis considerantur, quatenus aut in amplos vniuersim aeris terræque extenduntur tractus, iisque inclusas res mixtas, vt animantia & terra nata, afficiunt, aut solis hominum imprimuntur corporibus.

Prognosticon Catholicum.

Duplex ergo inde emergit προγνωστικὸν, καθολικὸν, & γενεθλιαλογικόν. Καθολικὸν, *prognosticum, vniuersale & pertinens ad singulas natiuitates.* V*niuersale*, cùm de iis, quæ vniuersim, & totis gentibus astra minitantur, deque generationibus & corruptionibus vniuersalibus, vbertate & raritate frugum fructuúmve, salubritate ac infectionibus cœli, animantium firma affectáve conditione, deq; aeris ac tempestatum mutationibus, coniecturas capit, & texit prædicta: tum conuenientia conserendis agris, arboribus plantandis, inserendis inoculandísve surculis, rigandis agris, cædendæ materiæ, & quicquid est rerum huiusmodi domesticarum, vtendis etiam medicaminibus, purgandis corporibus, venis incidendis, tempora deligit.

Prognostici Catholici duæ partes.

Huius duas facit partes Ptolemæus. Quarum vnam ἰδιωματικὸν, *pertinentem ad proprias cuiusq; gentis naturas*, vocamus, eò, quòd totarum gentium naturas proprias, ingenia, studia, mores, propensiones ad virtutes aut vitia explicat, ex terrarum, ad Solis iter, & ortum eius atque obitum habitudine, consensúque familiari cum Triangulis Zodiaci, Planetis, qui his dominantur, & stellis inerrantibus, vel solis, vel in ἀστερισμοὺς, *asterismos, seu figuras, quas positus & collatio stellarum efformat*, dispositis & conformatis.

Alteram συμπτωματικὸν vocamus, καὶ τὸ κατὰ μέρος προαποτέλεσμα

μερικὸν, persequens accidentia & euenta seu significata particularia, quòd accidentia & mutationes, particulatim euenturas totis gentibus, regnis, & regionibus, aut harum partibus, Physico *στοχασμῷ, coniectura*, ex astrorum positu colligit.

Hæc & *συμπτώματα* & *ἀποτελέσματα*, id est, accidentia & effecta, cùm duorum sint generum, Ptolemæus hanc partem rursus distinguit in *καθολικὸν* & *μερικὸν, vniuersale & particulare.*

Καθολικὸν, vniuersale, insigniores casus & affectus considerat, qui à potentioribus ac validioribus causis excitati & illati, in totas sese gentes, regiones, & regna extēdunt, & grassantur *ἐπιδημίως, in vulgus*, ac publicè: nec citò soluuntur aut desinunt, sed perstant & vrgent: Horum aliqui per interualla recurrunt certa, velut periodis circumactis, redeuntibus scilicet iisdem causis, vt pestilentiæ statæ, bella, fames, diluuia, & exundationes aquarum: Aliqui non seruant ratos statosque circuitus. De infectionum pestilentium periodis, suprà exempla commemoraui.

Anno 1449 post inusitatam Pegnessi amnis exundationem, qui castrum Noricum interluit, cœpit bellum, inter Albertum Marchionem Brandeburgensem, cognomento Achillem Germanicum, & ciuitatem Noribergam. A fine huius belli, exactis annis quinquaginta, cùm iterum insolitum intumuisset Pegnessus, pugnatum est à Noricis, cum Casimiro Marchione Brandeburgense. Tandem & ab hoc bello, elapsis annis quinquaginta, cùm tertiò sese effudisset Pegnessus, bellum secutum est, inter Noricos & Albertum Casimiri filium.

Pegnessi inundatio bellum portendit.

Τοῦ *καθολικοῦ, vniuersalis.* Ptolemæus quatuor differentias constituit, *Τοπικὸν, χρονικὸν, γενικὸν, εἰδικὸν, quod est certi loci, temporis, generis, accidentium. Τοπικὸν, Locale*, terræ partes exquirit, quas accidentia sunt petitura & correptura. *Χρονικὸν, Temporale*, coniicit de tempore, quo inuasura, duratura, & desitura sunt rursus, & quas spacio intermedio, quóve totius periodi momento, exacerbationes sint intensionésque, & remissiones particulatim habitura. *Γενικὸν, generale*, constituit, de accidentium genere, & subiectarum in elementari orbe naturarum, in quas, quæ portenduntur accidentia, & vi cœlesti incutiuntur, sunt redundatura. *Εἰδικὸν, speciale*, acciden-

tium ſpeciem definit, & bonáne illa, ac ſalutaria, an noxia maláq; ſint futura, & qua boni malive ſint infeſtatura ſpecie, pronunciat.

De his, vt exponitur ſecundo libro τετραβίβλου, *operis quadripartiti*, conſulit & contemplatur conſpicua deliquia luminum, horumq́. loca & ſedes, &, vel dominantes his ſtellas vtraſque, vel configuratas, & ceterarum etiam ſtellarum poſitus, congreſſus, σχηματισμοὺς, *configurationes*, habitudines ad cardines cœli, & terras ſubditas, quæq́; ſunt iſtiuſmodi. Addit & Cometarum obſeruationes, quæ magnitudinis, colorum, ſplendoris, formæ, durabilitatis, ſitus & collocationis, quoad Mundi partes, loci ſub octauo orbe, ſitus orbis, motuum, & habitudinis ad Solem, penſitationem exigunt. Sed hæc percenſere, inſtituti noſtri non eſt.

Τὸ μερικὸν, *partiale*, de minoribus & minus inſignibus mutationibus, quibus aeris conſtitutiones variantur, & conuenienter his afficiuntur res terra naſcentes, ceteræque, quæ aere feruntur, per quatuor anni tempora, menſes, dies, & horas, coniecturas agit.

Cœli conſtitutiones annuæ. Harum mutationum ἐνιαυσιαίας, & annuas efficit & temperat Solis, per puncta ἰσημερινὰ, *æquinoctialia*, aut τροπικὰ πάροδος, *tropica tranſitus*, quiq; incidunt in proxima his nouilunia & plenilunia aſtrorum poſitus.

Μηνιαίας & menſtruas præcipuè cient, moderantur, ac gubernant naturis ac viribus ſuis, qui ad ſingulorum menſium congruunt nouilunia & plenilunia, aſtrorum poſitus, Lunæq́; φάσεις, *apparitiones*, & παρόδους, ſeu declinationes, κατὰ τὴν λόξωσιν τοῦ διὰ μέσων, *ſecundum obliquitatem eclipticæ, & orbis ſignorum*, & Planetarum συναφαὶ καὶ ἀπόρροιαι, *contractus & defluxus*, ipſo συζυγιῶν, *coniunctionum*, momento, quæ quidem & καθολικώτεραι, *magis vniuerſales* ſunt.

Variant autem Lunæ ad Solem corniculatæ, dimidiatæ, & vtrinq; prætumidæ, atq; gibboſæ habitudines, ex ſignis diuerſis, & ceterorum Planetarum ad eandem ſexagonæ, quadratæ, & triquetræ configurationes, quarum ſeſe effectus triduo antè vel pòſt interdum aperiunt, quæ & λεπτομερέστεραι, *exiliores & minus euidentes*, ſunt.

Φάσεις, *apparitiones* Lunares ſunt octo eius articuli, quoties in angulos Solis incidit, ex quibus preſagia obſeruamus

tem-

tempestatum, diebus mensium, tertia, septima, vndecima, decima quinta, decima nona vicesima tertia, vicesima septima, & interlunio.

Cœli constitutiones diurnæ.

Ἡμερησίας seu diurnas cœli constitutiones exasperant, aut mitigant, leniúntq;, & Solis Lunæque, ad stellas vtrasq; errantes & inerrantes, accessus recessusque. & ipsarum stellarum, inerrantium præcipuè, matutini vespertiniq; exortus & occasus.

Extimulat enim Sol stellarum fixarum vires, aliàs citius, aliàs tardius, cœli effectu ad terram deciduo. Nam quandoque sese in accessu exerit virtus stellarum, præcurrente non paucis diebus tempestatum significatu, quod est Græcis προχειμάζειν, *quasi dicas præhybernare*, quandoque in defluxu ac digressu Solis, pòst veniente significatu, quod est ἐπιχειμάζειν. *posthybernare*. Reddita serenitate, confectum sidus Romanis dicebatur.

Constare has tempestates statis sideribus, cœlóque affixis, interueniente scilicet horum ortu vel occasu. ne agricolis quidem ignotum est, aut obscurum.

Exortus occasusq; binis intelliguntur modis. Aut enim aduentu Solis occultantur stellæ, & conspici desinunt, aut eiusdem abscessu proferunt se. Emersum hoc melius, quàm exortum consuetudo dixisset, qui Græcis est ἐπιτολὴ, *emersio ex radiis*, & illud occultationem potius, quàm occasum, quæ Græcis est κρύψις, *occultatio sub radiis*. Alio modo, quo die incipiunt apparere, vel desinunt, oriente Sole, aut occidente, matutini vespertinive cognominati, pro vt alterutrum eorum manè vel crepusculo contingit: hæc Græcis dicuntur ἀνατολὴ & δύσις, *exortus & occasus*.

Cœli constitutiones momentaneæ.

Ὡριαίας, *horarias*, & sese in horas, ac pænè momenta variantes mutationes, præter prædictas causas, Solis, Lunæq;, & Planetarum decursus per cardines, & Lunæ in latitudinem deflexus ac digressiones cient. Ex his mutationibus aeris, quæ damna afferunt, noxiæ sunt.

Iniuriæ cælestium duo genera.

Iniuriæ autem cœlestium duo genera sunt. Vnum, quod tempestates vocamus, in quibus grandines, procellæ, imbres, ceteraque similia intelliguntur. Hæc ab horridis exeunt sideribus.

Festi dies, ad leniendas tempestates, à Romanis instituti.

Alia sunt illa, quæ, silente cœlo, serenisq; noctibus fiunt, nullo sentiente, nisi cùm facta sunt, vt rubigo, vredo, carbunculus, sterilitas. Ideo Romani, quòd tria tempora metuerent fructibus, instituerunt ferias, diésque festos leniendis tempestatibus: Rubigalia, ne rubigo segetes occuparet; Floralia, vt omnia benè deflorescerent: Vinalia altera, vindemiæ causa. Considerabant autem causas cœlestes, quibus hæ commoueri & inferri iniuriæ consueuissent.

Sed desino harum omnium, & varietatem, & causas persequi, quæ ex ipsis petantur autoribus. Ptolemæus, cum hac specie coniungit μετεωρολογίαν, *doctrinam de rebus in sublimi apparentibus.*

Prognosticon Genethlialogicon.

Γενεθλιαλογικὸν, *diuinatio genethliaca*, extruit notationes prædictionésque temperamentorum, in humanis corporibus, ac præcipuè eius partibus, & illorum, quę temperamentis respondent accidentium, vt δυνάμεων καὶ ἐνεργειῶν, *facultatum & effectionum*, roboris aut imbecillitatis, aptitudinis, ad has illásve ægritudines, ἐπιτηδειότητος, *habilitatis*, ad certa studiorum, actionum, morum, affectuum genera, pro conditione, natura, & constitutione trium præcipuarum partium, quarum ope & ministerio, suas exercet & expedit δυνάμεις, *vires & facultates*, anima in corporibus: denique euentuum aliquo modo, quos cuilibet temperamenta, insitæ δυνάμεις, & inclinationes, & excitatæ his actiones, studia, & mores, vt partiales causæ, pariunt & accersunt.

Elementaris orbis à stellis afficitur.

Affici elementarem orbem vniuersum, & inclusas huic res naturales, adeóq; corpora hominum, & gubernari mutationibus, quæ accidunt terra nascentibus, atque animantium & hominum corporibus: & ostensum est toties, & tam notum est, atq; euidens, vt qui id inficietur & contradicat, hic sibi sit relinquendus. Amentis est enim, κριτήρια, *normas certitudinis*, tollere, & πρὸς τὸν ἀναιροῦντα τὰς ἀρχὰς οὐκ ἔστι λόγος, *contra negantem principia non est disputatio*, vt si quis vellet negare ignem vrere, aut lucere Solem.

Si ergo sunt in nobis efficaces stellæ, quare effectionum causæ, & varietas inquiri & considerari non debet?

Etsi enim non omnia, quæ agunt astra in corpora hominum, perspicimus: tamen hoc, quod de illis admirandis viribus & effectionibus animaduersum est, & compre-

hen-

hensum, non aspernemur, sed retineamus, vsurpemus, & excolamus.

Prognostici Genethlialogici distinctio.

Ptolemæus, prædictiones Genethlialogicas accidẽtibus distinguit, quæ secundum naturam eueniunt, & præuideri possunt. Horum quædam Genesin præcedunt, vt quæ ad parentes pertinent, etsi horum obscura significata, & ambigua incertaq; astra præbent: quædam, vel præcedunt, vel sequuntur, vt quæ ad fratres pertinent, ac sorores: quædam in ipso partu accidunt, quorum non vna est, nec simplex ratio: quædam sequuntur partum, quarum magis varia est, & multiplex ratio.

Ad partum pertinet consideratio, an sit mas vel fœmina: an sint gemini aut plures fœtus: an monstrosus sit fœtus: an futurus sit durabilis. Sequitur partium consideratio, de vitæ spacio & diuturnitate, de figura corporis, de morbis & læsionibus corporis, de qualitatibus & affectionibus animi, de studiis & actionibus, de re familiari, de dignitatibus, de coniugio, de liberis, de amicitiis, de peregrinationibus, de genere mortis.

De his iudicium faciendum, & capienda coniectura ex cœli Themate, motibus omnibus & stellis, absolutè conformato, secundum leges & præscripta doctrinæ.

Principiũ hominis triplex.

Sed quo ad constituendum Thema Genethliacon, tempore vtendum, siquidem triplex est hominis principium: ἀρχὴ σπορᾶς καὶ διαπλάσεως, *principium sationis & conformationis*, quo ex conceptis seminibus formari incipiunt corpora: ἀρχὴ ἐμψυχώσεως, *initium inanimationis & viuificationis*, quo animatur homo, & viuificatur: ἀρχὴ γενέσεως ἢ ἐκτροπῆς, ἢ ἀποκυήσεως, *principium editi in hanc lucem infantis, & egressus ex vtero*, quo editur in lucem? Respondeo, de duobus extremis assumendum momentum exitus, vel potius vtrumq;, si de vtroque certò constat: si dubitatur, præferendus conceptui egressus ex vtero.

Tempus cõstituendi Thematis Genethliaci.

Ptolemæus τὴν ἀρχὴν, κατὰ τὴν σπορὰν χρονικὴν φύσει, τὴν δὲ ἑτέραν, κατὰ τὴν ἐκτροπὴν τῆς ἀποκυήσεως χρονικὴν, δυνάμει, καὶ κατὰ συμβεβηκὸς, *hominis principium, à tempore conceptus, naturæ initium esse: alterum verò, quod est temporis egressus ex vtero, facultate & per accidens*, esse dicit. Si tempus conceptus deprehensum est, seu casu, seu παρατηρήσει, *obseruatione*, conuenit poss-

tum siderum, qui tunc fuit, considerare, vel de iis, quæ præcedunt exitum ex vtero, & accidunt fœtui hærenti in aluo materna, vel etiam de qualitatibus iam editi.

Quanquam enim præcipua vis διαπλαστικὴ, *formatrix*, seminibus inest, auctis menstruo sanguine, & aliquid matrix confert: tamen & primò ipsum semen, ad certum quendam modum, de influxu circumfusi cœli, informatum est, & postea, dum finguntur membra, quamuis variæ accedunt mutationes, tamen quia sibi semen, vi natiua conueniens, & adiungit, & attemperat nutrimentum augescens, maiorem adhuc retinet similitudinem prioris proprietatis ac conformationis, à parentibus, & ex circumflui aeris flatu acquisitæ.

Cæterum, si illud ignoretur, quòd fere vsu venit, initium de vtero progressi fœtus necessario capietur, & obseruabitur: quod, & ipsum potétissimum est, & hoc vno deficit: quod ab illo etiam eorum, quæ partum antecedant, noticia haberi possit, ab hoc non possit.

Veruntamen conceptus, inchoatio quædam est, egressus, exordiũ vitæ præcipuum, tempore quidem posterius, potentia verò æquale & præstantius, vt prope ille seminis humani, hic verò hominis ipsius generatio dici possit.

Infans, in vtero materno, non respirat.

Multa enim tunc fœtus adipiscitur, quæ in vtero illi adhuc concluso deerant, perfectior aque, & absolutiora habet omnia. Nondum enim in vtero respirat, ducto per pulmones aere, siquidem mox, vt excepit ducta semina matrix, adeo sese, lateribus omnibus, exquisitisſme compressis, cõstringit, vt in orificium, nequidem specillum acus admittat, sedetq; in aluo fœtus, cum lateribus vteri circũdatus, tum pecularibus tribus ab vtero distinctis obuolutus mẽbranis.

Quanquam enim, leui motu cor mouetur infantibus mox, postquam absolutum est, & vibrat arterias: non tamen pulmones inflat, sed arteriæ vteri tantum cordi afflant halituum, quantum humido calori eius temperando sufficit. Neque copiosa indiget refrigeratione, cum eas nondum obeat & exerceat actiones corpus, quas molitur exclusum. Non enim sensuum ministerio vtitur, nec, assumpto per os alimento confectoq; in stomacho reficitur. Editus infans, mox vbi aerem persensit, promit vires eas omnes, sensuum aperit

organa, captat & haurit aerē anhelitu, arteriisq; dilatatis, cumque eo inhærentes qualitates induit, siquidē continuo & forinsecus in ea incumbit, &, per hiantes poros ad interiora fertur ac penetrat, sibiq; à stellarum radiis impressas qualitates vicissim tenellę ac molliusculę massę agglutinat.

Etsi igitur cœli circumfusio in partu non videtur condere naturam, aut, priori corporatura abolita, nouam gignere: hoc tamen efficit, vt conuenienti cōfiguratione circumfusi cœli maturetur. Natura enim, vbi consummatus est fœtus, mouet eum, vt exeat ex utero, tali constitutione cœli, quæ, & naturæ fœtus congruat & principali respondeat informationi: Editum de naturali cognatione, qua inferioribus radios miscet suos, complectitur & afficit: cumque velut in nouum orbem prodeat, in quo experitur insolita insuetaq; omnia, & adferat molle corpusculum, excipiendisque iis qualitatibus, quas forinsecus obuersantia inuehunt aptissimū, fit, vt illæ statim validè affigantur & inhærescāt.

Etenim, si adulta & durata ætate corpora, assuetaque cœlo, ex sideribus in aere affectiones sentiunt: quanto illis magis mollissima, tenerrima, & recens hunc circumfluū aerem assumentia corpuscula immutabuntur? *Corpora immutantur ex aere circūfluo.*

Natalitium ergo Schema iis, quę exposuimus, iudicādis accomodatum, conformabitur ad id mometum, quo quisque nascitur. Id verò, aut ex Horologiis, seu Sciotericis, seu, artificialibus, adaptatis æquinoctialis motui, ducta orientis atque occidentis Solis, cognoscetur: Aut Astrolabiis obseruabitur: aut, si de æstimato tempore quis dubitet, corrigetur & ęquabitur ope, vel τῶν ἀφετικῶν, significatorū, vel præsidis præcedētis interlunij, aut plenilunij, vel Lunæ, quam illud obtinere signum, geniture tempore, quod sub cōceptum Horoscopo insedit, & vicissim cōceptus tempore, quod nascenti oritur, compertum est: etsi quandoque & huius oppositum, cum partus anticipant, oriri reperitur.

Sed quomodo formabitur Thema cœli? Duo sunt motus stellarum, vt sæpe dictum est.

Primus, quo diei naturalis spacio, omnes semel reuoluuntur circūductæ per immensam Mundi amplitudinem; ita, vt ab ortu, vbi primum ceu nascuntur, euehantur in sublime ad cœli cacumen, indeque paulatim deuoluantur ad *Stellarum duo motus.*

Occasum, vbi soliditate obstãtis terræ, eripiantur rursus ex oculis, & ad imum cœli demergantur, indeque reducantur ad exortum.

Alter, quo singulæ interea, sub Zodiaco procedunt tardius multò ab Occasu in Ortum, contra primi circumactus rapidissimam vertiginem.

Motus stellarũ mutat earundem loca & positus.

Vterque motus loca positusq; stellarum mutat: Ille quidem positum κατὰ τὴν γένεσιν, respectu cardinum cœli: Hic κατὰ τὸν κόσμον, respectu Zodiaci. Quem itaque, vtroque motu, in cœlo situm adipiscantur & obtineant, quouis tempore, primò exquirendum est.

Cœlum in duodecim dirimitur fixa spacia, & æqualia, quæ omnia, primi motus impulsu & raptu, stellæ, intra spacium horarum viginti quatuor, peruagantur, ex vno, in continuum & proximè sequens, continentis motus impetu, delatæ.

Cœli distinctio.

Hæc spacia alij aliter distinguũt, ductis circulis magnis, aut, per communis Horizontis & Meridiani commissuras, aut, per Mundi, seu Æquatoris, vel Eclipticæ polos.

Prior distinctionis ratio, repudiata iam olim, euidentes ob causas, in vsum non venit. Altera Æquinoctialem æqualiter, Zodiacum inæqualiter: Tertia è conuerso Zodiacum æqualiter, Æquatorem inæqualiter dispescit. Præfero autem tertię secundam, cùm alias ob causas, tum, quòd ad primum motum congruit, qui, circa Mundi polos, totum orbium cœlestium Systema circumagens producit stellas, & abducit rursus, atque occultat: cuius motus ductu & ope, velut Canonis certi, momenta exortus & decubitus stellarum, verasque earundem, ad quatuor Mundi cardines, habitudines & inclinationes, inquiri ac definiri necesse est, Æquatoris æquabili & vniformi conuersione.

Thematis cõformandi ratio.

Primùm ergo peruestigetur, vel calculo, vel Astrolabij vsu, quas Zodiaci partes, in quęuis duodecim cœli spacia, partitione Æquatoris æquabili diremta, primus motus, præscripto tempore adegerit, & quas, ac quot numero quouis spacium, ceu abscissum de Zodiaco, interceperit & comprehenderit: quo perquisito, Schema describatur similiter, in duodecim distributum spacia, in quo suus singulis partibus Zodiaci locus attribuatur.

Consti-

Consignentur autem ordine, in illa spacia, principia arcuum Zodiaci, quos circuli, illa cœli interualla distermi-nantes auellunt, initio sumto ab iis partibus, quæ, vel cœli culmen tenuerunt, vel in ortu transierunt Horoscopum.

Distributis hoc modo, in duodecim cœli spacia, Zodiaci Dodecatemoriis, & primo motu expedito, altera sit cura, vt, quæ eodem tempore Zodiaci Dodecatemoria, quasque horum partes Planetæ percurrerint, calculo, aut obseruationibus exploretur.

Hæ partes inuentæ, suo in informato Schemate, loco reponantur, cum Planetarum characteribus. Indicant autem hi in Dodecatemoriis Planetarum situs distantiam eorundem ab æquinoctio apparẽte, quod paulatim mutatur, contra ordinem signorum, loca stellarum fixarum anteuertendo. Et retineri distinctionem Dodecatemoriorum, ab ęquinoctij apparentis puncto, ceu principio necesse est, cùm, propter Schematis conformationem, ex arcubus Zodiaci, qui, sine confinibus æquatoris arcubus, rectè mensurari & distribui nequeunt, tum verò præcipuè, propter Solẽ ipsum, qui suo ab æquinoctio apparẽte motu, & quatuor anni cardines, æquinoctialibus & solstitialibus diebus distinguit ac temperat, & Eclipticam describit, à cuius situ Planetarum in latitudinem euagationes atque excursus æstimantur, & radiis suis reliquos Planetas variè afficit.

Quicquid ergo Dodecatemoriis tribuitur virium, propter Solem fit, qui hunc circulum, cursu suo dimetitur, cui an nouarum & distinctarum virium vestigia, vel circuitu illo, vel lumine infigat, viderint, qui hoc affirmant. Arietis Dodecatemorion tale est, quòd, ex ea Zodiaci parte, tales ciet Sol in elementis qualitates. An, digresso Sole, relinquatur & supersit, in eodem cœli loco, talis aliqua vis, cur asseuerem, non video. Sic de cæteris.

Tertium est, vt ex motibus stellarum, ab æquinoctio apparente, dinumeratis reiiciatur arcus Zodiaci, qui puncto illius æquinoctij, & primæ stellæ Arietis, in octauo orbe intercedit, & reuocentur hoc modo Planetæ ad *ζώδια, signa*, seu *ἀστερισμοὺς, asterismos siue constellationes*, octaui orbis: de quibus, cùm non dubitem obseruata esse ea, quæ, de duodecim signorum Zodiaci naturis & proprietatibus tradun-

tur, haud ſcio, an non huius ſub octauo orbe poſitus Planetarum conſideratio præcipui ſit momenti. Certè Dodecatemoria à ſtellis fixis, quas incluſerunt, vel Ptolemæi tempore, procul receſſerunt. Tribuere autem pænè vim omnem, aut certè maximam, imaginariis ſpaciis, quæ nunc procul amota olim congruerunt cum Zodiis propius, tantùm propter Solis decurſum, & negligere aut extenuare vires ſtellarum, quæ præcipuè agunt, & efficaces ſunt, valdè abſurdum eſt.

Vt igitur Dodecatemoria non reiicio: ſic plurimum referre iudico, vt quibus Zodiis octaui orbis Planetæ adhæreant & copulentur, expendatur accuratè: &, in ea conſideratione, quantum ſit poſitum, obſeruationibus multorum annorum aliqui noſtrum edocti didicerunt. Et quanquam neque affirmo aliquid, nec quicquam cuiquam præſcribo: tamen conſentientis experientiæ teſtimoniis moueor, vt etiam, quæ de domiciliis Planetarum, exaltationibus, & Triangulis, tradita ſunt, putem ad ζώδια, *ſigna*, potius referenda eſſe, quàm δωδεκατημόρια, *dodecatemoria*, vel propter Solem, ad vtraque.

Diſtributos itaque in ζώδια, *ſigna*, octaui orbis Planetas, cenſeo peculiari Schemate deſcribendos eſſe, tertio loco, vt, in iudicando, cõiungatur trium harum diſpoſitionum conſideratio: primæ, quæ exhibet Zodiaci Dodecatemoria digeſta in duodecim cœli ſpacia: Secundæ, quæ Planetarum in Dodecatemoriis Zodiaci poſitus: Tertiæ, quæ eorundem cum Zodiis Signiferi cõnexus proponit. Certè vim omnem ex coniuncto, vel variè inter ſe, ac diuerſimodè commixto, diuerſo aut cognato lumine errantium & inerrantium ſtellarum defluere, nemo eſt, qui negauerit.

Sed cur ex Dodecatemorii, quod quiddam imaginarium eſt, & annuatim promouetur antrorſum, ex illius, inquam, cur vna parte aliam, altera rurſus aliam, tertia etiam à prioribus duabus diuerſam vim Planeta concipiat, ſitque in vno Dodecatemorio potentior & efficacior, quàm alio, non facilè quis oſtenderit.

Hęc de Thematis conformatione monuiſſe, ſatis ſit, quo abſoluto, coniectationis ordo talis inſtituatur.

Coniectatio. Quæratur Zodiaci locus, qui ſignificat aliquid de nati condi-

conditione: vt de dignitatibus consulatur medium cœli, de patre locus Solis inspiciatur. Deinde videatur, quis Planeta dominetur illo loco, iuxta quinque prærogatiuas, ex quibus Planetarum dominia æstimantur. Quod si vnus cæteris prærogatiuas omnes præripit, huic Soli tribuatur dominium: Si certarint inter se plures, potentiæ & dignitatum suffragiis, præferendus est cæteris is, qui vincit numero suffragiorum. *nes ex themate natalitio.*

Tertiò exploretur, & dominantis Planetæ natura, conditioque, & signorum, in quibus Planeta reperitur, & significator ac gubernator accidentis. Inde *περὶ τοῦ ποίου τοῦ ἀποτελέσματος*, *de qualitate effectus*, constituatur.

De magnitudine accidentis coniiciatur ex positu eorundem, *κατὰ τὸ κοσμικὸν, καὶ κατὰ τὴν γένεσιν, respectu Zodiaci, & respectu cardinum cœli.* Adaugetur enim vis atq; efficacia, cùm sua & propria signa, sedesq; cognatas occupant, & sunt orientales, ac cursu aucti, quantum ad positũ in Mundo. Rursus, quantum ad positum in Themate Genethliaco, plus valent in cardinibus, quàm domibus, aut succedentibus, aut declinantibus.

Præcipua verò loca sunt ascendens & cœli medium. Imbecillius agunt, ex signis alienis & non cognatis, aut, cùm occidentales sunt, & cursu diminuti, propter positũ in Mundo, & propter positum in natiuitate, quando cadunt à cardinibus. Tempus euentuum diuinetur ex respectu ad Solem & Horoscopum, matutino aut vespertino.

Cætera artis præcepta, & præceptorum causæ, ex Ptolemæi *τετραβίβλῳ συντάξει quadripartita constructione*, Iulio Firmico, Pontano, & Hieronymo Cardano petantur, qui, & Canones annotarũt, quos artifices ducem experientiam secuti, & rationem condiderunt, & causas explicarunt distributionis domorum, exaltationum, trigonorũ, terminorum, cæterorumque istiusmodi. Singula enim ex ipsorum referre libris, prolixum nimis, & molestum foret.

DE TERATOSCOPIA.

RECENSVIMVS præcipua diuinationum genera, perstrinximus diuina, quæ, aut sua voce Deus edidit, aut sanctis Patribus, Prophetis, & Apostolis, vel ὀπ]ασιῶν, *visionum*, vel somniorum specie velut præsignauit & præformauit, aut Spiritus sancti monitu notum fecit, quantum huic nostro fuit accommodatum instituto: distinximus Physica, è quorum genere, quæ naturæ sunt peruestigationes atq; interpretationes, deq; subsecuturis effectibus, ad præuisas & antè exploratas causas, coniectationes, ea separauimus à superstitionum commentis: Ab vtrisque seclusimus, cùm superstitiosa Ethnicorum obseruata & coniecta, tum à Diabolo, falsa & ambitiosa imitatione operum diuinorum & actionum, atque in Dei contumeliam structa vaticinia.

Sed præter nota, consuetaq;, & naturę conformia rerum effecta, interdum noua quædam, inusitata, & dissimillima rebus naturalibus, non mole, aut vehementia, insuetóve tempore, sed enormi, deformique, & toto genere discrepante specie, animaduertuntur: quæ, siue natura tritam atque vsitatam, viam egressa, & degenerante à tenore suo, ac modo, siue nulla ex parte lapsa aut deerrante prouenerint, exterruerũt, omni tempore, animos humanos, correptos præsagiis tristium & calamitosorum euentuum, admiratione- que, & metu affecerunt, in quacunque illa naturæ parte existerent & obseruarentur.

Inde τέρατα, *ostenta*, Græci, & τεράσια, *res prodigiosas seu monstrosas*, nominarunt, tanquam portẽdentia luctificum quiddam, & miserum, hisque insolita nouaque notarunt quæcunque: Et τερατοσκοπίαν interpretationem ostentorum, portentorum, & monstrorum, seu coniectionem interpretantem & procurantem monstra, & interpretes ipsos portentorum, atque coniectores, τερατοσκόπους vocarunt.

Teratoscopia.

Τέρατα mentes humanas exterrent.

Cum verò omnia ea mentes nostras pauidas natura, & trepidantes, magnopere quatere soleant, ac consternare, inq;

inq; cogitationes singulares, expectationesq; cōiicere, ceu delibatas, aut præsensione imminentiū casuū, aut gustu iam instantium: signorúmve loco ponenda, deq; calamitatum præuiis ac prænunciis sint interpretanda monitis, an despicienter habenda, & pendēda pro nihilo, videbimus, explicatis causis, ex quibus velut finguntur & informantur.

Aristotelis sententia de prodigiis.

Negat Aristoteles, vel innouari in cœlo quicquā, vel certas ac præstitutas Astrorum circumuolutiones labefactari vnquā, retroagi, aut sisti, vel omnino alienū aliquid, insuetumq; accidere illi posse tractui: sed, æterna quadam & necessaria lege, Astra, tum, perfectione summa & integerrima, perdurare in perpetuū, tum cursus vrgere ac persequi suos. Hanc verò elementarē regionem, ob priuationem materiæ insitam ab æterno, qua discrepat à cœlestium materia, obnoxiā esse motibus, ac mutationibus multiplicibus, & degenerem, pronamq;, ac procliuē ad degeneres & aberrantes motus: nec, sua vi sola regi, sed aduēticiis aliis, forinsecus variè cieri & affici causis, cùm à sola prima causa orbes stellarū impellantur: quæ quidem assideat illis, deuincta insolubilibus nodis, adeò, vt nequeat aliò contorquere orbium vertigines, quàm, quo ipsi suo nutu contendunt & ruunt.

Elemētaris regio mutationibus obnoxia.

Quapropter accidere, in ea Mundi parte, quæ φύσις, *natura*, administratur, frequenter errata, aut materiæ vitio, aut culpa causarum materiam formantium, eaq;, pro cōditione materiæ & causarum agentium, proq; lapsuum discrimine, vel enormia fieri, & prorsus aliena à naturæ instituto, vel τῷ πόσῳ, *quantitate* solùm, ἢ τῷ ποιῷ, *aut qualitate*, aut tempore euariare, vocariq; τέρατα, *ostenta, monstra, portenta*.

Æthereas partes, quas ἀνάγκη, *necessitas*, gubernat, nihil erratorum cōmittere, nihil offensionum, nec, vel peregrina, suisq; aduersa naturis admittere, vel pati, vt nouetur quicquam. Sic enim inquit, Ἔστι δὲ τέρας τῶν παρὰ φύσιν τι, παρὰ φύσιν δ' οὐ πᾶσαν, ἀλλὰ τὴν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, περὶ γὰρ τὴν ἀεὶ, καὶ τὴν ἐξ ἀνάγκης, οὐδὲν γίγνεται παρὰ φύσιν, ἀλλ' ἐν τοῖς ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ μὲν οὕτω γινομένοις, ἐνδεχομένοις δὲ, καὶ ἄλλως: *ostentum siue monstrum* est *res præter naturam, præter naturā verò non omnem, sed eam, quæ magna ex parte fit; nam præter eam, quæ semper & necessaria est, nihil fit: verùm in rebus, iis, quæ magna quidem ex parte ita fiunt, sed aliter etiam possunt fieri, euenit, quod fit præter naturam.*

Atq; ita Aristoteli *τέρατα, portenta*, sunt errata *τῆς φύσεως, naturæ*, quemadmodum & definit ea, *τὰ τέρατα ἁμαρτήματα ἐκείνου τοῦ ἕνεκά του, portenta sunt errata eius quod agit propter aliquid*, scilicet naturæ: quæ cùm ingenito sibi ab æterno instinctu (vt Aristoteles vult) instituat idem opus, atq; in eundẽ semper finem conatus, actionesque suas intendat ac dirigat, si eum non consequatur, sed, vel deficiat, vel vltra metas prouehatur, vel aberret, scilicet *ἤν τι ἐμποδίσῃ, siquid naturæ actiones impediat*, nascuntur *τέρατα, ostenta*.

Refutatio sententiæ Aristotelicæ de prodigiis.

Fallitur Aristoteles multis modis, & refellitur testimoniis doctrinæ sacræ, & reipsa atq; euentis. Neque enim ab æterno Mundus extitit: neque carceribus inclusa, aut vinculis cœlo alligata est prima causa: neque ab æterno, aut cœlestibus corporibus innexa est *ἀνάγκη, necessitas*, quæ aduersetur nouationibus pertinacissimè, & statum eundẽ perpetuò tueatur: aut materiæ *τ̃ φύσεως, naturæ*, insita priuatio: Sed, vt sæpe dictũ est, liberrimè agit prima causa, quæ totam Mundi machinam, verbo procreauit ex nihilo, non coacta, sed liberrimè, sua voluntate, propter hominem, à quo agnosci voluit, & coli: & tãdem liberrimè sustentat & gubernat, mutans, compescens, sistens, extimulans à sese ordinata & constituta suo consilio

Quare, tum vtrique Mundi tractui noua aliqua & insolita accidere, tum ex terrenis edi possunt obscœni fœtus, aliaque vel ibidem, vel in aere, vel in aquis, quæ fœditatem habent, neutiquã peccante natura, immo nihil conferente.

Omissis igitur Aristotelicis, repetemus *τῶν τεράτων, portentorum*, causas altius, paulo aliter distributa serie causarum notarum, quàm superius factum est. Prius tamen de vocabulo *τέρας, quod monstrũ significat & portentum*, quædam monebo. Vtitur eo aliter Scriptura, aliter Philosophia. Scriptura vsurpat illud, & de operibus Deo propriis, singularibus, nouis, inusitatis, & extraordinariis & de præstigiis Diabolicis operũ diuinorum æmulis *κακοζηλίᾳ, peruersa imitatione*, quousq; Deus permittit, seu fascino, seu effectu, inter quę tamen nulla sunt, quæ solius omnipotentiæ diuinæ sunt, vt supra expositum est copiosè. Opera diuina extraordinaria non sunt *παρὰ φύσιν, contra naturã*, sed *ὑπὲρ φύσιν, supra naturã*. Non enim, ab vllo errore naturæ: à nullo excessu vel defectu cau-

ctu causarum oriuntur & existunt. Sed, ab omnipotentia diuina singulari, actu nouo, non mutante, nec destruente ordinem naturæ, sed naturæ liberrimè imperante, & ostendente libertatem *παντοδυναμίας, omnipotentiæ*, in opere, quod creauit aut instituit, & cui semper adest: quod conseruat, administrat & gubernat liberrimè. Idcircò de his cùm loquitur scriptura, sæpe coniungit has tres voces, *δυνάμεις σημεῖα, καὶ τέρατα, facultates, signa, & miracula. Δυνάμεις, facultates* vocat à causa efficiente, quæ nō est à causis cōditis & ordinatis, sed à virtute diuina omnipotēte, quæ illis adest, à quibus edi opera omnipotētiæ cernuntur. Sed aliter agit in Christò Deo & homine, vnione inseparabili, actione vnita & inseparabili, aliter in sanctis, quibus, separabili societate adest, & actione agit separata, etsi *ἔργῳ, opere*, vna videtur. Inde Ecclesia Græca miracula Christi vocauit *θεουργίας καὶ θεοσημείας, Dei effectiones & Dei significationes*. Eadem *σημεῖα, signa*, vocat scriptura ab effectu, & significato, seu fine, quia argumenta sunt, ac documenta omnipotentiæ diuinæ liberrimè agentis, & testimonia cōfirmantia ac stabilientia, quæ verbo antè sunt patefacta. Nulla enim miracula à Deo profecta, approbant aut sanciunt prohibita aut damnata antè verbo Dei. Vocat deniq; & *τέρατα, prodigia*, à noua & inusitata specie. Vnde & *θαυμάσια, miranda*, Matth. 21. & *θαύματα, miracula*, Apocal. 17. & Lucæ 5. *παράδοξα, inopinata*, nominātur. Testimonia scripturæ clara sunt. Mar. 6. Ioh. 4. Act. 2. 5. 6. 7. & 14. Rom. 15. 2. Cor. 12. De præstigiis Diabolicis vsurpat eadem Christus Matth. 24. & Mar. 13. Surgent Pseudochristi & Pseudoprophetæ, & edent signa magna & prodigia, vt seducant (si fieri possit) etiam electos. Hæc declarat Paulus, perpetuus & luculentus verborum Christi interpres. 2. Thessal. 2. cùm Pontificem Romanū depingit illustri vaticinio. Inquit enim de homine illo scelerato, de filio perditionis: Futurū aduentum eius ex efficacia Satanæ, cùm omnipotētia, & signis ac prodigiis mēdacibus, & cū omni fraude iniustitiæ, in iis, qui pereūt. De his duobus *τεράτων* generibus scripturæ propriis suprà satis dictū est: Hic de tertio, quod Philosophia *τέρατα prodigia*, esse censet agā. Id est, *παράπλασμα παρὰ φύσιν, ἢ τεχθὲν, ἢ σημεῖον παρὰ φύσιν γινόμενον, res à natura*

formatione abhorrens, aut aliquid partu editum, aut signum, quod extitit præter naturæ ordinem, à quacumq; causa oriatur, si modò, cum deprauatione naturæ aliqua, aut corruptione manifesta sit coniunctum, seu vera, seu specie aliqua effictа. Miracula enim propriè dicta naturam non corrumpunt aut vitiant, vt dictum est.

Prodigiorum causæ.

Quicquid præter institutum primitus, & nobis exploratum aliquo modo, consuetumque naturæ cursum, ordinem, tenorem, progressum, vimq;, ceu arte ac ratione procedentem, in rerum generatione, inusitatum euenit: id, vel à prima causa oritur, vel à secundis.

Causarũ primæ & secundarum discrimen.

Prima causa infinita & increata est. Eandem æternam esse, præstantem, sapientẽ, liberrimam, omnipotentem, effectricem rerum, & conseruatricem, nõ tantùm sacra demonstrant volumina: sed rerum pulcritudo, ordoq; corporum, & mirandæ effectiones rerum, quæq; sunt istiusmodi, cogunt cõfiteri: ab eadẽ multa procurari in vsum & salutẽ hominum protectionẽmve eorundẽ, aut liberationẽ, ac perfici contrà intẽtiones secundarũ causarũ: multa mutari in natura, multa, præmonendi causa, excitari ac præfigi ante oculos, aliàs in aliis partibus, prorsus insueta, & nunquã prius obseruata, etiam Ethnicos saniores res docuit: etsi illustriora exempla habet Ecclesia, & suspicienda magis, atque miranda.

Secundas causas omnes creauit prima causa, finitas ex nihilo, triplice discrimine. Quasdã enim, absq; omni materia corpulenta, & spirituali essentia, & cęteris dotibus, ad suam expressis imaginẽ sibi conformauit, sapientia eximia, libera volũtate, & cæteris, quæ in Deo solo æterna, infinita, & increata sunt, easq; vocauit naturas Angelicas. Quasdã ex corpulenta ac solidiore finxit materia, quã peculiari, & singulis accõmodata, ac propria vestiuit atq; expoliuit specie, mira ac pænè stupẽda sapientia, variatis discriminibus, infinito numero. Quasdã composuit ex vtrisq;, mirabili fœdere sociata spirituali natura, quam animam vocamus, corporeo domicilio exquisitissimè fabrefacto, specie à cæteris omnibus differente, tunc, cùm in hominẽ de luto terræ formatũ inflauit spiraculum vitæ. His hominum nomen inditum.

Ista sibi tria causarum genera, ea lege & serie Deus subiecit ac copulauit, vt ab Angelicis naturis coràm aspici & coli, ab

li, ab hominibus non aſpici, ſed eodem modo coli de præſcripto legum, quas, & in mente expreſſerat, cui alteram facultatem, ſeſe liberè commouentem quacunque vellet, ſubdiderat, & poſtea ſeparatim propoſuerat: homini verò totã corporeæ naturæ molem, in qua cauſas, multiplici varietate diſtinctas, ſerie diſpoſuerat, & connexuerat admodum concinna, parere voluerit, cui & eam attemperarat.

Hæc verè χρυσείη σειρά, *aurea catena*, ſi nuſpiam interrupta fuiſſet, aut cõuulſa, ſi ſuo quælibet loco præſtitiſſet, iuſtoq; & conuenienti ordine, tum primæ paruiſſet cauſæ, tum in debitum deſtinatumq; naturæ ſuæ opus, acerrimo conatu contendiſſet: nihil inuſitatum, quódve à naturæ conſtitutione euariaſſet, deforme nihil, aut fœdum extitiſſet, quod magnopere animos perculiſſet noſtros, quódve non protinus, in quem excitaretur finem, peruidiſſemus: deniq; perfectas & ordinatas cauſæ ſuo loco omnes actiones edidiſſent.

Sed, cùm & ex Angelicis naturis quędã, ſuperbè detrectata obedientia, & ceu coniuratione facta contra Deum, ex ea ſeſe catena, velut ruptis annulis auulſiſſent, & ſimul inde, nõ violentia coactũ, ſed fraude perſuaſum genus hominum abripuiſſet, idq; mox, de ſtatuta & rata Dei ſententia, ſpoliatum ornamentis omnibus, & horribiliter ſauciatum, vtraque parte naturæ ſuæ, tum decidiſſet in corruptionem & interitum, ex priori integritate, tum imperium amiſiſſet: Terræ etiam Deus conditor, ex concepta, aduerſus hominẽ, indignatione, detraxiſſet vigorem ab initio inditum, quo degenerem ſtatum totius orbis elementaris intelligo: ſecuta eſt confuſio tetra ac pernicioſa, & ſeries cauſarum conditarum, mutilatæ ac laceræ catenæ ſimilis euaſit, in qua annuli plurimi deſunt, aliqui abrupti ab alio ſeſe ſuſpenderunt clauo, aliqui ſarti refectiq; aliquantulum ægrè cohærent.

Cauſarum ſecundarũ confuſio vnde nata.

Diſſoluta eſt coniunctio congruentiaq; omnium naturæ partiũ, quas, mirandis inter ſe fœderibus deuinctas & ęquatas humanæ naturæ Deus exactiſſimè adaptarat: quo fit, vt multò aliter cœleſtes & remotæ cauſę nunc afficiant vitiatam hominum naturã, & totum elementarem ambitũ, plurimùm ab illa primi exordij perfectione mutatũ, & ſępe pariant producantq; noua & inuſitata. Labem contraxit, ex maledicto Dei, horribilem inferior hic orbis totus, quæ in

Monſtrorum cauſa.

mixtas res propagata, sæpissimè vagarũ ac deerrantiũ motionum, & deformiũ ac fœdarum generationum causa est.

Humani corporis absolutissima temperies, in enormem cõmutata δυσκρασίαν, intemperiem, non moderatas, sed effrenes, ἀτάκτους, perturbatas, feruidas ciet actiones. Ducimur opinionibus, &, leui motu, huc illuc rapimur: feruemus affectibus, æstuamus libidinũ flammis, inhiamus crapulis, quibus ingenita nobis à natura δυσκρασία, intemperies, plus deprauatur: hinc commixtiones fœdæ, corrupta semina, fœdi & obscœni partus.

Diabolus verò, in hoc eodem orbe, cui nos inclusi degimus, potẽter grassatur permissu Dei, dum labes naturæ inflictas odio Dei auget, atque illatum occasione, prodigiosa plurima molitur, seu vere deformans aut perdens naturæ opera, seu præstigias obtrudens, vt turbet, vrat, angat, & torqueat anxia & solicita hominum corda: tum miris modis, exercet profanos & impios iure illius Tyrãnidis, quam in illos sibi confirmauit: & inprimis struit insidias operi generationis, quo nullum aliud infestius odit, propagationem residuarum liturarum, de imagine Archetypi in homine, & restitutionem eius, atque expolitionem, aut impediturus, aut defœdaturus.

Diabolus odit opus generationis.

Non pauca ergo insolenter & insuete ab his procreãtur causis, in omnibus Mũdi inferioris partibus, aere, aqua, terra, animãtibus: quorũ quædam Angeli sancti, custodes nostrorum corporũ, quædam Diaboli cõficiunt: quædam infausti congressus & cõmixtiones stellarum progenerant: quædã ob corruptę materię enormia vitia, proueniunt, aut externo & aduenticio illata impulsu, aut ipsi ingenerata.

Illi, cum vtriq; sint naturæ intelligẽtes, certo deliberatoq; cõsilio, & fine, nõ temere noua moliuntur. Salutẽ & incolumitatẽ quęrunt ac spectant generis humani, Angeli: Perniciem cõtra, aut excruciationem, vel ludificationẽ, Diaboli.

Nascuntur monstra ex animantibus, hominibus etiam, quorũ origo omnino aut à spiritualibus est naturis, aut corporeis. Si à corporeis, aut à supernis est, quæ, ex longinquiore interuallo, materiam complectuntur & informant τῆς φύσεως, naturæ, vt astris: aut infernis & propioribus. Si à propioribus, ab iis est, quę se habẽt, vel vt παρέχον καὶ συνε-

τὶ

γὸν αἴτιον, ambiens & adiuuans causa, vel vt ὕλη, *materia*, vel vt διαπλαστικὸν αἴτιον τῶν περιεχόντων καὶ συνεργῶν αἰτίων, *causa formatrix continentium & adiuuantium causarum.*

Vnum forinsecus totũ corpus & materiam ambit ac circumfundit, nimirum, hic circumfluus aer. Alterum (corpus prægnantis) materiæ destinatum à natura domicilium habet ac sustinet. Tertium (matrix) materiæ proprium ac peculiare, iuncta semina viri ac mulieris excipit, cohibet, calore suo velut incubans fouet, attractum ex corpore sanguinem suppeditat, continet, donec maturatos fœtus excludat. ὕλην, *materiam*, præbent iuncta maris & fœminæ semina, aucta menstruo sanguine, qui affluit tractus ex prægnante.

Τῶν διαπλαστικῶν αἰτίων, causarum quæ formatrices dicuntur, vna est, καθ' ἑαυτὸ αἴτιον, *causa per se*, vis formatrix insita ingenerataque seminibus, quę formationem fœtus instituit, dirigit, & absoluit primariè. Altera κατὰ συμβεβηκὸς, *per accidens*, conceptæ in cerebro, & informatæ cogitando, aut forinsecus, & altius impressæ imagines, visarum, auditarum, aut fictarum rerum, quarum species subito vtriuslibet animum transuolantes, afformare conceptis fœtibus & miscere similitudinem existimãtur, quod velocitas cogitationũ, animiq; celeritas, & varietas ingenij, multiformes notas subita spirituum vibratione, per neruos, matrici imprimat, quibus hæc cerebro coniuncta est.

Quæ nimis insolenti rara, & varia, nimisque à notarum forma rerum discrepante specie eduntur, absque dubio, vel diuinitus conformantur, vt ceu effigurent ac pingãt regnorum, gentium, aut tyrannorum mores, aut secuturas mutationes: vel ex deprauatis, Diaboli arte, perficiuntur fœtibus. Talia multa visa sunt omnibus temporibus, & singulares semper casus præcurrerunt.

Anno 1496. Romæ in Tiberi inuentum est monstrum, capite & ceruice asinina, humeris, manibusque, & pedibus squamatis, ad extrema vsque, dextra manu, in Elephantinum pedem, sinistra, in humanam ἀχρόχειρα, *manum*, quinq; distinctam digitis, dextro pede, in bouis vngulam, sinistro, in aduncos Gryphium vngues desinente, ventre muliebri, & mammis, facie senili, ad dextrum clunem, collo Draconis exerto è posterioribus. *Exempla mõstrosorũ partium.*

Friburgi in Mysnia meminerunt multi natum vitulum glabrũ, depilem prorsus, ore gemino, superno vitulino, inferno humano, cute, specie laceri cuculli Monachorum corpori obducta, & collo astricta arctius, erecto corpore. Anno 1531 Augustæ Vindelicorum mulier peperit primò caput humanum, membranis inuolutum: secundò bipedem serpentem, cui lucij caput, corpus ranæ & pedes, cauda lacertæ: Tertiò porcum, omnibus partibus integrum

Anno 43, die Conuers: Pauli, in Belgico natus perhibetur infans, ex honestis & nobilibus parentibus, teter admodum, & horribilis aspectu, flammeis & radiantibus oculis, ore naribusque bouini cornu figura, exertis ac prominentibus, dorso pilis caninis, hispido, simiarum faciebus in pectore extantibus, qua mammarum locus, oculis felium, subt⁹ vmbilicũ hypogastrio affixis, tetris ac minacibus canum capitibus ad vtrumque cubitum, & pedis vtrisque patellam antrorsum spectantibus, *στεγανόπους, palmipes, & στεγανόχειρ, planimanus*, figura pedum Cygni, cauda sursum reflexa & recurua, longitudine vlnæ dimidiæ. Editus in lucem quatuor horas vixisse, & tandem, his emissis vocibus, vigilate, Dominus Deus vester aduentat, expirasse dicitur.

Anno 47 ad oppidũ Bitterfeld vitulus in agro repertus oculis, naribus & auribus humanis, vertice tonso & miniato, rictu & pectore vitulino, cruribus anterioribus vitulinis, posterioribus humanis, & breuibus admodũ, sed vtrisque desinentibus, partim in vngulas vitulinas, partim in humanos digitos, qui vngulis superabãt, & separatim propendebant.

In mari Balthico, non procul ab Haffnia, piscẽ humana facie, capite circũtonso, instar coronę Monachorũ corpore squamis, cucullæ specie obsitis, captum Anno 50 affirmant.

Romanæ historiæ sæpe porcos humano vultu natos tradunt, vt Tarquiniis, Anno vrbis 544. & Sinuessæ, Anno vrbis 554.

Non ad naturam, vel cœlestem, vel infernam reuocari talia, neq; in degeneres lapsus materiæ referri possunt: sed ab aliis effingi, & obiici autoribus, res fateri cogit. Non enim misceret figuras tot, tam diuersarũ rerum tanta varietate, natura, ceu consilio apte partitis sedibus in corpore.

Insau-

Infaustos ac tetros siderum concursus & cōfigurationes, insigniter, vel inchoata à natura corpora lineamenta peruertere & deformare, vel alienas rebus afformare, & inducere species, tot obseruationibus compertum est, vt non dubitēt Astrologi, effectrices causas singillatim demonstrare.

Propiorum causarum quanta sit vis ad generandum, pręsertim matricis, seminum, haustarum, sub ipso conceptu, imaginum, aut pòst cogitatarum, videmus. Si distincta matrix concepit semina, gemellos illa gignunt & formant, eosdemq; absoluunt, si suppetat materia: si constituendis duobus integris distinctum semen non sufficiat, vni, ex redundante & superflua materia, plura adiungunt membra, aut vni thoraci duplicata applicant. Hinc partus bimembres, bicipites, ternis quaternísve manibus & pedibus.

Bicipites natos in agro Vicentino, Anno Vrbis 580 ternis pedibus, Amiterni 611 quaternis, 620 ternis & manibus, & pedibus 659, quaternis itidem manibus & pedibus 589, Romanis est proditum historiis.

Nostra memoria fœtum vidit Hassia editū, quinto Idus Ianuarij, Anno 40 geminis capitibus reflexis in dorsum quorum sese facies obuersæ inuicem, minaci aspexerunt vultu.

Louanij, septimo Idus Aprilis, Anno 47, gemelli nati distinctis corporibus, vni adhærentibus capiti.

Recens, in Regno Angelico, Anno 52, tertia Augusti intra decimam & vndecimam, biceps natus fœtus, capitibus, non vno & naturali loco eminentibus, sed oppositis inter sese, altero de collo exerto, altero ea è nato parte, quam semen & κόλον, *colem*, vocamus, vno vmbilico, tribus pedibus, vno dextro laterotenus exporrecto, duobus ex opposito latere, sinistris manibus omnibus.

Pontanus testem citat, qui affirmarit, allatum sibi arietem exenteratum, qui præcordia & intestina geminata habuerit, cor vnicum.

Sæpe ex conceptis iam inchoata seminibus ἔμβρυα, *concepta in vtero, seu fœtus*, coitu secundario, aut peruertuntur, aut, ruptis inuolucris, vel dilabūtur ad latera, vel procumbunt, atq; ex mutato situ, distortam aut deformem adipiscuntur speciem. Sæpe in ἐπικυήσει, *superfœdatione, seu super vterum qui geritur, conceptione*, permixtione, aut affluxu nouæ materiæ, *Monstrosorū partuū causa.*

turbantur & vitiantur ducta à natura, ceu prima fœtuum lineamenta: aut fit accessio, in parte aliqua, vel membri cuiuspiam adnati ac superuacanei, vel naturalis magnitudinis regulam prætergressi, quòd videlicet, in concipiendo fœtu, materiæ ipsius plus constiterit, quàm, quod necessarium esset parti illi constituendæ, vel aliena specie prominentium παραφύσεων, *quæ adnascuntur membrorum.*

Tales visæ sunt παραφύσεις, *membrorum agnationes*, in infante, 4 Idus Iulij, Anno 50. Friburgi nato, cui, præter aspectum tortuosum & quadrilaterum, frontis loco, solida & dura eminuit excrescentia, verticis loco altera.

Vidimus ipsi, hoc Anno 53. vitulum, felium aspectu tetro & horrido, amplo sub collo, promissóque aqualiculo, ceu πρηλόβῳ, *gulæ in auibus ventriculo*, eóque albo & molli, canino & nigro pilo, testibus inusitatæ magnitudinis, figura testium verris, duplici ordine distinctis.

Si fissa Gemellorum hiscant interstitia, coeunt & coalescunt ipsi, obuersis pectoribus aliàs, aut toto anteriore thorace, aliàs femoribus, ex laterum contactu, dorso quandoq;, vbi in aduersas sese conuertunt partes, &, vel ceteris partibus liberis omnibus, ac solutis, vel consertis pedibus, aut manibus collo circumplexis, aut, in mutuo complexu, iisdem circumiectis vtrinque humeris.

Anno 41. die 19 Februarij, Friburgi Mysorum editi Gemelli, iuncti totius anterioris thoracis cohæsu. Similes Heidelbergæ nati, Anno 44. Vtrique complicatis sese mutuò amplexi sunt manibus. Non absimiles his, quadragesimo secundo, nati in Ducatu VVirtebergensi, coalitu pectoris, ad vmbilicum vsque.

Anno 46. in Aken oppido Saxoniæ ad Albim, femoribus laterotenus concreti visi sunt, quà crura subnectuntur coxæ, eo situ, vt sinistra manu, humero dextro altrerius incumberet, sinister dextram thoraci alterius transuersim prætenderet.

In Romana historia, Anno Vrbis 660. geminas puellas dorsorum concretione continuas, natas legimus, C. Lælio, & L. Domitio Coss.

Si, aut morbis affecta, aut à prima sit malè constituta origine matrix, variè immissa exceptáq; semina, si in fœtum reso-

resoluta explicentur, deformare potest.

Seminũ præcipua vis: &, si maiori superent copia, quàm corporis est opus constitutioni, atq; agens illa & procreans vis, ceu duplicata præualeat æquabiliter, ad vtrumlibet sexum consummandum, ita, vt aut prorsus vincat, aut rursus vincatur, eodem sexu, aut virili, aut muliebri gemellos fingit. Si è contrario partim superarit, partim succubuerit, in diuersum res geritur, atq; alter mas, fœmina altera gignitur, quód tamen contingit rarius, ac plerunque parum diu viuunt. *Gemelli quãdo nascantur.*

Si, vt dixi, perficiendis duobus deficiat materia, vni tamen redundet, format vis διαπλαστικὴ, *formatrix*, præter naturæ præscriptum, membra plura non necessaria, scilicet ad quorum sedes superflua detruditur, vel, suopte nutu, decumbit materia, idonea potentia ad figuram illarum partium effingendam. Hoc modo Hermaphroditi & Androgyni generantur, quibus membra sexus vtriusq; insunt: etsi è duobus alterum ferè imbecillum est, irritum, atque inefficax, & contingit nonnunquam, alterum, aut mutari, aut prorsus aboleri. Causam horum Astrologi, in Mercurij & Veneris referũt commixtiones. Huius generis sunt, quæ in Caprarum genere τράγαιναι, *hircanæ siue hircinæ*, vocantur. *Hermaphroditi & Androgyni quomodo generentur.*

Si ne vni quidem absoluendo satis adsit materiæ, ab aliqua parte, comminuti mutiliq; procreantur fœtus, qui feré non principalibus destituuntur membris, vt corde, cerebro, & iecinore, sed exterius mutilantur.

Anno 48, 18. Calend. Maij intra sextam & septimam, Misenæ natus infans, diuiso in fronte craneo, vnico crure sinistro, sine labiis, oris loco, exiguum habens foramen, reliquo truncatus corpore.

Anno conditæ Vrbis 560. Arimini sine oculis & naso: In Piceno, absque manibus & pedibus natos, Romana tradit historia.

Si, aut semina sint morbida, vitiosa, polluta, δύσκρατα, *malè temperata*, aut sanguis menstruus, ex quo viscerum & musculorum origo, impurus, variè fœdant partus.

Si diuersarum commisceantur rerum semina, iis singula ex sese propagatas partes figuris conformant, quas habent δυνάμει, atq; ita fœtus, ex discrepantium rerum partibus ac figuris, obscœno fœdoq; aspectu componunt.

Infixarum altius, aut animo fixius ac pertinacius versatarum atq; agitatarum, aut, subito pauore, vehementius illisarum imaginum similitudinem affingi conceptibus, allisu spirituum animalium per neruos, certum est testimonio vestigiorum & notarum, quas, de matrum cõceptis, sensúve haustis, aut pauore illatis effigiebus, natura prolibus inurit.

Elephantino natum capite puerum, Romana historia celebrat. Simiarum aspectu, & vrsinis obsitos villis, toto dorso, partus ipsi vidimus, quas similitudines reputatæ pepererant. Vidimus &, qui exertas ac ceu dependentes tenerent linguas, instar vitulorum recens iugulatorum.

Anno 42, Pilsenæ, quæ Boemiæ oppidum est, puer natus imagine Christi Saluatoris nostri crucifixi, quem Virgo mater de Cruce depositum sinu fouet, altero super alterum pede inflexo, vt, si amoueretur, mox reductum reponeret. Illi, propter collum reflexũ, cibus in os difficulter inseri potuit.

Ex his liquet, cùm, in quauis naturæ parte, excitari posse inusitata, tum causas effectrices plurimas esse dissimilimas.

Voco ergo *τέρατα*, *ostenta*, non tantum errata *τῆς φύσεως*, *naturæ*, sed quæcunq; nouata specie, & ab vsitatis rerum formis aliena offeruntur, quæve vniuersim, à communi & constituta diuinitus rerum progressione ac cursu, deuiant: non magnitudinis, aut qualitatum excessu defectúve, nec tempore, sed toto genere, siue in Mundi ætherea sede, & elatiore, siue in hoc elementari domicilio, adeóq; vel ipsis Elementis, vel procreatis inde rebus.

Latini ostenta ea vocarunt, ab ostendendo: Monstra, à monendo, vel, vt maluit Cicero, à monstrando: Prodigia, de Ciceronis sententia, quasi prædicia: vt ceteris placuit Etymologicis, quòd diuinitus propagantur futuris & consecuturis rebus, hoc est, ante illas propellantur: Portenta, quia, quæ porrò sunt, quasi intentent.

Monstra. Monstrorum nomen iis tributum est, quæ ex animantibus nascerentur, non sui generis specie, sed aliena ac dissimili, nimirum quæ, vel diuersarum rerum formis variè consutis, vel natiua rei facie distorta, cõfracta, alióve modo defœdata constarent, aut mutila essent, & truncata, aut plurium non necessariarum partium, integrorúmve corporum adhæsu coalitúque, naturæ modum prætergressa:

Græcis

Græcis τέρατα, *prodigiosa siue monstrosa*, sunt. Horum est origo pertractata antè, atque explanata.

Ad ostenta venio, quibus non solùm in vicino aere, ceu picturis expressas, & sæpe animaduersas imagines confligentium exercituum, crepitus & fragores concussorum armorum, ac similium, sed quæcunq;, in sublimiore illo siderum cœlo, perpetuis orbium circumuolutionibus, Dei iussu insolenter accidunt, complector: è quorum sunt genere, signum retroactæ vmbræ, stella toti humano generi exorta Christo nato, & à sapientibus Arabum visa ac notata. *Ostenta.*

Fulgentium in aere effigierum magnam varietatem non vetusta solùm, sed recentia etiam obseruarunt tempora, quas aliàs aliæ causæ, Deus sancti Angeli, sæpe Diaboli effingunt: sæpe nubes vaporésve radiis perspersi tinctiq; stellarum desuper, & partibus aliis plus, minus aliis nitentes, vario positu exprimere videntur.

Anno 32 non procul ab Oeniponte, hæ visæ sunt imagines. Aquila stans in colle, ac trepidans, huic è regione obuiabant aliæ tres velut hostiles imagines, quarum prima Camelus erat respectans, & flamma in orbem circumdatus: Altera Lupus flammam ore euomens, flammeo itidem orbe septus: Hunc sequebatur Leo, cui vir cataphractus stans in aditu montium, blandè contrectabat iubam, & vicissim blandiri huic Leo videbatur, pedem velut salutabundus porrigens. *Exempla ostentorum.*

Paulò ante mortem Iohannis Ducis Saxoniæ Electoris, Isenaci conspectæ sunt hæ effigies. Primò, Arbor antiqua, marcida, & euersa: Secundo loco, expeditus Eques gestans arborem, sed truncatam ramis: Tertio, Canis venaticus: Quarto, magna & atra Crux, in densa nube: Quinto, ex ea nube fulmen excuti horribile, cum ingenti fragore, sonitúque terribili, tantamque deferre secum vim flammarum, visum est, vt pagum, in quem traiici videbatur, incensurum putaretur, & puella exterrita, magna voce, matris imploraret opem, seque suscipi ac tegi flagitaret. Etsi interpretationem mihi non sumo, tamen ex euentu ratiocinor, depictas his figuris mutationes in familia Saxonica, & clades, ac calamitates Ecclesiarum.

Eo ipso tempore, quo fœdus Schmalcaldense sancitum

est, hæ visæ sunt in aere fulgere imagines, quæ exitum fœderis effigurasse iudicantur. Primò, equites obseruati, quibus rustici successerunt clauis armati: Tertiò, excelsa ad aquas eminuit turris, nec procul ab ea, vir quidam hauriens aquam: quem postremò insecutus magnus Draco. Priores duæ species citò euanuerunt, reliquæ diu sese conspiciendas præbuerunt.

Anno 34. tertia die Iulij, in oppido Schlesvvik, à meridie, cœlo sereno, conspecti sunt in aere Leones, ex locis diuersis concurrentes ad conflictum, &, iuxta illos, cataphractus Eques, hastam quatiens infestam. Non procul ab Equite, iacuit caput humanum, sine trunco, ornatum diademate Imperatorio. Modico interuallo pòst, Apri caput aculeatum visum est, & duo Dracones vomentes ignem. Deinde, vnicæ & amplissimæ vrbis effulsit imago, positæ ad lacum, classeque & terrestribus copiis obsessæ, &, supra hanc, Crux sanguinei coloris, paulatim conuersi in atrum. Alius item Eques prodiit, igneo flagrans colore, diadema gestans in capite Imperatorium: quem insecutus est equus sine sessore: postea, in ampla planicie duæ ardentes enituerunt arces, vicinæ alto monti, ad quam hæsit Aquila grandis, dimidium sui corporis, post montis latus, abscondens: aliquot ibidem pulli Aquilarum, candido colore nitidi apparuerunt: item Leonis supini caput, insignitum corona: Gallus gallinaceus rostro feriens fodiensque caput tantisper, donec id à trunco corporis solutum delaberetur & euanesceret, corpore diu perspicuo. Astiterunt, & alij Leones, &, iuxta Apri caput, Monoceros paulatim conuersus in Draconem, aliaque plurima inusitatæ figuræ & magnitudinis animalia. Arsit &, in celsa rupe, arx, duobus cincta exercitibus, & visa est integra regio, frequētibus oppidis, arcibus, & vicis referta: Sed, mox totus tractus, in quo hæc steterant, igne correptus conflagrauit, & ruinas vastæ terræ stagnum amplissimum obruit, extantibus tantùm turribus, in eo loco, in quo antea magna illa vrbs apparuerat. Ad ripam lacus, grandis Camelus, bibenti similis constitit.

Anno tricesimo octauo, ante primam expeditionem Landgrauij, honestissimus vir Consul Schmalkaldensis, vidit no-

dit noctu quasi coràm, has spècies. In mensa, Senem inclinato capite dormientem, &, in scamno propinquo, cubantem Leonem, atque, in eodem conclaui, multitudinem virorum, longis vestibus deliberantium de Leone: contra quos tandem insurgens prioribus pedibus Leo, quasi inuasurus illos de scamno prosiliit. Illi, globo facto, opponunt se Leoni, & impetentem pugiunculis fodiunt, tandemque, superiniecta sella, concluso leoni caudã amputant: sed, non multò pòst, eluctatus ex sella, caudam recipit, vbi, cùm quasi metu Leonis, viri illi secessissent extra conclaue, Leo rediit in priorem locum, scamno insiliens. Deinde, cùm aliquoties ingressi & egressi rursus, velut deliberarent de tollendo Leone, irritatus ille, cum impetu irruit in eos: quibus vociferantibus, & metu ad dormientem senem brachia portendentibus, expergiscitur senex, & erecto capite, dextræ manus motu minitatur Leoni: quo viso, Leo retrocedit, & subinde respectans ad senem, consiliensque in scamnum, in figuram Christi stantis & concionantis vertitur, coram quo, cùm viri illi prostrati fuissent, tanquam veniam petentes & consecuti, vnà cum ceteris speciebus euanuerunt.

Anno 45. altero die post Pentecosten, in Silesia, hæ visæ sunt imagines. Duxit ab Oriente instructam aciem Vrsus, cui, ab Occasu Leo, armata manu occurrit: intra exercitum vtrumque, lucidissima micuit stella: mox congressi inter sese vtrinque, dimicarunt acriter, vt destillare ex sauciatis corporibus sanguis vbertim, & exanima concidere cæsorum viderentur cadauera. Inter præliandum, Aquila, ex præcelsa rupe, supra copias Leonis, sese librare, alarum remigio, visa est. Vbi depugnatum esset, quasi diremto certamine, Leo rursus inter suas effulsit cohortes: vrsi nulla apparuit species, sed prostrata & sparsa iacuerunt cadauera, quà alter exercitus constiterat, quibus astiterunt senes canicie spectabiles & venerandi. Finito prælio, reduxit exercitum ad Occasum Leo: quo aliquo vsque progresso, quidam albo & ornato vectus equo, à copiis rediit ad pugnæ locum, atque in eum equum, iuuenem cataphractum ibi stantem collocauit, &, versus ortum procedentem, comitatus cum ceteris speciebus euanuit.

Anno 49. quidam honesti viri Brunsuicenses, cùm no-

ctu iter facerent, Lunam viderunt circumdatam esse conspicua specie, quæ nominatur Halos, & iuxta eam duo *παρασελήνια, lunæ multiplicatæ imagines*, ipsam verò Lunam quater circumuolui: deinde iuxta *παρασελήνια, lunæ multiplicatas imagines*, igneum conspexerunt Leonem, Aquilam fodientem sibi pectus, deinde speciem illustrissimi Principis Saxoniæ Ducis Iohannis Friderici, & figuram, qualis pingitur creatio Heuæ ex costa Adæ: post hæc sedentem Deum, & blandè impositos genibus fouentem Adam & Heuam, vt parentes interdum infantes collocant in genua. His successit horribilis species, inflammatarum vrbium, & circa has Cameli figura Christi pendentis in Cruce, &, circa eam, cœtus Apostolorum. Extrema species omnium maximè terribilis fuit. Stetit vir trũculentus stricto gladio, minitans ictum puellæ, quæ ante ipsum specie supplicis lacrymans petere videbatur, flexis gẽtibus, ne feriretur. His similes & alibi visæ sunt.

Quanquam autem quæsitum omni est tempore, quæ vis talia pingat simulacra: An, cùm nunquam halitibus aer vacet, halitus illi, fortuito concursu, aut, si sparsim diuulsi feratur, ex interuallis, cohæsione aliqua, ea constituant, sed lumine cœlesti colorati, aliàs nitore fulgido, flammeo aliàs, & flagranti rubore, pro fumorum conditione: an verò intelligentes ea exprimant naturæ, & secuturorum casuum præsciæ: seu nubibus fumísve adhibitis, seu, absq; his, fulgida aliqua specie: tamen pleraque, vel à Deo ipso, vel à sanctis Angelis confici conformariq́ue existimo, qui, amore generis humani, quam ex æterno Deo coràm didicerunt, ideam & seriem euentorum, his imaginibus delineatam nobis contuendam proponunt, non vt præuideamus, quæ subterfugere aut elabi nullo modo possumus: sed vt his admoniti, & de nostris cogitemus peccatis, & magnitudinem periculorum metiamur animis, & admonitiones ac consolationes editas diuinitus redigamus in memoriam, atque inter intentata immissaq́ue etiam tela, cùm omnia lethum minabuntur, ad ipsius genua aduoluamur supplices, nec desinamus castis pectoribus, & manibus in cœlum porrectis, votis precibusq; exposcere, vt, quanquam scelera hominum malum flagitant, ipse tamen suppliciter ad se, inque sinum nos receptos tueatur, ac protegat ab omnibus capitis salutisque

Causa efficiẽs simulacrorũ in cœlis.

tisque nostræ hostibus,& impendentia mala auerruncet.

Interdum & Dæmonum præstigiis adumbrari talia,consentaneum est. Vagi & temerarij halituum cōfluxus σημαντικὸν, *præsagum aliquid, siue quod portendat quippiam*, præsertim, tam concinna specie & serie, rerumque diuinæ subditarum gubernationi, componere nequeunt, nisi,casu regi & consistere Mundum, cum Epicuro sentiamus.

Prodigiorum magna varietas,quod ego nomen illis accommodo, quæ in Elementis, præter naturam, nouata atque inusitata notantur,aut mixtis rebus. *Prodigia.*

Ex aere,sanguine,lacte,frumento,lapidibus,sulphure, igne, antiquis temporibus sæpe pluisse legimus. Nostra ætate imbres sanguineos, scintillantes inter pluendum guttas, & feruidas pluuias,frumentaceas, inusitatæ magnitudinis grandines,ceu arte figuris hominum expolitas, multæ senserunt gentes. Atratas paludes sanguine fluxisse, Terram in cruentas erupisse scaturigines, aristas guttatim sanguinem extillasse, Statuas & simulacra in templis copioso sudore diffluxisse etiam extersa & siccata, historiæ tradunt. Et his annis similia viderunt multi. *Exempla prodigiorum.*

Profluxit è terra riuus copiosi sanguinis,ad oppidum ditionis Hildesiæ Bockelheim,quod oppidum paulo post,ab eo exercitu,qui vagatus est in Saxonia,oppugnatum atque incensum, magna ex parte conflagrauit.

Non procul à Mersburgo,magna palus,certis vicibus in cruorem versa adeo rubuit, vt immersa quæuis tingeret. Manantem ex aristis cruorem Silesia vidit. Sudarunt simulachra Beruburgi,quod oppidum in Ascaniensi situm est principatu, Vetera exempla,in Iulij Obsequentis recensentur annotatis.

Variis sese specibus ostendunt Dęmones, quas spectra & φάσματα, *visa*, vocarunt, & Portenta etiam, si terribilia essent,& aspectu horrida. *Portenta.*

Horum omitto enumerationem, & accedo ad quæstionem initio propositam, an, quæ hoc modo eueniunt præter naturæ ordinem, habeant aliquam futurorum præsignificationem: an concessa sit τερατοσκοπία, id est, interpretatio ostentorum,siue portentorum coniectatio.

Fortasse, quæ in hoc genere minus exorbitant, aut minus longe à natura & specie sui generis recedunt,siquidem, *Teratoscopia an sit cōcessa.*

aut casu impedita propinquarum causarum actione, aut errore lapsa natura existunt, nihil admodum designãt, portendúntve. Minorem etiam adferunt admirationem, quorum ex natura ortum habent causæ, & intelliguntur: harum enim ignoratio ferè terrorem auget.

Quæ verò insolita prorsus sunt, ea que vel maximè, quæ ceu picturis cœlo illitis futura præfigurant, nunquam non singulares attulerunt casus: & plurimis ac concordibus, tum ab antiquitate petitis exemplis, tum assumtis ex recenti memoria, declarare possem facilimè, neq; eximium aliquid, memorabile, & magnum, extitisse, non præcurrentibus designatum indiciis: nec noua & insolentia conspecta vnquam, aut obseruata, quin attraxerint præcinuerintve, nouum aliquid & singulare, nisi cognitũ eruditis omnibus atque exploratum antè scirem.

Funestas clades, & sæua bella, perpetuo sanguinis eruptiones atque effluxus, vel pluuiæ: frugum è cœlo delapsus, annonæ caritatem apportarunt.

Et quanquam ostentorum monstrorumq; omnium explanationes nõ cuiuis sunt obuiæ: non spernamus illas tamen his innexas iræ diuinæ indicationes, & comminationes, nec pro nihilo pendamus profecta, ex immenso amore, erga genus humanum præmonita: nec cogitemus caueri & abigi non posse, quæ his denunciata prodigiis Deus molitur in genus humanũ: sed certo confidamus, eum memorẽ, & misericordiæ suæ, & editarũ promissionũ, confugientes ad ipsum, nec repulsurũ, nec destituturũ esse. sed decretũ indictũ, & impositũ iam calamitatũ iugũ, pœnitentibus, & serio inuocantibus, aut detracturũ, aut alleuaturum.

Hæc, de differentibus diuinationum generibus disputaui, bono & simplici studio, vt, quæ inter has, aut traditæ essent diuinitus, aut ex naturę veris obseruationibus extructę, eas separarem à Dæmonum præstigiis, & fuco superstitionum, quo Physicarum obseruationum veritas aspersa & oblita, nitoris nõ parum amisit: Quæ, si cui minus accurata aut exquisita, minúsue perpolita, aut non integrè explicata, nec firmata videbuntur eum, vt boni consulat, quæ, pro mea virili, in hoc genere præstiti, oro.

Θεῷ δόξα.

INDEX

DECLARATIO QVATVOR GRADVVM PRÆS[...]
DIVINATIONVM D. CASP. PEVCERI DESCRI[...]

D. PHILIPPVS MELANCHTHON præsentiam DEI in Creaturis distinguit gradibus quatuor. [...]
ptum, rude & impium hoc seculum inuexit, lucis & perspicuitatis maioris [...]
refutandis deliriis nouis, hoc modo [...]

GRADVS præsentiæ Dei in creaturis sunt duo, primi

Vnus χωριστὸς est, id est, separabilis, qui etsi Deus vbiq; est, & in omnibus essentia, tamen nec commiscet suam essentiam creatorũ substantiæ, nec fit pars illius. Et cum separabiliter tantum adsit, exserit se δυνάμει καὶ ἐνεργείᾳ, id est, virtute & effectione creata. Ideoq; actionibus etiam & effectis tantũ cognoscitur ac discernitur. Isto gradu præsentiæ liberrime adest creaturis omnibus, agens atq; efficiens in singulis, quæ & quanta vult. Geminus est autem

Vnus est ordinatus περιγραμμένος gradus & perpetuus, quo agit Deus secundum ordinem à se vel conditum in creatione, vel patefactum verbo & cum ordinatis causis. Hic geminus rursus est

[Hæc distinctio non constituit nouos gradus præsentiæ, sed in præsentia separabili, modum efficaciæ & actionum distinguit, definit, & explicat, qui est aut mediatus in virib. & actionibus creatis rerum, ac per eas: aut immediatus & Dei solius extra creatum ordinem & sine viriũ creatarũ organo ac ministerio etiam quando cum his fit, vt in miraculis.]

Vnus φυσικὸς ἢ καθολικὸς est, id est, generalis seu vniuersalis, quo gradu præsentiæ Deus adest vniuersis à se creatis, & efficax est in eis secundum ordinem à se institutũ suo loco in singulis & ordine & secundum naturas & vires singulis distinctim attributas & insitas.

Vel physicis inanimatis, aut animatis, sed brutis ad vitam physicam & animalem pertinentibus. [...]

Vel ratione præditis, vt generi hum[...] sciplinam, ad politias & œconom[...] etiam, quibus liberrimè Deus in[...] neris humani in diluuio. Statuit [...]

Alter εἰδικὸς est, id est, specialis & singularis, qui pertinet tantum ad electos, sanctos, & beatos Angelos & homines. Ad homines autem sanctos & in hac vita & in vita futura, æterna, in virtute donis & actionibus spiritualib. Deo placentibus secundũ ordinem verbo diuino institutum ac præscriptum, hic gradus præsentiæ duplex est, rursus

Vnus αὐτοπτικὸς, id est, intuitiuus, qui e[...] vita æterna, & implet eos sua luce & [...] es gradus [...] Philippi.

Alter est proprius Ecclesiæ in hac vita, q[...] mno, & cœtus etiam est visibilis, sic[...] alius ab hac & diuersus, vt qui prædica[...] spiritus per filiũ Dei excerpitur & segre[...] spiritu coagmentatur in corpus vnum [...] Dei, id regeneratum atq; instauratum [...] a spiritus sancti ad vitam nouam, æte[...] gnam, Deo placentem, ad imaginem co[...] stitia & sanctitate vera, quæ lõge alia e[...] natura: & incoatur in hac corrupta n[...] conformes erimus corpori glorioso Ch[...] similes. Incoatur aũt non aliter, quà[...] sui ipsius communicatione in regener[...] causas & media ordinata. Hic grad[...] [...]κὸς, à ministerio verbi & sacramen[...] o enim & sacramentis Deus eo modo & [...] uit apprehendendus fide, habitat in cor[...] & spiritualis & pactionalis, quia donu[...] nouam & singularem virtutem spiritu[...] præsentia ordinata non in creatione, nec [...] in patefacto verbo: & quanquam allig[...] orum externo, certo ac destinato: virt[...] substantia mutãtur, nec viribus natura[...] tuti diuini singularis scilicet verbi ac pr[...] det ac Spiritus S. Deniq; liberrima est [...] spiritualia distribuentis liberrima volu[...] municantis promissa bona æterna, & sei[...] bus accipientibus fide Vnde hæc præsen[...] tota Trinitas, & efficax est eoordine & [...] docetur, & Filius verus Deus & verus [...] naturam, sed secundũ vtriusq; proprieta[...] tas & proprietates suas, sed in spiritu su[...] rente, copulante & vniente vero & vi[...] tuali: quia in hoc gradu præsentia & ord[...] in vsu mediorum externo, qui tamen si[...] fide intuente nullus est & nihil prodest. [...] lippi.

Alter est θαυμασιώδης miraculosus, id est, nouus & extraordinarius, quo Deus vt liberum agens in vtroq; ordi[...] nerali & speciali facit liberrime quæ vult præter & contra ordinem

Alter gradus præsentiæ est ἀχώριστος, ἀδιάλυτος, ἀδιάστατος, proprius vnioni hypostaticæ duarum naturarum in Christi persona, in qua natura human[...] gestatur, vt ὕπαρξιν in ea habeat, & nisi hoc modo sustentaretur aut non esset aut esset ὑφιστάμενον per se subsistens. Nec quod ὁ λόγος semel assumsi[...] & beatis hominibus etsi non discedit Deus; tamen non adest eis vnione hypostatica, sed societate tantum, & humana natura in beatis est αὐθυπό[...]

Omnia congruunt cum Melanchthoniis, tantum inserta est distinctio ordinarii & extraordinarii, vt figu[...]
Præsentia enim in ministerio tota vna est & eadem, illaq; non est[...]

...ÆSENTIÆ DEI IN CREATVRIS, EX LIBRO
...SCRIPTA, ET IN TABELLAM REDACTA.

...atuor. Et nemo illo melius nec rectius. Confusiones nouæ & tetræ, quas superbum, corru-
...maioris caussa coegerunt nos accuratius & ordine accommodatiore,
...oc modo distinguere.

...ut a- / ...tam / ...erti- } Tam *æthereis,* quam *elemen-taribus.* } Hæc *præsentia caussas habet in creatione ordinatas in rerum natura, quas secundas vocamus, prima caussa Deo scilicet ὑποπτευγμένας, quibus Deus vtitur liberrime, sicut vult, incendens illas & incitans vel inhibens contra & reprimens. Cumq; hominis caussa condita sint omnia, seruiũt illa & vsui sint vitæ præsenti, naturali physicæ à physicis rationali, λογικῇ vero organis & facultatibus huic accommodatis & necessariis, eoq; communes sunt omnibus in genere humano.* Hic est primus gradus Dn. PHILIPPI.

...neri humano ad vitam etiam rationalem, moralem & ciuilem, & ad societatem generis humani pertinentibus ad artes, scientias, doctrinas, leges, di-
... œconomias, imperia, regna, respub. iudicia, comercia. Et nihil errauerimus, si hunc gradum præsenia dicemus cum creaturis communem esse Diabolis
...ê Deus imperat, conseruans eos, sicut conseruat alias creaturas donec vult, cum destruere posset, sicut destruxit Pharaonem & maximam partem ge-
... Statuit & metas imperio ac potestati Diabolorum & impiorum hominum.

...ius, qui est beatorum angelorum perpetuo, & erit beatorum hominum post hanc vitam, quorum non tantum conseruat vitam, sed etiam viuificat eos
...a luce & iustitia, & visibiliter atq; immediate conspicitur ab eis, & quanquam non discedit ab eis tamen tantum adest eis societate. Hic est secun-

...c vita, quæ colligitur tantũ ex genere hu-
...bilis, sicut ipsa societas humana, sed longe
...i prædicatione verbi patefacti, ac virtute
...r & segregatur ex humano genere, & vno
...s vnum mysticum, cuius caput est Filius
...auratum virtute verbi, sacramentorum
...uam, æternam, spiritualem, legi Dei con-
...ginem conditoris in vera agnitione, in iu-
...õge alia est ab hac vita animali & ciuili
...orrupta natura, complebitur in altera, v-
...orioso Christi, corporibus resuscitatis Chri
...liter, quàm applicatione beneficiorũ Chri
...n regeneratione & conuersione ad Deum
... Hic gradus præsentiæ est & recte vocatur
...acramentorum quod est μυστήριον. In ver-
...o modo & ordine, quo expresso verbo insti
...tat in cordibus credentium. Vocatur rectè
...uia donum est gratiæ diuinæ singulare per
...m spiritus ex pacto & promissione. Est aũt
...tione, nec per vires rerum creatarum, sed
...am alligata est ad media externa in vsu
...to: virtus tamẽ non est mediorũ, qui nec
...us naturæ insitis, sed ordinis est, atq; insti-
...erbi ac promissionis, à quib. institutio pen-
...rima est præsentia totius Trinitatis bona
...ma voluntate, quæ vult mensura, & com
...na, & seipsam fide inhabitandũ in omni-
...ac præsentia est scripturæ ἐνοίκησις. Adest
...ordine & discrimine, qui verbo patefacto
... & verus Homo adest secundum vtramq;
...proprietates, humana manente in imme-
...spiritu suo efficaci in nobis, & nos sumus inse-
...ero & viuo coalitu, non physico, sed spiri
...tia & ordine physica locũ non habet, nisi
...tamen sine vsu interno spirituali, verbum
...prodest. Hic est tertius gradus Dn. Phi-

Ad *hunc gradum præsentia pro ritibus & sacramentis Veteris Testamenti, quæ venturum Messiã monstrabant, instituta sunt à Christo in Nouo Testamento, tanquam iam exhibiti pignora καὶ σφραγίδες*

Ministerium verbi *patefacti*

Generatim, *vt sit concio perpetua vniuersis de caussis, modo ac mediis reparationis ac instaurationis generis humani palam in orbe terrarum, vt arguat peccata totius generis humani, vt vocet omnes ad pœnitentiam, annuntiet remissionem peccatorum, iustitiã & vitam æternam. Hac fit initium regenerationis & conuersionis in iis, qui audiunt, assentiuntur & fide aprehendunt: quæ regeneratio & conuersio non est momentanea, nec ê definiti temporis, sed in saluãdis perpetua in motu & lucta perpetuo & studio, exercitiis ac lucta crescit.*

Speciatim, *vt sit sanctis*

Alimonia *perpetua cuilibet ætati accommodata ad exordia, incrementa, & profectus vitæ spiritualis doctrina captui cuiusq; conueniente.*

Medicina *perpetua corruptæ naturæ lapsuum & peccatorum, reuocans & conutens ad Deum per doctrinam pœnitentiæ salutaris, ac sanans vulnera viua consolatione Spiritus sancti, & virtute viua in suo conatu tamen ac lucta, cuius medicina fit initium à principio regenerationis ac conuersionis, duratque perpetuo, quia manente ac repullulante radice peccati, semper labimur, alii mas alii minus. Semper ergo medicina nobis opus est, quæ reatum tollit, non exstirpat radicem, sed affert auxilia Spiritus sancti illici repugnans.*

Sacramenta

Baptismus, *vt sit lauacrum regenerationis, ac sigillum perpetuũ promissionis, ac beneficiorum Christi & insertionis in Ecclesiam, seu vnionis cum Christo, & in paruulis initium regenerationis.*

Cœna Domini, *vt robustior alimonia animæ pro adultis, pascens animam vberius alit, confirmãs certitudinẽ fidei de beneficiis Christi obsignans præsentiam Dei in nobis, & vnionẽ mysticam Christi corpore,*

Physico, *quo efficimur os ex osse, caro de carne ipsius, sicut à natiuitate ipse fuit os ex ossibus nostris, & caro de carne nostra, sed sine peccato, & gestamur in ipsius corpore virtute spiritus.*

Mystico, *quo efficimur per eundẽ spiritum corpus vnum Christi, cuius ipse caput est & membra singuli alter alterius.*

...troq; ordinato præsentiæ & caussarum gradu ge-
Seu *conditum in natura.*
Seu *patefactum in verbo, vt in vocatione & missione Prophetarum & Apostolorum. Item Pauli Apostoli quæ singularis est.*

...a humana assumta ὑπὸ τοῦ λόγου, qui est in diuina sua natura ὑφιστάμενον per se subsistens, in vnitatem personæ, sic in assumente subsistit, sustentatur ac
...el assumsit deponit vnquam. Reliqui gradus omnes sunt separabiles, quod de omnibus gradibus præsentiæ in creaturis manifestum est. A sanctis Angelis
...st αὐθυπόστατος καὶ ἰδιοσύστατος. Nec est ἐνυπόστατον Deo inhabitanti in persona τοῦ λόγου. Hic est quartus gradus Dn. Philippi.

...ii, vt figmentum miraculosæ præsentiæ in Cœna sacra reuellatur & excludatur ab ordinatis.
..., non est noua, miraculosa, sed ordinata & perpetua.

INDEX RERVM ET VERBORVM IN HOC LIbro memorabilium.

ABVSVM Astrologiæ, non artẽ ipsam damnãdam 689
Accipitrum omina 382
Accidentia corporum 535
in Accidentibus corporis quę consideranda 535,536
Achitopheli consilium à Deo confusum 28
Achæi 349
Ἄχρηστα ἀφελτιλόμενα 501,514
Actionum diuinarum discrimen 105
Actionum liberarũ discrimen 106,304
Actiones Cerebri 435
Actionum Cerebri causa ibid.
Actiones propriæ Cerebri duplices 431
Actiones humani corporis 479
Actionum læsiones tripliciter fieri 484
Adamas 638
Adamantius Sophista 605
Adonai 346
Adonis 351
Ἀδράστεια 113
Adrastia animabus pollutis index constituta 294
Adriani Imperatoris somniũ 427
Ægypti oracula 237,242
Ægyptios religionẽ in superstitiones transformasse 265
Ægyptij superstitiosi ibid.
Ægyptus incãtationibus dedita 323
Ægyptiorum sacrificia 356
Æmilia virgo Vestalis 318
P. Æmilio fulmine regni amissionem denunciatã 380
Æpytidarum familia 15
Aer plenus halituum 42
Aere corpuscula recens edita ambiente insigniter mutari 44
Aeris attracti partem rapi in Cerebrum 91
Aere variè affici corpora 537
Aer receptaculum vaporũ 574
Ætherei luminis vis & efficacia 622,623,624
Aeromantia 302
Ἀεροσκοπία 640
Æruginosa bilis 522
Æsculapij fanum 239,456
Ætnæ montis incendium 246
Ætherea corpora ἐνεργείᾳ διαφανῆ 559
Afflati 259
Affectiones παρὰ φύσιν 467
Agamemnon 371
Agones 358
Agrippæ exitus 75
Agrippę à bubone regnũ promissum 385
Αἱμάτωσις quæ in venis fit 507

Αἱμαγπώσιας excrementa ibid.
Ἀκλινοβολία 705
Albertus Marchio Brãdeburgensis cognomento Achilles 709
Alcairum Memphis 323
Ἀλεκτρυομαντεία 322
Alexandrum Asia potiturum Diabolus præuidit 25
Alexandro exitum corui portendunt 383
Alexandri Magni somnium 460
ἀλλοίωσις humorum 517
ἀλεξιφάρμακα resistunt deleteriis 542
ἀλεξητήρια resistunt veneno ibid.
in Alexeteriis & alexipharmacis virium diuersitas 548
Aborigines 350
Alphabeti distributio Arithmetica 411
Amphiarai oraculum 229, 238
Amphiarai delubrum 238
Amphictyones oraculũ sciscitantur de Alexandro 351
Amuletum 262
Amulgea 7[illegible]3
Amygdalæ in faucibus cur dicantur spongiæ 503
Anastasius à febrientibus inuocatus 47
ἀνάγκη 80
Anagrammatismus 418
Anagrammatismi exempla Gallica ibid.
ἀναμνηστικὰ signa Medicorum 473
ἀναθυμιάσεων in corpore humano discrimina 499
ἀναθυμίασις 575
ἀναθυμιάσεων species ibid.
ἀνακεφαλαίωσις artium Diabolicarum 463
Anates serpentibus, aliisq; venenatis tutò vescuntur 546
Anæretæ horaria tempora quomodo inquirat Ptolemæus 706
Andalusia 33
ἄνδηρον 609
Androgyni 731 (28
Angeli tuentur nos à Diabolis
Angelus Domini interficit Assyrios ib.
Angelus à Iosuah conspectus ibid.
Angelus Danieli narrat, se dimicasse cũ principe Persarum 29
Angeli 289, 311
Angeli boni 124
Angeli mali 125
Angeli dimicant contra malos spiritus 290
Angelorum lapsus 312
Anima rationalis in homine vtitur ministerio sensuũ 88
Animæ nõ egrediuntur corporib. in ἐκστάσει 275, 276, 283
Anima in corpore vtitur ministerio Cerebri & Spirituum 275
de Animabus defunctorũ opinio apud Ethnicos 292
Animæ semel à corporib. morte separatæ non redeũt 291

Anima-

Animarũ circumuagantium opinio vnde nata 309
Animarum cõditio post mortem 294
Animarũ locus post mortẽ 310
Animarum libera concitatio an sit 458
Animales actiones in corpore 479
Animę definitio iuxta Aristotelem 494
Animantia mutationes temporum præsentiscunt 616
Animantia quædã certis temporibus occultantur 617
Anna parturientibus opem ferre credita 47
Annulus Gygis 300
Anni conuersionum obseruationes 708
Annuę cœli cõstitutiones 710
Anomalia pulsuum 481
Anseres tempestatẽ nunciantes 618
Anthraces 58
Antiochenum oraculum 235
Antiochenum idolum Christianos expellit ibid.
Antrum Charonium 239
Antrum Trophonium 240
Ἀνθρωπομαντεία 371
Antonio hirundines cladem portendunt 382
Antiatina sors 404
Antonij Musæ somnium 424, 454 (427
Antonini Caracallæ somniũ
Antonini Philosophi somni. (ibid.
ἀνισοταχεῖς pulsus 483
ἀντιπάθης 503
ἀντιφάρμακα 541, 542, 543
Antipathiarũ & Sympathiarum natura impeructstigabilis 572, 615
Antipathiarũ & Sympathiarum exempla 615, 616
Antidota 542
Antidotorum duo genera 547
ἀφρῶδες phlegma 528
ἄφεσις 704
ἀφετικοὶ τόποι ibid.
ἀφέτης Planeta ibid.
ἄφεσις duplex secundum Ptolemæum 705
Aphetæ horaria tẽpora quomodo inquirat Ptolemæus 705
ἀφέσεων Ptolemaicarum Methodus 706
ἀπιστία 2
Apis Ægyptiorum 242, 368
Apia 349
Apostolorũ & Prophetarum discrimen 11
Apollonia à dolore dentium vexatis culta 48
Apollo Pythius 234
Apollo Dyndymęus ibid. eius oraculum Seleuco redditum ibid.
ἀπομάκται vel ἀπομάκτραι 321
ἀποτελέσματα Astrologi 405
Apoplexia 85 (468
Apoplexiæ causa materialis
Apoplexia quomodo cõmoueatur 469
Appetitu naturali sæpe vinci actiones mentis & volun-

-tatis 103
Appetitus triplex 107,442
Appetitionum series & organa 442
Appellationes numinũ Ethnicorum à Patribus acceptæ 345
Appellationes domiciliorum cœli 701
Aprili mense flatus & pluuias gigni 48
Apum auguria 384
Apum examina infausti ominis 386
Aqua cribro hausta 316
Aqua lustralis Põtificiorũ 355
Aqua materia Cœli 558
Aquæ consideratio, qua in victu vtimur 537
Aqua præcipua nutrimenti solidioris portio 641
Aquea meteora 582 eorum species ibid.
Aquila in verticem Alexandri ex alto se librans 25
Aquilarum auguria 381
Arati prognosticon 20
Ara Delij Apollinis ex cornibus 238
Ara Apollinis Spodij ex cineribus ibid.
Arca Nohæ 223
Arcades 349
Ardali ara apud Trœzenios 239
Ardea tristis 618
Areopagitæ 396
Argos 235
Argo 349
Argiui ibid.
Argonautæ ibid.
Argumenta contra Astrologiam, & eorundem refutatio 676,691
Arij interitus 76
Aristodemus ex Æpytidarum familia filiam dissecans, & ad tumulum eius semetipsum iugulans 15
Aristophanis locus 374
Aristotelis error de mente 92
Aristotelis sentẽtia de diuinatione 255 de prodigiis 721
Aristotelis error de æternitate Mundi 557
Aristotelis verba de principiis 556,557
Aristotelis de cœlo sentẽtia 559
Aristotelicæ sentẽtię de Mundo refutatio 562 sententiæ de prodigiis refutatio 722
Aristotelis distinctio inter Non existens per se, & Non existens per accidens 563
Aristotelis locus de assuefactione 99 Platonem interpretans de rerum periodis 412 de ventis solstitialibus & æquinoctialibus 400, 401 de signis Physiognomonicis 602, 604 de sensu 675 de doctrina Astrologica 694
Aries geminata habens intestina 729
ἀελθμαντεία 410
Arithmantiæ vanitas 411
ex Armeniæ angulo primæ gentes

gentes post diluuium propagatæ 224
Armenta fascino læsa 319
ἄῤῥυθμος pulsus 482
Ars naturæ imitatrix non gignit nouas substantias 327
Artificum errata non sunt artibus imputanda 78, 690
ὀρθείπνδος futuræ signa 20
Aruspicinæ autor quis 374
Aruspicinæ appellationes ib.
Asam 339
Ascanes 224
Ascanij etymologia 365
Asiaticæ gentes posteritas Chami 222
Aspasiæ Phocēsis somniū 426
Asterismi quot numerentur 698, 699
ἀστραγαλισμὸς 400
Astragali latera 401
Astra corporis & cordis κρᾶσιν formant 97
Astrorum vis in naturam elementarem 333
Astra non agunt cum delectu ibid.
Astrologicę prędictiones 642
Astronomia quid & qualis 643
Astronomica scientia pro certa semper habita 643
de Astrologia diuersæ sententiæ 644
Astrologia vera primis parētibus fuit nota 645
Astrologica doctrina quando corrupta sit 646
ex Astris prognostica rectè sumi demonstratur 646
Astrologica studia à quibus oppugnentur 673, 674
Astrologia quales habeat demonstrationes 675, 682
Astrorum significata possunt mutari 682
Astrologiæ definitio 693
Astrologia pars Physiologiæ 693
Astrologia Chaldæorum 694
ad Astrologiam quæ requirantur 698, 699
Astyagis somnium 454
ἀταξία in natura vnde 568
ἀθηνᾶς etymologia 346
Athenarum Respub. quousque durârit 32
Athenæ 54
Athenienses Idolum effigie Draconis coluerunt 346
Athenienses tribus pessimis rebus cultus diuinos exhibuerunt 346
Athenienses sorte eligunt iudices 396
Attingani 322
ἀτμίδες in corpore humano
ἀτμὶς 575 (499
ἀτμὶς & ἀναθυμίασις secūdum Aristotelem quid 575, 576
ἀτμίδων differentiæ 577
ἀτμίδες materia τῶν φασμάτων ibid.
Atra bilis 522
Atrocia delicta comitātur atroces pœnæ 52
Aues oscines 381
Aues præpetes ibid.
Auguria vana 22

Auguriorum quinq; genera
Augurium 374 (376
Augurum munus 377
Auguratus nulli ademtus 377
Augurum collegium Fesulis ibid.
Augurum dignitas ibid.
Auguriorum discrimina 378
Auguria oblatiua ibid.
Auguria impetratiua ibid.
Augurum ritus in captandis auguriis ibid.
Augurum habitus 379
Auguria ex tonitruis ibid.
Auguria ex auibus sumta 381
Auguriorum fides apud Romanos 385,386,388
Auguriorum origo 391,392
Auguria quæ non cōtemnenda 393
Auguriorum refutatio 392
Auguria diuinitus prohibita 395
Auguria ab Ethnicis saniori-bus contemta ibid.
Augustanæ cuiusdam mulieris monstrosi partus 782
Augustus voce ominosa monitus 391
Autor mysterij iniquitatis est Pontifex Romanus 208
ἀξινομαντεία 321
αὐτόματον 80, 81.332
Babylonicus rex in furorem actus 29
Baptismus 169
Bura Achaiæ oppidum 403
Bassianus Caracalla 337
Bassiano Caracallæ spectrum pœnas prædicens 397
Basla 267
Basilij argumenta contra vim astrorum 685
Bellerbeij 267
Bessi antistites Bacchi in Thracia 242
Bidental 381
Biliosorum somnia 451 (505
Bilis flauę & rubræ generatio
Bilis flauæ corruptæ species
Bilis viridis 527,528 (518,519
Bilem trahentia 637
Bononiēsis puellæ historia 14
Bonorum discrimina 66
Bonorum calamitatē non esse perpetuam 110
Bos loquens mali ominis 386
Βολανομαντεία 419
Βόθυνοι 578
Βύλησις 423,442
Boues cœlū olfactantes tempestatem nunciare 618
Branchidarū oraculū 229,234
Brennus dux Gallorum 42
Brutus apum examine monitus, vt Castra mutaret 384
Bruti somnium 430,456
Bubones pestilentes 58
Bubonis augurium 383
Budissinæ vrbis situs 588
Buteones 382
Byzantij etymon 350
C. Octauij matris somniū
Cabala 363 (428
Cabalistarum impium commentum 323 (411
Cabala Iudæorum recētium
Cabalisticæ artis pulchrum exemplum 417

Cachin-

Cachinnus Satyricus 42
Cadauer inhumatum 310
Cadmus 352
Cæciam nubes attrahere 48
Cæſare immolante ante obitũ cor victimæ defuiſſe 363
Calor febrilis pro ratione ſubiecti varius 84
Calil. 338
Calchantis augurium ex paſſerum numero 384
Calchantis vaticinium 15
Calculi cauſa materialis 530
Calculi vbi naſcantur 468
Calor natiuus 494 alimentum non σύμμικτος 497
Caloris actiones in corpore 500
Caloris natiui fomentum 496
languefacti indicium 526
Caliginoſi cœli cauſæ 583
Cambyſes oraculum de vitæ exitu conſulens 237
Cambyſis ſomnium 461
Cambium 511
Canes in Delo alere non licuiſſe 237
Candaules 300
Caniculæ exortus 580
Canicula ſid' carbũculare 655
Cancer morbus 21
Capena porta 354, 386
Capillitium Veſtaliũ in Loto arbore conſeruatum 367
Capitis figuræ 436
Caracallæ facinus 236 ſomnium 427
Cardinalium ſenatus 268
Cardines cœli 700
Cardonæ ducatus 55
Carthaginis etymon 350
Carthaginenſes hoſtias humanas immolantes 371
Caſpar Buchamus Medicus & Philoſophus eximius 551
Catharctica & Antipharmaca media inter corpus & malignitatem 542, 543
Catharctica quomodo, & qua vi agant, explicatu difficile eſt 549
Catoptromantia 300
Catuli ſomnium de Auguſto 428
Cauſa actionum Cerebri 436
Cauſæ materialis & propinquæ vis 84
Cauſæ gubernatrices rerum humanarum iuxta Platonem 109
Cauſæ incertitudinis prædictionum Phyſicarum 71
Cauſæ ἀσειτημάτων præter naturam 529
Cauſæ vniuerſales particularibus validiores 72, 682, 692
Cauſam primam tripliciter agere in ſecundas 68 eius cum ſecundis connexionẽ non eſſe neceſſariam 69
Cauſarum cœleſtium & naturalium certitudinem pendere ex voluntate Conditoris 74
Cauſarum cœleſtium in agẽdo ſumma certitudo 81
Cauſarum diſcrimina 67 Cœleſtium diſtinctio 682 Phy-

ſicarum 683. Primæ & ſecundarum 724
Cauſarum ſecundarum effectus contingentes 70 earum quatuor genera 79,80 confuſio vnde nata 725
Centrum Mundi terra 574
Cerinthi interitus 76
Cerebrum fons animalium actionum 484 quomodo rerum imagines excipiat 92, 95.
Cerebri actiones 90 δυνάμεις duplices 432 laſſitudo vnde oriatur 435 motus duplex 434 natura ex ſeminibus & aſtris 90,107 ſinus 433 temperamentum, locorum natura, & victus ratione mutari 90, 91
Cethim Macedonia 26
Chalybes ab Alybes dicti 224
Chaldæorum religio 264
Commenta de Aſtrologia 694
Chaldęos omnia adminiſtraſſe ex præſcripto Aſtrologicarum prædictionum 695
χαλκοῦς nomen monetæ Pharenſis 242
Chami etymologia 227
Chami, poſteritatem Meridiem & Occaſum occupaſſe 224
Characterum vanitas 329
Chariſmatum diuinorum differentiæ 304
Chymicorum præſtigiæ 147
χελιδονίας 580
χειρομαντεία χειροσκοπικὸν 574
600, 606 ſigna 611 ſubiectum 606
Chiromantiæ fundamentum 613 in Chiromantia multum valere experientiam 614
Chiromantiam inter phyſicas diuinationes referendam 614, 615
χλωρίων 617
χρησμὸς κίβδηλος 26
à Chriſtianis templum Delphicum ſpoliatum 232
Chriſtiani extorres acti mandato Idoli Antiocheni 235
χρηματισμὸς 421, 422
χρήσιμα ἀδιεκπλώματα 501, 514, 515
Chriſti caro cur viuifica 163
Chriſti beneficiorum applicatio, in regeneratione & conuerſione, non fit homine habente ſe purè paſſiuè 180 181
Chriſtus ſuo in carnem aduentu politiam Iudaicam ſuſtulit 296
Humana Chriſti natura in ſe ac per ſe non eſt omnipotens, quia eſt natura creata finita 137
In perſona Chriſti, ex vnione hypoſtatica, vtraq; natura agit, quod ſuum eſt. Ibid.
Chriſti corpus nõ eſt circumſcriptum ſimul & incircumſcriptum actu 140
Chriſtus post reſurrectionem veritatem ſui corporis non depo-

deposuit 136
Chrysostomus contra Astrologicas prædictiones 686
Chyli partes dissimiles 503
χύλωσις 501
χυλὸς fieri in prima coctione 501
Chylus in ventriculo quomodo corrumpatur 520
χύμωσις 504
χυμὸς fieri in secunda coctione 504
χυμοὶ quomodo corrumpantur 521
Ciceroni exitium portendisse coruos 383
Ciceronis somnium de Augusto 428
Ciceronis locus ex Platone 452
Ciconiarum omina 382
Cicindelæ 617
Cicuta 636
Cilices à Tharsis filio Iauan 223
Cimbri à Gomer 223
Circes veneficia 315,316
Circumcisio Sacramenti loco, addita promissioni 344
Claudiani versus de somniis 451
Cleonice virgo Byzantina à Pausania interfecta 296
Clodoueus Christianus Rex Franciæ 34
Coclitis Chiromantis dictum 77 eiusdem præstantia in Chiromantia 614
in Coctione quauis plures & distinctos gigni humores 498
Coctiones in corpore 480, 496 earum vsus 495,496,
Coctionis indicia ex sputo 476
Coctionis signa ad ἐπιφαινόμενα esse referenda 475
Coctionis tertię περίττωμα duplex 511
in Coctionibus quæ consideranda veniant 497
Coctionum effectus diuersi 500
recrementa 501,509,511
Codri posteritas 32
Cœlestia corpora non obnoxia mutationibus 70,569 eadem variè afficere naturam elementarem 81
Cœlum crassum ingenia gignere hebetiora 91
Cœlum in duodecim spacia ab Hetruscis diuisum 379 in sedecim partes à Thuscis 381
Cœlestes causas certius agere quàm propinquas 680
Cœlestes causas in elementaria agere ordinatè 539
Cœli constitutiones annuæ 710 diurnæ 711 momentaneæ 711 his diuersimodè corpora nostra affici 696
Cœli definitio 566 distinctio in constituendo Themate 716 domicilia & quadrantes 701
Cœnæ domini definitio 171

Cogitationum formatio 445
Cognitio Astrologiæ quæ requirat 698
Cognitio pulsuum difficilis 481
Colorem in corpore, humorũ dominio respondere 536
Colores in aere, & eorum origo 578
Colores informes in aere sæpe verti in φάσματι 579
Colores in quibus corporibus appareant ibid.
Colorum figuratorum differentiæ ibid.
Colorum præsagia ibid.
Colorem sequi motum lucis tanquam formæ 631
Columbæ augurium 382
Columbus Genuensis 650
Columna μετέωρον aqueũ 583
Columbæ lapideæ à posteris Nohæ collocatæ 264
Comethon in Dianæ templo stuprata 15
Cometarum prognostica de statu aeris 20 significata de calamitatibus 21, 22 origo 590 formæ diuersæ ibi. effectus 591 eorundẽ conspectorum exempla 593, 594
de Cometis vera sententia 591
Cometas plerunque Planetarum infaustos aspectus præcedere 592 eosdem inter stellas numeratos 591 semper aliquid portendere 593
Comitia Curiata 377
Compressiuus dolor 488
Configurationes stellarum hodie non eædem, quæ olim 676
Coniectandi solertia Medico necessaria 77
Coniectationes ex Themate natalicio 718
Conscientia 112
Constantino Imperatori spectrum oblatum 289
Consecrationum Pontificiarum origo 308
Consecratio Pontificia similis incantationi 320 eiusdẽ refutatio ibid.
Constitutio corporum 478, 479
Consideratio excremẽtorum 531
Considerationem materiæ niti coniecturis 681
Contenta excrementorum duplicia 533
Contenta excrementorum κατὰ φύσιν ibidem
Contenta excrementorum παρὰ φύσιν 534
Contingentiæ fontes 70
Contingentiam impedire certitudinem prædictionum Physicarum 68
Contumacia resistentium Spiritui sancto 188
Cor voluntati iunctum 96
Cordis κρᾶσιν formari ab astris 97
Cordis vim efferam atque indomitam ab astris inditam,

tam, consuetudine confirmari ibid.
Cordis & Cerebri Sympathia 98
Cordis motus 439 cum Cerebri phantasiis respondere ibid.
Cordis consideratio in Extispicina 363
Corpora solida, animata, & inanimata, ex humorũ mutatione in corporib. nata 530
Corpora prima naturæ ex principiis 557
Corpora mundi pellucida & opaca 558
Corporis humani actiones 479
Corporis accidentia 535
Corporum pellucidorum materia 558 discrimen ibid.
Corporum cœlestium & elementarium motus 559
Corporum cœlestium definitio 567
Corporum cœlestiũ finis ibi.
in Corporibus cœlestibus obseruanda 642
Corporum cœlestium doctrina duplex ibid.
Corporum humanorũ compagi lineas in manibus respondere 612
in Corpore humano tria genera morborũ 538, 550, 552
Corporum inferiorum calor ex luce cœlesti 565
Coruorum auguria 383
Corui ciuile bellum portendentes ibid.
Coruos tempestatem quandoque nunciare 618
Corus vel Caurus 579 quando spiret 581
Coruscationes quando fiant 583
Crœsus ambiguo oraculo deceptus 26
Crœso colubros mutationem regni portendisse 387
Crapularum noxa 452
Crassi castra fulmine icta 380
Crasso voce ominosa interitus denunciatus 391
Crateres in Sicilia ad quos periuria explorabãtur 246
Creatio solius Dei opus 332
Creationis ordo in Genesi 564
Creata à Deo lumine cœlesti foueri 539
Creatum omne mutabile & finitum 123
Creaturarum discrimen ex materia 724
Crises 73
Critica signa 476, 477
ex Criticis signis iudicia ibid.
Criticorum dierum ratio ex motu Lunæ 656
Cruditatis signa 477
Crystallomantia 360
Culter sacrificiorum 358
Cultrarij ibid.
Curiones 351
Curius fons Lyciæ 370
Cursus solaris per zodiacum 653
Cyrus somnio confirmatus 454.

D.

Dactylomantia 360
Dæmonum potentia & astutia 23
Dæmones ex Prophetarum prædictionibus multa prænoscere 25
Dæmonum varia artificia 41
Dæmonum potentia præcipua in aere 42
Dæmonum responsa cur ambigua 44,50
Dæmonum sagacitas in consideratione cœlestium corporum 44
Dæmones fata singulorum hominum quomodo explorent 44
Dæmon muris figura, sub cute obsessæ puellæ discurrens 258
Dæmonum cultus 342
Δαιμονιόληπτοι 258
Dai, Dacæ, Dani 224
Damascus 223
Dario accipitres regnum Persicum promittentes 382
Dario hirundines interitum portendentes 382
Darius ambiguis somniis deceptus 26 somnio persuasus ad prælium cum Alexandro committẽdum 461
Decius se pro patria deuouens 457
Definitio animæ secundum Aristotelem 494
Deleteria 542
Delphici templi opes 4
Delphicum templum à Phocensibus spoliatum 4
Delphicum oraculum postulasse hominũ immolationes. lege Oraculum Delphicum.
Delphicus Dæmon φιλιππίζων 221
Delphicum templum 230
Delphicum tẽplum locupletissimum 231 quinquies destructum ibid. à Christianis direptum 232
Delphici templi postrema euersio ibid.
Delphini quid portendant 617
Deli appellatio 237
Deliæ sortes ibid.
Delus à cæde & cadaueribus immunis ibid.
in Delo ne nasceretur aut moreretur quisquam legibus Atticis cautum 238
Demonstrationes Physicarum prędictionum pauciores 18,19
Demetrii satelles in antro Trophonio interfectus 241
Democritus pharmacia vsus 320
Demonstrationum fontes 674
Demonstrationes in Astrologia quales 675,681
Deorum multitudo vnde nata 341
Desiderium prospiciendi futura pœna primi lapsus 1

Descri-

Deſcriptio Dei 118, 119
Deſcriptio Dei quoad interna & externa 121
Determinationem Dei differre 61
Deucalion 222
Deum metas ponere Diabolis, ne infinitam exerceant tyrannidem 28, 43
Deum cuſtodire etiam impia regna 29
Deum non eſſe autorem peccati 61, 62
Deus agens liberrimum 69
Deum etiam poſt lapſum naturæ Dominum eſſe 129
Deus Pater in miniſterio Eccleſiæ quomodo adſit 160
Deus per verbum & Sacramẽta quomodo fit efficax 166
Deus quo conſilio permiſerit, regnum Pontificium inuadere Eccleſiam 213
Deus rerum humanarum cõditor & gubernator 109
Deum diſſimiliter res humanas gubernare 110
Deus vnus eſt eſſentia: Trinus in Perſonis 119
Deus cauſa eſt omnis boni in natura ibid.
Dei proprietates ſunt ipſa Dei eſſentia 137
Deus non eſt alligatus ad cauſas ſecundas 137
Deus tutelaris vrbis Romanę occultatus 296
Deus ſingulis rebus in Creatione certas vires indidit 326
Deus agit per cauſas ſecundas 707
Diabolus autor Idololatriæ & ſuperſtitioſarum diuinationum 3
Diaboli odium erga genus humanum vnde 4
Diaboli conatus 5, 11
Diabolum non poſſe reſuſcitare mortuos, aut condere res nouas 13
Diabolum idola viuis ſimilia oculis offundere 14 libera voluntate ſe auertiſſe à Deo 19 abuti dotibus ſuis ad opera Dei deformãda, & homines ludificãdos 19 abuti natura 76 prę uidiſſe Alexãdrum Aſia potiturum 29
Diaboli monitu, quendam, Tyrum ab Alexandro captum iri, prædixiſſe 26
Diabolum odiſſe genus operationis 726
Diaboli vaticinia ambigua 26
Diabolos imperiis & gubernationibus inſidiari 28
Diaboli præſtigię in abuſu ingeniorum humanorum 150
Diaboli præſtigiæ in abuſu creaturarum per nouas vires mendaces 150, 151
Diabolos futurorum euentuum coniectationes facere ex præſenti ſtatu 39 eoſdem φάσματα meteoris ſimilia in aere effingere 41 halitus venenatos aeri afflare 41, 42 occupare naturas diſtor

tas 46 inclinationes vitiosas adiuuare 45,46
Diabolici furoris horribilis historia 15
Diaboli quibus morbis & quomodo medeantur 47 cur interdum vera loquatur 55
Diaboli opera in Ecclesia 192
Diaboli naturæ peritissimi 46
Diabolos multa ex studiis & consiliis hominum ratiocinare 48
Diabolum Filio Dei ex Virgine nascituro illusisse 55 56 interdum coactum vera dicere 56
Diabolicæ Ironiæ ibid.
Diabolica vaticinia execranda 61
Diabolica somnia seuerè prohibita 461
Diabolorum conatus in Mũdo 27
Diabolum Scholas veræ doctrinæ in latibula impietatis suæ conuertisse 227
Diabolum templi Delphici violationem vindicasse 232 statuarum cultus in regno Pontificio confirmasse 233 præsagire interitum suorum oraculorum 249 persecutores Ecclesiæ & hæreticos excitare 252
Diabolum ex muliebri genere ministras plerunq; deligere 269
Diabolos mutuis sponsionibus se obligare hominibus 288 duobus artificiis gloriam Dei oppugnare 364
Diabolus semper sui similis ibid.
Diabolus vnde dicatur 125
Diabolus cur Beelzebub dicatur ibid.
Diaboli κακοζηλία 308
Diabolus defunctorum species quare assumat 309
Diaboli odium aduersus Deũ vnde natum 312
Diabolum nomine & verbo Dei abuti duabus de causis 314
Diaboli præstigias sub Iuliano reuixisse 371
Diabolus quare humanas hostias flagitarit 372
Diabolus cur Angelus & Spiritus malus dicatur 126
Diana Triclaria 15
Διαχθνίαι 305
Διαγραμματισμὸς 401
Διανόησις 444
Διάταξις ἱερατικὴ 266
Διαγνωστικὰ signa Medicorum 472,473
Διαδρομαὶ τῶν ἀστέρων 577
Dicta Esaiæ & Ieremiæ contra Astrologiam 688,689
Didius Iulianus Imperator 300
Dies Pauli 58 Medardi ibid. Vrbani ibid. & 59
Dies Critici 656
Diem quartum septimi conditionem prænunciare 657
Differentiæ humorum 513

Diffe-

Differentiæ phlegmatis corrupti 524,525
Differentia inter primam causam Deum & res creatas 118
Dij Græcorum 342
Dij Romanorum 343
Dij tutelares à Romanis ante vrbium expugnationes euocati 296
Dindymæi Apollinis oraculum & templum 234
Dina, fossa miraculosa apud Lycios 370
Dionysio Syracusano aquilam amissionem regni portendisse 381
Diocles Caristius 694
Disciplinæ vis in emendandis vitiis 99,103
Disciplina in ætate tenera efficacior 100
Disciplinæ laxioris aut astrictioris effectus 99
Disciplinæ cõstituẽdę modus ex diuersitate naturarũ 102
Discrimen inter ἕνωσιν ὑποστατικὴν τὴν κατ᾽ οἰκονομίαν, & inter σύνθεσιν 225
Discrimen inter oracula diuina & Diabolica 220
Discrimina pulsuum 482,483 [illegible]μάτων 514 Stellarum ex lumine 669
Disputatio de vi astrorũ 678
Disputationes in prima Ecclesia falsorum dogmatum causæ 266
Distinctio causarum cœlestium 682
Distinctio creaturarum in visibiles & inuisibiles 122
Diuinãdi genus artificiosũ 8
Diuinandi genus naturale 7
Diuinandi ratio ex sortib. 403
Diuinationum origo 3
Diuinationes omnes promiscuè reiicere impium 6
Diuinationum genera concessa 722
Diuinationum duo genera prima apud Ethnicos 8
Diuinationum quatuor prima genera 6
Diuinationum Physicarum fontes 17,19
Diuinationem Physicam non aduersari legi Dei 17 distinguendam à Diabolica 10 non tolli propter nostræ mentis caliginem 21
Diuinatio Diabolica 22 eius origo 23
Diuinatio superstitiosa etiam Diabolica 57
Diuinatio popularis ex globulis gallarum 57,58
Diuinationes populares sæpe fallere 60
Diuinationum quæ sit certitudo ibid.
Diuinationum spiritualium certitudo immota 63 Physicarum magna incertitudo 67
Diuinationes de fatis hominum vnde sumendæ 114
Diuinationum distinctio ex Platone 8

Diuinationes ex victimis 360
Diuinatio ex piscibus 370
Diuinationes Medicæ ex somniis concessæ 460, 461
Diuinationes Meteorologicæ & Teratoscopicæ 573
Diuisio Astrologię secundum Chaldæos 573
Doctrina primorum Patrum in Ægypto conseruata 262
Doctrina Ecclesiæ repurgata, multas Diabolorum præstigias esse sublatas 251
Doctrinarum duo genera in Ecclesia 306
Dodona 222
Dodonæi à Dodanim dicti 223, 224, 226, 227
Dodona Epirus 228
Dodonæum oraculum ibid.
Δωδεκατημόρια 699
Dolorum causæ in corpore 485, 486 differentiæ 486 488
Doloris & delectationis definitio 485
Dolor in sensu tactus acerrimus ibid.
Domestica omnia 387
Dominationis origo in Ecclesia Romana 266
Domitiano Cæsari per sortes mors prædicta 404
Dysenteria lethalis 20, 21
Dysuria qui vexentur 84
ECclesia Christi sub cruce, est 212
Ecclesiam sibi Deum colligere etiam ex impiis regnis 29
in Ecclesia continua series docentium 272
Ecclesiæ definitio 268
Ecclesiæ ritus in recipiendis lapsis 354
Ecclesiæ Romanę Hierarchia 267
Ecclesiarum inspectio certis Episcopis demandata 266
Ecclesia alligata est ad fundamentum Prophetarum & Apostolorum 297
ἐκκρινόμενα 491 eorum differentiæ 492
Eclipses maris æstus commouere 649
Eclipses fieri naturaliter 662
Eclipses quoties fieri possint ibid.
Eclipses semper aliquid significare 664 propter frequentiam hodie minus curari 665
Eclipsium efficacia 661, 662
Eclipsium noxiarum exempla 661
Echini 617
ἐκνεφίαι venti flantes in Autumno & Vere 580
ἐκπυήσεις 5[illegible]
ἐκστατικοί 73, 277
de Ecstasi variæ opiniones 274
Ecstasin inter Melancholiæ species referri 275 non è sola Melancholia nasci 276
Ecstaticorum cogitationes humoribus in cerebro respondere 275, 278

Ecstaticorum imagines à Diabolo 277
Ecstasium diuinarum & Diabolicarum discrimen 278
Ecstasis Diabolicæ definitio 285
ἐκπεπυρωμένοι 4
Edicta prætoria 116
Effectiones stellarum variæ 669
Effectiones stellarum variari Planetarum motibus 670
Effectiones siderum duobus modis considerari 708
Effectus Planetarum 657
Effectus certorum siderum in ortu nascentium 660
Effecta coctionum 500
Effecta mutationis humorum in corporibus 529
Effigies in aere conspectæ 733 734, & seq. harum causæ 736
ἐγγαστρίμυθοι 258
ἐγγαστριμάντεις ibid.
Egnatia Nympha, in cuius ara ligna non incensa sponte exarserunt 12
εἰκότα 85
Electorum collegium quo tempore in Germania constitutum 33
Elementaris regio mutationibus obnoxia 721
Elementorum corpora δυνάμει perspicua 558
Elementorum distinctio vnde extiterit 713
Elementorum proprietates 566
Elementarium cum cœlestibus corporibus συμπάθεια 559,566
ex Elementorum mixtione quomodo fiant corpora 570
in Elementis quæ consideranda 642
Elementorum amicitiæ & inimicitiæ 614
ex Elementis mixta constantur 625
Elementarium naturarum genus multiplex 681
Ἑλλιαπονίας 579
ab Elissa Aeolibus nomen factum 223
Elissa Sibylla 270
Elissæ etymologia ibi.
Elysij Campi fabula vnde nata 27
ἐμπύρων pulsus 484
ἐνέργειαι φυσικαὶ in corpore 479
ἐνέργειαι ὑπηρετικαὶ in corpore 480
ἐνεργήματα 304
ἐνειδῶν dolor 486
Ἐνθουσιασταί 270,279
Enoch & Elias viui in cœlum rapti 12
ἐνόδιον 387
ἐντελέχεια Aristotelica 494
ἐνύπνια 421,422
ἐνύπνια & ὀνείρατα Græci discernunt 423

ἐνερχίαι 267
Epar calidius causa ebriositatis & libidinis 103,104
Epar cur in victimis primo loco consideratum 361,363
Epar primùm formari in fœtu 261
Epatis inflammati symptomata 471
Epicureorum error 569
Epilepsiæ mederi Smaragdum 637
ἐπινενευκότες pulsus 483
ἐπιφαινόμενα signa Medicorum 475,483
Epirus Dodona dicta 228
Epitelis somnium 456
ἐπικύησις 729
ἐπιτηδειότης 565
ἐπιθυμία appetitus in homine naturalis 442
ἐπιτίμια 354
ἐπιχειμάζειν 711
ἐφιάλτης 451
ἔψησιν à calore analogo fieri 512
ἐπῳδοὶ 306,311
Equorum hinnitus ominosus 371
Erichthone Venefica 297
Erophile Sibylla 271
ὁρμαὶ 240
Errata interpretum non imputanda arti 290
Errata naturæ vnde 721
Errores inueteratos difficulter deponi 92,93
Esaiæ locus de Idololatris 455
Esaiæ dictum quo contra Astrologiam aliqui abutuntur 689
Essentia in diuinitate non est vna confusione 119
Essentia in diuinitate non est extra personas, nec diuisa 120
Essentia Dei quid sit, definiri non potest 121
Essentiæ & omnipotentiæ Dei opera Diabolo sunt ἀδυνατα 147
Etesiæ venti anniuersarij 580 quando oriantur ibid. mollire hos calorem Solis ibid.
Euacuantia similitudine totius substantiæ 541,542
Euangelium 306,307 eius notitia non est naturalis 307
Euangelij doctrina diuinitus patefacta 324
Exempla conspectorum Cometarum 593 facium visarum 595 diuinorum miraculorum 11, 12 hostiarum humanarum 370, 371 liberrimæ gubernationis diuinæ in natura 73 monstrosorum partuum 727,728 & deinceps ostentorum 732,&seq. prodigiorum 737 periodorum fatalium 31 pœnarum diuinarum 75 popularium diuinationum 58 prouidentiæ 62 somniorum 424, 426, 427, 428,460 Sympathiarum & anti-

antipathiarum 615,621
Exercitia in corporibus plurium valere 537
Exhalationum genera 375
Expiatio pollutorum 390
Expiationum Ethnicarum ritus 354.355
Externa violentia causa insperatorum euentuum 114
Extispicina 361
Extispicinæ origo 343 autor 374
Extispices 335
Extorum consideratio in sacrificiis 362
Extorum mutatio à Diabolo profecta 372,373
ἡπατοσκοπία 361
ἥρως etymologia 347
FAbius Maximus augur 377
Fabula de ortu oraculorum 222
Faces, species ὑποκκαύματα 577
Faces ardentes plerunq; portendere aliquid 595
Facium conspectarum exempla ibid.
Falcones 382
Familiarum mutationes celeres 36
Familiarum statum rarissimè vltra trinepotes eundem manere 38
Fame octiduana perimi hominem 73
Fana Serapidis in Ægypto & Græcia 243
Fanum Pasitheæ 455
Fascinum 319,320
Fata singulorum hominum quomodo explorent Dæmones 44
Fauonius ventus 579,580
Fauonius χελιδονίας & ὀρνιθίας nominatus ibid.
Febrium causæ 470
Feciales 351
Ferdinandus auus maternus Caroli V. 34
Fesulæ 377
Fibrarum vsus 480
Figura capitis optima 437
Figurarum per se nulla efficacia 330
in Figura corporis quæ consideranda 536
Filius Dei pro genere humano intercessor 313
Finis naturæ rectè constitutæ 498
Firmianus Romuli Genesin inquirens 695
Fixarum stellarum non tanta vis, quanta errantium 698
Flamines 357
Flammam quomodo definiat Aristoteles 575
Flauæ bilis generatio 505
Flauæ bilis substantia 506
Flauam bilem à folliculo fellis excipi 507, 508
Flauæ bilis corruptæ species 521,524
Flammæ subiectum 576
Flammæ lux vnde ibid.

Flandriæ appellatio tractui Morinorum inhæsit 33
Floralia 712
Fluminum qualitates, pro ratione terrarum, quas alluunt, variari 641
Fluminum quorundam æstus 649
Fœtus, geminis capitibus in Hassia editus 727
Fœtus monstrosus in Anglia ibid.
Fœtus in vtero formatio 602
Fœtus in vtero vnde deformentur 727, 732
Fons mirabilis prope templum Delphicum 233
Fontes miraculosi in Islandia 297 in Lycia 376
Fons Patrensis in Achaia 300
Fons Paliscorum 301
Fontes demonstrationum 674 signorum apud Medicos 478, 537
Formæ corporibus quare additæ 330
Forma dat esse rei 560
Formatio & discretio corporum in Genesi 564
Formica 617
Fornicalia 257
Fortunæ ædes 404
Fortunam parentum plerunque cum filiis desinere 36, 37
Fortunæ mutatæ in familiis causa ὕβρις 38, 39
Fortunæ varietas & inconstantia 108
Fortunæ pictura ibid.
Fortunæ causa astra & temperamenta 113
Francici regni periodus 34
Friderici III Electoris Saxoniæ obseruatio de niuibus 58
Fridericus Saxoniæ dux diuinitus seruatus in Albi 75
Fulmina & fulgetra quomodo fiant in nubibus 584
Fulmina à Prestere differre ibid.
Fulminum genera & differentiæ ex disciplina augurum 380
Fullo auis 617
Fulicæ ibid.
Fulgetris obstrepere poppysmatibus mos gentium 380
Fundamentum veræ religionis doctrina de Filio Dei 353
Furores vatum vnde 454
Futurorum præuisio testimonium de Deo 1
Futurorum cognitio primorum parentum lapsu obscurata ibid.
Futura prænoscendi desiderium pœna primi lapsus 1

GAlenus de Accidentibus

bus corporis 535 dolorum causis 485, 487, 488, 489 phlegmate acido 527 signis Medicorum 467 signis morbidis 472 succo Melancholico 524 locus
Pathognomonica signa describens 474
Γαλαξίας 668
Gallorum clades ad templũ Delphicum 42
Gallarum globuli 58
Gallorum auguria 382
Gallinarum cantus infausti ibid.
Gastromantia 299
Gazæ fundus 310
Gazæ villicus spectro vexatus ibid.
Gemini concreti 730
Gemelli quando nascantur 731
Gemelli geminis adhærentes capitibus 729
Γενεθλιακὸν προγνωστικόν 708
Genethliaci prognostici distinctio 713
Genethliaci thematis constituendi ratio 713, 714
Generationum origo iuxta Platonem 561
Genij duo ex Ethnicorum opinione 288
Geniorum opinio ex doctrina sanctorum Patrum 289
Genij Præstites dicti 343
Gentium diuersarum irruptiones in Imperium Occidentis 32 discrimina ex locorum diuersitate 223 nomina primam originem declarare 223
Gentes inflexisse religiones ad suos affectus 264
Gentes Magiæ peculiariter deditæ 303
Geomantia 404
Geomanticarum figurarum nomina 405 distributio 406
Geomantici thematis fabricandi modus ibid.
Geomanticæ vanitatis demõstratio 408
Γεωσκοπία 640
Germaniæ primi incolæ 224
Germaniæ bellum denuncians Cometa 594
Getarum seu Gottorum origo 348
Gigantum fabula vnde nata ibid.
Glaucus Oraculo admonitus 51
Glires 617
Γνάφαλος auis ibid.
Γοητεία 287, 290
à Gomer Cimbris nomen impositum 223
Gottalania 33
Graccho pulli non addicentes 385
Graculos tempestatem nunciare 618
Græcos Conditorum suorum nomina retinuisse 227

Græca gens prona in superstitiones 229
Græcorum religio 266 ingenia ibid. commenticia numina 242
Græciæ gentes 348
Græcorum sacrificia 356
Græcis cladem portendens Cometa 594
Grandinem ex nubibus fieri 584
Gregorius spectris confirmatus de purgatorio 309, 310
Grues serenitatem quandoque, aut tempestatem nunciare 618

HAdrianus Imperator reprimit Iudęos tumultuantes 31
Hadrianus Imp. morem sacrificandi homines sustulit 370
Halitus in corporibus vnde 499
Halituum genus duplex ibid.
Halitus ex prima coctione 501 ex secunda coctione 504 ex tertia coctione 511
Halitus præter naturam 529
Halonum prognostica 20
Hammonis etymologia 224, 226, 227
Hammonis Iouis Idolum & oraculum 228
Hannibal oraculo Serapidis deceptus 243
Hannibal veneno necatus 244
Hannibali exitium fax visa prænunciat 395
Hatath 338
Hebdomades septuaginta Danielis 31
Hecla mons Islandiæ 297
Heclæ fontes miraculosi ibid.
Hector auguria contemnens 395
Helenus Syracusius 606
Homo cur tanto mentis & sensuum acumine à Deo instructus 18
Heliogabalus autor Antropomantiæ 371
Heliotropion Sympathian habere cum Sole 616
Henetæ gentis origo 224
Henricus Rex Galliæ 424
Heraclidæ reges Macedonici & Spartani 32
Heracleum νεκυομαντεῖον 296
Herbæ incantationibus adhibitæ 320 capiti & aliis membris conuenientes 320 venena pellentes 320
Hercinna fluuius 240
Hermaphroditi 731
Herodes templum Hierosolymitanum renouans 31
Herodotus de fortuna 108 de pœnis superbiæ 113 de Lycan-

canthropis 279
Heroicæ naturæ à Deo excitantur 93
Hesiodus 152
Hesperia 350
Hetrusci Aruspicinæ studiosi
Hetrusci cœlum in XII spacia dirimerunt 379
376,377
Hierarchiam in populo Israel Christus aboleuit 296
Hierarchia in Ecclesia Romana 200,267
Hierophile nomen Sibyllæ 270,271
Hierophiles epitaphium 271
Hierosolymorum fundamenta terræ motu disiecta 75, 232
Hippocrates 776
Hirundinum auguria 382
Hirundinem tempestates sæpe nunciare 618
Holocaustum 338
Homerus 356, 395, 396, 421
Hominis pij vita nihil aliud est, quàm conuersio perpetua 184
Hominis lapsus 312,313,568
in Homine post lapsum reliquum est lumen aliquod, & aliqua libertas in ciuilibus 128
Homines quare de futuris euentibus prænoscendis soliciti 2
Hominum mactationes peruetustæ 370,371
Hominis principium triplex 713
Hostia pacificorum 340
Hostilio Mancino fax interitum nuncians 595
Hugo Capetus 33
Humanas res nunquam diuse intra mediocritatis terminos continere 40
Humani corporis actiones 479
Humidi genera in corporibus 492,496
Humidum σύμφυτον 493
ἐπίκτητον ibid.
Humidum in corpore caloris pabulum 495
Humores quæuis coctio distinctos parit 498
Humores quatuor in Epate geniti 504
Humorum in Epate generatio ibid.
Humor innominatus 511
Humorum vitiosorum causæ 513
Humorum differentiæ ibi.
Humores corrumpi duobus modis 516
Humorum mutatio in corpore triplex 517
Humor viridis in ventriculo 520 vitreus 527
Humores præter naturam 529
Humorũ dominio color corporis respondet 536
Hyadum sidus palilitium appellatum 696
Hydropis causæ 468
contra Hydropem remedium

637
Hyemis asperæ præsagia 616
Hylech Arabica vox 704
Hypingi 359
Hystericæ mulieres 552
IAmblichus Alectryomantia vsus 322
Iamblichus venenum haurit ibid.
Ianus 227
Iani appellatio vnde 347
Iapetus 223,227
Iapeti posteritate Occasum & Septentrionē impletā 223
ἰδνυξ 579
Iberi à Thubal orti 224
Idololatriam comitari libidines 352
ἱερὰ καὶ πίξιν 268,353
ἱεροσκοπία 355
Ierosolymis excidium nuncians Cometa 594
Ignis cœlitus delapsus in Sanctorum victimas 12
Ignis in sacrificiis Romanis 757
Ignis cultus idololatricus apud Ethnicos 364
Ignis, quo in sacrificiis vtebātur 367,368
Ignis Vestę extincti reparatio 366 (368
Ignis significata in sacrificiis
Ignis cœlitus demissus ad sacrificia asseruatus 340
Ignita meteora duplicia 577
ἱλαστικὰ sacrificia 373
Imaginatione matrū insigniter deformari fœtus 732
Imbres ex nubibus 583
Immolatio 358
Imperia diuinitus cōstitui & mutari 36 eadem custodiri diuinitus 64
Imperia quomodo stabiliantur & euertantur 40
Imperij occidentis dilaceratio 32
Improborum felicitas nō perpetua 110,111
Inachi etymon 349
Incantationum origo 308,311
Incantationibus opus Creationis Diabolum extenuare voluisse 308
Incantationum varij modi & species 318
Incantationum maximus vsus in Ægypto 322,323
Incantationes plurimæ, post restitutam Ecclesiæ doctrinam, profligatæ 323
Incantationū impietas & furor 323,329,334
Incantationes æmulationes esse Sacramentorum 334
Infantes monstrosi 727,728, & deinceps
Inflammationis modus secūdum Aristotelē duplex 577
Inflammatio victimarum signum promissioni additū ante diluuium 344
Infantē in vtero nō spirare 432
Ingeniorum varietas vnde 90,102
Ingenia peruersa & monstrosa à Diabolo 93

Iniuriæ cœlestium duo genera 711
Ino Inachi filia 349,350
Institutionem primam parti intelligenti præstare plurimùm 91
Intemperātes à Diabolis impelli 46
Intensiuus dolor 786
Interlunio nati imbecilliores 84
Interlunio nata non viuacia 659
Inundationes quid portendāt 588
Insitatorum euentuū causæ 589
In Spiritualib. semper hæ tres causæ in homine concurrunt: Spiritus sanctus, verbum, & vires humanæ 189
Ioannes Saxoniæ Dux diuinitus in Albi seruatus 75
Iobel 224
Iones 349,350
Iones à Iauan dicti 223
Iouis appellatio à Iehouah 346,347
Iouis Beli statua 236
Iouis & Saturni effectio 659
Ioui ternarius numerus à Pythagoræis dicatus 410
Ironiæ Diabolicæ 56,57
ἰσατώδης bilis 522
Isis 239 eius cultus & etymologia 347
Islandiæ mons Hecla 297
Isocrates Thessalus Pythia violans 230
Itinerum omina 386
Iulianus permittit Iudæis instaurationem templi 32
Iulianus Imperator vltimus, qui oracula consuluit 252
eius impietas abominanda 371 exitus 76
Iulij Cæsaris somnium 427, 461
Iunonis palus 301
Iupiter Hammon 223
φίλιος 235
Belus ibid.
Elicius 380
Iustitiæ diuinæ rigor 52, 53
ἰχθυομαντεία 370
ἰχῶρες 508

Kabala 263
καθολικὸν ἢ περὶ ὄντων γνωστικόν 429
eius partes ibid.
καικίας ventus 579
κακοχυμία 469
καπνομαντεία 368,369
καπνὸς ἀναθυμιάσεως species 576
καρδιογνώστης 13
καρδιακὴ linea in manu 610
κασσιωτὶς fons templo Delphico vicinus 233
κατακλυσμός 12
κεφαλαιονομαντεία 321
κηρομαντεία 419
κινητικαὶ ἐνέργειαι in corpore 479
κλιβανίται 339
κλιμακτηρικοὶ loca 707
κλονώδης pulsus 482,483

κνίσσα 575
κοινωνία Diuinitatis 256, 257
κορυβαντιασμὸς, 352
κοσκινομαντεία 321
κεφαλολόγοι 357
κεφαλομαντεία 370
κρίσιμοι vel κριτικὰ signa 476, 477
κριτήρια duo de Diuinationibus 60
κριτήρια duo ſecundum Galenum 675
κριτήρια fontes demonſtrationum 674
κυβεία 400
LAbyrinthi opinionũ 46
Lacedæmonum Reſpub. quouſque claruerit 32
Lacedęmonij oraculo admoniti de clade Leuctrica 53
Laceratiuus dolor 487
Læna auguralis toga 379
Lęſiones actionum tripliciter fieri 484,485
λαμπυρίδες 617
Lapidum in corpore generatio 530
Lapides in quibus corporis partibus naſcantur ibid.
Lapides Friderico Electori Saxoniæ execti ibid.
Latinos Conditorum ſuorum nomina retinuiſſe 227
Latini à Græcis propagati 350
Latini cuiuſdam ſomniũ 456
Latrunculorum ludus 400
Lauandi cõſuetudo apud Ethnicos & Turcas vnde nata 354
Lazarus Bonamicus 56
Lecanomantia 299
Leonis conſpectus infauſtus 386
Lex Dei quid 306 eius notitia reliqua in homine ibi.
Lex Romana de Auguriis 376 377
λήθη fons 239
λεκιθώδης bilis 521
Libidinoſos à Diabolis incitari 46
Libidinis cauſa Epar calidum 104
Libri Sibyllini Romæ aſſeruati 273
Libatio 358
λιβανομαντεία 369
λιβόνοτος venti nomen 580
Libram religioni Chriſtianæ præſidere 662
Libicæ gentes poſteritas Chami 222
Licinius Imperator oraculo deceptus 235
λιγνὺς 575
Lienis conſideratio 363,364
Linearum in manu differentiæ 610,611
Linearum in manibus vſus 612
ex Lienis de corporum compage fieri iudicium 613
Linearũ in manu ſignificata 612 (613
Linearum cauſæ in manibus
Lineas in manibus certis corporum membris reſpõdedere 613,614

Liparæ

Liparæ tumulus 297
λίψ venti nomen 579
Λόγος secunda persona Diuinitatis quomodo suæ Ecclesiæ adsit 161
Λόγος fuit persona perfectissima & integerrima, antequam naturam humanam assumpsit 215
Loca in quibus somnia captabantur 455
Locusta cladium prænuncia 384
Locustarum agmina 386
λογαριθμαντεία 414
Logarithmantię refutatio 415 416
Lolligo volitans tempestatis indicium 617
Lucani versus 362,594
Lucis natura nobis imperscrutabilis 559
Lucis & colorum ratio 629
Lucretij versus 451
Luculli somnium 427
Ludi veteribus vsitati 399,400
Lumbrici vbi nascantur 530
Lumen stellarum duplex 671
Lumen quale singulorũ Planetarum 82
Luminum cælestium vis in commouendis aquis marinis 649
Lunę colores quid significent 21,598
Lunæ Eclipsis 81 effectus 648 653 φάσεις 711 vis præcipua in Tauro & Cancro 656 679
Lunę septenarius numerus assignatus 410
Lunam variè corpora afficere 617,657
Luna præcipua marini æstus causa 652
Luna moderatur ortus nascẽtium 659
Luporum omina 386
Lupinum 616
Lustratio corporum 355
Lustrorum differentiæ 390
Lustrandæ vrbis ritus ibid.
Lusciniarum auguria 382
Lux in flamma vnde 576
Lyciæ sortes 238
Lycaones vel Lycanthropi 279
Lycanthroporum metamorphosis 279,280
Lycanthroporum consuetudinem inficere 281
Lycanthropos somno arctissimo opprimi 283
ex Lycanthropis spectra, lupina specie, prosilire 284
Lycaonis cuiusdam historia 284
Lycanthropos ad arcẽdas veneficas se conductos gloriari 284
λυκοφιλία 291
Lycophron vsu Anagrammatismi celebris 418
MAhometicum & Pontificiũ duo regna Christo contrarias 198 quando ceperint 200
Macedones à Cethim 26,223

Magi & Pontificij impostores, nec substantias, nec vires nouas creant: sed ludūt præstigiis opera Diaboli 152
Magorum & Veneficarū præstigiæ in momentaneo per aerem transitu 148
Magorum Ægyptiorum miracula 43
μαγεία 287
Magia summa est Idololatria & complicatio omniū scelerum 465
Magorū appellatio apud Persas honesta 287
Magorum Persicorum potentia & officium ibid.
Magi Persici sacrarum literarum periti ibid.
Magorum nomē infame 288
Magiæ primi autores 303
Magiæ & γοητείας discrimen 290
Magiæ definitio ibid. & 291 species ibid. autores 303
Magos non solùm se, sed & liberos in vtero deuouere 465
Magorum exitus Tragicus 291
Magiæ appellatio Hebræa 303
Magia qua imitatione à Diabolo inuenta 308
Mahometicus furor 266
Mala αὐθαίρετα καὶ ἐπίσπαστα 48
Malum pœnæ & culpæ 69
Maledictio diuina causa ἀταξίας in natura 568
Malefici sunt omnes, qui, neglecto Deo, cum Diabolo fœdus inierunt 463
Malefici interficiendi 464
μαντική 155 eius duo prima genera, etymologia ex Platone 8, 255
μαντικῆς quatuor genera ibidem
μαντικὴ πνευματική 10
φυσικὴ ἢ τεχνική 16 διαβολική 22 κοινὴ ἢ δημώδης 57
Manticæ naturæ Melancholicæ 285
μανίας duo genera secundum Platonem 255
Maniaci affectus quibusdam gentibus familiares 276
Manes 295, 296
Manium euocandorum ritus 295
Manium interrogandorum morem in Ecclesiam quoque peruasisse 297
Manes non consulendi 298
Manus partes 606
Manus interioris fabrica ib.
Maozim Idolum 233
Martij mensis obseruatio 58
μαργαρισμός 85
Mario spectrum oblatū 289
Marsi serpentibus cōtrarij 315
Marini æstus 649
Maris peculiaris quidam motus 650

Marinæ exæstuationis causæ 651
Mare Mediterraneum 650
Maris æstus qua vi luminum moueantur 652
Mare Mediterraneum mitiores habere æstus ibid.
Martis & Veneris coniunctio 659, 679
Materiæ instabilitas 71
Materialis causa in morbis 469
Materiam accidentibus in mixto latere obrutam 571
Matricis officia & vsus 727
Mediocritas & moderatio hominibus grata 113
Medi à Madai 223
Medeæ absolutio 355
Medicorum præsagia 466
Medicum oportere nosse dolorum differentias 491
qui Morbi ad Medicos pertineant, qui non 553. 555
Melopis 239
Melancholici 262
Melancholicæ mulieres 552
Melancholicæ naturæ officinæ Diaboli 277, 285
Melancholicorũ somnia 451
Melancholici humoris generatio 505
Melãcholicum succum à liene attrahi 508
Melancholici humoris præternaturalis genera 523
Membrorum partes sæpe excerni 491
Memoria 433
Menalippus 55
Mens Voluntatem mouet 87, 95
Mens & Voluntas sæpe inter se dissentiunt 88
Mentis error ab indicio sensuum errantium 89
Mentis vim respondere sensibus ibid. & 107
Mentem non esse similem rasæ tabulæ 92
Mentis actiones in corpore Organicæ 446
Mercurij simulacrum in foro Pharensi 242
Mercurij & Veneris coniunctio 659
Mergos tempestatem nunciare 618
Mesaraicæ venæ 504
μέσης venti nomen 379
Metus perpetuus malorũ pœna lapsus 2
Metus malorum maximum 4
μητροπολίτῃ 267
μεταβολὴ humorum 517
μεταβολῆς παρὰ φύσιν differentiæ ibid. & 519
Meteorologia 556
μετεωρολογικόν 574
μετεωροσκοπικόν ibid.
μετέωρα quid ibid.
Meteororum origo 575
differentiæ ibid.
materia 576
Meteora ignita duplicia 577
μετέωρον Castoris & Pollucis antiquis ominosum ibidem

Meteora aerea vnde 579
Meteora aquea 582 vbi & quomodo fiant ibid.
Meteororum aqueorum diuersitas ibid.
Meteora alia σημαντικὰ, alia ἀσήμαντα 585
Meteorologia ad quod genus diuinationis sit referenda 597
Michael Filius Dei 29
Micheas Propheta videt Diabolum stantem in conspectu Domini 28
Miluorum auguria 382
Miluos à Solstitio podagra affici 617
Minha 339
Mineruæ fabula vnde 347
Ministræ actiones in corpore 480 earum discrimen ib.
Ministerium Euangelij 168
Ministerium verbi alimonia est,& medicina 169
Miraculorũ Ecclesiæ finis 16
Miraculorũ in Ecclesia & Diabolicorum discrimen duplex ibid.
Miracula Ecclesiæ Diabolo ἀμίμητα 11
Miraculorum diuinorum exempla ibid.
Miraculorum Diabolicorum exempla ibid.
Miraculum summum natiuitas Filij Dei, & passio eius, ac resurrectio 14
Miraculorum Diaboli finis 14
Miracula non simul esse aliquid,& non esse 138
Miracula positiua & priuatiua in natura 133
Miracula positiua 134
Miracula priuatiua 135
Miramolinus Maurorũ Princeps 34
Mithridatici belli euentũ effigies in aquis conspecta versibus exprimens 301
Mithridatum à veneno liberat 545
Mixtorum plura genera 572
Μνήμη 446
Modus agendi in natura 67
Mola salsa 357
Moloch 371
Μόλυνσις fit à calore imbecilli 513 eius effectus ibid.
Monachi 268
Monstra 732 horum causæ 725,726,728,729
Monstrum Romæ in Tyberi inuentum 727
Monstrosi fœtus vnde 573
Montes manus 609
Monticulis in manu Planetæ attributi 610
Morborum differẽtia triplex 467
Morborum distinctio 471
Morbida signa Medicorũ 472
Morbidorum signorũ distinctio 473
Morbi ex tertiæ coctionis vitio 528
Morphea ibid.
Morum germinantem à frigore

gore nihil amplius esse periculi significare 616
Mores gentium respondere stellis, quib. subiectæ sunt 666
Mosci à Mosoch dicti 223, 224
Motus local. quomodo fiat 437
Motus voluntarius quomodo fiat 438
Motus voluntarij historia 443
Motus primi simplices duo 559
Motus stellarum duplex 673
Motum stellarum per se nihil conferre effectionib. 671
Motus cœlestium corporum & Elementorum 559
Motus cœli duplex 569
Mucoris & sputi generatio 502
Mulam gemellos peperisse omen malum 386
Mundus cur tanta varietate elaboratus 17
Mures Alpium 617
Musis & somno simul sacrificari in ara Ardali 239
Musculi quomodo moueantur 441
Musculorum & viscerum origo 731
in Musculos neruorum insertio 442
Mutatio humorum triplex in corpore 517
Mutationis humorum in corporibus effecta 519
Mutationes temporum odorari animantia 616
Mutationes miraculosæ 134
Mycerinus Ægyptiorum rex cũ oraculo expostulat 237
μυρμηκίζων pulsus 484
μύουροι pulsus 483
μύξα mucor in naribus 502

NAbuchdonosoris somnium 428
Narbata 239
Nascentium ortus Luna moderatur 659
Natiuitas Filij Dei summum miraculum 14
Natura nullas nouas species procreat 539
Natura humana Christi quomodo in Persona τοῦ Λόγου sustentetur 216, 217, 218. &c.
Naturæ ad vitia procliues à Diabolo impelluntur 46
Naturalia vno modo agũt 72
Naturæ actiones θρεπτικὴ 498
Naturæ rectè constitutæ finis ibid.
in Natura multa agũt κατὰ συμπάθειαν & ἀντιπάθειαν 540
Naturalia perittomata 514
Naturarum elemẽtarium genus multiplex 681
Natiuus calor 494
Natalicij thematis constituẽdi ratio 713, 716
in Natalicio themate quæ cõsideranda 704, 715, 716
Natiuitatis tempus quomodo

inueniendum 715
Naturale 6
Nebulæ ex nubibus oriantur 583
Necyomantia 292
Necyomantia in historiis celebrata 296
Nemesis pictura 113
Nero Delphicum templũ diripit 231
Nerui quomodo à Cerebro afficiantur 440
Nerui spiritus recipiunt ibid.
Neruorum fabrica ibid.
Nerui sensitiui 443
Neritum Hispaniæ Promontorium 650
Neuri in lupos mutantur 279
Neutra signa Medicorum 472
Nihil habet rationem Sacramenti extra vsum diuinitus institutum 328
Nihil negatiuum, & nihil priuatiuum 564
ex Nihilo Deum condidisse omnia quomodo sit intelligendum ibid.
ex Nihilo nihil fieri quatenus locum habeat ibid.
Nix quid terræ præstet 585
Noctes duodecim, diem natalem Christi sequẽtes, status duodecim anni Mensiũ significare falsò existimatum 60
Noctuæ 617
Noctuæ augurium 383
Nohæ sedes 222
Nohæ posteritas ibid.
Nomina sacrificiorum apud Romanos 357
Νοσώδη Medicorum signa 472
Nubes in imbrem aut rorem vertuntur 583
Nubes in niuem vertuntur ibid.
Numa Pompilius 301
Numa Pompilius sacra Romana instituit 351
Numerus Ethnicorum numinum ex Varrone 343
Numinum Ethnicorum appellationes à Patrib. profectæ 345
Numina Ethnicorum, gentiũ migrationibus aucta 348
Numina Romanorum 343
Numerorum analogia mirabilis 412
Numerorum classes 416
Nutritio quomodo fiat in corporibus 493
Nutritio quid 498
Nutrimentum semper est ὁμοιομερές 497
Nymphæum 369
Νυγματώδης dolor 486
OB Hebræa lingua obsessum significare 259
Oblatio 339
Obiectio contra studium Astronomiæ 680
Obseruatio siderum Medico necessaria 466
Obseruationes superstitiosæ in Astrologia improbandæ 697

Obſeruatio excrementorum in quibus conſiſtat 531,533
Obſeſſi 258
Occultationes delictorū non ſperandæ 397
Oceani æſtus ſæuiores 652
Oeconomia in miraculis 133 quotuplex 136
Oenotri 350
Οἰκοδεσποτικοὶ τρόποι 701
Οἰκοσκοπικόν 387
Οἰνομαντεία 369
Οἰωνιστική 8,375
Οἰωνοί vnde dicti 375
Olah 338
ὀλυμπίας nomen venti 579
Omina in ſacrificiis obſeruata 360 contrario euentu refutata 385
Omina quadrupedum 386 itinerum 387
Ominationum genera diuerſa ex diris ibid.
ὂν ἐνεργείᾳ & ὂν δυνάμει 562,563
ὂν κατὰ συμβεβηκός ibid.
ὂν καθ' αὑτό ibid.
ὀνειράζω 423
ὀνείρατα duplicia 424
ὄνειρος 422 eius etymologia 423
ὀνειροπολία 574,601
ὀνείρου quinq; ſpecies 422
ὀνομαντεία 410
Onychomantia 300,301
Opera Dei in generali præſentia, & Diaboli horum æmula quomodo differant 145
Opera ordinaria & extraordinaria diuina & Diabolica quomodo diſtinguēda 130
Opera Dei extraordinaria immediatè aut mediatè fiunt 137
Opera Dei extraordinaria aut miraculoſa ſemper eſſe diſtinguenda ab ordinatis 140
Opera Dei καθ' ὁμιλίαν, ſeu diſpenſationem 132
Opes templi Delphici 4,232
Ophiogenes 315
ὄπτησιν à calore nimio fieri 512
ὀπτήσεως effectus ibid.
Oraculorum origo 3,244
Oraculum Delphicum poſtulans immolationes hominum 15
Oraculorum ambiguorū exempla 29,30,39
Oraculum Tiberio imperante celebratum 35
Oraculum redditū Athenienſibus 40 Attalo & Cypſelo 39 Batto 49 Crœſo 39,49 Glauco 51 Meſſeniis 40,49,52 Neroni 49 Pauſaniæ ibid. Philippo ibid. Sybaritis 53,55
Oraculū Delphicū de ſui defenſione 42 de iuſtitia 52 Sibyllinum de Philippo 37 Serapidis de tribus perſonis Diuinitatis 54,343
Oraculum de æternitate Dei ibid. de immortalitate animæ 54,55 de Chaldæis & Hebræis 37,

Oraculum Amphiarai 238
Herculis 403 Iouis Trophonij 239 Martis in Asia 242 Pharense ibid. Sebenniticum 237 Thracicum 242
Oraculi Trophonij origo 241
Oraculi Trophonij consulendi ritus 239
Oracula Memphitica 244
Oracula diuina quomodo differant 61 eorum gradus 63 tres modi 220
Oraculorum appellationes Græcæ 219 horum loca & interpretes quomodo dicti ibid.
Oraculorum definitio ibid.
Oraculorum interitum præsagiunt Diaboli 251
Oracula Diabolica, imitatione exempli diuini instituta 220
Oraculorum diuinorum & Diabolicorum discrimen ibid.
Oraculorum Diabolicorum origo 221, 225
de Oraculorum ortu fabula 222
Oracula prima Scholæ primorum Patrum 224
Oracula antiquissima Iouis, Hammonis, & Dodonæũ 227, 228
Oracula varia à Diabolo patefacta 229
Oraculi Pythij consulendi ritus 231
Oracula Diabolica, & Politiã Iudaicã simul desiisse 232
de Oraculis disputatio Plutarchi 245
Oracula Ethnica à Diabolo patefacta 249
Oracula euanuisse, nato Christo 250, 273
Oracula diabolica seuere à Deo prohibita 254
Oracula & Theomantiã differre ibid.
Oracula ex aquis petita 301
Oracula pertinent ad Diabolicas diuinationes 253
Oracula Logarithmãtica 415
ὄραμα 421, 422
Ordo politicus pręsentiæ Dei argumentum est 109
Ordo naturæ non penitus euersus 569
Orestis absolutio 355
Organorũ olfactus origo 434
Organum tactus 485
Orimasda 345
ὀρνιθίας 579
Ornithogalum 616
Orphei statua sudans, Alexandro Asiam ingrediente 25
Orpheus magicis artib. visus. 259
Orphei versus 54, 260 Vaticiniũ de duratione Mũdi 259
Orpheus coniugi Euridicæ reditum impetrat 296
ὀρρώδης πέλτωμα à renib. attrahi 509
ὀρυκτογνωστικόν 639

ὀρχμαία ἄφεσις 705
ὀροσκόπος 699
Ostenta 732
Ouidij versus 316
PAlæstritæ cuiusdam somnium 460
Palice Siciliæ vrbs 236
Palilitium sidus 696
Palladis etymologia 346
παλμικοί 390
Panis & Vinum Cœnę Dominicæ quomodo sint corpus & sanguis Domini 172,173 & seq.
Panis est corpus Christi non substantia, sed relatiuè 175, 176
Pan, qua occasione Athenis cultus 351
Parelia quid significent 686
Pareliorum conspectorũ exempla 587 significatio 599
Parentum fortunam plerũq; cum filiis mutari 36,37
παρίσθμια 503
Parnassi Hebraica etymologia 230
Parnassus Oraculis celebris ibid.
Partus monstrosi mulieris cuiusdam Augustanæ 728
Pasitheæ fanum 455
Passeres infectionẽ aeris sentire 618
Patara Lyciæ oppidum 238
παθογνωμονικά signa apud medicos 474
Patibiles qualitates duplices 571,572
Patriarchæ 267
Patrocli absolutio 355
παθήματα σωματικά, alia ἐντελεχείᾳ existere, alia δυνάμει 571
Pauli raptus in tertium cœlũ 279
Pauli donum aduersus serpẽtum ictus prodesse falsò creditum 315
Pauli locus 179,180,342
Paulus secessioni animarum è corporibus non patrocinatur 279
Pausanias virginem raptam interficit 296
Pausaniæ spectrum 293
Pausaniæ spectrum pœnam prædicit 51,296
Pecora exultantia tempestates nunciare 618
Pegnesi exundatio bellũ portendens 709
πέλαγος πραγμάτων 46
Pelasgi 349
Pelasgi vnde dicti ibid.
Peliadum oraculum de æternitate Dei 54,259
Pellucidorum corporum discrimen 558
Peloponnesiacũ bellum antecedens Cometes 593
Perforatiuus dolor 487
Periodus fatalis regnorũ anni quingẽti 30 eius exẽpla 31
Periodum annorum 500 aliqua regna vix attingere 33
Periodus Francici regni 34

Periodum 700 annorum insignes mutationes adferre 34
Peripateticorum error 569
περίπατος 704.705
περίπατος quomodo differat ab ἀφέσει 707
περιωδυνηκότες pulsus 483
περιττώματα in corporib. 501 eorum genera ibid. discrimina 513
περίττωμα tertię coctionis duplex 511
περιττώματα quid 514
περιττώματα παρὰ φύσιν 516, 520 ἄκρατα ibid. mixta & eorum genera 527
περιττώματα παρὰ φύσιν quos pariant morbos 528
περιττωμάτων præternaturalium causæ ibid.
Periuria ad fontem Paliscorũ indicata 301
Periuriorum exploratio in Sicilia ad Crateres 236
Persarum superstitio in colendo igne 367
Pertinace Cæsare immolante ante obitum cordis & Epatis in victima defectus 363
Petitij somnium 420
Petrus ἐκστατικός 278
Petrensium stagnum 12
πετλεία 400
Phæmonoe 259
Phæreus Pamphilius 277
Pharaonis somnium 428
Pharense oraculum 242
Pharmacia 318,319
φαρμακευταί 319
φαρμακευτῶν maleficia ibid
Phantasia 444
φάσεις Lunæ 710
φάσματα 577
φασμάτων species 578
Philippus Macedo à Trophonio commonefactus 242
Philosophorum de libera animorum concitatione in somniantibus opinio 458
Philosophiæ & doctrinæ Ecclesiæ discrimen 325
Philosophi spectro admoniti 310 (569
Philosophorum errores vnde
Philtra 323
φλὸξ καιομένη 577
Phlegmaticorum somnia 451
Phlegmatis generatio 506 substantia ibid.
Phlegmatis corrupti genera 525,528 differentiæ ex sapore sumtæ 525
Phlegmonæ causæ 470
φοινικίας venti nomen 579
Phygalia 298
Phthisici somnium 452
Phthisis lethalis signum 85
Physiognomonica signa 21
φυσιογνωμονική 574,600
Physiognomonicarum artiũ genera multa ibid.
Physiognomoniæ subiectum ibid. definitio 601
Physiognomonica signa quæ 602
de Physiognomonicis signis Aristotelis locus 604

φυσι-

φυσικαὶ ἀρεταὶ 97
Physicarum causarum distinctio 683
Physicarum causarum obseruatio non impia 707
Physicus Cerebri motus 434
φύσις 80
φυσιολογικόν 573
φυσιολογικαί diuinationes vnde & quales ibid.
φυσιολογίας differentiæ 574
Species, quatenus ad μαντικὴν pertineant ibid.
Physiologiæ species 639
Physiologiæ pars Astrologia 693
φυτοσκοπικόν 574
φωστῆρας & φῶτα appellari Solem & Lunam 567
Picorum Martiorum auguria 382
Pilappiorum tetræ superstitiones 281,282
Pilappiorum sacrificia ibid.
Pilappios, quæ in remotissimis terris geruntur, spacio XIIII horarũ, rescire posse ibid.
Pilappios abundare spectris 283 cognatos defunctos sub foco sepelire ibid. grandiores baptizatos, septimo aut octauo die pòst, mori ibid.
Pincernæ Pharaonis somniũ 429
Pindari versus 36,94,111
Pipin⁹ Caroli Magni pater 34
Piscis humana facie referens Monachum 728
è Piscibus diuinatio 370
Pisistrato dormienti oraculũ à spectro redditum 51
Pistoris Pharaonis somniũ 430
πίθοι dolia 577
Pituita non naturalis ex primæ coctionis vitio 521
Planetarum singulorũ lumen quale 82
Planetas suis orbibus adhærere ibid.
Planetarum motus & effectiones 653,657
Planetę luminum effectiones variant 658
ad Planetarũ diuersos positus diuersos effectus consequi ibid.& 665
Planetarum vis maior, quàm inerrantium stellarum 698
in Planetis quę obseruãda 699
Planetarum συζυγίαι 702
Platonis sententia de diuinatione 255 opinio de animabus defunctorum 293
Platonis loci 62,96,109,306, 375.438,446 vaticinium Arithmeticum 412 locus de somniis 452 locus de disciplina 100,101
Platonis error de Mundo, & principiis 557
Platonis verba de materia prima 560
Platonis refutatio ibid.
Plato ab Aristo.reprehẽsus 562
Platonis sententiæ de Mundo sacram scripturam aduer-

sari 561
Platonica distinctio animarũ 601
Pleuritidis signa 476 discrimina ex sputo ibid.
πληθώρα 469
πλημμελεῖν 339
Plutarchi opinio de animabus defunctorum 393 disputatio de oraculorum origine, duratione, periodis 245 sententiæ Plutarchi de oraculis refutatio 248
Pluuiæ sanguinis, lactis, frumenti 737
Pluuiæ terræ quid præstẽt 585
πνεῦμα species ἀναθυμιάσεως 575
Podalirius 455
Pœnas fatales nonnunquam oriri à Diabolis concessione & permissu Dei 28
ποιότητες παθητικαὶ Aristotelis 571
Polemon 605
Politiam Iudaicam & Oracula simul interiisse 232
Polluti 390
Polonici regni initium 33
Polycratis filiæ somnium 455
πολυπράγμονες 46
Pompeio apes cladem prædicunt 384
Põpeius somnio deceptus 461
Põtifex Romanus gladij vtriusque potestatem vnde habeat 204
Pontificis Rom. autoritas 268
Pontificum Romanorum religio ibid.
Pontificia religio quomodo irrepserit 253
Pontificiæ Ecclesiæ furores Ethnicorum similes 6
Pontificium regnum 200 quale sit 201
Popæ 358
Populum albam die Solstitij folia circum agere 616
Porci humano vultu nati Romæ 786
Portenta 737
Posteritas Nohæ & filiorum eius 223
Prædictionum Physicarũ magna incertitudo 67 vtilitas 116
Prædictiones Physicas materiæ fluxibilitate variari 71
Prædictiones de fatis hominum, ex quibus causis sumendæ 114
Prædictiones Physicæ non sunt superstitiosæ 19
Prædictiones Physicæ quatenus in sacris literis concessæ 117
Prædictionum certitudo ex causarum conditione 115
Prædictiones Astrologicæ 642
Prædictionum ex Astrologia certitudo dispar 681
Prænestinæ sortes 397, 403, 404
Præpetum auium genera 381

Præsa-

Præſagia Medicorum 466
Præſentiæ Dei quatuor ſunt gradus in creaturis diſtincti 131
primus Præſentię gradus vniuerſalis eſt, & creaturis omnibus communis 131, 132
ſecundus Præſentiæ Dei gradus qui dicitur ſpecialis & ſingularis competit beatis angelis & electis in vita æterna 158
tertius Præſentiæ gradus eſt ſanctificationis renatorum in hac vita 158, 159
quartus Præſentiæ Dei gradus proprius eſt ſoli Filio Dei, in aſſumta natura humana 215
Præſtigiæ φαρμακίδων in medendo 147
Præſtigiæ diabolicæ imitatrices 12
Præti Regis filiæ ecſtaticæ 277
Præuiſio diuina nullam adfert neceſſitatem 65
Præuiſio futurorum teſtimonium de Deo 1
πρασοειδὴς bilis 522
πρηστὴρ 584
πρηστὴρ & fulmen quomodo differant ibid.
Principia rerum materia & forma 556
Principia φαινόμενα & κεκρυμμένα 674
Principium hominis triplex 713
Priuationem inter principia recte numerari 565
Priuatio Ariſtotelica quid ibid.
Priuatio principium per accidens ibid.
προαίρεσις 80, 87, 100
προκαταρκτικὴ cauſa in morbis duplex 468
Proceſſionum Papiſticarum origo 389, 390
προχειμάζειν 711
πρόδρομοι venti præcedentes exortum caniculæ 580
προηγούμενον αἴτιον in morbis duplex 468, 469
προγνωστικὰ ſigna Medicorum 473
προγνωστικὸν δι' ἀστρολογίας quid ſit 644 illud ad doctrinam Phyſicam pertinere ibid.
προγνωστικὸν καθολικὸν & γενεθλιαλογικὸν 708, 712
προγνωστικὰ tempeſtatum ex Virgilio 86
Prodigia 737 prodigiorum cauſæ 722 de prodigiis ſententia Ariſtotelis 721
Propertij verſus 310
Prophetiæ quid oppoſitũ 254
Prophetarum officium 10
Prophetarum & Apoſtolorum diſcrimen 11
Propiciatoria ſacrificia 337
Propoſitio libri 60, 61
προσνεύσεις Lunæ 710
Prouidentia diuina in eius exempla 62
ψυχικὴ ἐνέργεια in corpore 479

ψυχαγωγοὶ καὶ ψυχοπομποὶ 293
Ptolemæi ἄφεσις duplex 705
Ptolemæi ratio, qua inquirit horaria tempora Aphetæ 706
Ptolemaicarum ἀφέσεων methodus 707
Ptolemæi duæ Prognostici Catholici partes ibid.
Puella obsessa 258
Pueri impolluti ad res magicas à Diabolo requisiti 300
Pullarius 384
Pulli victoriam præsagientes ad Leuctra 385
Pullorum auguria 384
Pulmones marini 617
Pulmonum consideratio 363, 364
Pungitiuus dolor 486
Pulsus 439, eius definitio 480
Pulsus certissimum τεκμήριον est virtutis vitalis 481
Pulsus vnde aut quomodo fiat 480, 481
Pulsus εὔρυθμος vel ἄρρυθμος 482
Pulsus actiones cordis & arteriarum 484
ex Pulsu iudicia sumi de membris corporis ibid.
Pulsuum cognitio 481 discrimina 482, 483
Purgatorij commentum 294
Putrefactio 529
πυρομαντεία ἢ πυροσκοπία 364 369
Pyrrho hirundines cladem portendunt 382
Pyrrho noctua fatum portendit 384
Pythagoras pharmacia vsus 320
Pythias προμάντις 234
Pythium Oraculum 229
Pythij oraculi origo 378 eius consulendi ritus 231
Pythij etymon 234
πυθῶνες 258

Quadrantes cœli 701
Quadrupedum omina 386
Qualitates contrarias qualitates efficere 566
Qualitatum in mixto κρᾶσις 571, 572
Qualitates primæ, secundæ, & tertiæ ibidem
Qualitatum origo ibidem
ex Qualitatibus oriri συμπαθείας καὶ ἀντιπαθείας ibid.
Qualitatum formalium quinque gradus 619
Qualitates specificæ vnde sint 920
Qualitatum diuisio 627
quę Qualitates naturę humanæ conueniant 636
Qualitates materiales etiam ad sympathias & antipathias referri posse 639
Qualitatibus variè affici hominum corpora 640
Qualitatum per se nulla efficacia 330
Quinquatria 357
Quirinalia ibid.

ῥαῖσθαι 579
Radios solares non nisi reflexos lucere 668
Ranas tempestatem nunciare 617
Recrementa secundæ coctionis 506
Refractionem radiorum varias colorum formare differentias 578
Refutatio argumentorum, quæ contra studia Astrologica adferuntur 677
Refutatio Chaldæorum de Astrologia 694
Refutatio Aristotelis de æternitate Mundi 562
Reges Francicos, sputi illitione strumis mederi 315
Reginæ Galliæ somnium 424
Regnum Christi vniuersale 198
Regnum Mahometicum & Pontificium 192
Regnum Christi in Ecclesia Spirituale 195
Regna transferre quomodo Deus dicatur 154, 155, & deinceps
Regula Lesbia 81
Religiones gentium vnde sint 348, 353
Religionum mutationes ex Imperiorum mutationibus 226
Religionũ varietas vnde 350
Remediorum malignitati medentium, quæ ratio 547, 548
de Rerumpublicarum periodis Platonis vaticinium 412 413
Rerum secundarum comes superbia 112
Res non naturales, quibus homo in hac vita carere non potest 537
Respiratio 439
à Rhodiis Adonis cultus 351
Riphæi 224
Ritus Ecclesiæ in recipiendis lapsis 354
Roma lustrata bubone viso 383
Romæ γένεσις 696
à Romanis religionem in Monarchiam conuersam 266
Romanorum numina 343 sacrificia 356
Romanos ritus sacrorum à Græcis accepisse 359
Romanæ Reipub. duratio 32
Romani Imperij in Occidente dilaceratio ibi.
Romanorum leges de auguriis 376
Romuli Genesis 696
Romulus Aruspex 377
Rosas secundò florentes pestem nunciare 619
Rubigalia 712
Rubræ bilis generatio 505
Rubi efflorescentis significatio 616
SAcæ, Sassones 224
Sacerdotes Apollinis Clarij 242
Sacra Diis Manibus facta a-

pud Romanos 296
Sacra turpia 352
Sacramenta promissionum σφραγίδες 325 ad quid instituta 328
Sacramentorum vsus multipliciter deprauatus 345
Sacramenta nulla creaturarum institui possunt 321
Sacrificia ἄσημα, muta, arguta, Regalia 364
Sacrificia in quem vsum diuinitus instituta 336,340
Sacrificiorum Ethnicorum genera plurima 356 ritus apud Romanos 357 ritus apud Græcos & Ægyptios 359
Sacrificiorum diuinationes 360
Sacrificiorum Ethnicorum origo à sanctis Patribus 335 344,360
Sacrificiorum diuinorum sex genera 337
Sacrificia εὐχαριστικά 339
Sacrificium pro peccato 338 pro delicto ibid. laudis 340
Sacrorum Romanorum classes 351
Sacrorum discrimina apud Romanos 388
Sal fœderis 340
Salamandra flammam extingui 636
Salices die Solstitij folia circumagere 616
Saliua vtile excrementum 503
Salomim 349
Σάλπιγξ species ὑπερκαύμα-τος 577
Salubria signa Medicorum 472
Salubrium signorum distinctio ibid.
Sambethe prima Sibyllarum ex Nohe orta 263,270
Sambethes dictio ex Sem & Iaphet composita 264
Sanctificare apud Paulum quid significet 327
Sancti quomodo in hac vita ædificentur 190
Sanctorum cultus vnde nati 47
Sanctorum singuli singulis malis præfecti ibid.
Sanguinea membra facilius nutriri, quàm spermatica 512
Sanguineorum somnia 451
Sanguinis substantia 506
Sanguinis propriè dicti genera 523
Sanguinis vitiosi species 528
Sanguis quomodo corrumpatur 523
Sanguinis riuus è terra 737
Sanguis ex aristis promanans ibid.
Sansachi 267
Saon inuentor antri Trophonij 241
Sarmaticæ gentis origo 224
Sarracenicum regnum 298
Satisfactiones 354
Saturni & Iouis coniũctio 659

Saturni & Martis coniunctio infausta 660
Saturni effectus 666
Saturnus in Latio quo pacto cultus 371
Saxonicæ familiæ fatum 35
Saxum Erophileum 271
Scandinauia Peninsula 282
Scedasi filiæ ab hospitibus Spartanis violatæ 53
Scelera enormia à Diabolo esse 105
Sceleton æneum Delphico templo ab Hippocrate dicatum 231
Scholæ sanctorum Patrum 224
χηματισμῶν modi nouem 699
σκιοτεριικά 640
Scipio spectans incendium Carthaginis, suæ patriæ fatum præsagit 34
σκίρων venti nomen 579
Sciuri tempestatem præsagientes 618
Scythæ à Magog oriundi 233
σκυταλίδες 606
σκωληκίζων pulsus 484
Sebenniticum oraculum 236
Sedes filiorum Nohæ post diluuium 232
σειρὰ χρυσείη 725
Seleuco rem sacram Pellæ facienti ligna sua sponte exardescunt 12
Seleucus Syriæ rex oraculo deceptus 235 idem interfectus ibid.
Sem idem qui Melchisedech 233
Semele 350
Sem posteritate Orientem & Meridiem impletum 233
Seminum vis magna 96 origo ex elementis 373
Sensus variè affici 89 respondere naturæ cerebri 90 cieri eos à cerebro 107
Sensus interiores 433
Sensuum interiorum formatio 444
Sensus exteriores 433
Sensuum iudicium deprauatum corrumpere mentem 92
Seraphim Ægyptiorum numen 368
Serapidis templum & cultus 243;244
Serenitatis præsagium 618
Serosus liquor 508
à Serpentibus inuiolabiles 315
Seueri descriptio ex Dione 236 idem responsum petēs à Iouis Beli statua 236
Sibyllæ nomen generale 262 eius etymologia 263
Sibyllæ mulieres vatidicæ 269
Sibyllarum Catalogus 270
Sibyllinum vaticinium de abolitione Oraculorum 250 Oraculum Augusto redditum ibid.
Siderum & temperamentorum vis maxima in ciendis actionibus 45
Siderum certorum effectus

in ortu nascentium 659
Siderum obseruatio Medico necessaria 694
Siderum effectiones duobus modis obseruandæ 708
Signa euentuum 20
Signa apud Medicos duplicia 466, 467
Signa inusitata memorabiles euentus antecedere 448
Signa promissioni addita ante diluuium 344
Signa cœlestia 699 Physiognomonica 604
Signorum distinctio 85 fontes apud Medicos 478 discrimina ibid. & 479
Signorum medicorum genera finibus distincta 472
Significationes astrorum nō esse immutabiles 685
Σημεῖα quæ 467
Σημεῖα Medicorum quando fiant τεκμήρια 472
Σημειωτική 19, 574, 601
Simplicia quæ singulis partibus corporis cōueniat 637
Simpuuium vel scipulum 358
Simulacrorum vanitas 329
Simulacrorum in cœlis causa efficiens 736
Συνομαντεία 420
Syllæ somnium 428
Syllanum bellum corui portendentes 383
Symbola per sese non esse Sacramenta 328 nullam habere rationem Sacramentorum extra vsum suum ibi.
Συμπάθειαι Corporum cœlestium & Elementorum 559 566
Συμπαθείας oriri ex qualitatibus 572, 619
Sympathiarū natura imperuestigabilis 572
de Sympathiis & Antipathiis in natura 615, 637
Sympathiæ & Antipathiæ ad diuinationes Physicas referendæ 639 harum obiectum ibid.
Sympathia cordis & cerebri 98
Σύμφυτον humidum 493
Symptomatum triplex differentia 468
Συνεχὲς αἴτιον 470
Συνεκτικὸν αἴτιον in morbis ibi.
Συνεδρεύοντα vel συνεζευγμένα signa apud Medicos 474, 478
Σύστασις Corporum qualia pariat signa 478
Συζυγίαι Planetarum 702
Smaragdus 637
de Socrate iudicium ex signis Physiognomonicis 605
Sol primus fons lucis 567
Soleus mortuus post triduum reuiuiscens 293
Soles plures quid significent 586
Soli vnitas dedicata 410
Solis orientis & occidentis colores quid denuncient 598

Solis

Solis effectus 647 radios non nisi reflexos lucere 668
Solis motus testimonium Prouidentiæ 653
Solis & stellarum motus varios, temporum vicissitudines efficere ibi.
Solis cursus per totum Zodiacum 655, 656 officium 81, 83
Solis & Lunæ præcipua vis in mutandis tempestatibus 59
Solitaurilia 390
Somni causæ 449 generatio 447
Somnia vatidica 239 præsagientia 453 θεόπεμπτα 425 diuina 455 δαιμονιόπεμπτα 425 Diabolica 455 Physica 430, 450
Somnia ἀλληγορικά 428
Somnia in cerebro quomodo generentur 431, 450
Somnia ne turbentur, quæ requirantur 452 quorum obseruatio concessa 457
Somnia δημόσια 428
Somnij definitio Aristotelica 431
Somniis præsagientibus non fidendum 460
Somniorum interpretes ὀνειροπόλοι dicti 462
Somniorum conditiones 459 duo genera secundum Homerum 421 quique genera secundum Macrobium ib. causæ ibid. duo prima genera 423 significata 429
Somniorum alia distinctio 430, 431
Somniorum σημαντικῶν quinque differentiæ 426
Somnium Sophoclis 456 seruuli à Mardonio missi 238
Sonorum causæ & differentiæ 632
Sortes in historiis celebratæ 397
Sortes diuinæ ibid. politicæ ibid. Diuinatoriæ & earum vanitas 402 Virgilianæ 420 Lyciæ 238 Deliæ 237
Sortes diuinatoriæ prohibitæ 420
Sortiendi ritus 398
Sortium vsus frequens 396 genera 397 vsus politicus concessus 398 varia instrumenta 399
Spasmus 442
in Spasmo quomodo nerui & musculi afficiantur ibid.
Sparta terræ motu concussa propter violatos supplices 51
Spectra sæpe cerni 287, 292, 296
Spectrorum ingens multitudo apud Pilappos 283
Spectrum Philosophis quibusdam Græcis oblatum 310
Spes & metus causa perturbationum in animis hominum 2

Spiritus sanctus 357 eius effectiones in natura rationali 326
Spiritus sanctus quomodo adsit in ministerio Ecclesiæ 164
Spiritus sancti efficacia qualis 193
Spiritus sanctus non destruit vires sed instaurat ibid.
Spiritus & Angeli incorporeæ naturæ vocantur 124
Spiritus familiares 291
Spirituum in corpore humano vis & natura 99, 441
Spirituum animalium origo 448
Spinturnix 382
Sputi & mucoris generatio 501
Statius de Pyroscopia 369
Statuarum cultus oraculis Ethnicis similes 233
Statuæ annuentes aliquid, aut abnuentes 235
Statuæ sudantes 737
στλεγγιαία vena 504
Stella magis conspecta 287
Stellarum natura 566 definitio ibid. discrimina 698
Stellarum varias configurationes mouere inferiora corpora 569, 613
Stellarum effectiones demõstratæ 646 fixarum significationes 653
Stellarũ discrimina ex lumine 669 variæ effectiones ibid.
Stellarum motum per accidens conferre effectionibus 671
Stellarum lumen duplex ibid. motus ibi. & 715
Stellarum cõfigurationes hodie non eædem quæ olim 676
Stellarum exortus & occasus 711
Stellas in Elementa vim suam diffundere 647 peculiaribus terræ locis, aut fauere, aut infensas esse 82 operam Soli præstare 653 variè afficere corpora hominum 667 agere in inferiora emissione radiorum & reflexione ibid. pro diuersitate lucis diuersas habere vires 668
Stellæ causæ partiales mutationum in elementari regione 84
Stellæ transcurrentes 577
quæ Stellæ vmbram spargant 668
Stellis certis gentium mores respondere 666
in Stellis singulis quæ notanda 699
στερνόμαντις 258
Sternutatio 435
στῆθος χειρὸς 688
Stoicorum error 569
στοχασμὸς φυσικὸς 77
Stratonis Lampsaceni inuentum 332
Struppi 389

Subsolanus ventus 579
Succię regem Pilappios in religione erudiri, curare 283
Sueui 224
Sueui fluminis inundatio 588
Suffibulum 367
Superstitio pœna primi lapsus 2
Superstitio Ethnicorum 376
Superstitiosæ obseruationes in Astrologia improbandę 697
Superuaganeæ aues 381
Supplices non violandi 52
Supplicationum ritus apud Romanos 389
Supplicium virginis Vestalis 367
Suspensus dolor 487
Σφυγμός quid 480
Σφυγμώδης dolor 487
Σφυγμός terræ motus 581.

TAges ex terra arata prodiens 374
Tarandus animal 282
Tarentum νεκυομαντεῖον 296
Tarquinio Prisco regnum portendens aquila 381
Tarquinio superbo exilium portendentes fœtus aquilarum implumes ibid.
Tarquinius libros Oraculorum à Sibylla Cumæa ęmens 273
Tarutius Firmianus 695
τεκμήρια 85
τεκμήρια in doctrina Medicorum ibid. 467
τελετή Græcorum 338
Temeni fraus 398
Temperamenta corporum mores sequi 603
Tempestatum prænuncia 618
Templum Delphicum locupletissimum 232
à Phocensibus spoliatum 4
Templum Apollinis in Delo 238
Amphiarai ibid.
Serapidis 239
Temporum vicissitudo etiam animantibus necessaria 656
Tempus nati infantis quomodo inquirendum 715
τερατομαντεία 419
τέρατα 720
τερατοσκοπικαὶ diuinationes vnde 573
Terata errata naturæ 722
Teratoscopia 738
an concessa ibid.
Terra Mundi centrum 574
Terra vaporum & halituum penu ibid.
Terræ motus vnde 581
Terræ motus quibus in locis frequenter existant ibid.

quid portendant 589
Terræ motum quid præcedat & comitetur 582
Tesqua 379
Testimonia de actione virium humanarum & lucta 189,196
Testimonia Aristotelis pro Astrologia 694
Testimonia de fructibus & operibus regni Pontificij, & exortu 206,208,209
τετράγωνον in manu 609
Teucer 371
θανάσιμα aut θανατώδεα signa apud Medicos 475
Tharsus Metropolis Ciliciæ 233, 234
Thebarum etymon 350
in Themate natalicio quæ consideranda 704, 747
Thematis natalicij conformandi ratio 713,716
Themistocli ἐπινίκιον canentes Galli 383
θέναρ 609
Theodori Gazæ villicus spectro vexatus 310
θεομαντῶν quatuor differentiæ 358
Theomantia Prophetiæ opposita 254
Theomantiam & oracula differre 257
Theomātia voce diuina prohibita 285
θεοπνευστία 258,259
Theriaca à veneno liberat 544
Thessali cuiusdam somnium 429
Thoda 340
Thiras fluuius Thraciæ hodie Nister 233,234
Thraces à Thiras dicti 160
Thracium Oraculum 242
θρασκίας nomen venti 580
θρέψις quid 479
Thulides Ægyptiorum Rex 54
Thymelea 616
θυτική 15
θυμός appetitio sensitiua 443
τυφῶν quomodo fiat 584
Tiberio sortes regnum portendunt 404
Tiresiæ vaticinium 15
Tonitrua vnde fiant, & quomodo 584
Tonitrua ominosa 380
τόποι ἀφετικοί 704
Totilas Romam deuastat 34
Tractorius dolor 486
τράγημα 731
Tragicorum casuum autor Diabolus 165
Tragopogon 616
Traiectiones 348
earum significationes 20
Transsubstantiationis origo 308
Tribuni Celerum 351

τὸ ὑπὲρ φύσιν, κατὰ φύσιν, παρὰ φύσιν quid differant 141
Trifolium contra tempestatẽ folia erigit 618
Tripolium 616
Trissago ibid.
τρόμος 581
Trophonium Oraculum 240
Trophonius 241
eius statua 242
Oracula 239
τρόποι οἰκοδεσποτικοί 701
L. Tubero picum capiti insidentem concerpens 382
Tuiscones 224
Tullius Hostilius fulmine ictus 316
Tumores corporis vnde 535
Turcicum regnum 199
Turcas vti κηρομαντείᾳ 382
Tutia virgo aquam cribro hauriens 316
Tyrum captum iri ab Alexandro Diabolus prædicit 25
τύχη 50,108.

VAlens Imperator 322
Valentinianus vltimus Occidentis Imperator 32
Valẽtinus ab Epilepticis cultus 48
Vandalusia 33
Vapores & halitus è terra 574
Vaporum receptaculum aer ibidem.
Varronis iudicium de Extispicina 394
Vates Ethnicorum furibundi 221, 257
Vati futuro natura & arte opus esse 77
Vaticinia Veteris & Noui Testamenti 10
Vaticinia Dæmonum vnde depromta 25
Vaticinia Dei de rebus spiritualibus certissima 63
Vaticinia de Pseudoprophetis exorituris in Ecclesia necessaria necessitate Consequentiæ 65
Vaticinia de pœnis cum conditione pœnitentiæ intelligenda 66
Vaticiniis de bonis corporalibus adiunctam conditionem crucis & castigationis ibid.
Vaticinium Orphei de duratione Mundi 259
Vatum furores vnde 458
Vatum dissimilitudo diuinationes variat 76
Venæ Mesaraicæ 504
Veneficarum promissa 316
Veneficia 315
Venenorum, deleteriorum pestilentium quæ varietas & ratio 537, 538

Veneris & Martis coniunctio 659
Veneris, Saturni, Martis, Mercurij, & Lunæ coniunctio 660
Veneris lacus in Lycia 371
Venetorum consuetudo in sortiendo 339
Ventorum genera 579
Ventorum naturæ & effectus 581
Ventus μετέωρον aereum 579
Ventriculi calor vnde 496
Veratrum florere tempore brumæ 616
Verba incantatorum 317
Verbi diuini verus vsus 324
Verborum institutionis Cœnæ recitatione non mutari substantiam Panis 329
Verbum Domini quomodo efficax 330
Versus de Geniis 289
Vespasiani somnium 428
Vespasianus templum Hierosolymitanum delet 31
Vestæ etymologia 346, 365 templum apud Romanos 365
Vestæ ignis extinctus lacinia Æmiliæ reparatus 318
Vestalis corruptæ supplicium 366
Vestalium cultus 367 electio & disciplina 366 Collegium 680
Victimæ in sacrificiis Ethnicis 357 suæ singulis Diis deputatæ 359 quales sacrificiis adhibitæ 360
Victimarij 358
Vinalia 712
Vinum effudisse ominosum 388
Violas secundò florentes pestem significare 619
Vireo auis 617
Virgilianæ sortes 419
Virgilij versus 316, 355, 421,
Virgula diuina 640
Virtus excellens à Deo 105
Viscerum minus principalium consideratio in sacrificiis 363
Visibilium creaturarum duæ classes 124
Vitales actiones in corpore 479, 481
Vitellina bilis 522
Vitiligo 528
Vituli monstrosi 728 & 730
Vitreus humor 527
Vngarici regni initium 33
Vniuersales causæ potentiores singularibus 692
Vocum ex occulto missarum omina 391
Voluntas humana 87, 105, 106, 115
Voluntati coniuncta potentia locomotiua 88
Voluntatem, errante iudicio, peccare 96
Voluntatis libertas 705 ἀνάγκη 96

Vrbis Romæ γένεσις 696
Vrinam in vesicam colligi 509
Vrinarum consideratio 533
contenta duplicia ibid.
Vrinarum turbidarum triplex conditio ibi.
Vsus creaturarum Physici discernendi à spiritualibus 327
Vsus rerum creatarum verus concessus 5
Vsus coctionum in corpore 496
Vsus perittomatum vtilium per accidens 515
Vsus perittomatum vtilium per se ibid.
Vtilitas prædictionum Physicarum 116
Vulcanius collis 12
Vulneratiuus dolor 488
Vulturnus 579
Vulturum auguria 382.

XErxes Dindymæum templum spoliat 235
Xerxi cladem portendens Cometa 593
Xerxen somnio deceptum res periculosas mouisse 461

Ὕβρεις 113
ὑγιεινὰ Medicorum signa 472
ὑγρότης quid 513
ὑδατοσκοπία 640
ὑδρομαντεία 361, 369
ὑπεκκαύματα 577
ὑπεκκαυμάτων species ibid.
ὑπεκκαυμάτων differentiæ vnde ibid.
ὑπερετικαὶ ἐνέργειαι in corpore 479
ὑποθέναρ 609.

ZEBa Salomin 340
Zigeuni 322
ζῴδια 699
Zopyrus Physiognomon 604
ζωοσκοπικὸν 574, 639
ζωηφόρος linea 609
ζωτικαὶ ἐνέργειαι in corpore 479, 480.

FINIS.